BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIII
G
40
NAPOLI

XXIII
G.
40

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

AVGVSTINI NIPHI

SVA TEMPESTATE

PHILOSOPHI

OMNIVM CELEBERRIMI

OPVSCVLA MORALIA ET POLITICA:

CVM GABRIELIS NAVDÆI
de eodem Auctore Iudicio.



PARISIIS,
Sumptibus ROLETI LE DVC, viâ Iacobæâ,
ſub ſigno Iuſtitiæ.

M. DC. XLV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

B. R. NEAPOLIS

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI

GASTONI

BORBONIO

AVRELIANENSIVM

DVCI,

AVGVSTISSIMOQVE CHRISTIANISSIMÆ
Reginæ Matris in armis Conciliiſque Regiis
ADMINISTRO;

GABRIEL NAVDÆVS
Salutem, victorias, perennitatem, vouet.

NIHIL *inſolens, aut ab inſtituto meo diuerſum facere mihi videor*, GASTO PRINCEPS AVGVSTISSIME, *cùm ab hominibus mei ſimilibus, &*

in fortunæ ſuæ mediocritate, vna tantùm doctrinæ & ſtudiorum laude commendatis, quibus Præfationes meas inſcribere ſoleo; ad te vnum in præſentia diuertor, quem & Regij ſanguinis maieſtas; & opum, officiorúmque ſplendor, & actionum bello pacèque præſtantiſſimarum dignitas; & oris ſpecies, & infinita alia Celſitudinis tuæ ornamenta, vix inter homines cenſeri permittunt. Neque enim eò ſum vſque temeritatis, aut dementiæ prouectus, vt te, vel in cumulatiſſimæ gloriæ faſtigio ſedentem; vel innumeris exercitatiſſimorum militum copiis leges dictantem; vel victorem, & triumphantem, compellare pro verecundia,

ac tenuitate mea poſſim, vel debeam. Sed quemadmodum mortales quoties de Cœlo Numen aliquod in terras ſe demittebat, illius cùm verbis, tum obſequio ſuo, vel munere aliquo demerendi, occaſionem ſibi effluere non permittebant; haud ſecus ego, qui te optimo, præſentiſſimóque Galliæ Numine, vtor nonnunquam tam familiariter, quàm hominibus academicis ſoleo; ſiue mecum, depoſito procul Regiæ perſonæ ſupercilio, de negotiis Reipublicæ literariæ, aut librorum præſtantia, ac varietate; ſiue de ſcientiis, & artibus loquaris; minimè propterea mihi indecorum fore putaui, ſi libellos iſtos Auguſtini Niphi, quos ille ſigillatim Principibus viris dica-

Digitized by Google

uerat, coniunctos omnes, ſingulari beneuolentiæ, & comitati in me tuæ conſecrarem. Quandoquidem, PRINCEPS AVGVSTISSIME, *quoties videbis illos in inſtructiſſima Bibliotheca tua, ſuo ordine cum reliquis collocatos, non poteris tunc eiuſmodi virtutum tuarum, quæ Gallos iuxta atque exteros populos in admirationem rapiunt, ac mei quoque non meminiſſe. Maximè cùm earum ſola confidentia ductus, animos mihi fecerim vt genium tuum quantumuis ſaluti Regni, & Regis noſtri procurandæ natum addictúmque, interpellare, & à publicis ad priuata iſta literatorum comitia reuocare non dubitarem. Faxit Deus,* PRINCEPS

Digitized by Google

AVGVSTISSIME, *vt hanc meam audaciam æqui bonique conſulas, & me eum eſſe tibi perſuadeas, qui in te ſumma cum veneratione colendo, & votis, humilibúſque obſequiis meis demerendo, concedam vnquam nemini. Vale.* Lutetiæ x. Kal. Mart. M. DC. XLV.

IN NIPHVM

Operâ inclyti doctrinâ viri reſtitutum.

E Tumulo NIPHVM *in lucem,* NAVDÆE, *reducis;*
Et dona impertis vitæ meliora ſecundæ.
Quantus es, & quanto viuis mactandus honore,
Qui vitam extinctis, ereptáque lumina confers.

P. D'AVBEROCHE.

GA.

Digitized by Google

GABRIELIS NAVDÆI DE AVGVSTINO NIPHO IVDICIVM.

CVM anno ſuperiore, celeberrimi Philoſophi Auguſtini Niphi Opuſcula Moralia & Politica, quæ variis in locis hactenus edita fuerant, Bibliopolæ cuidam amico meo tradidiſſem, vt ea ſimul collecta publici iuris faceret, eo me putabam eſſe defunctum officio, quod nonnullorum librorum editione, qui vel M. S. in Bibliothecis latent, vel typis exarati, minus tamen frequentes videntur, literatorum commodis impendere ſoleo. Verùm quoniam Iudicium illud de Cardano, quod eiuſdem vitæ à ſemetipſo conſcriptæ, biennium ante præfixeram, non parum emolumenti curioſis Lectoribus attuliſſe viſum eſt; eam ob rem efflagitauit à me quotidiano quaſi conuicio Bibliopola meus, vt Niphum abſque vlla præfatione, abire in publicum minimè permitterem. Maximè cùm de natali eius ſolo, de vita, de ſcriptis & doctrina, nihil huc vſque certum, ac ne quidem dubio rumore peruulgatum, apud auctores exiſtere, nemini in illuſtrium virorum memoriam diligentiùs inquirenti, obſcurum eſſe poſſit. Et ſanè non paſſus fuiſſem, iſtud à me diutiùs officium de-

é

Digitized by Google

ſiderari, niſi Bibliotheca munificentiſſimi Domini mei Cardinalis Mazarini, quæ me totum ſibi vendicat, & libris in illam vndequaque conuehendis, occupatum detinet; non ſemel dumtaxat in cauſa fuiſſet, vt negotia mea tum publicis, cùm priuatis etiam vſibus meis deſtinata, longè remiſſiùs, quàm ex more inſtitutóque meo ſit, ac lentiùs omninò procederent.

De Nipho igitur priuſquam ad dicendum aggrediar, Lectorem velim, in eam mecum meditationem pauliſper incumbere, quæ ad dignoſcenda ex patrio ſolo hominum ingenia, non parum meo iudicio videtur obtinere momenti: etenim, præterquàm ex Alberti Magni, Ioan. Bodini, Federici Bonauenturæ, aliorúmque inſtitutis ea de re diſputationibus, cumulatè probatum eſt, vt fructuum ſic etiam ingeniorum varietate diſtinctas eſſe regiones, vnámque certis rebus abundare, quibus reliquæ penitus deſtituantur; illud inſuper exemplo quodam confirmari poteſt, quod à præſenti diſſertatione minimè videri poſſit alienum. Nam vt à Gallia noſtra non diſcedam, cùm Iuriſprudentiæ ſtudia celeberrimè ſemper in ea exculta fuerint, nulláque pars orbis exiſtat, in qua maiori verborum nitore, & iudicij ſanioris ac ſenſuum integritate, ſcriptis committantur: Italia contrà (ſi Alciatum vnum excipias) nihil vnquam in his præſtitit, niſi plebeium & vulgare. Sed aliter longè, & contrario penitus modo, de Philoſophia ſentiendum eſt, quandoquidem tantum abeſt vt Gallia, veteris il-

Digitized by Google

lius Philoſophiæ normam, quæ in Græcis Ariſtotelis interpretibus elucet, cum aliqua laude ſecuta ſit, quòd nedum illam nouiſſe, aut à limine tantùm ſalutaſſe, videri debeat. Etenim ſi *Fabrum* excipias, qui primus Philoſophiam à paruorum (vt tunc illa vocabant) logicalium ineptiſſimis technis, & calculatorij ſtyli barbariſmis, generoſo conatu vindicauit; ſi *Bigotium*, *Ramum*, & *Bodinum*, qui non parum induſtriæ, fortunatiſſimíque laboris in ea tractanda attulerunt; ſi denique *Fernelium*, *Carpentarium*, & *Riolanum*, qui neſcio quo fato, doctrinæ ſuæ præſtantia & exculti ſermonis elegantia Fracaſtorios, & Scaligeros, quos ego meritò dixerim ingeniorum vertices, & ſcientiarum Deos, æquarunt; reliqui omnes Philoſophi, qui aliquid in Academia Pariſienſi dignum laude conati ſunt, aut Itali fuerunt, aut Scoti, aut Hiſpani, aut aliunde gentium in eam accerſiti: cùm vice verſa tam fœcunda ſemper Philoſophorum Italia fuerit, vt quemadmodum

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi,

ſic Italiæ proprium ſit Philoſophos habere, (ſiue id cœli temperatione proueniat, ſiue quòd hoc ei munus à Deo conceſſum fuerit) vt mirandorum omnium naturæ effectuum conſultiſſimos, ſic numero & recenſione propemodum infinitos. Nam præter *Aquinates*, *Ægidios*, *Aponenſes*, *Paulos*, *Mirandulanos*, *Ficinos*, *Barbaros*, *Montuos*, *Caietanos*, *Cataneos*, *Zimaras*, *Nicoletos*, *Trombetas*, *Iauellos*, *Tagliapietras*, *Bruliferos*, *Apollinares*, *Leonicos*, *Baſſadonas*, *Ruſſilianos*, *Pomponatios*, *Achillinos*, *Niphos*, *Portios*, *Caſtel-*

lanos, Tignoſios, Buranas, Philalthęos, Donatos, Baccilerios, Fracaſtorios, Scaligeros, Acorombonos, Martas, Bonamicos, Cardanos, Prouenſales, Tancredos, Mazullos, Mercenarios, Balduinos, Simonios, Buccaferras, Maſios, Borros, Ceſalpinos, Camutios, Zabarellas, Piccolomineos, Contarenos, Saccos, Pontanos, Cremoninos, Licetos, Gianinos, Lauredanos, Syrenios, Claromontios, Baldos, Raguſæos, Maynettos, Paueſios, Delphinos, Portas, Montecatinos, Scainos, Teleſios, Patricios, Campanellas, Perſios, Mocenicos, Verinos, Venieros, Maſonios, Mineruas, Lactantios, Vicentinos, Brunos, Perſonas, Flaminios, Guaſtauinos, Septalios, quorum omnium libri typis exarati, non ſine tacita quadam veneratione, manibus hominum circumferuntur; tot alij prætereà non minoris famæ, in eorumdem cenſum referri poſſunt, vt dies me potiùs, quàm de illis dicendi materia deficiat. Neque tamen adeò Gallis noſtris ſum iniquus, vt neſciam, aut diſſimulare velim, extitiſſe nuper inter illos celeberrimi nominis Philoſophum *Ioannem Craſſotium*, & etiam nunc reperiri *Gaſſendum*, *Merſennium*, *Bullialdum*, *Deſcardium*, *Belriguardum*, qui ſubtilioris & inquiſitioris Philoſophiæ dignitatem, aſſerere à contemptu, eámque fauſtis ominibus, in reliquarum ſcientiarum arcem inferre poſſint; ſed hi, quorumdam ignium obſcurâ tantùm nocte micantium inſtar habendi ſunt; & iſtud honoris, atque gloriæ laboribus ſuis pertinacibúſque vigiliis acceptum potiùs ferre debent, quàm proprio nationi ſuæ ad hanc artem excolendam genio: Qui quidem è diuerſo tam facilè, tam frequenter

Digitized by Google

& expeditè ex Italis hominibus Philoſophos facit, vt in nulla re magis quàm in iſta, naturæ vis, ad fingendos hominum animos, ſummáque poteſtas eluceſcat. Atque hæc cùm ita ſint, nemo, vt opinor, ſic obtuſo hebetíque ingenio eſſe poteſt, quin ſtatim intelligat *Auguſtinum Niphum*, cùm ad vim illam ſibi à natura inſitam, omnia reliquarum artium præſidia attulerit, quæ multis hominibus, vel inuitâ plerumque Mineruâ, ad alicuius rei ſummam, & faſtigium contendentibus ſatis eſſe ſolent, eo proptereà in Philoſophorum numero habendum eſſe, quos Deus bonis omnibus, ad iſtius ſcientiæ præcepta rectè ſtabilienda, vel tradenda neceſſariis, ad plenum informatos cumulatóſque naſci voluit. Et ſanè cùm ipſemet ex cuiuſdam Poëtæ licentia, ſuperbiam meritis ſuis quæſitam ſumeret, auſus eſt in 2. lib. de re aulica cap. 10. ea in verba, non multum tamen ab ingenuo pudore ſuo aliena prorumpere: *Hucuſque ita accuratè de rebus naturæ (vt mihi videor) ſcripſi, vt inter Latinos Scriptores, qui mille antè annis in illis ipſis rebus elaborarunt, non ſim nouiſſimus.* Neque profectò diuerſum ab eo cenſuiſſe viſi ſunt Paulus Iouius, dum in elogiis doctorum virorum aſſerit, *inter Ariſtotelicæ ſectæ profeſſores eximiam Nipho laudem contigiſſe, quum in omnibus ferè Italiæ gymnaſiis, Achillino & Pomponatio florentibus, opima ſtipendia meruiſſet*: Hieronymus Rorarius, qui in opere nondum edito de brutorum ratione, *eum clariſſimum ætatis ſuæ Philoſophum vocat.* Paulus Merula, qui part. 2. lib. 4. Coſmog. *inſignem Philoſophum, & ſcriptis clarum fuiſſe contendit.* Leander Albertus, à

Digitized by Google

quo Niphus ipſe vocatur in deſcriptione Campaniæ, *memoriâ ſuâ perinſignis & excellens Philoſophus*: Hieronymus Maraſiotus, ex cuius mente, *Philoſophorum omnium qui eadem cum Nipho tempeſtate floruerunt, nemo ſuperior, ſed nedum æqualis ipſi vllus extitit.* At enim cùm reliquos eius Encomiaſtas enumerare, quòd propemodum ſint infiniti, difficillimum ſit; duos tantùm, qui ex maxima nominis eius celebritate præſidium ſuis operibus quæſierunt, in medium proferam, Galeatium ſcilicet Florimontium Præſulem Sueſſanum, & Albertum Pighium Campenſem, virum, ſi quis alius extitit, ſæculo ſuo Philoſophiæ, Mathematices & Theologiæ penitioribus ſacris non leuiter initiatum; quorum alter præcipuas illi, in elegantiſſimis ſuis colloquiis de Philoſophiæ Moralis conſtitutione, loquendi, & effata peripatetica, velut ex Apollinis Tripode, pronuntiandi, partes demandauit: Hic verò, neminem *Auguſtinò Nipho*, tam auctoritate nominis, quàm admiratione doctrinæ potiorem habuit, cui libellos ſuos contra Prognoſticatorum vulgus, & nouam Marci Beneuentani Aſtronomiam, Pariſiis ſeparatim editos dicaret. Certè vocat illum in prima fronte defenſionis Aſtrologiæ, *Philoſophorum ætatis ſuæ Principem, ac Aſtrologiæ ſincerioris reſtauratorem*; & in Præfatione contra Beneuentanum, conceptis verbis eum ſic alloquitur: *nam de ſcientia tua quid loqui attinet? quam tot præclaris editis operibus, tot diuinis ingenij tui monumentis, toti orbi præſentibus, poſteriſque ita teſtificatus es, vt in Philoſophorum conſeſſu, nemo non indubiam Auguſtino palmam tribuat.* Quinimò poſteà etiam

Digitized by Google

addit, *gloriâ doctrinæ tuæ ita Italiam totam irradiaſti, vt omnium totius Italiæ Philoſophorum nomen ac gloriam præradies, & obſcures.* Ego verò, ſi quid mihi ſtrepere, velut inter olores anſeri, conceſſum ſit, & iudicium meum de *Nipho*, tot inclitorum virorum iudiciis adiungere, libenter iſtud proferam: Quòd ſi quis à D. Thoma diſceſſerit (cuius, vt etiam Alberti Magni, ſapientia, cœleſtis potiùs quàm humanæ ſcholæ documenta fuiſſe videntur) is nullum alium reperturus ſit inter Latinos Ariſtotelis Interpretes, cui ſeu librorum editorum multitudine, ſeu dogmatum Ariſtotelis perpetuâ conſtantíque propugnatione, ſeu denique ſententiarum eiuſdem explicatione facillimâ, gloriam eruditionis, & peruagatæ in omnes Europæ prouincias, pérque omnium ora celebritatis, concedere meritò debeat. Verumenimuerò, priuſquàm accuratiùs in tot laudum, quas optimi quique ſcientiarum, & rerum Academicarum Arbitri, quaſi per ſaturam in *Niphum* noſtrum coniecerunt, momenta, cauſáſve inquiramus: videndum eſt profectò, num ille *Sinueſſanus*, *Sueſſanus*, aut *Ioppolenſis* Calaber fuerit; quandoquidem Auctores omnes qui de eius ortu, & patria mentionem fecerunt, video in tot abire, & diſcrepare inter ſe ſententias. Ex quibus vt maiori cum facilitate & certitudine veriorem elicere poſſim, ſitus inprimis eiuſmodi vrbium, & ſcita de illis Geographica, diligenter attendenda ſunt. Neque enim deſunt viri, licèt in eruditorum cœtu maximè conſpicui, quibus aut *Ioppolis*, propter tenues ſuorum incolarum fortunas penitus ignota ſit, aut *Si-*

nueſſanus ager, quòd in Campania, non multum à Sueſſano ſit diſſitus, ita etiam nec diuerſus haberi ſolet. Atque hic error in Theſauro Linguæ Latinæ potiſſimùm animaduerti debet, ſiquidem illius Auctor Sueſſam in Mediterraneis ponit, Sinueſſæ loco, eámque perinde deſcribit, ac ſi poſtremam hanc vrbem ſibi potiùs deſcribendam ſumpſiſſet. Sed aliam omninò à *Sinueſſa* Sueſſam fuiſſe, ex eo præſertim conſtare poteſt, quòd priorem illam Geographi omnes in Veſtinis collocant, eámque à Sinu nomen gerere, Strabonem teſtem adducunt, σίνος γὰρ ὁ κόλπος. Scimus præterea, ex eiuſdem Strabonis mente, Sinueſſam oræ maritimæ vrbem fuiſſe, cùm aſſerat libro 4. oram maritimam ab Oſtia Sinueſſam vſque, Latium appellari, mediterranea olim pauca occupaſſe, poſteà verò ad Campaniam, Samnites, Pelignos, alióſque Apennini accolas fuiſſe productam. Meminit & eiuſdem Liuius lib. 10. aitque Græcam fuiſſe vrbem Synopem dictam, ſed poſteà à Colonis Romanis Sinueſſam appellatam. Situm verò quem illi prope Falernum agrum tribuit, nullatenus moror, cùm hic vrbi Sueſſæ certo certius, non autem Sinueſſæ conueniat: Sed iſtius quæcunque tandem de ea Liuij aut aliorum ſententia fuerit, ſuperſunt tantùm hoc tempore veſtigia, quæ per ingentes ædificiorum ruinas, circa Montis Draconis caput, quod Promontorium Maſſicum eſt, apparent, locúmque præbent exiguo, ſed munitiſſimo tamen, Pyratarum metu, oppido, quod vulgò *Roccha di Mondragone* dicitur, & paſſibus ab mari mille ex ipſiſmet, vt multorum

eſt

eſt opinio, Sinueſſæ ruinis conſtructum eſt. *Sueſſa* verò ciuitas eſt eiuſdem Campaniæ Maſſico, Calenóque montibus adiacens, Auruncis populis olim habitata, & Româ ipsâ, ſi fides veteribus hiſtoriis habenda eſt, vetuſtior. Vnde Sueſſani etiamnum hodie, antiquitatis eiuſmodi teſtandæ gratiâ, vtuntur pro teſſera communi, muricato Leone proſiliente, in parmula argentea, cum iſto circum lemmate, SVESSÆ VETVSTÆ. Cæterùm ſitus eius inæqualis eſt, & in longum protenſus, propter collem in quo ædificata eſt, imminétque viæ Appiæ, & ſubiectis campis adeò fertilibus ac amœnis, vt Galeatius Florimontius ſub *Auguſtini* noſtri perſona cum Conſaluo Ferdinando Sueſſæ Duce loquens, dicat, *non poſſe, neque Pontis petræ Veronenſis, neque nobiliſsimos illos Belgarum, aut Gallorum proſpectus, cum Sueſſano conferri. Maris enim & telluris æquora, tam bellè cum montium amœnitate conueniunt, vt nihil poſsit delectabilius iudicari.* Sic enim illius Etruſcam phraſim Latinè vertit Iulius Cæſar Capacius lib. 2. Neapolitanæ hiſtoriæ; quem ſi quis diligenter conſuluerit, vnáque Leandrum Albertum in deſcriptione Campaniæ, Paulum Merulam in libro iam à me ſuprà laudato, Andreæ Schotti commentarium in H. Goltzij Siciliæ & magnæ Græciæ Numiſmata, & Philippum Cluuerium in Italiæ antiquæ libris 3. & 4. nihil amplius erit meo iudicio, cur de Sueſſæ ac Sinueſſæ diſcrimine, quod Liuio & Ptolemæo non adeò tamen perſpectum fuit, liquidò pronunciare non debeat. *Iopolis* denique non ea vrbs eſt in Silpio monte, quam Orontes fluuius alluit apud Ortelium in The-

Digitized by Google

ſauro Geographico, ſed exiguum potiùs in ea regione Calabriæ, quam olim Locri tenuerunt, oppidum, ſitu non humili, licèt propè maritimo, & à Tropæa, ac Nicotera ciuitatibus in illo tractu minimè contemnendis, æquali fermè ſpatio diſtans; cuius hinc & inde patentes campi, malis aureis, peponibus laudatiſſimis, & olei ſericíque nobiliſſimi copia, tam cumulatè referti ſunt, vt mirum ſit, Cœlum, non eadem cum indulgentia, ſuos influxus, accolis ipſis participare, quorum maxima pars, aut fati per lethales morbos accelerati vim perſentiſcit, aut vitiatâ temperie, vitam ipſam ægerrimè ſuſtinet. His igitur ita conſtitutis, dubio procul eſt

Quantum Hypanis toto diſsidet Oceano,

tantum à veritate diſtare *Rorarium*, magni licèt ingenij & exquiſitæ doctrinæ virum, dùm lib. 2. de Brutorum ratione ſtatim initio, Sinueſſam *Auguſtini Niphi* patriam fuiſſe, hunc in modum ſubindicat, *Poſtea maritima Latij ora vſque Sinueſſam, quæ amantiſsimi mei Auguſtini Seſſæ, clariſsimi huiuſce ætatis Philoſophi patria exiſtit.* Neque enim opitulari ipſi quicquam poteſt Gabriel Barrius, qui lib. 2. de Antiquitate & ſitu Calabriæ, *Sinueſſanos, ipſum quaſi Iuliâ lege Sinueſſam repetere ſcribit*; nam tribus aut quatuor ad ſummum exceptis, qui in eundem cum illis ſcopulum impegerunt, reliqui omnes, vt Iouius, Merula, Capacius, Mazella, Leander Albertus, Geſnerus, Gauricus, & quicumque alij mentionem vnquam de *Nipho* fecerunt, eundem ortu & patriâ Sueſſanum faciunt. Sic enim ex multis Georgius Fabricius in Itinerario 2.

Digitized by Google

——Hæc alio poſt nomine dicta Sueſſa,
Quæ noſtro eximio celebrata eſt tempore ciue,
Cui gens Nipha fuit, multas mens culta per artes.

Quinimò *Niphorum* familia, inter Sueſſanas nobilitate illuſtres, à Thoma Coſto in Opuſculis recenſetur, & *Niphus* ipſe ſuomet teſtimonio, quod omni exceptione maius eſſe debet, hanc de ſe hominum opinionem toties confirmauit, dum inter diuerſos & variantes ſubinde titulos, quos modò ſumebat & ponebat ad libitum, hunc vnum *Sueſſani*, conſtanti ſemper nomenclaturâ retinuit, vt dubitare tantùm de ipſo poſſit, qui Solem non videt pleno meridie. Sed quis potiùs rerum humanarum vices non doleat, quas obſcura plerumque caligo ſic inuoluit, vt illic, vbi veritatem pleno fulgore radiantem intueri nos arbitramur, ibidem loci, ſæpe ſæpius mendacium inſigne deliteſcat. Neque profectò aliunde, quàm ex recepta paſſim de *Niphi* patria opinione, rei iſtius exemplum repetendum eſt; nam licèt ex Capacio, aliiſque auctoribus, *Sueſſa* ipſa, vt olim Lucilij Poëtæ Satyrici, ſic ab expugnatæ Conſtantinopolis tempore, quo primùm in Europa, meliores literæ excoli cœperunt, multorum eorumdémque doctiſſimorum virorum ortu decorata fuerit, ac inter alios *Antonij Calcilij* Poëtæ & Grammatici perinſignis, qui multa, Laurentij Vallæ ætate in humanioribus ſtudiis volumina abſoluit: *Franciſci Taccioni* Iuris tam Romani, quàm Municipalis Neapolitani, quod poſtremum commentariis illuſtrauit, extra controuerſiam peritiſſimi. *Nicolai de Ciſtis*, & *Bartholomæi* filij Medicorum, ſcriptis, & artis ſuæ

exercitatione illuſtrium: *Nicolai Antonij Marini*, qui Philoſophiam in Athenæo Patauino diutiſſimè profeſſus eſt: *Ioan. Paſchalis* libri de lue venerea, auctoris non obſcuri: *Octauiani Martiniani* in ſacro Conſiſtorio Aduocati, qui vitam D. Bonauenturæ ſcriptis mandauit: ac demum *Ioannis de Bruno*, *Lelij Sueſſani*, *Galeatij Florimontij*, & *Cæſaris Ferrantij*, quorum duo poſtremi ſummæ cùm eruditionis, tum & integritatis nomine, Eccleſiis Termolenſi, & Sueſſanæ gubernandis præpoſiti à ſummis Pontificibus fuerunt: non potuit tamen Capacius idem de *Nipho*, aut de *Antonio Campano* Præſule Aprutino ſtatuere. Nam quod ad *Campanum* attinet, longè potior fides Michaëli Faerno eius vitæ ſcriptori diligentiſſimo habenda eſt, patriam illi penitùs à Sueſſa diuerſam his verbis aſſignanti: *Ioannes Antonius Campanus quòd Campania oriundus eſſet, cognominatus, Canellis pago perobſcuro, non longè à Gallucio Capuani agri oppido, parentibus ignobiliſſimis ortus eſt.* Et ſanè vt in ipſo Campano, ſic in *Nipho* quoque immane quantum falſus eſt Capacius: ſed cùm infiniti alij auctores eundem cum ipſo errorem errauerint, videtur mihi, in eiuſmodi ſolemnis, peruagatæque deceptionis cauſas inquirenti, duas potiſſimùm aſſignari poſſe; quarum prima, eáque, me iudice, certiſſima eſt; quòd, vti monebam ſuprà, *Niphus* ipſemet, cui rectiùs quàm alteri cuiquam vel iurato eâ de re credendum ſit, *Sueſſanum* ſe paſſim iactauerit, & *Sueſſæ*, non alibi, iuuentutem egerit, vxorem duxerit, lares fixerit, omnia denique fecerit, quæ à conſultis, ſapientibúſque

viris, fieri tantùm in patria conſueuerunt. Secunda, quòd Antonius Campanus in epiſtola ad Trebanum ſuum, quæ ſeptima eſt libri 2. Sueſſanum quemdam miris in Cœlum laudibus efferat, ob ſtudia Philoſophiæ, & Medicinæ, quem multi propterea alium à *Nipho* noſtro non fuiſſe ſibi perſuadent. *Adoleſcentulus*, inquit, *eloquentiæ, atque humanarum artium ſtudiis, quantum vel ætas vel regio patiebatur, mirificè deditus, quum ſolerem omnia epiſtolarum atque orationum genera perquirere, & Venafrum quod eſt Campaniæ oppidum, auunculi viſendi gratiâ me contuliſſem, fortè illic Sueſſanum quemdam offendo, diuinum in Medicinis hominem, & Philoſophum, vt omnium ſententia ferebatur, acerrimum & copioſum. Is vbi videt me haud multum à ſtudiis humanitatis abhorrentem, multis de rebus percunctatus eſt, tum ad eloquentiam, tum ad Philoſophiam, vel maximè pertinentibus, quibus cùm ſatisfacere minimè potuiſſem, erat enim non minùs in diſputando lubricus, & varius, quàm acutus & copioſus, viſus eſt continuò ſucclamaſſe*, &c. Et hercle, non inficias ire poſſum, hæc omnia, tam bellè *Nipho* conuenire, vt niſi ipſe longâ temporis intercapedine, ab hoc Sueſſano penitus diſtingueretur, vnum eundémque fuiſſe, nullus dubitarem. Verùm, cùm ex Michaëlis Faerni teſtimonio, Campanus quinquagenario maior, in viuis eſſe, circa annum à nato Chriſto MCDLXXVII. deſierit: *Niphus* autem, vt ex quibuſdam eius ſcriptis conſtat, non niſi poſt annum ſuperioris ſæculi quadrageſimum vitam pariter cum morte commutârit; conſequens eſt omninò, vt vel *Niphus* diuerſus ſit à Sueſſano il-

lo, tam impensè apud Campanum laudato, vel ſaltem annum ætatis ſuæ centeſimum viuendo ſuperarit, quod tamen à nemine hucuſque dictum, ſed nedum quod ſciam cogitatum fuit. Reſtat igitur, vt prioris & potiſſimæ rationis momenta, quæ ipſiuſmet *Niphi* teſtimonio ſufflaminata, non minimum ponderis obtinere videbantur, adæquatâ paulatim illis exactæ cenſuræ normâ, diſcutiam; ac inprimis, rationi valde conſentaneum eſt, arbitrari eum qui neſcio quâ titulorum varietate delectatus, ſe modò *Eutychum*, modò *Philotheum*, modò *Medicem*, aliíſque fictis ex animi libidine nominibus appellauit, patriam quoque, ad ambitionis ſuæ modum, ſibi ex arbitrio finxiſſe; illúdque votum tam feliciter illi ceſſiſſe, quàm olim *Virgilio*, & *Martiano Capellæ*, quorum hic licèt apud Caſſiodorum Madaurenſis audiat, ipſe tamen ſe Carthaginienſem profitetur, cùm ait,

Beata alumnum vrbs Eliſa quem videt.

Fortè, vt inquit meliorum literarum promus condus Hugo Grotius, in notis ſuis ad Capellam, quòd Carthagini tantùm educatus fuerit. Ille verò cùm in hoc verſu ſuo,

Mantua væ miſerè nimium vicina Cremonæ,

tum & in trito illo Epigrammate,

Mantua me genuit, Calabri rapuêre, tenet me
Parthenope: cecini paſcua, rura, duces.

Non ſecus patriâ Mantuanus fuiſſe dicitur, quàm ſi ea in vrbe, non autem Andæ, qui vicus eſt non multùm à Mantua diſſitus, natus eſſet. Adeóque leuibus de cauſis, patriæ legitimæ nonnunquam vale dicitur,

Digitized by Google

vt *Pythagoras*, qui à natali ſolo Tyrrhenus, aut quod ego veriùs duxerim Samius erat, poſtquam Crotonæ docuiſſet, Crotonius ab Arnobio & aliis appellatus ſit, *Vos Platoni, vos Crotonio, vos Numenio, vel cui libuerit, creditis.* Quòd ſi magis exempla ſuperioris æui quemquam delectant, Petrus ab ignobili pago vbi natus fuerat, *Aponenſis* appellatus, Patauini etiam nomine apud pleroſque ſcriptores cenſetur, quòd ea in vrbe Medicam artem, magna cum nominis ſui commendatione exercuiſſet: & nobilis hiſtoriæ Pontificiæ ſcriptor *Platina*, nomen iſtud quod patriæ ſuæ fuit, tanquam familiæ proprium vſurpauit, quo vilis, & abiectæ originis ſuæ memoria, minimè ipſum ad ampliſſimos honores feſtinantem retardaret. At quanto rectiùs Magni Auſonij pater, cùm, Vaſatibus, quibus ortum ſuum debebat, Burdigalam prætuliſſet vrbem longè clariorem celebrioremque, in quam commigraret, illud tantùm omni fuco & mendacio procul dicere ſatis habuit, in Epicedio ſibi à filio ſuo poſito,

Vicinas vrbes colui, patriáque, domóque
Vaſates patria, ſed lare Burdigalam.

Quo ſanè modo, ſi *Niphus* loquutus fuiſſet, & ſe Iopolenſem Calabrum patria, lare verò Sueſſanum dixiſſet, non eſſet profectò nunc, quòd eum vel mendacij arguere, quod vitium in cæteris hominibus illiberale, in Philoſopho verò turpiſſimum eſt; aut ſaltem ambitioſi, & prorſus in patriam ingrati animi inſimulare deberem. Omninò ſiquidem Iopolenſis Calaber extitit, non origine tantùm familiæ ſuæ,

Digitized by Google

quemadmodum Paulus Iouius, vtcumque in eius elogio videtur verbis iſtis ſubindicaſſe: *Auguſtino Nipho Sueſſæ ad Auruncam nato, ſed ab vrbe Trophæa in Brutiis oriundo*, &c. Imò verò propriâ & natali luce ſuâ, cuius gloriam, Iopoli tantummodò deberi, pridem eſt quòd Gabriel Barrius, Antiquitatum Calabriæ non infelix hiſtoricus, tam copioſè & appoſitè ad perſuadendum probauit, vt mihi religio ſit, ipſummet ſuis rationibus & argumentis inſtructum, in medium non adducere: ſic igitur ille lib. 2. *Inde eſt Iopolis exiguum caſtellum, Auguſtini Niphi Philoſophi patria, quem Sinueſſani, quaſi Iuliâ lege repetunt Sinueſſam. Hic cùm iam puer, mortuâ matre, à patre, & à nouerca (duxerat enim eius pater aliam vxorem) malè haberetur, aufugit domo, & ſe Neapolim recepit; quem, præclaram per ſe indolem ferentem, Sinueſſanus quidam cùm eſſet intuitus, Sinueſſam in domum ſuam duxit, vt liberis ſuis inſeruiret. Qui quòd acris ingenij, ac gloriæ cupidus eſſet, ſimul cum illis in literarum ſtudium incumbit. atque inde, cum eiſdem Patauium profectus, Philoſophiæ ſtudio acriter nauauit operam. Cúmque poſteà Sinueſſam ac Neapolim reuerſus patrem omnia bona dilapidaſſe, atque ſubinde mortuum eſſe percepiſſet, noluit ampliùs Iopolim patriam ſuam redire, ſed Sinueſſæ vxorem duxit, & Neapoli multos annos Philoſophiam eſt profeſſus. Extat adhuc Neapoli Niphorum familia: verùm ipſe in Sinueſſanorum gratiam, quòd apud eos aliquando degerit, vxorémque duxerit, Sinueſſanum ſe ſcribebat. Quanquam ſæpius in Gymnaſio palam Calabrum ſe eſſe fateatur, & in epiſtola quæ eſt ad Ioannem Arenarum Principem, in commentario ſuper*

Pe-

ri Hermenias, ſe Calabrum eſſe teſtatur, id quod tamen in ſecunda operis editione ſublatum fuit. Quæ omnia ſi nomen illud *Sinueſſa* toties pro Sueſſa poſitum excipias, velut ex veritatis & candoris delubro prolata, poſtquam Hieronymus Maraſiotus, nullâ Barrij factâ mentione conuaſauit; addit inſuper de ſuo, *Niphum* magnam ſtudiorum ſuorum partem in vrbe Tropæa abſoluiſſe, & eius nepotes ac affines plurimos, villam ruſticam non multùm à Tropæa diſſitam, cùm hiſtoriam ſuam ſcriberet, etiam tum inhabitaſſe: quibus teſtimoniis, exiſtimo ego *Niphum* Iopolenſibus ſuis tam luculenter & affirmatè redditum fuiſſe, vt nemo deinceps Sueſſanum hunc, niſi lare fuiſſe ſibi perſuadeat.

Verùm non minor occurrit difficultas, in tot nominum quibus ſe *Niphus* appellari volebat, rationem, & origines intuenti, cur ſcilicet præter reliquorum conſuetudinem, tantâ titulorum farragine delectaretur, & quibus de cauſis iſtorum potiùs quàm aliorum delectum habuerit: Nam ipſe *Auguſtini Niphi Sueſſani* appellatione minimè contentus, ſe quoque *Eutychum, Philotheum, Medicem*, & aliquando *Magnum* & *Philoſophum* indigitat; proptereáque Cornelius Scepperus libro 1. aſſertionis fidei contra Aſtrologos, eum *tot nominibus decantatum Auguſtinum Niphum Sueſſanum* appellauit. Certè paria videtur in hoc Academico inſaniæ genere, cum *Paracelſo* feciſſe, qui miram de ſe hominum opinionem ex longiſſima illa Philippi, Aureoli, Theophraſti, Paracelſi, Bombaſt, ab Hohenhin, Eremita, & aliorum, ſi

Digitized by Google

diis placet, nominum ſerie concitauit. Cæterùm in tanta nominis ſui miris modis inuertendi, & immutandi voluntate, qualem ſemper literatis hominibus fuiſſe videmus, non defuerunt etiam viri literis melioribus exculti, qui vel iſtud haud iniuria fieri poſſe oſtenderent, vt Maioragius in pereleganti oratione, quam habuit de nominis ſui mutatione; vel etiam leges, & præcepta tradiderunt, quibus factum iſtud olim fuiſſe, ac inpoſterum etiam fieri poſſe oſtenderunt, vt Italorum omnium, qui in Poëticam Ariſtotelis commentarios ſcripſerunt, doctiſſimus iudicio Scaligeri, accuratiſſimúſque *Ludouicus Caſtel-vetrus* parte 3. principali ſuæ Poëtices. Verùm quoniam iſtorum præcepta ſuppilare non eſt mei moris, aut inſtituti, reliquum eſt vt oſtendam potiùs, ab eorum exemplis, qui ſcitè elegantérque, nominibus ſuis illudere voluerunt, quantum à recta iſtud faciendinorma *Auguſtinus* noſter aberrarit. Vt igitur tractationem iſtam, quam doctiſſimus Medicus Renatus *Moræus* in vita Iacobi Syluij, non leuiter attigit, ordine ac methodo quadam paucis abſoluam. Statuendum inprimis eſt, duabus tantùm de cauſis mutationem nominis fieri poſſe, caſu ſcilicet, & ab aliis; aut de induſtria, & ab iiſdem quorum nomini mutatio aliqua accidit; Vtraque verò differentia tam additione, quàm detractione, aut immutatione ſolâ, eadémque partiali vel integrâ fieri conſueuit, hoc tantùm adhibito diſcrimine, quòd in illa mutatione quæ caſu fit, nec cauſarum numerus aſſignari, nec earumdem delectus haberi

poteſt, cuius rei cùm in mutationibus ſpontaneis, contrarium prorſus accidat, conſequens eſt, vt qui iudicio cæteris præcellere contendunt, nonniſi grauiſſimis de cauſis ad iſtas ſe adduci patiantur; ſic enim *Martinus Bucerus*, cùm ſuos in librum Pſalmorum commentarios, à Catholicis legi vehementer cuperet, eoſdem ſub Aretij, quæ Græca vox eſt Martino reſpondens, & Felini quod verbum Germanicum Buceri ſignificationem Latinè repræſentat, publici iuris fieri voluit, ne ſi proprium ſuum nomen illis affixiſſet, quod pridem anteà cucullati ſacerdotes diris deuouerant, ſtatim eorumdem lectione Catholicis omnibus interdiceretur. Sic etiam *Eraſmus* cùm Gherardus Gherardi apud Batauos ſuos audiret, eiuſmodi nominum aſperitatem, ex illorum in Latinam & Græcam vocem mutatione, quæ penitus idem cum prioribus illis ſignificabant, emollire conatus eſt, atque ita Deſiderij Eraſmi appellatione apud omnes innotuit. Et nuperrimè *Ioannes Victorius Roſſius*, cum quo mihi ſumma Romæ neceſſitudo interceſſit, vt liberiùs Aulæ Romanæ mores, in Eudemiæ deſcriptione perſtringeret, eam non ſuo illo notiſſimo, ſed Iani Nicij Erythrei nomine, typis elegantiſſimis exprimi curauit. Atque hic modus qui ſub diuerſis rebus, eandem ſemper nominis ſignificationem retinet, ſolus fermè homine non leui, nec inepto dignus eſt; ſiquidem *anagrammatis* ratio, difficilibus nugis, & ſtultis ineptiis, quas meritò ſugillabat Martialis, potiùs acceſeri debet, præſertim ſi laudis alicuius momen-

tà ex ea quærantur, quoniam eodem de fonte vituperium deriuari poteſt. Si cui tamen eo modo nominis ſui velandi opus eſt, is à vocibus nouis & barbaris, tanquam à ſcopulis abſtinere debet, & vetuſtis potiùs, ornatis, ac ſignificantibus vti; cuiuſmodi ſunt Lucani, aut Alcuini pro *Caluino*; Auguſti pro *Guſtauo*; aut ad ſummum Clari Bonarſcij pro *Carolo Scribanio*, licèt in eo, non ſecus ac in Simone Chaludro ſub cuius nominis appellatione, delituit nonnunquam *Carolus Molineus*, nomina ſuauitatis ac elegantiæ aliquid retineant, cognomina tamen, delicatis auribus non ſic arrident, quin barbara potiùs & inquinata cenſeantur. Tertius denique nouæ iſtius onomatopœiæ modus eſt, cùm ad ſignificationem prorſus diuerſam fit tranſitus, ſiue illud tam nomini, quàm cognomini accidat, vt cùm pro *Iacobo Gohori* vſurpatur Leo Suauius; pro *Guillelmo Poſtello*, Elias Pandocheus; pro *Ioanne Baſſo*, Angelus Politianus; pro *Antonio Maria Comite*, Marcus Antonius Maioragius; pro *N. Aurichalco*, Lucius Lelius Fulginas; pro *Marco Antonio Delrio*, Liberius Sanga; pro *Leonardo Leſſio*, Guillelmus Singletonus: ſiue nomini tantùm, vt in iis paſſim accidit, qui *Petri* loco Petronium, Pierium, Pomponium, Papirium; *Ioannis*, Ianum; *Henrici*, Erycium; & aliis id genus alia ſupponunt: ſiue demum cognomini, cuius mutationis tam varius & frequens eſt vſus, vt iam in maximum abuſum degeneraſſe videri poſſit. Quoties enim accidit, vt nomen eius loci vnde aliquis ortum ducit, cognomi-

Digitized by Google

nis vices habeat; illud ſtatim nobis, pro Ioanne *Duns*, Scotum; pro Baptiſta *Hiſpanioli*, Mantuanum; pro Ioanne *Charlierio*, Gerſonem; pro Henrico *Lorito*, Glareanum; pro Andrea *Bodenſteino*, Caroloſtadium; pro Ioanne *Mane-pranſo*, Auratum; pro Rafaële *Maffæo*, Volaterranum; pro Iacobo *à Turre*, Foroliuienſem exhibet; & in ſumma contrà quàm vulgò perſuaſum ſit, *Calepinus*, *Platina*, *Lyranus*, *Hyperius*, *Valdenſis*, *Nauarrus*, *Carmagnola*, *Caſſander*, *à Vineis*, non tam familiarum, quàm locorum appellationes ſunt, aut ſaltem ab oppidis deducta nomina. Si verò aliarum Linguarum vocabula, vernaculis appellationibus emolliendis, exprimendíſque adhibeantur: en ſubitò Ioannes *Reuchlinus* in Capnionem; *Campodeus* in Sadaëlem: *Sammalitius* in Akakiam: Philippus *Schuuarderus* in Melancthonem: Georgius *Torman*, in Pylandrum; Conradus *Ruchiner* in Pellionem, & mox in Pellicanum conuertuntur. Quid plura, nihil agit homo, nihil patitur, quod ſi caſus ita tulerit, cognomini ſuo perniciem aliquam, ex noui cuiuſdam fabrica, non inferat? Sic enim pœnitentia quondam ad columnas acta, *Stylitas*: ſic feruidi ingenij motus concitatior, *Sfortias*: ſic corporis iuſto breuior ſtatura, *Piccininos*: ſic antelucana ſtudia, *Fabros*: ſic *Oecolampadios*, *Crinitos*, *Venerabiles*, *Magnos*, *Atticos*, *Phædros*, & eiuſmodi epitheta, vna vel alia cauſa, & ea plerumque leuiſſima, loco nominum inuexit. Tot igitur exemplis prior ille mutationis nominum modus, quoniam is frequentior etiam eſſe

Digitized by Google

ſolet, explicandus fuit; duo verò alij qui detractione, aut contractione, & additione conſtant, quia non ita frequenter occurrunt, paucioribus quoque abſolui debent: contrahunt enim Galli & Itali nomina frequentiſſimè, ſed in pueris tantùm, & ad linguæ vernaculæ potiùs quàm Latinæ normam, delicias illas vocum molliuſcularum inflectunt; ratóque inter literatos homines inuenti ſunt, qui ſe hoc artificij genere, non deridendos exhibuerint. Quanquam additionis ratio eadem non ſit, quemadmodum olim in illo *Fabio* contigit, viro cùm linguarum, tum iuris & antiquitatis omnis peritiſſimo, qui eo quòd ædem ſalutis, vt autumat Plinius, depinxiſſet, nomen inde Pictoris ſortitus eſt. Sic *Nigidio* Philoſopho ætate ſuâ præſtantiſſimo, quòd homines fictilibus vaſis ſimiles eſſe contenderet, Figuli nomen, vel D. Auguſtino teſte, inditum fuit. Et nimius eſſem profectò, ſi Coruinos, Scrophas, Torquatos, Scipiones, Caligulas, & alios hunc in modum à variis rebus appellatos, recenſere vellem. Noſtris verò temporibus, iſtud etiam quibuſdam literatis, in more poſitum fuiſſe videmus, vt ſe vel *Helios*, vel *Paſiphilos*, vel *Reſtitutos*, aut *Coſmopolitas* appellarent, quæ modò parcè, nec leuibus de cauſis adducti faciant, non tam vanitatis damnanda, quàm ferenda iudico: ſecus enim & ingenium minimè ſibi conſtans, & gloriæ cupidum, nec ſatis rebus ac bonis ſuis confiſum ſignificat. Cùm igitur *Niphus* minimè ſe intra regularum eiuſmodi fines continuerit, verùm tria ſæpiſſimè,

Digitized by Google

aut quatuor etiam cognomina ſimul vſurparit, non mirum eſt propterea, ſi quotidie in multorum cenſuras incurrat, qui plus illum in tota vitæ ſuæ ratione, aut iudicij aut moderationis attuliſſe vellent. Neque enim tantùm variâ illâ titulorum congerie labefactata fuit Auguſtini noſtri fama, ſed operam omnem, quam in moroſis naturâ ſuâ Philoſophiæ ſtudiis ponebat, tot comeſſationibus, & repetitis ſubinde nouis ſemper amoribus temperauit, vt cùm iucundè citráque vllam triſtitiam viueret, ſe *Eutychum* quaſi felicem fortunatumque appellare voluerit. Niſi forſan illum eodem felicitatis genere præditum fuiſſe quis dixerit, quo Catoni, aut potiùs Ciceroni, in libro de ſenectute, *Cn. & P. Scipiones & L. Æmilius, ac Pub. Africanus comitatu nobilium iuuenum fortunati videbantur*. Siquidem *Niphus* ob doctrinæ præſtantis opinionem, nec pulpitum conſcendere, nec in ſcholas proficiſci, niſi comitatus iuuenum lectiſſimorum cateruâ, conſueuerat. Quinimo fieri etiam potuit, vt ex Principum amicitia, quam ipſe, ſi quis vnquam alius, ex Philoſophorum cœtu diligenter excoluit, aut propter elegantiſſimarum puellarum beneuolentiam, quam ſibi nullo negotio conciliabat, aut denique propter vitatos auſpicatò ſequiorum de fide & religione ſententiarum quæſitores, cùm ſcilicet nonnulla in libro de intellectu & dæmonibus placita, ipſorum opinionibus minimè conuenientia protuliſſet. Fieri inquam potuit, vt ex vna aut alia cauſarum eiuſmodi, talem ſibi *Niphus* appellationem inditam voluerit. Et ſanè à

poſteriori illa cauſa non multùm abludit cognomen aliud *Philothei*, quod ego vel pignore contendam, vſurpatum ab illo fuiſſe, vt ſe prorſus in diuerſum abire ſignificaret, à prauis illis dogmatibus, quæ ſibi perniciem & calamitatem maximam tantùm non intulerant. At verò, tantùm abeſt vt in *Medicis* cognomine, vnde videlicet originem ſuam habuerit, inueſtigando, coniecturis locus vt in ſuperioribus illis eſſe poſſit, quod Ludouicus *Caſtel-vetrus* eam diſertis verbis explicat, ſimúlque velut ineptam, & inſulſam damnat, parte principali tertia acutiſſimi & accuratiſſimi ſui in Ariſtotelis Poëticam commentarij; cuius verba, quoniam videntur mihi ſingulari cum iudicio prolata, Latinè reddere, & in medium afferre non grauabor. *Priuatis etiam hominibus*, inquit, *imponuntur nomina, imò conceduntur ab aliis publico inſtrumento, quemadmodum fecit Leo Decimus, quando non tanquam ſummus Pontifex, ſed veluti Mediceus, Auguſtino Nipho celeberrimo Philoſopho, illud ab ipſo impensè flagitanti, familiæ ſuæ nomen conceſſit. Eodem prorſus modo quo poſteà Clemens Septimus Ioanni Angelo, priuſquam ſub Pij Quarti appellatione magis innoteſceret, vt ſe Mediceum appellare poſſet, conceſſit. Verùm etſi donationis eiuſmodi ratio me lateat, & nullus omninò videam, quomodo fieri iure à priuato aliquo poßit, abſque reliquorum qui idem cum illo nomen participant, conſenſu, præſertim cùm haud rarò contingat, vt ex tenui eorum fortuna, quibus priuilegium iſtud conceditur, & ſui, & affinium omnium quotquot vnquam fuerunt, aut futuri ſunt, ſplendori, non minimam labem* in-

inurat. Mihi tamen certo certius perſuaſum eſt, largienti iuxta accipientíque, nomen iſtud, ſummo potiùs dedecori fore, quando neque ipſi tales ſunt quales videri volunt, neque fieri poteſt, vt rubore non ſuffundantur, quoties huius, aut illius nominis, & familiæ homines ſuis parentibus annumerant. Hactenus ergo Caſtel-vetrus, quem nihil non veritati conſentaneum, circa cognominis illius originem dixiſſe, *Niphus* ipſe luculentiſſimus teſtis eſſe poſſet, aſſerit enim quibuſdam in epiſtolis, & præfationibus, ſibi indultam fuiſſe à Leone Decimo, licentiam, Mediceorum nomen, & inſignia vſurpandi. Multáque inſuper de ſe, & vita ſua, paucis, vt reor, cognita iiſdem in epiſtolis aſſerebat, ſed neſcio qua Typographorum ſocordia, rerum tantummodo compendia ſectantium, reiectæ omnes à poſteriori Operum eius editione fuerunt. Verùm cùm in priuilegio, quo in Palatinorum Comitum numerum fuit adlectus, à Leone Decimo, nulla penitus nominis, ſed inſignium tantummodò Mediceorum mentio facta fuerit, reliquum eſt, vt priuatâ quadam Leonis conceſſione, non autem publico inſtrumento, quod tamen Caſtel-vetrus innuit, nominis illius Medicei ferendi, veniam obtinuerit. Quanquam ſi famæ & exiſtimationi ſuæ conſultum volebat, illud rectiùs omninò non vſurpare potuiſſet.

At enim quoniam de cognominibus iſtis, plus iuſto forſan dictum eſt, paulatim ad tractandum de rebus ad *Niphi* noſtri vitæ hiſtoriam pertinentibus aggredior: Huic verò tractandæ, & velut è latebris eruendæ, priuſquam me accingerem, diu & inquiſitè

Digitized by Google

multum *Conſtantini Laſcaris* libellum quæſiui, quem de Philoſophis Calabris, exaratum ab eo fuiſſe cognoueram, illúdque tanto confidentiùs faciebam, quòd exquiſitæ vir doctrinæ & memoriæ *Thomas Campanella* viſum eundem à ſe fuiſſe, cum additionibus *Pauli Gualterij* denuo typis commiſſum mihi non ſemel aſſeruerat. Sed fruſtra fuit quodcumque à me eius inueniendi cauſa peractum eſt; vnde cùm ex variorum Auctorum lectione, in veri, & legitimi ſoli quod *Nipho* natale fuit, tótque nominum quæ ſibi tribuebat, cognitionem, & originem deuenerim, ita demum, in iis quæ ſuperſunt inueſtigandis, mihi pergendum eſſe intelligo. Fuit igitur ille, quemadmodum ſuprà ex Gabriele Barrio vidimus, gente & patriâ Calaber; quo ſolo naturæ beneficio, non dubito illum, etiamſi laudabili inſtitutione deſtitutus fuiſſet, euaſurum quoque in doctiſſimum & principalem Philoſophum fuiſſe, fauente ſcilicet illi, benignioris ſoli, cœlíque temperie, quæ tot antiquitùs capitales Philoſophos in Calabria ſeu mauis Græcia magna naſci voluit. Verùm neque defuit ei ingenij, ſub eruditiſſimis præceptoribus excolendi, occaſio; nam cùm eſſet ingenio peracri & viuido, patrémque minimè ſibi indulgentem haberet, Neapolim iuuenis aufugit, indéque poſteà Patauium, cum nobilibus quibuſdam adoleſcentibus, quorum in ſe curam receperat, profectus eſt. Atque illic cùm Philoſophiæ potiſſimum illecebris caperetur, *Nicoletum Verniatem* Theatinum, Philoſophum nulli eâ tempeſtate ſecundum, cui ſe exſculpendum, effingen-

Digitized by Google

dúmque ad veræ Philoſophiæ normam traderet, velut ipſemet libro 1. de re Aulica cap. 87. & paſſim alibi teſtis eſt, elegit. Neque ab eius latere vel tantillum diſceſſit, priuſquam & Philoſophus excellens, & Medicus non vulgaris, & Aſtronomiæ ac Theologiæ præceptis imbutus, linguarúmque, & humaniorum litterarum ſtudiis informatus, ſufficienter haberetur. Vt videri meritò poſſit, ingentem, & propè ferream vim ingenij ad perdiſcendas tam breui, tot artes & ſcientias, attuliſſe. Cæterùm vt prouentus quem in literis fecerat, ſpecimen aliquod exhiberet, ſimúlque eo genio impellente, qui ſtimulos & calcar ad gloriam, nobilibus ingeniis addere ſolet, tractatum de intellectu & dæmonibus, typis edere in animo habebat: ſed parum abfuit, quin perniciem illic inueniret, vnde maximum ſibi ad laudem & honorem incrementum fieri ſperauerat; nam cùm ex Nicoleti ſchola recens prodiret, qui opinionem Auerrois de vnico intellectu, confirmare argumentis, eo vſque validis & numeroſis conſueuerat, vt omnes plebei, & minuti Philoſophi, quemadmodum Riccobonus libro 6. de Gymnaſio Patauino ſcribit, dictarent in vulgus, eum totam pene Italiam in hunc perniciosum errorem compuliſſe. Voluit etiam *Niphus* ingenium ſuum in hac præceptoris ſui ſententia, qua explicanda, qua ſtabilienda periclitari; verùm hanc ob rem, aut certè propter negatas à ſe diſtinctas à motricibus cœlorum intelligentiis, ſubſtantias omnes à materia ſeparatas, oppido cucullatos Patres contra ſe in caput, & nominis famam vehementiſſimè com-

mouit; à quibus ſe explicare haud facili negotio potuiſſet, niſi eum ab ancipiti illo diſcrimine celeriter exemiſſet, Petrus Barocius Epiſcopus Patauinus, qui Nicoletum quoque amicè poſtea compulit, vt edito de animæ immortalitate libello, eam non vnicam eſſe, quemadmodum totos annos triginta pertinaciſſimè docuerat, ſed multiplicem, & pro ratione corporum diuiſam, oſtenderet. Prodiit autem liber iſte Nicoleti Verniatis anno MCCCCXCIX. octauo ſcilicet poſt dicam illam hæreſeos Auguſtino *Nipho* inuſtam, quæ non ita de nihilo fuit, quin Tyberius *Rußilianus* Calaber Philoſophiam inducat, in oratione quam habet ad Leonem X. dicentem, *Nec longo pòſt tempore Sueſſam noſtrum fidißimum alumnum, ac Pomponatium medius ex ignibus eripuimus.* Et ſanè, quo faciliùs aduerſarios ſuos placaret, ſcriptis ſuis de intellectu & dæmonibus, priuſquam anno MCCCCXCII. in publicum exirent, lituras quaſdam allinere coactus eſt, quemadmodum ex præfatione ad Sebaſtianum Baduarium Patricium Venetum, quam hoc libello præfixit, nemini non perſpicuum eſſe poteſt. Edidit ſubinde commentarios in librum Auerrois de animæ beatitudine, in Ariſtotelis libros de anima; & opuſcula quædam de diebus criticis, de auguriis, de cauſis noſtrarum calamitatum, aliáque non incultæ nec pœnitendæ doctrinæ monumenta, quibus ſe in hominum exiſtimationem, tam feſtinanti, grallatorióque paſſu intulit, vt certatim, non à Patauinis modò, ſed à Piſanis, & Bononienſibus, eius doctrinæ pretium ingens ſtatueretur, quo faciliùs

Digitized by Google

ipſum ſuas in Academias allicere poſſent. *Nos*, inquit libro de diuitiis, *primi à Bononienſibus, à Venetis, ſi in eorum Gymnaſiis Philoſophiam docere vellemus, millenarium aureorum numerum pro mercede ſingulis annis acciperemus, ſicuti à Florentinis accepimus, Piſis Philoſophiam profeſſi.* Ex quibus verbis, docuiſſe illum *Piſis* liquidò conſtare poteſt, idque circa annum MDXX. quandoquidem commentarios in Ariſtotelem de anima, elaboratos à ſe hac in Academia fuiſſe, circa iam ante commemoratum annum, in eorum fine ſubindicat. Docuiſſe pariter illum *Salerni*, vel ex præfatione ſua in dilucidationes metaphyſicas manifeſtum eſt, ex qua verba tantùm illa decerpam, quæ & huic negotio noſtro inſeruire, & delectationis aliquid, ob hiſtoriarum cognitionem afferre poſſunt. Sic igitur ille, *Robertus Sanſeuerinus Salernitanus Princeps, qui pro incredibili erga literarum ſtudia propenſione, magno cum literatorum dolore ac iactura, nuper è vita diſceſſit, altâ quadam mente conceperat, Salerni egregiam conſtituere Academiam, Salernitanúmque Gymnaſium, olim celeberrimum, non modò in antiquam reſtituere nobilitatem, ſed elegantiores melioréſque literas, tum Græcas, tum Latinas introducere, quam ad rem Aldum Manutium Romanum bonarum literarum reparatorem, Venetiis aduocare decreuerat. Itaque cùm Philoſophiæ ſtudia inprimis ſtabilire curaret, me inter priuatos lares, ob turbationes horum miſerorum temporum, in patria philoſophantem, ad id munus, miro cum deſiderio accerſiuit, cúmque legendi munus exequerer, & hæc noſtra, eius animum, mirum in modum oblectarent, iuſſit etiam vt omnes Ari-*

ſtotelis libros dilucidarem. Has autem dilucidationes circa annum MDVII. Salerni incœptas à ſe fuiſſe ſub earumdem finem teſtatus eſt : vnde non poteſt tempus illud nos latere, quo Salerni Philoſophiam eſt interpretatus. Sed neque dubium eſt, vocatum etiam eum fuiſſe à Leone X. ingeniorum vt exploratore ſolertiſſimo, ſic fautore munificentiſſimo, vt Ariſtotelis libros *Romanis* Academicis prælegeret, atque etiam vt inſtaurationi Collegij Sapientiæ, quam adſcitis vndequaque, velut ad non dubia meritorum præmia, celebrioribus viris, Pontifex ille meditabatur; cum Butigellis, Aretinis, Parrhaſiis, Baſiliis, & id genus aliis edecumatæ doctrinæ viris, operam ſuam commodaret. Et ſanè Leonis X. aduerſus eruditos homines liberalitate, nihil vnquam fuit ab Hiſtoricis maiori cum admiratione celebratum : nec iniuria profectò, nam vidiſſes illius tempore, excitos patriis ſuis ſedibus literatos omnes, quos vel doctrinæ ſuæ confidentia ad gloriam impellebat, vel domeſticarum rerum anguſtia à penatibus ſuis arcebat, Romam cateruatim proficiſci, vbi S. Pontifex prioribus illis viam ſternebat ad honores ampliſſimam; Poſteriores verò tam prolixè ſubleuabat, vt propoſitis etiam ingentibus præmiis, abſentes quoque, vt ad vrbem accederent inuitaret; quos inter Auguſtinum *Niphum* fuiſſe, teſtatur præter alios auctores, Opmerus in opere chronologico. De *Bononia* autem, & *Pataulo* maior videtur eſſe difficultas, quia nec à Riccobono inter Patauinos Lectores, nec ab Alidoſio Bononienſes inter recenſetur, licèt Gauricus in

Themate, vt vocant, natalitio Petri Pomponatij aſſerat, ipſum Bononiæ æmulos aliquando Lectores habuiſſe Achillinum, & Sueſſanum: & verò ex ipſiuſmet *Niphi* verbis, procliue eſt arbitrari, eum nonnunquam etiam Patauij docuiſſe, ſic enim loquitur in dilucidationibus Metaphyſicis: *Ceſſantibus enim his turbulentiis, quas ocyſsimè ceſſandas arbitror, adſum qui Patauij vbi mea ſedes ſemper parata eſt, aut ſicubi boni Principes florere ſtatuent ſtudia, bonas artes, profiteri polliceor.* Vnde non poſſum alio modo litem hanc dirimere, quàm ſi dixerim vel temporum iniuriâ, corruptis eiuſmodi Academiarum monumentis publicis, vel forſan non ſedulò perlectis à Riccobono, & Alidoſio, factum propterea fuiſſe, vt *Niphi* nomen vbi maximè conſpicuum eſſe deberet, non appareat.

Enimuerò cùm difficillimis illis temporibus, quibus Gallorum, & Hiſpanorum armis, de regno Neapolitano decertantium, Italia tota miſerè concutiebatur, Academiæ non rarò conticeſcerent, quoties à publico illo munere ceſſandi *Auguſtino* noſtro neceſſitas incumbebat, ſolebat ille aut Sueſſam reuerti, aut in Niphanum ſuum, & loca alia procul à tumultibus ſe recipere, illicque non Philoſophiæ modò, ſed venationibus, ludis, comeſſationibus, choreis, & quibuſlibet aliis, ſolutæ ac tranquillioris vitæ oblectamentis tempus impendere: ſed amoribus præſertim indulſit, quos cum puellis honorariis quarumdam Heroïnarum, quibus cum familiariter verſabatur, tam liberè, adeóque intemperanter exercuit, vt non modò virginibus illis quas obſequio ſuo demereri

Digitized by Google

ſtudebat, ſed omnibus qui tanti nominis Philoſophum, à petulcis illis & laſciuientibus puellis ita deludi faſcinaríque videbant, ludos de ſe maximos faceret. Et hercle, niſi vellem eius pudori per me nihil detractum iri, poſſem hîc multa ridicula recenſere, quæ licèt incertis rumoribus per Italiam de illo ferantur, adeò tamen moribus amantium proxima ſunt, vt nullo negotio vera quoque cenſeri poſſent: ſed abſit, vt priuati cubiculi ſecreta, & dulces illas nequitias, ineptiáſve, quas ſibi quiſque pro diræ libidinis modo fingit ad libitum, è latebris quas fauentes habuerunt, in odioſam lucem proferam. Adde quòd tam alienum eſt à natura mea, rebus certis & exploratis, dubios rumores miſcere, vt nequidem in aliqua ludicra narratione, & oblectationis tantùm de cauſa, facere illud vllo modo vellem. Quod igitur de *Niphi* amoribus exploratum inuenio, illud inprimis eſt, charas ſemper ei puellas fuiſſe: *Immo verò*, inquit ipſe libro 2. de re Aulica cap. 7. *in me teſtor à iuuentute vſque ad præſens tempus, ſemper mihi fuiſſe puellas charas, in iuuenta enim, amabam aliquando aliquas ſine illicito appetitu, in quibus cognoſcebam pudorem atque puritatem, expertibus omninò cupidinei amoris; interdum nonullas deperibam, quas cupidineus amor facilè tangeret; illos igitur amore blandæ conſuetudinis, has cupidinis proſequebar.* Conſtat etiam variis eiuſdem teſtimoniis, delectatum eum fuiſſe amoribus *Fuluiæ*, quæ penes Ioannam Arragoniam, munere nobilis aulicæ fungebatur; & ipſi poſteà *Quintiam* ſuperinduxiſſe, aut ſi mauis *Hippolytam*, quan-

quandoquidem tale ipſi nomen à primis cunabulis inditum fuerat, *Verùm cùm aulica, ac cubicularia fieret Hippolytæ Arragoniæ Comitis, ne eodem nomine appellarentur ambæ, Lucretiam mutato nomine eam dicebant, quam nos Quintiam* (addit ipſe) *poſtea vocauimus, quòd ſcilicet eſſet quinta in amore.* At enim, cùm nedum ipſa *Philoſopho* noſtro ſemper allubesceret, ſiue id fieret aut propensâ ſuâ in volgiuagam venerem naturâ, aut crebrâ locorum mutatione, quæ ipſum à Fuluiis & Quintiis ſuis diuelleret, ad *Phauſinam* extremùm conceſſit, puellam Nolanam, formæ, vt ipſe contendit, elegantiſſimæ, quam tamen non eo nomine compellat, quod fuerat illi die luſtrico impoſitum, ſiquidem *Phœba Rhea* vocabatur, ſed more Poëtis frequenter vſurpato, qui libentiùs in nulla re, quàm in amicarum nominibus ludunt, eo quòd formæ præſtantiâ, & morum compoſitione reliquis prælucceret, Phauſinam quaſi Auroram diceret, appellauit, eiúſque nomini, libellum de viro Aulico dicauit, cum addita præfatione, veriùs aulico quodam inſaniente, quàm graui, & ætatis iam prouectæ Philoſopho digna. Inſanientem verò cùm dixi, nullum ipſi titulum affingo, quem ipſe ſibi primùm, cùm de Quintia loqueretur, non aſſumpſerit. Neque etiam Phauſinam moderatiùs coluiſſe videri poteſt, ſiquidem cap. 10. lib. 2. de re aulica, verba illius ſunt: *Cùm eſſem adhuc in colloquiis amatoriis cum Phauſina, multiſque rationibus ipſi perſuaderem me ob ſui amorem inſanum, & penitùs inſipientem euaſiſſe, ſic me ſuâ affabilitate, ab eiuſmodi errore libera-*

uit. Quid plura? non potuit efficere ſenectus extrema, nec qui ipſam comitantur morbi grauiſſimi, vt ab intempeſtiuis illis puellarum amoribus ſibi temperaret; quibus plerumque tam impotenter indulſit, vt multi, quemadmodum inquit Iouius in eius Elogio, *Philoſophum ſenem & podagricum, ad tibiæ modos ſaltantem, miſerabili cum pudore conſpexerint.* Ex cóque maturatum illi vitæ exitum conſtat, periit enim *Salerni*, cùm è Sinueſſa nocturno itinere refrigeratus, & obortis inde tonſillis, eam in vrbem veniſſet.

Quâ autem ætate fatis conceſſerit, cùm nihil de ea re certi in Hiſtoricorum memoriis inueniam, non leuibus tamen coniecturis adducor, vt credam, illum ſeptuagenario tunc maiorem fuiſſe; Nam cùm opuſculum de intellectu typis commiſerit, ſub annum MCCCCXCII. & alio præcedenti, litem ſibi à Quæſitoribus fidei intentatam ſtrenuè depugnarit, æquum eſt omninò arbitrari, non minori illum ætate, cùm iſthæc ageret, quàm XX. annorum fuiſſe, à quibus ſi ad ſubſecuti ſæculi quintum & quadrageſimum vſque numeres, quo commentarios ſuos de animalibus Paulo Tertio Pontifici Maximo dicauit, eum profectò numerum annorum inuenies, qui *Niphum* de Ponte deiicere veluti ſeptuagenarium potuiſſet.

Cæterùm quod ad præcipuas alias eius vitæ actiones attinet, ſtudia ſua non Philoſophiæ modò ſeptis coercuit, ſed quod in Italia tunc miraculo proximum fuit, eos in lingua *Græca* profectus fecerat,

Digitized by Google

vt quoſdam Ariſtotelis libros de Græco ſermone in Latinum tranſtulerit, alios ab erroribus quibus ſcatebant repurgarit, veteres denique interpretes, tum intellexerit appoſitè, tum etiam in ſuccum proprium conuerterit. A *Poëtica* etiam adeò non alienus fuit, vt epigrammata quæ ludens nonnunquam effundebat, inter acuta & elegantia referri non debeant. De *Aſtronomia* quoque ſuperfluum eſſet dicere, quando libelli quos de ea compoſuit, neminem dubitare permittunt, quin Albertus Pighius *ſincerioris eum Aſtrologiæ reſtauratorem* meritò vocare potuerit. Supereſt ergo *Medicina*, quam licèt circitoris inſtar, aut periodeutæ nunquam exercuerit, optimè tamen callebat, cuius rei ſignum eſſe poſſunt, tum libri IV. de ratione medendi, quos ad Curtium Seſſam alumnum ſuum edidit, cùm etiam ſyrupus ille communiter in Officinis Magiſtri Auguſtini appellatus, quoniam, vt inquit Hieronymus Maraſſiotus lib. 2. antiquitatum Calabriæ cap. XII. eius mixtura & compoſitio primùm quidem ab *Auguſtino* noſtro & inuenta & vſurpata eſt. Verùm ſi quod ego cenſeo minimè diſſimulandum eſt, cùm neminem vnquam Medicorum viderim mentionem de auctore iſtius ſyrupi feciſſe, præter Franciſcum *Minuceum*, qui in apologia concluſionum quarumdam Pharmaceuticarum illum *Auguſtino* Sueſſano tribuit, exiſtimo potiùs, Auguſtini nomen, tam facilè illis impoſuiſſe, qui ſyrupum ab Auguſtino quodam Pharmacopola Sueſſano excogitatum *Nipho* tribuunt, quàm *Sueſſani* titulus Bi-

Digitized by Google

bliographos omnes in eum errorem ſeduxit, vt alterius cuiuſdam Sueſſani librum de morbo Neapolitano, & eo magis quòd excuſum Neapoli, *Nipho* Philoſopho tribuerent; licèt vt ipſiuſmet libri prima frons indicat, ſi attentè legeretur, Ioanni Sueſſano ex Paſchaliorum familia tribuendus ſit. Sed quid hominibus facias? ſæpe non tam incuriâ, aut negligentiâ ſuâ, quàm rebus ipſis offusâ caligine, deceptis? Profectò ea eſt in rectè ſcribendo difficultas, vt mirum ſit potiùs apud me, illos qui ſe huic admodum faſtidioſo negotio addixerunt, non frequentiùs ceſpitare. Et certè tanta fuit Auguſtini *Niphi* dum viueret, & eruditionis, & ingenij fama, vt quicquid optimum ac elegans à Sueſſa veniret, non alium auctorem quàm *Niphum* habuiſſe cenſeretur. Hic verò, vt illuc vnde profecta eſt, mea reuertatur oratio, vxorem nomine *Angelellam* habuit, ſingularis modeſtiæ, & pudoris, ac obſequij fœminam, vt ex ea conſtat Hiſtoria, quam *Niphus* libro de amore cap. 102. inter exempla coniugum, quæ ſuos maritos ardenter dilexerunt, laude & admiratione digna retulit. Suſcepit autem ex ea *Iacobum* filium, quod arbitror vnicum, ad quem libellum de diuitiis conſcripſit; & ab eo nepotem etiam videre potuit *Fabium Niphum* verſatilis ingenij, maximæque eruditionis, ac eloquentiæ virum, quem Riccobonus cap. 39. l. 3. de Gymnaſio Patauino, ſucceſſorem datum fuiſſe refert, Nicolao Curtio, in ſecundum locum Medicinæ practicæ extraordinariæ. Sed cùm poſt aliquot menſes à ſuſcepto docendi munere, in carceres con-

Digitized by Google

iectus, ipſíſque demum effractis, eadem de cauſa in Galliam, quâ *Petrus Martyr* ex Italia in Angliam, & *Simon Simonius* in Germaniam conceſſiſſet; Lutetiam primùm appulit, atque ibi Petrum Alexandrum, & Albertum Delbenios fratres, Mathematicas docuit, quorum in gratiam, proœmium etiam Mathematicum compoſuit, vnius ſcilicet folij libellum, quem ſub annum MDLXIX. publici iuris fecit, & *Ioanni Caluacantio* Delbeniorum auunculo dicauit. Ex eóque patet falſum ſuo calculo fuiſſe *Riccobonum*, dum Fabium hunc, anno MDLXXV. Curtio ſuffectum fuiſſe, contendit, nam proœmium illud, editum ſex annis anteà Pariſiis à Fabio fuerat, & ipſe in eius epiſtola tam expreſsè calamitates ſuas enumerat, vt dubitari non poſſit, quin de Patauinis intelligendæ ſint: *Tu enim*, Caualcantium nempe ſic alloquitur, *cùm in tantas rerum anguſtias atque aſperitates, quadam fortunæ amentia incidiſſem, vt penè de ſalute deſperandum putarem, non tantùm hac rerum mearum offenſione doluiſti, verùm etiam neque ſumptibus, neque amicis in mea aduerſitate lenienda, te conceſſurum confirmaſti.* Poſtquam verò Pariſiis aliquandiu manſiſſet, & muneris illius adoleſcentulos licèt eximiâ indole, & nobilitate conſpicuos docendi, pertæſus eſſet; maximè quòd à Iacobi patris ſui dignitate, alienum illud arbitraretur, in *Angliam*, & demum in *Ollandiam* traiecit; cùm tamen vtrobique, reflantibus fortunæ ventis agitatus, non aliter quàm ſi quartâ Lunâ natus fuiſſet, quacumque tandem ſe reciperet, illic etiam graui ſemper aliquo

Digitized by Google

infortunio mactaretur, ſic enim ille in præfatione Ophini ſui ad conſociatarum Belgij prouinciarum ordines: *Equidem cùm in Angliam nullo meo crimine, ſed nefario quorumdam ſcelere, magnâ calamitate oppreſſus eſſem, eiúſque calamitatis reliquiæ, quaſi procellæ ad vos me detuliſſent, ecce veſtræ virtutis, & humanitatis non inanis ſpes effulſit.* ac paulò pòſt, *Cúmque iniuſtè in mearum rerum, quaſi in fractarum nauium reliquias, nonnulli impetum feciſſent, Senatus veſtris auſpiciis conſtitutus, ſingulari virtute obſtitit, méque in integrum, quantum in eo erit, reſtitutum iri, non inanem mihi ſpem oſtentauit.* Tandem igitur ſtudiis ſuis in Ollandia, vitæque ſimul, & fortunis quietem inuenit; elucubratóque poſtmodum *Ophini*, ſeu de cœleſti animarum progenie dialogo, verbis & rationibus apprimè ſelectis exculto, qui anno tantùm MDCXVII. Lugduni Batauorum excuſus prodiit; teſtimonium certè luculentiſſimum dedit, earum virium, quas in Philoſophiæ palæſtra, ſi liberiùs illi vacare conceſſum fuiſſet, pares forſan cum Scaligeris & Fracaſtoriis, afferre poterat. Verùm enimuerò quid tandem de ipſo factum ſit, non magis ego ſcire potui, quàm vbi ſua Cerui cornua deponant: ſuſpicor tamen eum migraſſe illinc in Flandriam, & eiuratâ Caluini opinione, reditum ad ſanioris fidei dogmata feciſſe, vxorémque duxiſſe, ex qua *Ferdinandum Niphum* ſuſceperit. Opportunè enim accidit, vt cùm me ad Iudicium iſtud de *Nipho* faciendum accingerem, in manus meas Duaco cum aliis libris tranſmiſſa venerit, doctiſſimi Polygraphi *I. Caramuelij Lobkouitzij* ſeuera diſputan-

Digitized by Google

di methodus, à Ferdinando Nipho magni Auguſtini *Niphi* Philoſophi Medicæi pronepote, anno proximè nuper elapſo publicata; quod nomen, ſtatim propter tanti viri memoriam exoſculatus ſum; & certè placuit mihi ſummoperè, aliquem ex eiuſmodi familia ſupereſſe, qui Auguſtini *Niphi* vitam ex domeſtica Ephemeride, melius quàm ego, aut quiuis alius inſtituta quantumuis diligenti factorum eius racematione, contexere poſſit. Atque vt hoc officio Rempublicam literariam illuſtrare, & ſibi maiorem in modum deuincire velit, oro illum, obteſtórque ex animo. Cæterùm ne quis ob titulum vel incertum, vel forſan ambitiosè confictum, ludos ſibi à nobis fieri exiſtimet, en verba profero, quibus in epiſtola data Louanij, Kalend. Auguſti MDCXLIV. Ferdinandus Niphus ſe, qualem modò illum dicebamus, talem eſſe profitetur. *Mouerer Proaui mei Auguſtini Niphi deſiderio, quem doctiores exiſtimant in iſto libro reuiuiſcere; languentem olim Dialecticam formauit, & firmauit, quam hodie noſter Author reformat & confirmat; vt qualem ſub Platone, Zenone, & Ariſtotele, Græci; ſub Nipho Itali; talem ſub* Caramuele, *in ipſis Prouinciis Belgicis, aut potiùs Bellicis, habeamus.*

Huic verò *Niphorum* proſapiæ, quam per quatuor ritè ſibi connexa ſtemmata, à Magno ad Ferdinandum deduximus, ſuccedere poſſunt diſcipuli illuſtres, quos Philoſophiæ præceptis imbuit, ſiquidem illi non ſecus Hippocratis lege præceptores ſuos parentum inſtar colere, quàm Medici tenentur; Et hercle cùm frequenti ſemper Auditore ſuggeſtum conſcen-

derit, nominat ipſe in Dialectica ſua, pag. 155. *Simonem Portium*; & libro 1. de viro aulico, cap. 59. *Tyberium Ruſſilianum*; ac denique eiuſdem libri cap. 67. *Galeatium Florimontium*, quos ex multis, ac propemodum infinitis, diſcipulos & alumnos ſibi fuiſſe contendit: nec verò dubito quin plures alios referre in eundem numerum potuiſſet, niſi ab eximia trium aut quatuor diſcipulorum ſuorum virtute, plus ad ſe laudis, & gloriæ deriuari, quàm ex vulgarium incondita turba intellexiſſet. Fuit verò Simon *Portius* tantæ poſt *Niphum* præceptorem ſuum, in Philoſophia auctoritatis, vt propter compti & eruditi ſtyli neruos, accuratámque Peripateticorum dogmatum enucleationem, nemo vnquam maiori cum auctoritate, & fauentium Auditorum veneratione, in Gymnaſio Neapolitano docuerit. Tyberium autem *Ruſſilianum* Sextum Calabrum, tam ardenter Pici Mirandulani veſtigiis inſtitiſſe certum eſt, vt non ſecus ac ille, propoſitiones ſupra quadringentas, ex omni ferme ſcientiarum genere ſelectas, publicis in Italiæ Gymnaſiis, diſputandas propoſuerit; ſed inuitis tamen ac frementibus, quemadmodum etiam Pico contigerat, ſacris fidei quæſitoribus, qui patienter ferre non poterant, ab hoc tam præcocis vt ſapientiæ, ſic ætatis Philoſopho, Chriſtum quoad ſui corporis temperiem, & vitæ mortiſq; hiſtoriam legibus Aſtrorum ſubiici; Tempus, & Cœlum durationis æternæ conſtitui; Inundationem illam vniuerſalem, quam nos Chriſtiani ſemel dumtaxat accidiſſe contendimus, ſannis, & dicacibus verbis excipi, quaſi certis tempo-

rum

Digitized by Google

rum inclinationibus reuerti ſolitam: Cætera denique Placita quæ dudum à Pico in medium propoſita, temeritatis, & hæreticæ labis damnata fuerant, rurſum in ſcenam, & Academicarum concertationum palæſtram, reuocari; Quamobrem ſeueriùs in illum, & diligentiùs inquirere cœperunt, ſed eo tamen veluti dubiæ pugnæ exitu, vt Tyberius edito aduerſus cucullatos Apologetico, talem enim libello ſuo titulum eſſe voluit, & opiniones ſuas liberiùs quàm anteà feciſſet propugnaſſe, & acriùs eiuſmodi cenſores ſuos, quàm rationi conſentaneum eſſet, pupugiſſe videretur. Galeatius denique *Florimontius* ſedati & exculti ingenij laude plurimum excelluit, vnde Marcus Antonius Columna, ipſo tanquam negotiorum ſuorum procuratore, apud Chriſtianiſſimum Regem diutiſſimè vſus eſt, quo in munere, cùm ſe doctorum hominum qui tunc in Galliis ex Iacobi *Fabri* ſchola prorumpebant circulis immiſceret; editóque de morali diſciplina commentario non paucis doctrinæ & Hetruſcæ facundiæ luminibus illuſtrato, nomen ſuum immortalitati conſecraſſet, Sueſſanorum tandem infulatus Antiſtes, à ſummis Pontificibus renunciatus eſt.

Quemadmodum verò diſcipulorum illuſtrium fama, ſic *Amicorum* celebritate, *Niphus* felix, fortunatúſque cenſeri, ſi quiſquam alius poteſt; Nam quis Hieronymo *Carbone*, & Petro *Grauina*, ſiue illi vincta aut ſoluta oratione ſcribere voluerint, eloquentior? Quis *Vopiſco* exacti Grammatici titulis dignior? Quis Marco *Beneuentano* in cœleſtibus globis

Digitized by Google

dimetiendis, corúmque viribus explorandis, accuratior? Mario denique *Æquicola*, quis aut in amoris natura perſcrutanda, aut in Hiſtoricis rebus tractandis diligentior? at omnes tamen illos *Niphus* paſſim in cõmentariis ſuis ſibi amiciſſimos fuiſſe oſtendit. Idémque præterea exiſtimare poſſumus, de viris illis omni diſciplinarum elegantium genere perpolitis, quos Hieronymus Carbo in ea ad Niphum elegia, quæ tractatui de vera viuendi libertate præmittitur, tam enucleatè, ſolicitéque enumerat, atque ita nullus in Italia paulò cultior ingenio fuit, quin illi cum *Nipho* noſtrò ſumma neceſſitudo intercederet.

Et verò licèt Franciſcus *Lychetus* Sodalis Franciſcanus, Theoremata quædam Philoſophica aduerſus *Niphum* ediderit; & Lucas *Praſſicius* Patricius Auerſanus, confutationes etiam in quaſdam eius commentationes pro defenſione Catholicæ ac Peripateticæ veritatis, nec non pro defenſione Doctorum, ab *Auguſtino* non iure condemnatorum, Auerſæ circa annum MDXX. typis demandarit; vterque tamen ſic intra modeſtiæ fines, & terminos ſe continuit, vt vix in communem illam Poëtæ ſententiam peccauerit:

Diuerſum ſentire duos de rebus iiſdem,
Incolumi licuit ſemper amicitia.

Eodem quoque modo *Pomponatius*, cùm multorum aduerſus ſuum de animæ immortalitate ex Ariſtotelis mente libellum, cenſuras dicteriis quibuſdam aut excipiat, aut prorſus eludat; vnius *Auguſtini* argumenta tanquam fortiſſimi Ducis tela, non contemnere, ſed leui corporis flexu declinare, aut ſi aliter non

poſſet, collectis viribus, obiectóque vmbone ſuſtinere viſus eſt.

Enimuerò poſtquam hîc agendo de *Nipho* ea omnia quæ in hominum vita potiſſimum conſiderantur abſoluimus: Reliquum eſt vt de libris quos longè plures conſcripſit, eorúmque ordine ſermonem inſtituamus; ſed duo quæri de illis poſſunt, quæ priuſquàm omnium *Niphi* lucubrationum indicem texere aggrediar paucis explicare conſtitui. Primum ſcilicet, quænam illæ Cœlorum minæ adeo terribiles fuerint, vt abſque *Niphi* libello fuiſſet, mortales omnes ſibi rurſum ab aquis perniciem vltimam imminere credidiſſent; nemo enim hactenus ita ſe in iſtius rei cauſarum inueſtigatione exercuit, vt integrum adhuc non ſit vnicuique cum aliqua diligentiæ laude, campum iſtum occare, & repaſtinare: Alterum, quî fieri poſſit, vt *Niphus*, qui conuenientem Philoſopho ſtyli grauitatem ſuis in operibus & amare, & conſectari viſus eſt, in narrationes aliquando prorumpat, vix calonibus, ſcortiſque diobolaribus dignas, eáque dicat & ſcribat tum de ſuis, cùm de amicorum ſcurrilitatibus & facetiis, quæ vel in floralibus ludis, à ſobrio aliquo vſurpari poſſe mihi non perſuadeo. —

Et ſanè quod ad primum ſpectat, certum eſt maximam hominum partem incredibili mentis penuria laborare, adeóque interdum eos etiam parum ſapere, qui vel ob nobilitatem, vel ob diuitias, aut ſcientiam, reliquæ & inconditæ multitudini gubernandæ præficiuntur; vt hi nonnunquam, vel ſequaces populos, ſuo exemplo, in errorem maximum pertrahant, vel

certè ab illis quaſi contagioſo quodam, & peſtilenti vento afflati, ad ſtolidiſſimas nugas aſſenſu ſuo comprobandas pertrahantur. Vtramque verò propoſitionis iſtius partem, hiſtoriis experimentóque ſigillatim confirmare, tam mihi eſſet facile, quàm quiduis aliud facillimum agere, ſi mihi vt materia, ſic tempus ad dicendum de ſtultis eiuſmodi hominum perſuaſionibus ſuppeteret. Et verò quando mihi opportuniorem aliquando locum exhiberi poſſe non diffido, vt quantum ſit in rebus iſtis inane, commodiùs oſtendam, tribus tantùm ineptiſſimis opinionibus huc allatis, quæ mentes hominum ſupinè deluſas, inani ſpe vel metu, nulla certè idonea de cauſa repleuerunt, huic vltimæ de Cataclyſmo, ex communi Aſtrologorum ſententia circa annum MDXXIIII. venturo, præludere non grauabor: Accidit igitur, cùm incenſis ad Belli ſacri facinora Septentrionalium populorum animis, exercitus ingentes non à fortiſſimis ducibus delecti, ſed piorum Sacerdotum concionibus inflammati, in Orientem tumultuosè proficiſcerentur; Et verò poſt primum illum excurſum, à Petro *Eremita* ſub annum natalis Domini MLXXXXV. tentatum, varij ſubinde exercitus in eandem viam ſe darent: Accidit inquam quemadmodum refertur Chronici Hieroſolymitani capite vltimo libri primi, vt ducenta fermè hominum millia, qui ducibus Emichone, Clareboldo, Thoma, aliiſque per Hungariam illuc properabant; itineris ſui curam & ſummam Anſeri pariter atque Capellæ, diuino, vt ipſis videbatur, ſpiritu afflatis, committerent. *Fuit*, inquit

Digitized by Google

auctor iſtius Chronici, *aliud ſcelus deteſtabile in hac congregatione pedeſtris populi, ſtultæ & veſanæ leuitatis, quod Domino odibile, & omnibus fidelibus incredibile, non dubitatur; Anſerem quemdam diuino Spiritu aſſerebant afflatum, & Capellam non minus eodem repletam, & has ſibi duces huius ſecundæ viæ fecerant in Ieruſalem, quas & nimium venerabantur, ac beſtiali more his intendebant ex tota animi intentione, quod abſit à fidelibus cordibus*, &c. Hæc tamen non dicam ſtultitia, ſed impietas, & idololatria, omnium quas vnquam Sol viderit maxima, non vni tantùm alicui homini particularis erat, ſed quod mireris, hominum incredibilem multitudinem ſeduxerat, vt gloriam omnem ſuſcepti non ſine pietatis laude Belli ſacri, tam infamis propudioſique flagitij admiſſione, corrumperet. Verùm nequis genus humanum ob vnicum dumtaxat exemplum, ſtoliditatis per me damnari exiſtimet, vide ſodes apud *Rigordum*, quid anno Chriſti MCLXXIX. acciderit. Orientales Aſtrologi omnes, literis per totum orbem miſſis, tam ſecurè quàm ſi Regio diplomate res ipſa ſancita fuiſſet, edixerant, anno ſeptimo pòſt, qui fuit MCLXXXV. Planetas omnes tam inferiores, quàm ſuperiores, in vnum coïturos ineunte Septembri, ſcilicet poſt Eclipſim factam XI. Kalend. Mai. Indéque tantùm ex ventorum, & tempeſtatum violentia periculi ſecuturum, vt fermè rebus humanis, extremum finem imminere aſſererent. Quid igitur poſtea factum eſt, niſi vt mortales innumeros, qui per totum illud ſeptennium, vitam ſibi præ metu, & periculorum expectatione acer-

bam putauerant; ineunte termino ab Aſtrologis illis præſtituto, molles potiùs Fauonij, quàm Aquilones, & blanda ſedatáque Autumni temperies, quàm nubila vel perturbata exciperet? Denique vt ampliùs conſtet, neminem vnquam tam abſurda, & à ratione aliena confinxiſſe, quin ſtatim mortales, velut illi qui mulgentibus Hircum cribrum ſupponunt, in eius mendacia pedibus iuerint; Memini me legiſſe apud Siluestrum *Facium* non luxatæ mentis Medicum, in Paradoxis ſuis de peſte Dialogo ſecundo, eam aliquando Germanorum omnium animis opinionem inſediſſe, quòd anno MCCLII. exſiccato penitus mari, terra omnis quæ hucuſque ſub aquis latuit, ſe conſpiciendam, pedibúſque calcandam præberet; vnde ſub eiuſdem anni principium Genuæ ſeptem Germanorum millia inuenta ſunt, mirabilem hanc occaſionem præſtolantium, vt via iſta quæ de nouo fieri debebat, Conſtantinopolim vſque non ampliùs lembis, ſed rhedis conſcenſis proficiſcerentur. Sed cùm ſpe ſua deluſi fuiſſent, Horatiano inſuper dicterio locum, non ſine leuitatis, & inconſultæ credulitatis irriſione fecerunt,

Ruſticus expectat dum defluat amnis, at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis æuum.

Simile ergo falſis huiuſmodi, & extremæ dementiæ prognoſticis, fuiſſe illud mihi perſuadeo, quo non vulgarium Ephemeridum conſarcinatores dumtaxat, ſed ex Aſtronomis peritiores multi, ſupremam ex imaginaria quadam eluuione, cunctis mortalibus perniciem impendere contendebant; adeóque rumori-

Digitized by

bus iſtis, vulgarium hominum animos perterruerant, vt metus etiam ad ſapientiores peruenerit. Nam Petrus *Ciruellus* Hiſpanorum omnium ſui temporis doctiſſimus, cùm Theologiæ, in almo Complutenſi Gymnaſio Lectoris munere fungeretur, & verò *multos*, vt ipſemet inquit, *fluuiis, vel mari finitimos populos, iam ſtupido metu perculſos, domicilia ac ſedes mutare vidiſſet, ac prædia, ſupellectilem, bonáque omnia, contra iuſtum valorem ſub auctione diſtrahere, ac alia loca vel altitudine, vel ſiccitate magis ſecura requirere, ſui officij eſſe putauit*, in publica illa conſternatione, quam de nihilo excitari perſuaſum non habebat; Conſilium vernaculo ac materno idiomate conſcribere, vt paſſim ab omnibus legeretur, quo ſingulis modum præſcriberet, impendentis eiuſmodi calamitatis præcauendæ: atque adeò ita rebus ſuis conſulendi, vt minimum ab illa damnum reciperent. Quòd verò rumor ille non per Hiſpanias modò, ſed longè latéque per Europam diſſeminatus fuerit, teſtem ſiſtere poſſum Petrum *Martyrem*, qui de illo à Caroli V. magno Cancellario percunctatus, ipſi hunc in modum ex Valleoleto reſpondet, epiſtola 20. libri 34. *Quid ego ſentiam de pluuiis, in initio anni quarti & vigeſimi prædictis ab Aſtronomis interrogas, veras fore coniunctiones illas omnium Planetarum, & iiſdem locis ſcio, in materiis præcipuè diſpoſitis, & particularibus regionibus aliquid magni parituras arbitror; ſed neque auſim eorum ſententias approbare, qui ore aperto abſolutè fore alluuiem ita generalem vociferantur, vt neque mari, aut vlli terrarum parti, ſit ignoſcendum, quin horrenda ſint incom-*

Digitized by Google

moda perpeſſura, &c. Neque verò tantùm Cancellarius ille ſe ex eorum numero eſſe oſtendit, quos vaniſſimus diluuij metus percellebat, ſed Vrbini Dux non priùs ab eodem liberari potuit, quàm *Paulus de Middeburgo* Foroſempronienſis Epiſcopus, variis rationibus Mathematicis, & Philoſophicis, quas poſtea typis commiſit, ei liquidò demonſtraſſet, inanem eſſe prorſus metum omnem, quem de futuro diluuio conceperat. Quid plura? cùm ſtatim à publicata *Ioan. Stoefleri* Ephemeride diluuij iſtius prænuncia, Auguſtinus *Niphus* vt homines à graui timore liberaret, quem ipſa omnibus incutiebat, libellum ſuum de falſa diluuij prognoſticatione Carolo V. obtuliſſet, non defuit Thomas quidam Philologus patria Rauennas, & celeberrimæ famæ Medicus, qui è veſtigio libellum alium de vera diluuij prognoſticatione, ad eundem Imperatorem miſit, cum Præfatione, quam iſthuc maxima parte referre, non alienum à propoſito duxerim. *Ne ex illo conuentu tot ſyderum in piſcibus, diſſortunium quodquam patereris, Guido Rangonus Rei Florentinæ armorum generalis gubernator, me monuit, & excitauit, vt de futuro diluuio anni* MDXXIIII. *exactam ad te compoſitionem dirigeremus; Quatenus amoto Sueſſani Philoſophi, iam impreſſo errore, locis huic maximo diluuio ſubditis, & ab hoc ipſo alienis, diligentiùs circumſpectis, & annotatis, humanum genus & cætera viuentia, vel tu ipſe ad minus (nam vbi Imperatoris periculum, hîc pro viribus & manu, & corpore, & ingenio vtendum) ab eo diſſortunato & horribili aſpectu liberaris.* Enimuerò quemadmodum con-

contingit aliquando, vt cæcus cæcum ducat, ſic nonnulli alij Philologum hunc licèt aberrantem ſequuti ſunt; ex quibus *Nicolaus Peranzonus* vaticinium de vera diluuij prognoſticatione, cum XX. inundationum hiſtoria, Anconæ edidit. Mihique præterea videre contigit, cuiuſdam *Michaelis de Petra ſancta ordinis Prædicatorum de Obſeruantia, ſacræ Theologiæ Doctoris, Regentis ſtudij in Conuentu Mineruæ, & Metaphyſicam in Romano Gymnaſio profitentis libellum, in defenſionem Aſtrologorum, iudicantium ex coniunctionibus Planetarum in Piſcibus anno* MDXXIV. *diluuium futurum.*/ Hunc enim veluti conceptis verbis, operi ſuo titulum fecit. Nec dubito plures alios qui minimè ad notitiam meam venerunt, crambem eandem recoxiſſe: Sed nihilominus facile eſt, ex tribus aut quatuor illis quos modò nominabam, quantos de ſe rumores in Italia excitarit diluuium iſtud, nullo negotio cognoſcere. In Gallia verò, parum abfuit quin ad inſaniam homines non paucos, periculi metu adegerit, quemadmodum apud Ioannem *Bochellum* ſcriptorem Annalium Aquitaniæ; Claudium *Duretum* cap. 27. libri de fluxu & refluxu maris; Spiritum *Roterium* ordinis ſancti Dominici, & ſacræ apud Toloſates fidei quæſitorem, in refutatione doctrinæ cuiuſdam Aſtrologi; Augerium *Ferrerium* in libro quem ſcripſit aduerſus Rempublicam Bodini: Albertum *Pighium* in Aſtrologiæ defenſione ad Auguſtinum Niphum: *Euſtorgium à Bello loco* Poëtam vernaculum in Rythmis ſuis: multóſque alios videre eſt, nam omnes laudare non

eſt neceſſarium. Maximè cùm inſtar omnium eſſe poſſit Ioannes Bodinus, qui poſtquam libro IV. de Republica cap. 2. coniunctionis trium ſuperiorum Planetarum in ſigno Piſcium hiſtoriam explicaſſet, iſta demum ad rem noſtram præſertim facientia, ſubdit, *Itaque Aſtrologi toto terrarum orbe, conſpirantes ad mundi huius interitum, leuiſſimorum hominum mentes ingenti metu perterruerunt, cùm aquarũ eluuionibus terram inundatum iri, tam conſtanter affirmarent, vt non defuerint, qui ſibi naues ad aquarum perfugia fabricarent; atque in primis Auriolus Tholoſas, humani quidem iuris conſultiſſimus, ſed qui leges diuinas aut ignoraret, aut irrideret, immemor ſempiterni fœderis, quod cum Noha ab aquis erepto, Deus percuſſit, iuratus mundum hunc nunquam deinceps aquis interiturum.* Denique mali iſtius impendentis metum ad extremum vſque Septentrionem peruaſiſſe, teſtatur manifeſtè Cornelius *Scepperus* Neoportuenſis, cùm inter cauſas quibus fuit compulſus, vt librum aduerſus Aſtrologos de ſignificationibus coniunctionum ſuperiorum Planetarum anni MDXXIV. conſcriberet, eas potiſſimùm enumerat. *Adde me neque in Aſtrologiam ſcribere, ſed in eos tantùm, qui falſa prædictione totum in ſe orbem conuerterant. Neque enim ſolùm vulgo eam rem perſuaſerunt, ſed ſummis etiam Regibus, & Principibus. Occurrunt quæ hac de re me percunctatus eſt sereniſſimus Princeps D. Chriſtiernus Daniæ, Sueuiæ, Noruegiæque Rex, occurrunt & crebra vulgi ſuſpiria, tamdiu mala ſibi ominantis: quem autem hominum non impellerent hæ lacrymæ? quem non permoueret impoſtura, incitaret iniquitas?* Iſtis

igitur teſtimoniis puto me clariùs Sole demonſtraſſe, magnam tunc, & incredibilem omnium hominum fuiſſe conſternationem, Europámque vniuerſam, eiuſmodi terroribus Panicis, quos excitabant Aſtrologi, penè in ſeipſam corruiſſe, quando vel Regibus ipſis qui ſemper omnium vltimi periclitari conſueuerunt, tam crebræ & pertinaces nugæ terrorem incuſſerant. Inquirenti verò mihi cauſam, qua commoti Aſtrologi vereri ſe tam conſtanter aſſeruerunt,

——graue ne rediret
Sæculum Pyrrhæ noua monſtra paſſæ,
Omne cùm Proteus pecus egit altos
Viſere montes.——

non alia profectò occurrit, quàm ſuperiorum Planetarum Iouis & Saturni coniunctio in decima parte Piſcium, cæteris Planetis cum capite draconis aquarium, aut piſces occupantibus: Quæ omnia cùm per ſe ſatis pluuiarum vim ingentem ſignificarent, menſe Februario anni MDXXIV. quo accidere coniunctiones eiuſmodi debebant; augebatur inſuper magnitudo periculi, alia coniunctione Solis & Lunæ, quæ fieri debebat, in Capricorno die V. menſis Ianuarij antecedentis, & vno verbo coniugationibus aliis Planetarum inter ſe, quæ præter inerrantia ſidera, XX. numero eo menſe ac anno fuerunt, quarum cùm XVI. Signum aqueum poſſiderent, ea res propterea omnibus æquè admirationem, metúmque incuſſerat hercle quàm maximum. Hoc verò iure ne an iniuria factum fuerit, non eſt

Digitized by Google

ita procliue decernere. Neque enim Philoſophi cum Aſtrologis de diluuiorum imbriúmque cauſa; nec Aſtrologi inter ſe de coniunctionum iſtarum viribus & facultate conueniebant: Vulgares enim minacium Ephemeridum auctores Niphus apertè ſubſannabat, eique propterea Thomas Rauennas, Michael de Petra ſancta, Nicolaus Peranzonus, aliique tanquam cœleſtium rerum ignaro, ſuccenſebant: iſtos verò fatuitatis & ignorantiæ arguebant Albertus Pighius, Paulus de Middeburgo, & Cornelius Scepperus, Aſtrologorum tunc in orbe Chriſtiano celeberrimi; dubij denique ſpem inter & metum fluctuabant Petrus Martyr, & Ciruellus; quamquam euentus poſteà docuit nihil illos pro Aſtrologiæ dignitate feciſſe, qui ſtultiſſimis illis publicæ calamitatis præconibus, ſuffragiis ſuis fauebant. Nam licèt annus quem calamitoſum fore nunciabant, aquarum & imbrium quibuſdam in locis intemperantia laborauerit, nullæ tamen vrbes, nullæ prouinciæ aquis immerſæ memorantur. Ac propterea Cardanus aphoriſmo 34. lib. 7. & Origanus, part. 3. introduct. cap. 3. Stoeflerum iudicium iſtud de diluuio futuro non ſine Aſtrologiæ infamia protuliſſe haud immerito poſtea aſſeruerunt. Cæterum quo magis arduum & difficile fuit, in hoc ancipiti negotio, rebúſque fermè deploratis ſignum velut ex arce ad benè ſperandum erigere, & in hunc popularis metus torrentem qui principes etiam & ſapientiſſimos quoſque, ſecum trahebat præcipites, aduerſo niſu contendere, eo quoque *Nipho* noſtro

Digitized by Google

glorioſius eſſe debet, quòd communem hunc errorem, primùm quidem agnouerit, deinde verò ſatis ipſe virium, & confidentiæ habuerit, vt illum ipſum irrideret, & edito libello, ſtultum inanémque fore metum omnem, qui tunc hominum mentibus inſidebat, allatis in medium validiſſimis argumentis oſtenderet. Huic enim ſoli debetur, quòd in tam horribili terrore, Regiones integræ prorſus de ſua ſalute non deſperarint: quòd victis metu, ac proſtratis hominibus vires animúſque in præcordia redierint; denique quòd multi Philoſophi, & Aſtronomi occaſionem inde ſumpſerint, popularem hunc errorem veluti laruam aliquam, aut terriculamentum traducendi. Atque feciſſet vtinam Deus immortalis, vt paucis abhinc annis, cùm Mediolani tot homines diris cruciatibus torquerentur, quaſi *peſtis per vnctiones propagatæ* auctores; *Niphus* aliquis perſuaſionem iſtam è Mediolanenſium mentibus exemiſſet. Et paſſim in Europa quoties à delectis iudicibus miſerabiles quædam *Vetulæ*, non aliter quàm ſi choreas & epulas nocturnas, cum Diana, vel Herodiade, ſpectriſque dæmoniacis agitaſſent, palis affixæ comburuntur, ſi *Niphus* aliquis iudices illos grauiſſimis rationibus & exemplis doceret, neque vetulas illas tunc cùm ſe per aëra deferri contendunt, à cubiculis ſuis diſcedere: neque cùm interrogantur, idonea, ſed abſurda potiùs, & malè ſibi cohærentia reſpondere, quibus omnino tanquam propriis ipſarum confeſſionibus ſtandum non ſit: neque demum pueros aut infantes, de

Digitized by Google

quorum iactura nemo conqueritur, in cacabis ad vnguenta ſua conficienda decoquere, ſed totum iſtud eſſe imaginationis læſæ vitium, quod mitioribus remediis, quàm igne vel fune ſanari poſſit; meliùs profectò cùm iudicum iſtorum honori, tùm & hoc inſaniæ genere laborantium ſaluti, conſuleretur. Sed quid mirum ſi quoties opus eſſet, *Niphos* non inueniamus, cùm omnes literarum quidem & ſcientiarum arcana ſectentur, quoniam ſcire videri volunt, nemo verò ſe in bonæ mentis palæſtra, vt rectè ſcire & ſapere poſſit, exerceat.

Atenim quoniam de primo iſto quæſito verba ſatis copioſè fecimus, conſentaneum eſt nunc, vt de *Niphi* ſermone, quamobrem ſcilicet adeo ſit inæqualis & immundus, verba faciam. Eum verò talem eſſe nullus vnquam inficias ire poterit, cui lectæ fuerint iucundæ illæ narrationes, quas ſub finem libri de viro aulico creberrimas iuxtà, fœdiſſimáſque attulit. Neque tantùm iſtis vſus eſt, cùm Aulici ſui vrbanitatem per eiuſmodi facetias vrbaniorem reddere ſatagit; ſed interdum etiam in Porticu & Academia, cùm aduerſus viros grauiſſimos diſputat, in dicteria quædam prorumpit, neque loco, neque tempori ſatis conuenientia; eáſque hiſtorias refert, quas ob rerum fœtidarum mentionem, nemo vel inter lixas & ruſticos, abſque honoris præfatione referre vellet. Hoc igitur quamobrem ab ipſo, homine alioqui modeſto, & ad Principum, quibus cum perpetuò verſabatur, obſequia compoſito, factum fuerit, cùm diligentiùs inquirerem, animaduerti tandem vitium iſtud non ſo-

lius modò Niphi, ſed omnium qui eodem cum illo tempore vixerunt, proprium fuiſſe: Nam ſi rectè quis calculum poſuerit, is profectò inueniet, priuſquam ex ſacroſancti Concilij Tridentini decreto de librorum examine, & eorum cenſura qui contrarium aliquid fidei, aut bonis moribus continerent, frænum apud *Catholicos*, quorundam hominum petulantiæ iniectum fuiſſet; & verò *Lutherani* atque Caluiniſtæ, tùm exemplo noſtro inuitati, tùm etiam inſtitutæ reformationis officio, & ſectæ naſcentis communi zelo impulſi, idem apud ſuos grauiſſimis edictis ſanxiſſent; is inquam nullo negotio deprehendet, ſuæ quemque in ſcribendo libidini ſeruire potuiſſe, & quaſi nulli fines aut termini forent,

Quos vltra citráque neſcit conſiſtere rectum,

omnia impotenter deblateraſſe, quæ vel hilaritas effuſa, vel amoris amentia, vel iræ ſuccenſæ feruor, vel ingenij & propriæ opinionis amor, non prius illi in mentem, quàm in labra aut chartam coniiciebant. Hinc igitur Philoſophi, liberè de rebus cunctis & loqui, & ſcribere conſueuerant; Atque ex vna parte *Nicolettus* Vernias vnitatem intellectus aſſerebat; ex alia *Pomponatius*, animæ ſingularis quicquam poſt Fata ſupereſſe negabat; *Niphus* verò nullas à motricibus cœlorum intelligentiis ſubſtantias materiæ & compoſitionis immunes eſſe contendebat; *Picus* denique, & Tybertus *Ruſſilianus* eas propoſitiones in doctorum virorum circulis propugnandas ſuſcipiebant, quibus nunc aſſentiri nemo poſſet, qui non ſtatim temeritatis, & violatæ religionis reus ſiſteretur. Eodem quoque

Digitized by Google

modo Aſtrologis vt *Alliacenſi*, Petro de *Apono Bonato*, *Gaurico* & cæteris, Religiones omnes aſtris ſubiicere: naſcentis Chriſti horoſcopum interpretari; futuros ſingulorum principum euentus, quantumlibet malignos, & damnoſos in prædictionibus annuis denunciare: Populos etiam publica grauiſſimarum calamitatum denunciatione terrere; tam liberum fuit, quàm Solis aut Lunæ labores, vdúmque aut ſudum Cœlum deſignare. Medicos verò Angeronæ interea, aut Sigalioni litaſſe, non eſt quòd ille ſibi perſuadeat, qui *Carpi* ſaltem aut *Guainerij* in partibus ipſis quas recepta viuendi conſuetudo oculis ſubduxit, earúmque functionibus deſignandis, petulantiam nouerit. Imò verò Theologis vt *Menotio*, *Barleto*, *Mailliardo*, *Petro ad Boues*, *Roberto*, tot ineptias in celebrioribus pulpitis effutire, vt illos non ſani capitis fuiſſe, non ſanus iuret Oreſtes, nulli tunc aut dedecori, aut verecundiæ fuit. Sed Philologis præſertim adeò familiaris erat ſermonum obſcœniſſimorum licẽtia, vt qui *Bocatium*, *Pogium*, *Aretinum*, *Caſam*, *Caſtalionem*, *Pacificum Aſculanum*, *Iulium Grotum*, *Puccium*, *Ludouicum Cinthium*, *Philelphum*, *Codrum*, *Septabinam*, *Mazzuccium Francum*, & id genus alios legerit, impudentiam tunc, malitiam, fœditatem, impietatem, virus ſuum omne plenis buccis, aut potiùs pleno iure, ſiue in Deum, ſiue in eius Miniſtros, aut publicas, priuatáſque perſonas, & in omnem denique honeſtatem aut verecundiam effudiſſe, fateri cogatur. Vnde nihil mihi, aut aliis mirum videri debet, ſi cùm hi mores, hæc tempora viuente *Nipho* fuerint, ipſe etiam,

etiam, qui petulanti ſplene cachinno factus à natura fuerat, qui cum Heroïnis & Principibus viris continuò viuebat, quem ſagaces puellæ, miris illecebris in ſui amorem pelliciebant, ſui ſæculi moribus, & inſtitutis, longè tamen quàm cæteri parciùs, vſus fuerit; quandoquidem ſi aliter feciſſet, paratum eius nomini, & gloriæ exitium erat, quod viris Academicis nimia ſtoliditas, & rerum ciuilium ignorantia, ſuique potiſſimum incuria afferre ſolet. Parciùs verò *Niphum* reliquis omnibus, eiuſmodi dicteria & facetias vſurpaſſe, non aliunde meliùs quàm ex librorũ eius lectione deprehendi poteſt; quos etſi certò ſcio neminem vnquam adeò vacuum fore, aut Philoſophiæ ſtudioſum, vt omnes euoluere poſſit; attamen quia primùm inſtituto meo, deinde etiam curioſorum hominum votis, Bibliothecarúmque commodo ſatisfaciam; en ſingulos in medium affero, eo ordine quo vel in Ariſtotelem illos, aut Auerroem, vel Marte proprio conſcripſit. Nam de *Theologicis*, *de officio viri nobilis*, *de inimicis*, *de Teſſerologio Aſtronomico*, & ſimilibus aliis, quos fuiſſe à ſe elaboratos paſſim aſſerit, quoniam vel typis excuſi non reperiuntur, vel certè in manus meas non peruenerunt, ſatius eſt omninò tacere, quàm interim *Niphi* operum amatoribus, ſaliuam hanc Mercurialem, facta illorum inani ſpe, deglutiendam porrigere. Illud verò ſummæ ingenuitatis, & incredibilis in *Nipho* modeſtiæ ſignum, prætermitti à me abſque ſcelere non poteſt, quod ipſe habet in Præfatione Commentarij ſui de Sophiſtarum reprehenſione ad Bernard. Martyrianum, *In Poëti-*

tam autem Ariſtotelis multis annis inſudauimus, nec quæ viſa ſunt nobis, auſi ſumus edere; monſtra enim quæ in ea ſunt, non permiſerunt me publicare, quæ elaborauimus, &c. Quid enim, eruditiores ne, an feliciores *Nipho* noſtro fuerunt *Victorius*, *Robortellus*, *Mazius*, *Benius*, *Piccolominus*, *Caſteluetrus*, & alij qui in eundem librum non pœnitendos Commentarios emiſerunt? Certè videor mihi poſſe abſque vlla *Niphi* culpa, aut infamia, vtrumque concedere. Partim enim doctiores ea in re *Nipho*, viri illi fuerunt, cùm præcipuam Philologiæ operam dederint, cuius proprium eſt, ſolutæ vinctæque orationis leges præcepta, ac ornamenta præcipua, non tradere modò, ſed ab illis ambagibus liberare, quas veterum libris ferme omnibus, ab ſcriptorum ignorantia offuſas fuiſſe, nullus eſt qui neſciat: *Niphus* verò grauioribus ſtudiis addictus, & certè nullis aut ſaniorum codicum, aut aliorum interpretum ſubſidiis adiutus, tam altum in illis ſapere minimè potuerit. Sed partim etiam feliciores fuerunt, quoniam Scaliger Iulij filius, palmam ex tot eiuſdem iſtius libri interpretibus, Alexandro Piccolomineo, & Ludouico dumtaxat Caſteluetro tribuit, quod cùm nullus qui ſingulorum merita diligenter expenderit, doctrinæ tribuat, profectò quod duo iſti cæteris acutiùs in Poëticâ Ariſtot. viderint, fortunæ tantùm fuiſſe exiſtimo. Denique poſt librorum *Niphi* Elenchum, Comitis Palatini *Priuilegium*, quod ipſi ob illuſtrem & peruagatam doctrinæ famam, Leo X. conceſſit, ex autographo quod penes *Ioan. Franciſc. Slingelandum* elegantiſſimi virum ingenij, & boni publici aman-

Digitized by Google

tiſſimum conſeruatur, diligenter exſcriptum ſubiiciam: ne quod ipſe *Niphus* ſibi honori, & emolumento non mediocri futurum arbitratus eſt, aut incuria mea, aut quorundam hominum, quibus diplomata eiuſmodi non valde probantur, cenſura; inter tot effuſas laudes, & encomia, quæ ab omnibus bonis & æquis rerum æſtimatoribus, ipſi debentur, loco præſertim tam idoneo & conuenienti, non appareat.

AVGVSTINI NIPHI LIBRORVM OMNIVM EDITORVM CATALOGVS.

PRIMA CLASSIS COMMENTARIOR. in Ariſtotelem & Auerroem.

TRANSLATIO, & expoſitio librorum Ariſtotel. de interpretatione *Venet. apud Oct. Scot.* 1537. *Pariſiis apud Ioannem de Roigny* 1551. *fol.*

Commentaria in libros priorum Analyticorum Ariſtotelis, *Neapoli* 1526. *Venetiis apud Hieron. Scotum* 1549. *apud Iuntas* 1553. *fol.*

Commentaria in libros poſterior. Analyticor. *Pariſiis apud Iacobum Keruer* 1540. *Venetiis apud Octauian. Scotum* 1553. *&* 1565. *fol.*

Commentaria in octo libros Topicorum. *Venetiis apud Octau. Scotum* 1533. *&* 1555. *Pariſiis apud Iacobum Keruer, cum textu Græco & Latino* 1542. *fol.*

Expoſitio in libros de Sophiſticis Elenchis. *Venet. apud Octauian. Scotum* 1534. *Pariſiis apud Ioan. Roigny* 1540. *fol.*

Expoſitio atque interpretatio in tres libros Ariſtotelis de Rhetorica. *Venet.* 1537. *fol.*

Conuerſio in Latinum ſermonem, & expoſitio libror. Ariſt. de Phyſico auditu, recognitæ cum Scholiis in margine. *Venet.* 1519. *ibid. apud Octauian. Scotum* 1543. *&* 1559. *apud Iuntas* 1552. *fol.*

Traductio libror. 4. de Cœlo & Mundo, cum eorumdem expoſitione, *Venet.* 1525. *apud Scotum* 1540. *&* 1554. *apud Iuntas eodem anno fol.*

Interpretationes, & Commentaria, itémque Paralipomena, & Dilucidationes in duos libros de generatione & corruptione, *Venet.* 1526. *apud Octauian. Scotum* 1543. *&* 1550. *fol.*

In Quatuor Ariſtotelis libros Meteorologicos commentar. *Venet.* 1531. *apud Scotum* 1540. 1547. cum eius effigie, *&* 1560. *fol.*

Collectanea & commentaria in tres libros de anima. *Venet. apud Octauian. Scotum* 1522. 1549. 1559. *apud Iuntas* 1544. *fol.*

Commentarij in libros Ariſtotelis de Phyſiognomia, & de animal. motu, iuuentute & ſenectute, vita & morte, &c. *Venet. apud Octauian. Scotum* 1523. *apud Hieronym. Scotum* 1550. *&* 1559. *fol.*

In XII. Libros de prima Philoſophia expoſitio, *Venet. apud Hieron. Scotum* 1547. cum eius effigie 1558. *fol.*

In eoſdem libros Metaphyſicarum diſputationum Dilucidarium. *Venet.* 1521. *fol.*

In duodecimum Metaphyſices Ariſtotelis volumen commentarij. *Venet. apud Octau. Scotum* 1518. *fol.*

Expoſitiones in omnes Ariſtotelis libros de Hiſtoria, partibus, & generatione Animalium. *Venet. apud Hieron. Scotum* 1546. *fol.*

Commentationes in Librum Auerrois de ſubſtantia Orbis. *Venet. apud Octau. Scotum* 1508. 1519. 1546. cum eius effigie, *&* 1559. *fol.*

In duos libellos Auerrois de animæ Beatitudine comment. *Venet. apud Octau. Scotum* 1508. 1524. *fol.*

Commentationes in Auerrois deſtructiones deſtructionum,

Digitized by Google

contra Algazelem, *Venet. apud Octauian. Scotum* 1517. *fol. & Lugduni cum Auerrois operibus editis in octauo apud Scipionem de Gabiano.*

CLASSIS SECVNDA LIBRORVM quos Niphus proprio Marte compoſuit.

DE intellectu libri VI. & de dæmonibus libri III. editi ſimul, *Venet.* 1503. *& apud Hæred. Octau. Scoti* 1527. *fol.*

De Immortalitate animæ, aduerſus Petr. Pomponatium, *Venet. apud Hæredes Oct. Scoti* 1518. 1524. *fol.*

Auerrois de Mixtione defenſio, *Venet. apud Hæredes Oct. Scoti* 1505. *fol.*

De Infinitate primi Motoris Quæſtio: iungitur fermè ſemper comment. in libros de generat. & corruptione, ſed excuſa ſigillatim reperitur, *Venet.* 1504. *fol.*

Codicillus de ſenſu agente, editus ſimul cum *comment. in deſtructiones deſtruction.*

De Artificioſa Interpretatione Somnior. & de Prophetia libelli 2. Subduntur commentariis in libros de Phyſiognom. iuuentute, &c.

De diebus criticis ſeu decretoriis. *Venet. apud Pentium Deleucho* 1505. *apud Alexandr. Caledonium* 1504. *cum enunciatis de medicamentor. electionibus apud Octauian. Scotum* 1519. *fol. Argentorati apud Henricum Fabole* 8. *& Marpurgi* 1614. 4.

De noſtrarum Calamitatum cauſis liber. *Venet. apud Hæredes Octau. Scoti* 1505. *fol.*

Eruditiones ad Apoteleſmata Ptolemæi, *Neapoli* 1513. *fol.*

De figuris ſtellarum Helionoricis, *Neapoli* 1520. *fol.*

De veriſſimis temporum Signis commentarius, *Venet. apud Hieronym. Scotum* 1540. 8.

De falſa diluuij prognoſticatione, quæ ex conuentu omnium Planetar. qui in Piſcibus continget anno 1524. diuulgata eſt, libri 3. *Neapoli apud Ioannem Paſquettum* 1519. 4. *Bononiæ* 1520. 8.

De Ratione medendi libri 4. ad Curtium Seſſa Alumnum ſuum. *Neapoli apud Matthæum Cancerem* 1551. 8.

Dialectica ludicra *Venetiis per Alexandrum de Burdonis* 1521. 8.

Epitomata Rhetorica ludicra, *Venet. per Philippum Pincium* 1521. 8.

De Auguriis libri 2. *Baſileæ apud Heruagium* 1534. *Marpurgi*, addito etiam tractatu de diebus criticis 1514. 8. Gallicè verò redditi per Antonium Molineum *Lugduni* 8. *& Pariſiis* 1566. *in* 16.

Prima pars opuſculorum in v. libros diuiſa. *Venetiis apud Hieronymum Scotum* 1535. *in* 4. *& Pariſiis* 1645. *in* 4. Opuſcula verò contenta ſunt, de vera viuendi libertate libri 2. de diuitiis liber 1. de his qui in ſolitudine aptè viuere poſſunt. liber 1. de Sanctitate & Prophanitate libri 2. de Miſericordia liber 1.

De Regnandi peritia libri v. *Neapoli* 1523. 4. *Pariſiis* 1645. 4.

De his quæ ab optimis Principibus agenda ſunt libellus, *Florentiæ* 1521. 4. *Pariſiis* 1645. 4.

De Rege & Tyranno libellus. *Neapoli* 1534. 4. *& Pariſiis* 1645. 4.

De Pulchro & amore libri 2. *Romæ* 1531. 4. *Lugduni* 1549. *in* 8. *Lugduni Batauor.* 1541. *in* 12. *& Pariſiis* 1645. *in* 4.

De re Aulica ad Phauſinam, *Neapoli* 1534. 4. *Pariſiis* 1645.

FINIS.

Digitized by Google

PRIVILEGIVM AVGVSTINI NIPHI Sueſſani Comitis Palatini.

LEO *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto Filio* Auguſtino de Sueſſa *laico Sueſſano, Magiſtro in Medicina, ſacri Palatij & Aulæ Lateranenſis Comiti, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Eccleſia Romana cuius Principatum ſuper omnia diuina extulit maieſtas, & à qua velut primitiuo fonte honorum, & dignitatum, beneficia proueniunt, tanquam Regina in veſtitu deaurato circũndata varietate, eos quos ſibi deuotos, & fideles, ac aliis virtutum meritis inſignitos cognoſcit, præclaris dignitatum titulis decorat & ornat, ac ſpecialis beneuolentiæ fauoribus amplectitur: vt exinde magis eorum deuotio ad Eccleſiam eandem augeatur. Hinc eſt quòd non ad literarum ſcientiam, aliáque plurima virtutum merita, nec non erga nos, & eandem Eccleſiam deuotionis affectum, quibus in noſtro, & eiuſdem ſedis conſpectu, etiam fama laudabilis commendatione clarè dignoſceris, debitum reſpectum habentes, ac perſonam tuam condigni fauoris gratia, ac ſpecialis honoris, & excellentiæ dignitate ſublimare volentes, téque qui etiam in artibus Magiſter exiſtis, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdictis aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis ſuper hanc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, te* ſacri Palatij, & Aulæ Lateranenſis Comitem ac nobilem *auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium facimus, creamus, conſtituimus, & deputamus, nobilitamúſque, ac pro* Comite Palatino, & nobili, *deinceps haberi, cenſeri, & reputari volumus, & mandamus, nec non aliorum Palatij, & Aulæ huiuſmodi Comitum numero, & conſortio fauorabiliter aggregamus, tibique quod omnibus & ſingulis priuilegiis, prærogatiuis, libertatibus, iuribus, exemptionibus, immunitatibus, commoditatibus, honoribus, gratiis, emolumentis, fauoribus, & indultis, quibus alij Palatij & Aulæ huiuſmodi Comites, & nobiles etiam de nobili militari, & Comitum ſeu aliorum nobilium genere, etiam qui illuſtres reputantur, etiam ex vtroque parente procreati, de iure vel conſuetudine, aut aliàs quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum verè, & non fictè in omnibus & per omnia, perinde ac ſi de illuſtri genere ex vtroque parente procreatus eſſes, vtaris, potiaris, & gaudeas, ita quòd inter te & alios illuſtres, quoad nobilitatem, & alia neceſſaria, nulla ſit differentia. Quódque in ſignum nobilitatis,* inſigniis, & armis Domus & Familiæ de Medicis, videlicet duabus aut tribus pallis, *cum armis tuis quæ*

habes, aut aliàs prout duxeris, ordinandum, vti & illa deferre poſſis, & valeas eadem auctoritate concedimus & indulgemus. Et inſuper tibi vbique locorum, extra tamen Romanam Curiam, quoſcumque quos à iure Canonico, & Ciuili ſiue altero eorum, ac Theologia, ſeu artibus, & Medicina, aut alia licita facultate ſtuduiſſe & inſudaſſe, & de hoc aſſiſtentibus tibi duobus, ſeu tribus, in huiuſmodi iuribus, Theologia, ac aliis Facultatibus præfatis doctoribus ac Magiſtris, eorum votis iuratis, ſufficientes & idoneos eſſe repereris, ad Baccellariatus, Licentiatura, Doctoratus, & Magiſtri gradus promouendi, & in eis legendi interpretandi, & alios actus ad perſonas in huiuſmodi gradibus conſtitutos, quomodolibet pertinentes faciendi, facultatem etiam auctoritatem concedendi, & ipſorum graduum ſolita inſignia, & libertates ac facultates eis exhibendi, ac ad inſtar aliorum Palatij, & Aulæ huiuſmodi Comitum, vbique locorum extra dictam Curiam, Notarios publicos, Tabelliones, & Iudices ordinarios, qui idonei, & in litteratura experti fuerint, recepto priùs ab eis de Notariatus, ſeu Tabellionatus, ac officiis huiuſmodi fideliter exercendis, ſolito iuramento, per te vel alium, ſeu alios ad hoc à te pro tempore deputandos creandi, conſtituendi, & deputandi, ac de Notariatus, & Tabellionatus ac Iudicatus officiis huiuſmodi per pennam & calamare, vt moris eſt inueſtiendi, ſeu inueſtiri vt præfertur faciendi; Nec non quoſcumque vtriuſque ſexus illegitimos, ex adulterio, inceſtu, ſacrilegio, aut alio quouis damnato coïtu, ſimpliciter, vel mixtim pro tempore procreatos, vt in quibuſuis bonis parentum, agnatorum, ex teſtamento, vel ab inteſtato ſuccedere, & ad illa ex donatione, aut aliàs qualitercunque, abſque tamen præiudicio illorum qui eis ſuccedere deberent, ſi inteſtati decederent; nec non ad quæcunque dignitates, adminiſtrationes, & officia ſæcularia publica & priuata, eligi, recipi, & aſſumi, illáque gerere & exercere liberè, & licitè valeant in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi de legitimo thoro nati forent, per te legitimandi, ac cum eis ſuper hoc diſpenſandi: Nec non vt ornamentis, & fauoribus Apoſtolicis affluentiùs vallatus exiſtas, enſem, & alia honeſta arma, per nobiles & milites deferri ſolita, etiam per vrbem, abſque alicuius licentia deferendi, & tres perſonas per te eligendas, nobiles & milites deauratos faciendi, creandi, & conſtituendi, eiſque inſignia & arma in ſimilibus dari ſolita, dandi, & concedendi; eóſque numero & conſortio aliorum nobilium & militum deauratorum, fauorabiliter aggregandi plenam & liberam motu ſimili, auctoritate & tenore prædictis, licentiam pariter & facultatem concedimus. Decernentes præſentes litteras, ſub quibuſuis reuocationibus, per nos, & ſedem prædictam pro tempore factis, minimè comprehendi, ſed ab illis penitus, & omninò exemptas eſſe, & cenſeri debere: Non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, ac in Prouincialibus & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, nec non legibus Imperialibus, ſtatutis quoque municipalibus, ac quibuſuis priuilegiis,

giis.

giis, indultis, & litteris Apoſtolicis, quibuſuis Vniuerſitatibus, & ſtudiis generalibus, etiam ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Dominorum temporalium; etiam motu ſimili conceſſis, & confirmatis, ac in poſterum concedendis, & confirmandis, quibus etiam ſi de illis eorúmque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clauſulas idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ſeruanda foret huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus cæteris contrariis quibuſcumque. Tu igitur de bono in melius ſtudiis virtutum incumbas, vt in noſtro & eiuſdem ſedis conſpectu, ad maiora te ſemper conſtituas, meritorum ſtudiis digniorem, nóſque proinde ad faciendum tibi maiorem honorem, & gratiam meritò inuitemur. Forma autem iuramenti, quod Notarij, Tabelliones, & iudices ordinarij per te creandi huiuſmodi præſtabunt, talis eſt. Ego N. Clericus ſeu laïcus N. ad hac hora in antea fidelis ero Beato Petro & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Domino Domino Leoni Papæ X. & ſucceſſoribus ſuis canonicè intrantibus; non ero in conſilio, auxilio, conſenſu, vel facto vt vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione; conſilium verò quòd mihi per ſe, vel litteras, aut nuntium manifeſtabunt, ad eorum damnum ſcienter nemini pandam, ſi verò ad meam notitiam aliud deuenire contingat, quod in præiudicium Romani Pontificis aut Eccleſiæ Romanæ vrgeret, aut graue damnum illud pro poſſe meo impediam, & ſi hoc impedire non poſſem, procurabo bona fide, id ad notitiam Domini noſtri perferri. Papatum Romanum, & Regalia ſancti Petri, ac iura ipſius Eccleſiæ ſpecialiter ſi qua in eadem Eccleſia in ciuitate vel terra de qua ſum oriundus habeat, adiutor eis ero, ad defendendum & retinendum, ſeu recuperandum contra eos homines; Tabellionatus officium fideliter exercebo, contractus, in quibus exigitur conſenſus partium fideliter faciam, nil addendo vel minuendo ſine voluntate partium, quod contractus mutet facti ſubſtantiam: ſi verò in conficiendo aliquod inſtrumentum, vnius ſolius partis ſit requirenda voluntas, hoc ipſum faciam, vt ſcilicet nihil addam vel minuam, quod immutet facti ſubſtantiam; contra voluntatem ipſius inſtrumentum non conficiam, de aliquo contractu in quo ſciam interuenire, ſeu intercedere vim vel fraudem contractus in Protocollum redigam, & poſtquam in Protocollum redegero, malitioſè non differam, contra voluntatem illorum, vel illius quorum ſeu cuius contractus ipſe eſt, ſuper eo conficere publicum inſtrumentum, ſaluo meo iuſto & conſueto ſalario: ſic me Deus adiuuet & hæc ſancta Dei Euangelia. *Nulli verò omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, creationis, conſtitutionis, deputationis, nobilita-*

ū ū

Digitized by Google

tionis, voluntatis, mandati, aggregationis, conceſſionis, indulti, decreti, & derogationis, infringere vel ei temerariè contraire. Siquis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ *apud ſanctum Petrum anno incarnationis Dominica* milleſimo quingenteſimo vigeſimo, *decimo ſeptimo Kal. Iulij Pontificatus noſtri anno octauo.*

BALTAZAR DE PISCIA.
A. DE CASTILLO.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM OPVSCVLORVM MORALIVM.

PRIMÆ PARTIS.

Primi libri De vera viuendi libertate.

Caput I. Opinio *quorumdam Peripateticorum, atque Platonicorum, qui veram viuendi libertatem è medio ſuſtulerunt.* pag. 7

II. *Quòd vera viuendi libertas ſit, ſecundùm Peripateticos & Platonicos.* 8

III. *Prima opinio eorum, qui dixerunt veram viuendi libertatem à paupertate fieri.* 9

IV. *Eorum opinio, qui dixerunt veram viuendi libertatem à diuitiarum copia proficiſci.* 11

V. *Opinio eorum, qui dixerunt veram viuendi libertatem fieri à ſolitudine.* 12

VI. *Quo modo Plutarchus non iuſtè carpit eum qui dixit λάθε βιώσας, id eſt ſic viue, vt nemo te ſentiat vixiſſe.* 15

VII. *Opinio eorum, qui dixerunt veram libertatem viuendi proficiſci à potentia ciuili.* 16

VIII. *Refutatio.* 17

IX. *De triplici hominis vita.* 17

X. *De multiplici principatu, déque multiplici ſubiectione.* 18

XI. *De monaſtico principatu, déque libertate & ſubiectione.* 19

XII. *De Politico ac ciuili principatu, déque libertate ac ſubiectione.* 20

XIII. *De Oeconomico atque domeſtico principatu, déque ſubiectione ac libertate.* 21

XIV. *De vera atque propria viuendi libertate in homine.* 22

XV. *Quòd prudentia faciat veram viuendi libertatem.* 23

XVI. *De iis, quæ ſibi aſciſcit vera viuendi libertas, & de paupertate.* 24

XVII. *De diuitiis.* 24

XVIII. *De ſolitudine.* 24

XIX. *De ciuili potentia.* 25

XX. *Qui in vera viuendi libertate vixerunt.* 26

LIBRI SECVNDI.

Cap. I. OPINIO eorum peripateticorum, qui dixerunt eorum, qui ſecundùm virtutes vera viuendi libertate potiuntur, non eſſe alium finem præter verum ipſum viuere. 30
II. Refutatio. 31
III. Opinio eorum, qui dixerunt præmium eorum qui ſecundùm virtutem vera viuendi libertate vtuntur, eſſe honorem, atque perennem gloriam. 32
IV. Refutatio. 32
V. Opinio eorum qui dixerunt id cuius gratia nitimur vera libertate vita potiri, eſſe conſcientiam ac memoriam rectè factorum. 33
VI. Refutatio. 34
VII. Opinio eorum qui diuitias cum potentia coniunctas dicunt eſſe id magis bonum, cuius gratia homines in vera libertate ſecundùm virtutes viuunt. 35
VIII. Refutatio. 35
IX. Eorum opinio, qui aſſerunt maius illud bonum eſſe voluptatem, cuius gratia in vera libertate viuimus ſecundùm virtutes. 36
X. De voluptate quadam breuiter. 37
XI. Refutatio opinionis ſupradictæ de voluptate, ex his quæ nunc dicta ſunt. 38
XII. Opinio eorum, qui affirmant maius illud bonum eſſe rerum diuinarum contemplationem, cuius gratia ſecundùm virtutes in vera libertate viuimus. 38
XIII. Difficultates, quæ contingunt ſuper ea quæ dicta ſunt. 41
XIV. De duplici felicitate ſecundùm quoſdam, déque duplici bono. 43
XV. Quid ſentiendum de felicitatibus paulò antè narratis. 45
XVI. Quòd philoſophus Ariſtoteles in primis Ethicorum libris præmiatoriam felicitatem non poſuerit. 49
XVII. Quòd philoſophus Ariſtoteles in vltimis libris Ethicorum cogatur ponere virtutes eſſe propter aliud expetendas. 50
XVIII. De ſimpliciter felici & vero vita libera fine. 52

PARTIS SECVNDÆ.

LIBELLI de Diuitiis.

Cap. I. De nominibus quibus diuitiæ appellantur, & de diuiſione earum. 55
II. De ipſa Domo quadam. 56
III. De Oeconomia, Oeconomica, Oeconomo, & de opere Oeconomico. 58
IV. Diuitias non eſſe materiam, ſed inſtrumentum Oeconomi, Oeconomicæque, diuitiarúmque acquiſitionem finem eius diſciplinæ, quæ eſt in acquirendo. 59
V. De modis acquirendi diuitias iis, qui præter communem ordinem videntur. 61
VI. De vitis ferarum. 62
VII. De variis hominum vitis. 63
VIII. De diſciplinis naturalibus, quæ ſunt in acquirendo. 64
IX. Quòd licèt paſtoralis, venatoria, atque agricultura ſint ſimpliciter naturales, tamen nec venator, nec agricola exercet opus ſuum ſine electione. 66
X. Quòd nullum ſit animal, nulláque planta, quæ non ſit hominis naturalis poſſeſſio, & de abuſu eorum. 67
XI. Quo iure omnia hominibus ſint communia, quóve non communia, 69
XII. Quæ adhuc communia hominibus ſunt. 69
XIII. Quomodo huiuſmodi naturales diuitiæ ſint veræ diuitiæ, non autem nummi. 71
XIV. Artes, quæ ſunt in acquirendis diuitiis. 72
XV. Quòd cuiuſque artificij, quod ex materia conſtat, duplex ſit vſus, immò cuiuſlibet rei naturalis, quæ eſt hominis poſſeſſio. 73
XVI. Quod cuiuſlibet artificij ex ea parte, qua eſt artificium, commutatio vſus ſit præter naturam. Et quo modo artificij, quod eſt ſine materia, commutatio poſſit eſſe communis vſus. 74
XVII. Commutationem fuiſſe primum vſum poſſeſſionum naturalium: & de ratione commutandi. 75
XVIII. Epilogus, hoc eſt peroratio eorum, quæ diximus. 77
XIX. De nomine pecuniariæ, & de pecuniarum introductione, & quo modo pecuniaria differt à naturali ratione, quæ in acquirendis diuitiis eſt. 77

XX. *De pecuniaria origine & de nummi introductione.* 79
XXI. *De pecunia, & nummo, & de eorum ſpeciebus, quibus vtimur plerumque.* 79
XXII. *De cauſis monetarum, & de inuentoribus & de Chalcochymia.* 81
XXIII. *De mutationibus monetarum, & epilogus.* 84
XXIV. *Dubitationes.* 84
XXV. *De locis vtilibus pro emptionibus, & venditionibus, & pro acquirendis diuitiis ex rebus naturalibus.* 85
XXVI. *Enumeratio omnium acquiſitiuarum artium, & repetitio.* 87
XXVII. *De acquiſitionibus, quæ fiunt per diſciplinas.* 88
XXVIII. *De fauore.* 89
XXIX. *De camptione.* 91
XXX. *De quæſtibus.* 92
XXXI. *Quòd diuitiæ non debeant eſſe infinitæ.* 93
XXXII. *Quam ob cauſam œconomus infinitas diuitias quærit, etſi finitis ſemper vtatur.* 95
XXXIII. *De menſura diuitiarum opiniones.* 96
XXXIV. *Opinio Ariſtotelis de menſura diuitiarum: & de optimis ciuibus.* 97
XXXV. *Opinio Stoicorum de diuitiis, & vtrum ſint bonæ.* 99
XXXVI. *Quomodo diuitiæ ſint nobilitas & honorabiles.* 100
XXXVII. *Ad eum, qui in contemplatione bene beatéque vixerit, longè pauciores atque minores, quàm mediocres diuitiæ neceſſariæ ſunt.* 101
XXXVIII. *Exempla eorum, qui cum exilibus diuitiis illuſtrem vitam duxerunt.* 103

PARTIS TERTIÆ.

De iis qui aptè poſſunt in ſolitudine viuere.

Cap. I. ENVMERATIO *aptitudinum, ſine quibus nemo poteſt aptè in ſolitudine viuere.* 106
II. *Enumeratio earum aptitudinum, quæ accipiuntur ex parte corporis.* 107
III. *De ea aptitudine quæ eſt ſanitas.* 110
IV. *De ea aptitudine, quæ ſunt vires.* 110
V. *De ea aptitudine, quæ eſt longitudo vitæ.* 111
VI. *Enumeratio earum aptitudinum, quæ accipiuntur ex parte fortunæ.* 113
VII. *De inconſtantiis, quæ apparent de ſolitario in his quæ Ariſtoteles dicit.* 115
VIII. *De multiplici ſolitario.* 116

IX.

Digitized by Google

IX. *De ſolitario ferino.* 116

X. *De ſolitario diuino.* 118

XI *De ſolitario humano.* 120

XII. *De ciuili ſolitario.* 121

XIII. *De iis, quæ communia ſunt tribus ſolitariis.* 122

XIV. *Quod Ariſtoteles ſibi conſtet.* 122

XV. *Dubitationes aduerſus diuinum atque humanum ſolitarium.* 124

XVI. *Dilutiones.* 125

XVII. *Enumeratio earum aptitudinum, quæ accipiuntur, ex parte animæ.* 127

XVIII. *De aptitudinibus, quæ ex parte animæ ſenſitiuæ accipiuntur.* 127

XIX. *Quòd nullus poßit ſibi ſoli v ere, niſi ſummis virtutibus præditus ſit.* 128

XX. *Quòd officioſus quolibet amicitiæ genere ſit ſibi ipſi amicus, & maximè philautus.* 130

XXI. *Quòd flagitioſus non poßit ſibi ipſi ſoli viuere.* 130

XXII. *De prudentia, déque intellectu actiuo.* 131

XXIII. *De virtute, quæ prudentiam conſeruat.* 133

XXIV. *De pabulo fouente prudentiam.* 134

XXV. *De intellectu contemplatiuo.* 135

XXVI. *De partibus intellectus contemplatiui.* 136

XXVII. *Partes naturalis philoſophiæ.* 138

XXVIII. *Partes Metaphyſicæ.* 139

XXIX. *De diuiſione moralis philoſophiæ.* 139

XXX. *De rebus quibus deſcriptio ſolitudinis conſiſtit.* 140

XXXI. *De diſtantia à ciuitate.* 140

XXXII *De aëris probatione.* 141

XXXIII. *De aqua probanda.* 142

XXXIV. *De terra probanda.* 143

XXXV. *De relaxationibus ſolitarÿ viri.* 144.

XXXVI. *Solitudinis præmia.* 145

PARTIS QVARTÆ.

LIBRI PRIMI de Sanctitate.

Cap. I. DE *ſanctitatis definitionibus ſecundùm Platonem.* pag. 148.

II. *De prima ſanctitatis definitione ſecundùm Platonem.* 149.

III. *Quòd propter hæc quæ dicta ſunt in prima definitione, Plato affirmet ſanctitatem eſſe iuſtitiæ partem ſiue ſpeciem.* 150

IV. *De ſecunda ſanctitatis definitione ſecundum Platonem.* 151
V. *De tertia ſanctitatis definitione ſecundum Platonem.* 153
VI. *De quarta ſanctitatis definitione ſecundum Platonem.* 153
VII. *De quinta ſanctitatis definitione ſecundum Platonem.* 154
VIII. *De pietate qua ſanctitatem antecedit ſecundum Platonem.* 154
IX. *De religione qua ſanctitatem ſequitur.* 155
X. *De quaſtione Platonis.* 157
XI. *De ſanctitate ſecundum Ariſtotelem.* 157
XII. *Qua Euſtratius de heroica virtute atque ſanctitate.* 158
XIII. *De exceſſu quo virtus heroica excellit humanam virtutem.* 159
XIV. *De peripatetica pietate, qua heroicam virtutem antecedit.* 161
XV. *De amore qui pietatem ſequitur & heroicam virtutem, atque ſanctitatem antecedit.* 162
XVI. *De temporibus quibus heroica virtus ſanctitáſque ipſa floruit.* 162

LIBRI SECVNDI de Prophanitate.

Cap. I. *De prophanitate ſecundum Platonem.* 164
II. *De prophanitate ſecundum Ariſtotelem.* 164
III. *De triplici prophanitatis genere ſecundum Peripateticos.* 165
IV. *In quo differt prophanitas ſiue immanitas à crudelitate atque truculentia.* 166
V. *Moralem immanitatem proficiſci interdum ab iniuſtitia.* 167.
VI. *Moralem immanitatem aliquando proficiſci à nimio rerum futurarum metu.* 167
VII. *Moralem immanitatem potiſſimum ab auaritia proficiſci.* 168
VIII. *Moralem immanitatem ab impetu venereo proficiſci.* 168
IX. *De monſtroſis immanitatibus, & primò de mulierum immanitate circa partum.* 170
X. *De ea monſtroſa immanitate, qua eſt liberorum expoſitio.* 170
XI. *De ea monſtroſa immanitate, qua eſt circa religionem.* 171
XII. *De ea monſtroſa immanita-*

Digitized by Google

te, quæ eſt occupata patriæ libertate. 174
XIII. *Si liceat regnandi cauſa monſtroſis immanitatibus vti atque prophanitatibus.* 175
XIV *De ea monſtroſa immanitate, in quam inciditur poſt victoriam.* 177
XV *De ea monſtroſa immanitate, quæ proditio eſt.* 178
XVI. *De ea monſtroſa immanitate, in quam incidunt prætores, & aliquando magni principes.* 179
XVII *De ea monſtroſa immanitate, in quam incidunt leges.* 180
XVIII. *De ea monſtroſa immanitate, in quam incidunt, qui iniurias vlciſcuntur.* 181
XIX. *De cauſis, quibus incidimus in prophanitates ipſas.* 181
XX. *De temporibus quibus prophani fuerunt atque immanes.* 183
XXI. *Quòd Deus immanes atque prophanos non diu dominari patiatur.* 185
XXII. *Qui duces metu Dei exercitus immaniter gubernarunt.* 188

PARTIS QVINTÆ.

LIBRI de Miſericordia.

PRÆFATIO, *atque Stoicorum opinio de miſericordia ad Hieronymum Seripandum.* 190
Cap. I. *Argumenta aduerſus Stoicos, quibus probatur in viro ſapienti miſericordiam incadere.* 192
II. *Definitio miſericordiæ apud Lactantium, & confutatio.* 194.
III. *Definitio miſericordiæ aſsignata à Seneca, & à Cicerone, & illius confutatio.* 195
IV. *De multiplici miſericordiæ acceptione ſecundum Peripateticos, & de variâ miſericordiæ definitione.* 196
V. *Dilutiones argumentorum Stoicorum.* 198
VI. *De miſericordibus atque miſeratoribus, & de malis quæ miſericordiam efficiunt in nobis.* 199
VII. *De iis, qui nullo pacto miſerentur.* 199
VIII. *De hominibus miſerabilibus.* 200
IX *De cauſis quæ mouet nos ad miſericordiam.* 201
X. *De operibus miſericordiæ.* 202
XI. *Concluſio & conſolatio.* 202

PARTIS SEXTÆ ET VLTIMÆ.

De Pvlchro & Amore.

Cap. I. Qvomodo *Protagoras è rerum ipſa natura pulchrum ſuſtulerit.* 209
II. *Opinio Stoicorum de pulchro.* 210.
III. *Quæ de puella pulchra Lucianus.* 210
IV. *Pulchrum eſſe in rerum natura.* 211
V. *Quòd ſimpliciter pulchrum ſit in rerum natura, ex illuſtri Ioannæ pulchritudine hîc probatur.* 212
VI. *Virginem pulchram non eſſe ipſum pulchrum, aduerſus Hippiam.* 214
VII. *Aurum non eſſe ipſum pulchrum etiam aduerſus Hippiam & Pindarum.* 214
VIII. *Pulchrum ipſum non eſſe corpore bene valere, diuitem eſſe, ac honoratum, ſenem mori, ſepeliri à filiis, ſepeliſſe parentes.* 215
IX. *Decorum non eſſe pulchri definitionem.* 215
X. *Vtile non eſſe pulchri definitionem.* 216
XI. *Pulchri definitionem non eſſe id quod ad bonum confert.* 216.
XII. *Proculi ſententia de pulchro.* 216
XIII. *De pulchritudinibus rerum pulchrarum ſecundum Iamblicum.* 217
XIV. *Quæ Platonici de aliis pulchritudinibus, & de multiplici pulchri opinione.* 218
XV. *Rationem pulchritudinis non eſſe corpus ſecundùm Platonicos.* 219
XVI. *Rationem pulchritudinis non eſſe quantitatem ſecundum Platonicos.* 219
XVII. *Pulchritudinem non eſſe ſpeciem incorpoream, quæ à re, quæ placet, multiplicatur in anima amantis.* 220
XVIII. *Quomodo pulchritudo ſit corporea, quomodóve ſit incorporea.* 220
XIX. *Pulchritudinem non eſſe certam membrorum proportionem, atque commenſum cum quadam colorum ſuauitate ſecundùm Platonicos.* 221
XX. *Quæ ſit pulchri definitio, ſecundùm Platonem & Socratem.* 223
XXI. *Per quæ pulchritudo, quæ gratia eſt, animam rapiat ad*

Digitized by Google

ſui fruitionem ſecundum Platonicos. 223
XXII. De triplici Amore, triplicique raptu, ſecundum Platonicos. 225
XXIII. De origine gratiæ, quæ pulchritudo eſt ſecundum Socratem. 226
XXIV. De præparatione, qua præparantur omnia ad gratiam diuinúmque fulgorem excipiendum. 272
XXV. Qualia ſint hæc, quæ de pulchro Platonici dixerunt. 228
XXVI. Quòd nulla res ſimplex ſit pulchra. 230
XXVII. Pulchra, quæ propria ratione pulchra ſunt, ſecundum Peripateticos, non eſſe in rebus, niſi quæ ſenſibus obiiciuntur. 232
XXVIII. Pulchrum, quod propriè pulchrum eſt, non eſſe niſi in rebus, quæ ſolis humanis ſenſibus offeruntur. 232
XXIX. Deſiderium animalium mutorum, quo mouentur ad venerem, non eſſe amorem. 233
XXX. De motu, quo pulchrum mouet animos noſtros. 234
XXXI. Quid propriè pulchrum ſit exponitur ſecundum Peripateticos. 236
XXXII. Pulchrum eſſe ſolùm in genere hominum. 236
XXXIII. Quæ definitio pulchri ſecundum Peripateticos, & quotuplex pulchritudo. 237
XXXIV. De corporea præparatione, quæ dicitur forma ſecundum Medicos, & de errore eorum. 238
XXXV. De numero præparationum, quæ præparant pulchrum ad gratiam. 238
XXXVI. De ea corporis præparatione, quæ dicitur forma, ſecundum Alcinoum Platonicum, déque corporis ſymmetria. 239
XXXVII. Quòd nihil præter hominem ſit pulchrum. 240
XXXVIII. De ea proportione, quæ eſt vocum harmonia. 243
XXXIX. De ea præparatione, quæ eſt in odore ſuauitas. 243
XL. De ea præparatione, quæ eſt in carne lenitas. 244
XLI. Quomodo de pulchro differant Peripatetici à Platonicis. 245
XLII. De animi pulchritudine. 246.
XLIII. De ea præparatione, quæ eſt morum concinnitas, diuerſæ opiniones. 247
XLIV. De concinnitate morum, quæ ad ſuſcipiendam gratiam parat. 247
XLV. Quæ Platonici de intellectuali fruitione. 248
XLVI. Quæ Peripatetici de intellectuali fruitione. 249
XLVII. Pulchrum non ſemper

Digitized by Google

actu animum mouere ad ſui triplicem fruitionem. 250

XLVIII. *Omnem hominem ſequi deſiderium fruendæ pulchritudinis.* 251

XLIX. *Non omnium amantium animos eiuſdem pulchri fruendi deſiderium natura ſequi.* 253

L. *Quid puella ſimpliciter pulchra ſit, quæve differentia inter fruitionem, & vſum, & inter humanum, ac ferinum amorem, & quæ pulchritudo in puella magis laudetur.* 255

LI. *Corporeas voluptates, quæ in vſu venereo ſunt, non eſſe optimas, eas verò, quæ in pulchri fruitionibus conſiſtunt, optimis aut ſimiles, aut eaſdem eſſe.* 257

LII. *Non ſemper eiuſdem pulchri fruitionem nos delectare.* 258

LIII. *Pulchri fruendi deſiderium diutius permanere, eo ferino amore, qui eſt vtendi.* 259

LIV. *Amorem perfectum non eſſe plurium ſimul.* 260

LV. *Amari ei puellæ iucundum eſſe, quæ amatur.* 260

LVI. *Puellam longè magis gaudere, quia amatur, quàm quia amat.* 261

LVII. *Non poſſe puellam amari, quin amet, potiſſimùm cùm à laudatis viris ſe amari nouerit.* 261

LVIII. *Deſideretne puella deformis amari magis, an pulchra.* 262

LIX. *Sitne pulchra natura continentior quàm turpis.* 263

LX. *Aſpectum eſſe amantibus amabiliſſimum.* 264

LXI. *Amorem non ſemper à viſu oriri.* 265

LXII. *De ætate pulchritudinis.* 266

LXIII. *Quòd qui amore alicuius exardet, ſemper ſit in eo.* 266

LXIV. *In animalibus mutis eam feminam, quæ vnius animalis animam rapit ad ſui vſum, omnes, quæ in eodem genere ſunt, rapere, non ita in hominibus eandem puellam.* 267

LXV. *Perfectam pulchræ puellæ fruitionem abſque tactu, guſtu, atque olfactu non eſſe.* 268

LXVI. *De pudore, in quo animi pulchritudo pro magna ſui parte habetur in puellis, quæ omnino atque ſimpliciter pulchræ ſunt.* 269

LXVII. *Exempla mulierum, quæ ob pudorem celebres habitæ ſunt.* 272

LXVIII. *De pudicitia, in qua etiam animi pulchritudo in puellis pro magna ſui parte habetur.* 273

Digitized by Google

LXIX. *Exempla mulierum, quæ ob pudicitiæ pulchritudinem, ſummis laudibus monumentis tradita ſunt.* 274
LXX. *Exempla mulierum, quæ ob excellentiam formæ celeberrima fama claræ fuerunt.* 277
LXXI. *Exempla eorum virorum, qui propter formam celeberrimam à prioribus ſpecie præſignes habiti ſunt.* 280

LIBRI SECVNDI de Amore.

Cap. I. AVCTORES *qui de amore dixerunt.* 284
II. *Opinio Orphei de amore, & eorum qui eum ſequuntur.* 285.
III. *Refutatio, & interpretatio illius opinionis.* 286
IV. *Opinio Hierothei de amore.* 288
V. *Confutatio & interpretatio huius opinionis.* 288
VI. *Opinio Lucretij de amore.* 289
VII. *Refutatio & opinionis interpretatio.* 289
VIII. *Opinio Socratis de amore.* 290
IX. *Refutatio opinionis huius.* 291
X. *Opinio Eryximachi de amore.* 292
XI. *Refutatio opinionis huius.* 292
XII. *Opinio Virgilij de amore.* 293
XIII. *Refutatio huius opinionis.* 293
XIV. *Opinio quorundam Platonicorum de amore.* 294
XV. *Refutatio huius opinionis.* 295
XVI. *Vtrum poſſit eſſe humanus aliquis amor abſque tranſitu in cupidinem, hîc diſputatur.* 297
XVII. *De amabilibus.* 300
XVIII *De differentia amoris & & amicitiæ.* 301
XIX. *De amoris nomine, déque amicitiæ nomenclatura.* 303
XX. *De Veneris nomenclaturis.* 311.
XXI. *De diuiſione amoris, déque cupidinis nomenclaturis.* 313
XXII. *De deſiderio.* 314
XXIII. *De proprio obiecto amoris, amicitiæque voluptificæ.* 316
XXIV. *Quomodo pulchrum ei ſit amabile, atque iucundum, cui videtur pulchrum, & cur.* 317
XXV. *De amata puella, amatóque puero.* 319
XXVI. *De voluptario amore.* 320
XXVII. *De voluptatis nomenclaturis.* 321

Digitized by Google

XXVIII. *Omnes appetere voluptatem natura.* 322
XXIX. *Voluptatem eſſe bonum ſecundum Eudoxum.* 323
XXX. *Eudoxi opinio de voluptate & Epicuri.* 324
XXXI. *Quòd non omnis voluptas in ſe bonum, nec per ſe, ſimpliciterque bonum ſit.* 325
XXXII. *Voluptatem non eſſe motum aduerſus Platonem.* 326
XXXIII. *De perfecta & optima operatione.* 327
XXXIV. *Voluptatem eſſe perfectionem operationis, qua operatio perfecta dicitur.* 328
XXXV. *Voluptatem perficere operationem non ea ratione, qua principia agendi, atque patiendi perficiunt.* 329
XXXVI. *Voluptatem non eſſe perpetuam, atque continuam in nobis.* 329
XXXVII. *Quòd voluptates ſpecie differant, aut genere pro operationum differentiis.* 330
XXXVIII. *Voluptatum aliquas eſſe probas, eligibileſque, nonnullas autem improbas, atque fugiendas.* 332
XXXIX. *De differentia voluptatum in ſe.* 333
XL. *Quòd vera voluptas ſit hominum officioſorum.* 334
XLI. *De venerea voluptate, & quale bonum ſit.* 335
XLII. *Actum venereum eſſe maximè voluptificum.* 337
XLIII. *Qui ſalaciores, amanteſque magis ex ætate.* 340
XLIV. *Qui ſalaciores, amanteſque magis ex temperaturis.* 341
XLV. *Qui ſalaciores, libidinoſioreſque ex naturæ ſignis.* 342
XLVI. *Qui ſalaciores ex anni temporibus.* 343
XLVII. *De definitionibus amoris ſecundum alios.* 343
XLVIII. *Quales hæ definitiones.* 345
XLIX. *Definitio cupidinis prima.* 345
L. *Definitio cupidinis ſecunda.* 347
LI. *Definitio cupidinis tertia.* 348
LII *Quarta cupidinis definitio.* 348.
LIII. *Vtrum cupido ſit naturalis an voluntarius.* 349
LIV. *De cupidinis perfecta genitura.* 350
LV. *De cupidinis ortu.* 350
LVI. *De cupidinis pabulo.* 352
LVII. *De cupidinis accremento.* 353
LVIII. *De animi amantis tranſmigratione.* 353
LIX. *De transformatione amantis in amatam.* 354
LX. *De eo, quod maximè ad huiuſmodi transformationem operatur: Déque ſignis, quibus amatio, atque redamatio an-*

Digitized by Google

annotatur. 356
LXI. *De locis quibus amatio, atque redamatio ſperandæ ſunt in amantibus.* 357
LXII. *De arte inducendi amatã duram ad redamandum.* 363
LXIII. *De arte inducendi amatam ad riualis odium.* 366
LXIV. *De arte inducendi amatam ad commiſerationem.* 366
LXV. *De arte inducendi amatam ad æmulationem cuiuſdam alterius amatæ ſaltem ſimulatæ.* 368
LXVI. *Cupidinem non eſſe faſcinationem.* 370
LXVII. *Non eſt verum nos amare, vt Adaſtria dixit, quoniam anima intuitu pulchræ puellæ recordatur diuinæ pulchritudinis.* 372
LXVIII. *Nec verum eſt id quod Popilia inquit animalia muta non ſemper amare, quòd ſint rationis expertia, nec quod Turpilius inquit.* 373
LXIX. *De cauſis cur eadem puella non ab omnibus æquo cupidine ametur.* 374
LXX. *Quòd amor non ceſſet in fruitione cupidinea, nec poſt.* 376
LXXI. *Quæſtiones amatoriæ.* 377
LXXII. *A philautia non omnem amorem proficiſci.* 380
LXXIII. *Cupidinis comites qui.* 381.
LXXIV. *De auiditate atque abominatione.* 388
LXXV. *De ſpe atque deſperatione.* 388.
LXXVI. *De timore atque fiducia.* 389.
LXXVII. *De ira & manſuetudine.* 390
LXXVIII. *De zelotypia & contrario.* 392
LXXIX. *De voluptate & dolore.* 393
LXXX. *De verecundia & inuerecundia.* 396
LXXXI. *De gratia & contrario.* 399.
LXXXII. *De commiſeratione & indignatione.* 400
LXXXIII. *De inuidia & contrario.* 402
LXXXIV. *De æmulatione & contrario.* 402
LXXXV. *De beneuolentia & maleuolentia.* 403
LXXXVI. *Amorem ex ero, atque antero diſsimilaribus compoſitum non diu permanere.* 404
LXXXVII. *De querelis amantium.* 405
LXXXVIII. *De conuictu amantium.* 407
LXXXIX. *De accidentibus quæ amantibus contingunt in aſpectu amatæ.* 408
XC. *Cupidinis immanitates.* 410
XCI. *Cupidinis probitates.* 410
XCII. *Puellarum quæ è vita de-*

ẽ ẽ ẽ

ceſſerunt, non eſſe cupidinem, nec eorum amantium, qui defuncti ſunt. 411

XCIII. *Nec in plantis, nec in mutis animalibus eſſe cupidinem, ſed amorem quendam.* 412

XCIV. *Cur cupidinem Poëtæ deum eſſe finxerunt.* 412

XCV. *De cupidinis parentibus ſecundum Poëtas & de interpretatione.* 414

XCVI. *De ægritudine cupidinea, & quibus ſignis à cupidine diſcernatur.* 415

XCVII. *De illegitimo atque præternaturali cupidine.* 417

XCVIII. *De illegitimo & naturali, déque legitimo cupidine.* 420

XCIX. *De remediis cupidinis.* 422

C. *Exempla eorum, qui perditè deperierunt.* 423

CI. *Exempla mulierum, quæ ardenter deperierunt amantes.* 425

CII. *Exempla coniugum, quæ maritos ardenter deperierunt.* 426

CIII. *De amore hominis ad hominem, & hominis ad angelos.* 429

CIV. *Quòd licèt inimici, improbíque homines ex caritate diligendi ſint, caritas tamen non eſt mutua amicitia amantis ad eos, ſed ad Deum principaliter.* 431

CV. *De amore hominis ad res irrationales, déque vera hominis philautia.* 433

CVI. *De ordine huius amoris.* 435

CVII. *De amore hominis ad Deum.* 437

CVIII. *De amore Dei ad hominem, & de diuina philautia, & de amore Dei ad res irrationales.* 439

CIX. *De heroina illuſtris Ioannæ pulchritudine.* 440

AVGV-

Digitized by Google

AVGVSTINI NIPHI SVESSANI

OPVSCVLORVM MORALIVM PARS PRIMA

DE VERA VIVENDI LIBERTATE.

AD ILLVSTRISSIMAM VICTORIAM COLVMNAM Piſcarienſium Marchioniſſam.

QVVM *pleroſque ſummæ authoritatis vi-ros*, illuſtriſſima Victoria, *non rarò animaduerterim, ſe vera viuendi libertate potiri arbitratos eſſe, qui in diuitiis, honoribus, ſummiſque potentiis conſtituti ſint. iccirco vt tantus error ab humanis mentibus extirpetur, aboleatúrque, de vera viuendi libertate in duobus libris diſſecta ad te ſcribere conſtitui. Vbi exploratum habebis, Cæſares ac reges, licèt in ſuis regnis pro arbitrio, immo, vt verius dixerim, pro libidine omnia agant, aut agere poſſint, eos tamen non eſſe, qui verè liberè viuunt, nam cùm homines ſint, etenim animalia rationalia, ſi non vt belluæ*

agere cupiunt, in iis omnibus, quæ agunt, ratione vti oportet. ratio autem in ſolo Deo appetitus eſt: in homine verò appetitus, & ratio ſic differunt, vt conſilians, & eligens. Quare cùm appetitus præter rationem in principe agenda miniſtrat, vt puer ſine pædagogo, aut bellua ſine freno agere videtur. Nec ad te hunc libellum dedicaui, quod te huius opinionis eſſe putauerim, nam licèt honoribus, diuitiis, & potentiis exuberes, & quod raro in muliere eſt, etiam doctrina & ſcientia, ex longa tamen experientia obſeruaui te huiuſmodi errore labefactatam eſſe nunquam. Hunc igitur libellum tibi dedo, quia noſtra tempeſtate ſola literariis muneribus digna es, quippe cùm non modò naturæ inſtituto ad labores literarios quoſcunque te propenſam, verùm etiam ex longis ſtudiis, inueniendi atque iudicandi artem mirum in modum callere nouerim. Accipe igitur libellum hunc non pro rei ipſius magnitudine, ſed pro donantis voluntate, quem ſi à te commendatum ſenſero, ad maiora munera propediem accingar. Vale.

Digitized by Google

POMP. COLVMNA VICECANCELLARIVS
Diuæ Victoriæ Columnæ Piſcarienſium Heroinæ. S. P. D.

MAIORES noſtri, magnanima Victoria, in liberis ciuitatibus Marſiam Bacchi miniſtrum, veluti libertatis ſignum, publicè venerabantur. Ægyptij manum paſſis digitis effingebant, vt reminiſcerentur homines ea ſe lege natos, quò libertati ſtuderent, conditionémque ſeruituris odio proſequerentur. Ego autem dum Niphi noſtri præclariſſimi libellum de vera viuendi libertate tibi (quæ ab ineunte ætate, & ſordidas, & humiles huius noſtri ſæculi curas ſemper ſpreueris) meritò dicatum, accuratiſſimè perlegerim; verámque in eo libertatis ſemitam ſentibus, vepribúſque perpolitam, expurgatámque repererim: non Marſiam, non inanes Ægyptiorum nugas, ſed ſolum Niphum veræ vitæ, ſummæque fœlicitatis authorem publicè colendum, celebrandúmque cenſeo: libertatis enim aſſequendæ (quod omnibus hominibus innatum eſt) facultatem latiſſimè præbuit. Hortarer te Victoria ad huiuſmodi lectionem amplectendam; vtque in præclariſſimo, pinguique ſtudiorum ocio (in quo totum negotium tuum, labor, vigiliæ, ſomnúſque reponendus eſt) te aſſereres; niſi ſcirem profectò quem animum, quod hortaturus ingenium forem. Tantùm oro enitere, vt tibi ipſa ſis tanti, quanti videberis aliis, ſi tibi fueris. Vale.

Digitized by Google

AVGVSTINO NIPHO
PHILOSOPHORVM PRIMARIO
Hieronymus Carbo.

NIPHE *laborantes poſtquam decurrimus annos,*
Propoſita & celeri meta ſubacta rota,
Liber ago in terris vitam ſine turbine rerum,
Sollicitant animum vota nec vlla meum.
Res erat arcta domi, cenſu tamen auctus honeſte,
Deſpicio Attalicas imperioſus opes.
Nam licèt & toto Mars ſæuiat impius orbe,
Atque hominum multa cæde cruentet humum,
Concurrátque ferox Gallus, concurrat Hiberus,
Et Latium forti pectore in arma ruat,
Me tamen impauidum feriet fortuna; ſit illa
Sæuior, & noſtris ingenioſa malis.
Armorum auditus ſonitus, clangórque tubarum,
Non mentem ſtudiis eripuere ſuis.
Nunc ego Muſarum choreis ſum proximus, & nunc
Latius Aonio labra fluore natant.
Namque videre iuuat duplici tua tempora fronde
Et Phœbi, & Martis Dux Aquiniue premi.
Túque etiam Melphi Princeps decus addite Muſis,
Accedis gemino cinctus honore caput.
Atque vnà comes ipſe ſacras Geſualdus ad vndas
Concinit, & poſita cuſpide plectra mouit.
Me rapis interdum recinens ſyncerè ſub vmbra
Myſtica Virginei ſacra puerperij.
Et pecus, & ſyluas, piſcoſi & numina ponti,
Et quæ littoribus fert Sinueſſa tuis.
Sæpe animum flectit dulci Cabanilius ore
Dum canit, & doctas euocat amne Deas
Ipſe forum exornans, & conſultiſſimus æqui
Poſt tot ſollicitis reddita iura reis.
Capicius mea tecta ſubit: poſitóque rigore
Diſſerit, & grato multa lepore refert.

Digitized by Google

Quin etiam noſtras viſit pater Ælius ædes,
Quem ſequitur ſacri candida turba chori.
Et qui Sebethum patrio modò prætulit Arno
Puccius, Etruſci fama, decúſque ſoli:
Quem, culti eloquij tanta eſt facundia, credas
Poſſe mouere homines, poſſe mouere Deos.
Nec minus exhilarat noſtros Grauina receſſus
Eloquio, & doctis quos mouet arte iocis:
Præcipuè mihi dum Pallani narrat Alumni
Fertile tam multis dotibus ingenium.
Ouicula aſſiduè mecum eſt: cui ſacra Maronis
Muſa fauens molli tempora fronde tegit.
Vopiſcus Graia inſignis Latiáque Minerua
Aſſidet, & pleno pectore fundit opes.
Quos inter noſtras demulcet Anyſſius aures
Pindaricos varia dum canit arte modos.
Inuiſit cultos Seripandus ſedulus hortos
Ingenij repetens tot monimenta ſui,
Doctáque Parrhaſij ſcripta, & memoranda per æuum.
O fidum ſanctæ pectus amicitiæ!
Quem non alterius Seripandi fulmina terrent,
Cùm tonat, & cæli numina læſa dolet?
Ille tamen pietate grauis, vitáque verendus
Excolit hos ſancta relligione lares.
Nobiſcúmque vnà fallit Summontius horas,
Carmina dum tractat Grammaticéſque ſales.
Atque etiam paribus ſtudiis, & pectore culto
Dignatur noſtras Pous vterque domos.
Nam quis te Aprani, quis te placidiſſime Sangri,
Ignoret curas demere ſæpe meas.
Quorum ego virtutis vel adhuc exoſculor alta
Semina per numeros quanta futura ſuos.
Nec te Philocale excipiam, cui munere ſancto
Aonidum lepido profluit ore melos:
Et ſiue Aualidas celebras, ſeu ſcribis amores,
Nos facit attonitos, illud, & illud opus.
Hæc bona ſunt, verùm ſenſus, animúmque fatigat
Quod non Fernandi Principis ore fruor.

Cui manibus noua ſerta ſuis pia Muſa parauit,
Et Phœbus numeros, quos canat, ipſa dedit.
Hunc ſacro Aonides enutriuere ſub antro
Et puerum molli continuere ſinu.
Hunc Venus, & Mauors concordi mente tuentur,
Hic bello, pace hæc, hic pater, illa parens.
Salue magnorum exemplum, ſpecimènque virorum,
O decus, & vera nobilitatis Amor.

AVGVSTINI NIPHI
DE VERA VIVENDI LIBERTATE
LIBER PRIMVS.

Opinio quorundam Peripateticorum, atque Platonicorum, qui veram viuendi libertatem è medio ſuſtulerunt.

QVM eorum, quæ in ſcientiis quæruntur, primum eſſe videatur, ſitne res ipſa, an non ſit, ideo in huiuſmodi libello primò diſſerendum ſitne vera viuendi libertas, an cum ſeruitute omnia agamus. Philoxenus itaque Peripateticus in ea epiſtola, quam ad Nicolaum Rhodium ſcribit, tradit hominum naturam multis conditionibus in ſeruitute ortam eſſe. Quod Ariſtot. etiam primæ philoſophiæ prooemio, & primo ciuilium probauit, ex eo, quia compluribus neceſſitatibus ſubditur: quòd autem ita ſit, argumento nobis ſunt compluſculi homines, qui nonnunquam id ipſum prætereunt, quod per ſe eſt experendum, ob ea, quæ ſunt vitæ neceſſaria: philoſophari enim longè magis, quàm ditari expetibile eſt, licèt ditari (vt Ariſtot. ſummus naturæ interpres tertio topicorum libro aſſerit) interdum magis eligatur, non quidem ſimpliciter, ſed ab eo qui neceſſitatibus premitur.

Philoxenus.

Digitized by Google

Plato Epiſtola 9.

Præterea optimus diuinorum indagator Plato ea in epiſtola, quam ad Architam ſcribit, apertiſſimis verbis confitetur humanam naturam ſeruam naſci, quòd nullus noſtrûm ſibi ſoli natus ſit, quippe cùm ortus noſtri partem ſibi vendicet patria, partem parentes, partem amici, multa inſuper pro temporum diuerſitate nobis accidunt, quibus vita noſtra occupata eſt. Deinde cùm Barbari ſint natura ſerui, quemadmodum primo ciuilium rerum ſummus naturæ rimator Ariſtot. argumentatur, ex ipſa naturali ingenij hebetudine, fit vt in eis nec vera ſit viuendi libertas, nec aliquis eorum liber eſſe poſſit. Inſuper licèt eſſet in aliquibus hominibus libera vita, in nullis tamen (vt mihi videtur) pro omnibus vitæ temporibus eſſe poterit. quippe cùm nec in dormientibus, nec in pueris, nec in aliquibus id genus ea cernatur. Poſtremò in iis qui bello vincuntur viuendi libertas nulla eſt, immo nec in hominibus, qui hodie ſubduntur. nam qui dominantur, Tyranni ſunt, at ſubditi, qui ſub Tyrannis viuunt, ſerui ſunt: quod vir Romanus Pompeius poſt ſui exercitus ſtragem, antequam ad Ptolemæum regem confugeret, dixit, Qui domum Tyranni ingreditur, ſeruum ſe facit. Iis igitur argumentis Peripatetici nonnulli veram viuendi libertatem è medio ſuſtulerunt.

Quòd vera viuendi libertas ſit, ſecundum Peripateticos, & Platonicos.

SED magna res eſt, illuſtriſſima Victoria, vt homines id negent, quod ſummo deſiderio velint: nemo enim eſt, qui natura non appetat, & pro ſe, & pro parentibus, & pro amicis, & pro patria veram viuendi libertatem: pro hac enim gentes pugnant, pro hac mortis periculis ſe exponunt. ſunt etiam qui proprios fratres, proprios parentes, proprios amicos, & quod magis eſt, propriam patriam diruerunt, nec ob aliud, niſi vt propriam libertatem tueantur, & ſeruent. hæc autem fruſtra fierent, ſi vera viuendi libertas earum rerum eſſet, quæ fieri nequeunt, nemo enim natiuo compulſu mouetur ad id, quod fieri non poteſt. temerè enim Gygantes enixi ſunt ad debellandum Iouem, cœlum ſcandere, cùm id factu impoſ-

Digitized by Google

impoſſibile ſit. Præterea Ariſtot. omnium ſapientum doctor in libris ethicorum Monaſticam libertatem declarauit & docuit, quam vera virtus facit: ciuilem autem in libris politicorum, quæ ex rectarum ciuilium legum obſeruatione proficiſcitur. domeſticam verò in libris œconomicorum, quæ ex domeſticis legibus recta ratione conſtitutis ortum habet. Si igitur viuendi vera libertas nulla eſſet, fruſtra in ea demonſtranda tantus in philoſophia magiſter elaboraſſet. Plato quoque Remp. fecit, in qua communia omnia eſſe voluit, nec aliam ob cauſam, niſi, vt omnes ciues pari viuendi libertate fruerentur. Argumenta autem Peripateticorum quæ priore capite inducta ſunt, poſtea diluemus. Nunc verò ex iis accipiamus veram viuendi libertatem in hominibus eſſe.

Prima opinio eorum, qui dixerunt veram viuendi libertatem à paupertate fieri.

POSTEA quid eſt illud, quod veram viuendi libertatem faciat, diſputemus, eſt enim iſtud nobis exordium ad intelligendum id, quod propoſuimus: nonnulli igitur putauerunt, tunc homines eſſe in vera libertate conſtitutos, cùm liberè philoſophari poſſunt. (nec ab ratione, nam ſi viuere eſt operari, & intelligere, & ſapere maximè operari, fit vt tunc liberè viuamus, cùm liberè philoſophari poterimus) præterea qui liberè mouetur & ſētit, liberè viuit, qui liberè imaginatur, & cogitat, longè magis liberè viuit, ergo qui liberè philoſophatur, maximè liberè viuere videtur, quippe cùm ad philoſophandū, & motus, & ſenſus, & imaginatio, & cogitatio ſubminiſtrent. ſed cùm paupertas, modò extrema non fuerit, magnum momētum nobis ad philoſophandum afferat, fit, vt veram viuendi libertatem, aut paupertas faciat, aut magnū commodū præbeat, vt eam adipiſcamur. Quòd autem paupertas, modò extrema non ſit, ad liberè philoſophandum magnum nobis momentum afferat, teſtantur Ægyptij ſacerdotes, qui, vt liberè philoſopharentur, bona omnia præter ea, quæ victui neceſſaria erant, derelinquebant. quod Ariſtot. primæ philoſophiæ procemio narrauit apertiſſimè. Anaxagoras etiam Clazomenius, qui, vt liberè philoſopharetur, omnia bona- Ægyptij. Anaxagoras.

Digitized by Google

ſua donauerat, reſpondere ſolebat, cùm ei paupertatem obiicerent ciues, Si hæc eſſent, ego non eſſem, hoc eſt non vera hominis libertate fruerer. Similiratione Democritus Abderita omnia paterna bona diſſipauit, arbitratus diuitias impedimento nobis eſſe ad philoſophandum. Crates inſuper ille Thebanus homo quondam ditiſſimus, cùm arbitraretur ſe in diuitiis conſtitutum philoſophari non poſſe, magni auri pondus abiecit. Hanc rem probauit vir doctiſſimus Seneca cùm dixit, Multis ad philoſophandum obſtitere diuitiæ, paupertas autem expedita ſecura eſt. Aut ergo pauper ſis, aut pauperi ſimilis, ſi animo atque philoſophiæ vacare vis. Quod verò qui liberè philoſophantur, liberè viuant, ex iis quæ dicunt, & faciunt, perſpicuum eſt. Iſidorus Cynicus philoſophus, cùm Neronem alloqueretur, liberè dixiſſe fertur, Bene Nauplij mala cantas, malè autem bona tua curas. Cùm Dionyſius Tyrannus ad Platonem ſcriberet, ne malediceret, liberè eum reſpondiſſe ferunt, non eſſe tantũ ſibi otij à philoſophia vt in Dionyſium cõſiderem. Diogenes etiam Cynicus, qui captiuus in caſtra ad Philippum Macedonum regem deductus, cùm interrogaretur à rege, quiſnam eſſet, reſpondit exploratorem eſſe ad ipſum profectum, vt inſatiabilem eius rapacitatem videret: quamobrem ea dicendi libertate victus Philippus ſtatim eum dimitti iuſſit. Diximus autem modò extrema non ſit paupertas, nam, vt magnus rerum naturalium indagator Ariſtot. dicit, humana natura ad philoſophandũ non ſufficit propter corporis conditiones. Indiget enim corpus ad ſui ſuſtentationem exterioribus rebus. Quoniam licèt mens quæ incorporea eſt, ad contemplandum ſufficiat, homini autem, ſi ſpeculari debet, primò ſanitate opus èſt. morbis enim ſenſus redduntur imbeciles, quibus homo ad ſpeculandum fungitur. Diſtrahitur etiam mens à contemplandi munere ob morbos, atque dolores. Indiget præterea homo, vt ſeruetur, eduliis, & famulatu etiam, vt ei miniſtrentur alia cuncta, quæ ad vitam humanam neceſſaria ſunt, non tamen multis, & magnis opibus opus eſt. Paucis enim natura indiget, multis verò opinio. Quod & doctiſſimus Seneca ſcribit, Exiguum natura deſiderat, opinio immenſum. & propterea ſi ad naturam viues, nunquam eris pauper: ſi ad opinionem, nun-

Democritus. Crates. Epiſtola 17. Iſidorus. Plato. Diogenes. Decimo ethicorum lectione 13. Epiſtola 10.

quam eris diues. Quot verò, & quantis homini ad philoſophandum opus ſit, Ariſtot. optimus rerum rimator expoſuit libro ethicorum decimo, ideo bona fronte prætereo. Illud tamen omittendum non puto, Protagoram philoſophum non eſſe bene philoſophatum ob ſummam pauperiem, erat enim adeo pauper (vti Gellius ſcribit) vt victus quærendi gratia vecturas onerum corpore ſuo factitaſſet.

Lectione ij.

Protagoras.

Eorum opinio, qui dixerunt veram viuendi libertatem à diuitiarum copia proficiſci.

NON poſſum non admirari eos, illuſtriſſima Victoria, qui tam apertè dicunt aduerſus ea, quæ ſenſibus noſtris ſubiacent: videmus enim, ac propriis oculis cernimus eos, qui diuitiis exuperant, liberiore vita potiri, quàm cæteros omnes qui paupertate premuntur, immo plerumque hos illis famulari. Reperi etiam non rarò in domibus diuitum philoſophos, & quaſi ſemper poëtas, qui paupertatem commendant. contrà autem aut nunquam, aut quàm rariſſimè. Si ergo diuites compellunt pauperes, contrà verò aut nunquam, aut rarò, quonam pacto audent dicere eos, qui in paupertate conſtituuntur, liberiore vita potiri, quàm locupletes? Propterea alij tradunt diuitiarum copiam longè maiorem viuendi libertatem parere paupertate. huius opinionis eſt Menander, cùm inquit, Vis ſunt mortalibus diuitiæ. & eodem libro dicit, Aurum autem aperit omnia, & inferni portas. Virgilius etiam dicit, Quid non mortalia pectora cogis Auri ſacra fames. & Horatius, Omnis enim res, virtus, fama, decus, diuina, humanáque pulchris diuitiis parent, quas qui conſtruxerit, ille clarus erit, fortis, iuſtus, ſapiens, & etiam rex. Cùm enim crediderint omnia emi poſſe pecunia, etiam libertatem tradunt, aut à pecuniis, atque opibus proficiſci: aut non eſſe veram libertatem abſque diuitiis. deinde diuitiæ amicos efficiunt, quod Menander aſſerit, cùm dicit, Si autem habebimus pecunias, habebimus amicos. & Ouidius in Faſtis, In pretio pretium nunc eſt, dat cenſus honores, Cenſus amicitias, pauper vbique iacet. Per amicos autem (quemadmodum ſummus philoſophorum doctor Ariſtot. octauo

Menander.

ethicorum libro ſcribit) & diuitiæ, & omnia externa bona conſeruari atque cuſtodiri videntur, etiam libertas augeri. Qui enim amicis exuberant, liberiorem vitam viuunt, quàm qui ſoli viuunt. Ad hæc aurum potentius eſt eloquentia. quod Euripides tradit, cùm dicit, Aurum autem potentius infinitis ſermonibus hominibus. Conſtat autem eos qui dicendi artem percallent, liberiores eſſe ad iniurias inferendas, nam per artem dicendi (vt Ariſtot. rhetoricorum primo ait) faciliùs iniurias inferunt, atque coram iudicibus faciliùs partes ſuas tuentur. Qui poteſt iniurias inferre, atque illatas faciliùs propulſare, atque vlciſci, hic liberiore vita potiri cenſetur. Poſtremò natiuus appetitus non eſt ad id, quod non eſt: conſtat autem nos omnes natiua quadam propenſione moueri ad diuitias habendas, nec alia ratione, niſi quia credimus, per eas ſufficientiore, atque liberiore vita potiri poſſe. Quare diuitiæ aut libertatem efficiunt, aut libertas ſine diuitiis imbecilla eſt ac mutilata.

Opinio eorum, qui dixerunt veram viuendi libertatem fieri à ſolitudine.

Cap. 5. FRANCISCVS Petrarcha poëta inſignis in eo libro, quem de vita ſolitaria edidit, firmiter arbitratur in vita ſolitaria duntaxat otium eſſe, & libertatem; dicit, Neque enim ſolitudinis ſolum nomen, ſed quæ in ſolitudine bona ſunt, laudo, nec me tam vacui receſſus, & ſilentium delectant, quàm quæ

Tiberius. in his habitant, otium, & libertas. Tiberius etiam cùm opinaretur in ſolitudine liberiore vita potiri poſſe, in Capreas inſulam commigrauit, vbi liberiore vita potitus eſſet, niſi eam libidinibus, atque infamibus illecebris defœdaſſet. hanc eandem

Seruilius. & ob eandem cauſam, elegit Seruilius, qui prope Cu-

Aiax. mas ſenuit, quam aſſecutus eſſet, niſi otio famoſus, intra vluæ ſuæ ſeptum habitans, ſepultus eſſet. Aiax etiam, vt vberiore libertate, atque iucundiore otio frueretur, loca deſerta proſecutus eſt. Vnde Homerus, Aſt hic quando etiam grauior diis omnibus erat In campos ſolus latos, inque auia

Deoclitianus. rura Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans. Deoclitianus quoque qui primus ex noſtris imperatoribus ſe vti

Deum adorari iuſſerat, publica ſeruitute oppreſſus, vt in otio cum ſumma libertate viueret, Imperium deſerens, in ſolitudinem conceſſit. Numa Pompilius ſi illius ordinis numerum attendas, ſecundus, ſi iuſtitiam, primus, peregrinus inſperatum ad imperium accitus, cùm ſacrarum rerum cura defatigaretur, pro libera vita fruenda in ſolitarium locum atque opacum paſſuum milibus ab vrbe diſtantem digrediebatur. Simili cauſa Romulus, Achilles, Hercules, duo illi Africani, cæterique Cæſares, cùm vellent ſuæ vitæ libertate potiri, curis, magiſtratibus, atque negotiis vacabant, exiſtimantes liberam vitam eſſe non poſſe in publicis rebus. Præterea (vt ſuperiùs diximus) viuere eſt operari, ergo circa eam hominis operarionem potiſſimum libertas attendenda eſt, quæ cæteris eſt potior, & ad quam cæteræ omnes, vt in finem ordinantur. hæc autem eſt contemplatio numinum, quæ contemplatiua vita à philoſophis appellatur. hæc enim actiua vita præſtantior, melior, ac iucundior eſt, quoniam illius gratia hæc adminiſtratur. Vſus enim moralium virtutum, qui in actiua ipſa vita præcipitur, ad contemplationem diſponit, quod Ariſtot. philoſophorum primarius ſeptimo phyſicæ auſcultationis libro tradit, aſſerens animum ſedendo, & quieſcendo ſcientem fieri atque prudentem. Sedatis enim affectuum motibus per vſum moralium virtutum anima diſponitur, vt liberè in diuinorum contemplationem attolli poſſit. qua ratione fit, vt virtutum actus, quos in actiua ipſa vita per leges ciuiles præcipitur ab hominibus obſeruari, in diuinarum rerum contemplationem tanquam in finem ordinentur. non enim reges ſua regna bene gubernare enituntur, propter bonum ciuile tantùm, quod in mortalibus rebus eſt. Deus enim optimus non ſatis præmij eſſe putans, quicquid in terris mortalibus tradi poteſt, hos reges, qui pietatem, iuſtitiam, cæteráſque virtutes coluerunt, & ciuitates, & populos, & gentes, & nationes optimè gubernarunt, ſempiterni æui participes reddit, vt æterna cum numinibus vita fruantur. Vita igitur potiſſima, ad quam omnes aliæ ordinantur, diuinorum contemplatio eſt. Quare in hac ſola viuendi libertas attendenda eſt, vt is ſolus liberè viuere ſit dicendus, qui diuinas res liberè contemplari poteſt. Hanc verò aut fa-

cit, aut facilem reddit ſolitudo. Teſtantur rem hanc viri ſanctiſſimi, Dorotheus, Antonius, Hammonius, qui ne ſolitudine priuaretur aurem ſibi præſecuit. Macharius, Arſenius, ſimplex Paulus, Pachomius, Stephanus, Pamphutius, Elpidius, Ioannes Ægyptius, Zeumatius, Didymus, Ilarion, Silueſter, qui in Soractis monte latuit: diuitum primus ille pontificum, Ambroſius vt in ſolitudine diuina liberè contemplaretur, Mediolani habitauit in extremo ciuitatis angulo. Aurelius Auguſtinus poſtquam ab Ambroſio ab erroribus, quibus animus æger erat, curatus eſſet, in Caſſeatum Mediolani rus digreſſus eſt, vt liberiùs diuina, quæ ab Ambroſio acceperat, ruminaret. Baſilius, cuius feruens diſcipulus fuit Gregorius Nazianzenus. Hieronymus Romanis opibus contemptis, in vaſtiſſimam ſolitudinem ſe contulit, vt validiùs ac liberiùs diuina curaret. Benedictus relictis Roma atque Rimeſia vt diuina ardentiùs coleret, ac liberiùs contemplaretur, non modò ſolitudinem, verùm & deſertum petiit, vbi in ſolitario ſpecu diu habitauit, quod qui viderunt, vidiſſe admodum diuinorum ſedem tradunt. Martinus quoque cùm vidiſſet ſe in hominum cœtu diuina colere, atque ſpeculari non poſſe, vt illa liberè intelligeret, ac intellecta obſeruaret, in Maſſicum montem ſe recepit, qui prope Sueſſam eſt, hic cum ſerpente terrifico, ſub cuius ſpecie vetus ſerpens terribilior latebat, vno eodémque ſpecu continuè ſine offenſa toto triennio verſatus, illo demum mira patientia procul pulſo, ipſe victor in ſolitudine permanſit. Sunt & alij plurimi viri atque mulieres ſanctiſſimæ, quæ ſolitudines mirum in modum inhabitarunt, nec ob aliam cauſam (vt arbitror) niſi vt liberè viuerent atque liberè numina & colerent, & contemplarentur. nec viri ſanctiſſimi tantùm, ſed philoſophi celeberrimi, vt Gymnoſophiſtæ, Bragmani, Chaldæi, Druides, Magi, & apud Græcos Sophi. hi enim omnes, & vt liberè viuerent, & liberè numina ſpecularentur, & obſeruarent, magnas ſolitudines quæſierunt.

Digitized by Google

Quo modo Plutarchus non iuſtè carpit eum qui dixit λάθε βιώσας, id eſt, ſic viue, vt nemo te ſentiat vixiſſe.

PHILOSOPHVS quidam ſolitudinis (vt puto) maximè amicus, homines ſe ponere in tanta ſolitudine præcepit, vt nemo eum vixiſſe ſentiat, quod præceptum Plutarchus Chæronenſis carpens, dicit, Atne ille quidem ipſe, qui hoc dixit, latere voluit? quandoquidem hoc ipſum ideo dixit, ne eſſet ignotus, ſed videretur aliquid ſupra vulgus ſapere, adhortando ad gloriæ contemptum, immeritam ſibi parans gloriam. An hoc ipſum dixit, quia viuere turpe eſt, vt omnibus conueniat eſſe ignotum. Ego ſanè ſic exiſtimo, hoc ipſum quod viuimus, quod omnino naſcimur, quod in hominum genus aſciti ſumus, in hoc adeo donatum eſſe, vt innoteſcat. quippe cùm generatio nihil aliud ſit, niſi rei, quæ latebat, (vt Anaxagoras inquit) manifeſtatio, neque enim illa producit, aut gignit omnia, quæ naſcuntur, ſed oſtendit, quemadmodum nec corruptio eſt ſublatio ad non eſſe, ſed magis abductio rei diſſolutæ ad obſcuritatem. immo, vt inquit, ne malè quidem viuens latere velis, ſed eſto notus, ne maneas incuratus: perinde eſt, ac ſi dicas, nemo te ſciat febricitare, nemo te ſciat teneri phreneſi, ne te nouerit Medicus, abi, coniice te aliquò in tenebras ignotus vnà cum tuis malis. Hæc & multa alia Plutarchus obiicit aduerſus huiuſmodi præceptum. Ego verò pace tanti viri dixerim, eum, qui ſic dixit, non arbitror intellexiſſe, ita viuas, vt non viuas. ridiculoſum enim eſſet præceptum huiuſmodi: qui autem præcipit ſic viuendum eſſe, vt nemo ſentiat eum vixiſſe, hic præcipit ſic eſſe viuendum, vt non viuas. qui enim viuit, neceſſe eſt vt ſentiatur viuere ſaltem à parentibus, qui eum vſque ad ætatem perfectam educarunt. Quare qui præcipit viuendum eſſe, vt nemo ſentiat te vixiſſe, præcipit ita eſſe viuendum, vt non educaris, & ſic præcipiet ita eſſe viuendum, vt non viuas. Hoc autem præceptum ſub hoc ſenſu à philoſopho illo non arbitror eſſe traditum. opinor igitur eum philoſophum intellexiſſe ſic vnumquemque viuere, vt nemo per offenſas, aut per iniurias, aut per cætera id genus ſentiat

Aduerſus Plutarchũ.

eum vixiſſe: quod aſſequetur ille, cùm petierit ſolitudinem, in qua diuina ſpeculetur, & colat. Qui enim in contemplatione, ac cultu rerum diuinarum vixerit, hic ita viuet, nulli iniurias inferendo, aut offenſas tribuendo, vt à nemine vixiſſe ſentiatur. Redeundo igitur ad id vnde digreſſa eſt oratio, iſti ſunt, qui aſſerunt ſolitudinem veram libertatem efficere, aut non eſſe veram libertatem ſine ſolitudine.

Opinio eorum, qui dixerunt, veram libertatem viuendi proficiſci à potentia ciuili.

QVONIAM ſolitudini aduerſatur ciuilis vita, quæ poteſt eſſe duplex dominantium & ſubditorum, ideo alij dixerunt dominantium potentiam efficere veram viuendi libertatem: per hanc enim homo dominus eſt ſuorum actuum, & eorum quibus dominatur. præterea qui poteſt alios compellere, & à nullo compelli, hic verè liber dicitur, huiuſmodi eſt Rex per potentiam dominicam in ſuo regno. Inſuper quemadmodum Ariſtot. inquit politicorum ſexto, opus libertatis eſt viuere vt vult aliquis, quia ſeruus non viuit vt vult: ſed homo per dominicam poteſtatem viuit vt vult. aſtipulantur huic res geſtæ Regum. Reges enim pro tuenda dominica poteſtate parentes, fratres, amicos, ſubditos necant, atque peſſundant: quæ Syllam feciſſe patet, qui pro tuenda dominica poteſtate Romam, & vniuerſas Italiæ partes ciuilis ſanguinis fluminibus inundauit. Ptolemæus Rex Ægypti gratia ſuæ dominicæ potentiæ ſeruandæ filium ſuum Memphitem (quem ex Cleopatra vxore eadem & ſorore ſuſtulerat) occidi iuſſit. Cambyſes eadem cauſa fratrem, & duas ſorores occidit. Septimus-Seuerus Imperator poſt Didium Iulianum Clodium Albinum tumultuantem ſimili cauſa interfecit, & capite eius Romam miſſo, corporis truncum equo refugienti conculcandum præbuit. Fuerunt & alij plurimi, qui hæc & plura alia fecerunt regnandi cauſa.

Sylla.

Ptolemæus.

Seuerus.

Digitized by Google

Refutatio.

SED huic opinioni nec viri ſancti, nec philoſophi aſſentiunt. Ambroſius, Seruit quicumque vel metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exaſperatur, vel mœrore deiicitur, ſeruilis enim eſt omnis paſſio: ſed qui dominicam poteſtatem affectant, hi paſſionibus ſeruiunt. Hieronymus, Eſt ſapienti ſeruire libertas, ex quo colligitur quòd ſtulto imperare, ſeruitus eſt, & quod peius eſt, cùm paucioribus præſit, pluribus dominis, & grauioribus ſeruit, ſeruit enim propriis paſſionibus, ſeruit ſuis cupiditatibus. Quarum dominatio nec nocte, nec die fugari poteſt, ſiquidem intra ſe dominos habet, intra ſe ſeruitium patitur intolerabile. Diogenes Cynicus aduerſus Alexandrum aſſeruit ſe eſſe dominorum, qui Alexandro imperitabant, dominum. Quia erat paſſionum dominator, quas Alexandro dominari dicebat. Plato dictitabat verum dominum eſſe, qui propriis affectibus dominatur, quibus, vt inquit, reges ſubduntur. Cyrus apud Xenophontem dicebat eum, qui dominari deſiderat, primò ſibi dominetur. nam reges, qui à paſſionibus capiuntur, ſunt veriſſimè ſerui.

De Iacob & vita beata lib. 2.

In Epiſtola ad Simplicianum.

De triplici hominis vita.

PRO dilucidanda veritate, Illuſtriſſima Victoria, primò de hominis vita diſtinguendum eſt. Eſt enim altera, quam Græci Monaſticam dicunt, hoc eſt ſolitariam, quæ hominis eſt, non quidem, quo eſt ciuitatis pars, aut domus, ſed quo eſt homo viuens ſibi ſenſu, intellectu, atque virtute altrice: viuit enim homo monaſticè, non quidem ſola mente, vt quidam putant, ſed ſenſu, mente, ac virtute altrice, modò ſibi, non autem vt domus, vel ciuitatis pars, viuat. Altera eſt vita, quam Græci Politicam, hoc eſt ciuilem vocant, & per hanc homo viuit in ſocietate ciuili: viuit enim per hanc, vt pars ciuitatis, quia aut vt princeps aut vt ſubditus. Tertia inter has media eſt, quam Græci Oeconomicam appellant, hoc eſt domeſticam, vel familiarem: & per huiuſmodi in ſocietate

domus, aut vt gubernans aut vt gubernatus viuit. De prima hominis vita in ethicis, de ſecunda in politicis, de tertia autem in œconomicis Ariſtoteles naturæ rimator pertractauit. Quippe cùm vnaquæque eſſe poſſit recta, & obliqua. Ideo opus erat in vnaquaque inuenire principem, qui gubernaret, & ſubditum, vt ita dixerim, qui gubernaretur.

De multiplici principatu, déque multiplici ſubiectione.

QVONIAM vita hominis quædam communicatio eſt, in qua multa communicant, vt vnum finem conſequantur. In omni autem communicatione, quæ ex pluribus coaleſcit, ſiue illa plura coniuncta ſint, ſicuti corporis membra, quæ ad totius integritatem coaleſcunt, ſiue diuiſa, ceu ex pluribus conſtituitur vna ciuitas, vel vna domus, aut vnus exercitus, aut aliud id genus, ſemper expediẽs, ac naturale eſt, vt alterũ imperet, alterum pareat. Quare in humana vita, quæ multorum communicatio eſt, neceſſe eſt alterum eſſe quod imperet, alterum quod pareat. Et cùm humana vita altera ſit monaſtica, altera politica, tertia autem inter has media œconomica, fit vt in ſingulis huiuſmodi ſemper expediens, ac naturale ſit, vt alterum ſit quod imperet, alterum quod pareat. Quare non iniuria in vita hominis monaſtica quæ communicatio quædã monaſtica eſt, principatus monaſticus eſt. In Politica, ciuilis, ſiue Politicus: in œconomica domeſticáque œconomicus ac familiaris. Præterea cùm omnis cõmunicatio ordinetur ad aliquem finem, cuius gratia facta eſt, finis autem acquiri non poſſit, niſi per actus quoſdam eorum, quæ in communicatione ſunt. Verbi gratia communicatio exercitus ordinatur in victoriam, quæ expleri non poteſt, niſi per plures militares actus eorum militum, qui in exercitu ſunt. Actus autem, ſi finem aſſequi debent, ordinatè fieri neceſſe eſt, nihil autem fit ordinatè, niſi in communicatione ſit, quod imperat, & quod paret: quare in omni communicatione, in qua plura conueniunt ad vnum finem, oportet eſſe imperans, & parens.

Digitized by Google

De monaſtico principatu, déque libertate & ſubiectione.

ET cùm homo conſtet ex anima, & corpore, neceſſe eſt vt alterum natura imperet, anima ſcilicet, alterum pareat, corpus: videlicet modò conſideremus hæc non in corruptis, ſed in iis, quæ ſe habent ſecundum naturam. nam in hominibus morbo aliquo affectis, fieri poſſet, vt anima corpori non imperet, nec corpus pareat: ſimiliter in hominibus qui in ſceleribus conſueuerunt, fieri poterit, vt appetitus rationi imperet. In communicatione igitur humana, quæ conſtat ex anima, & corpore, duplex principatus cernitur: alter dominicus, qualis eſt domini ad ſeruum, quem Græci deſpoticum dicunt, hoc eſt herilem. talem principatum in membris corporis intuemur, manibus videlicet, & pedibus, cæteriſque id genus, huiuſmodi enim membra corporis ſine contradictione anima iubente ad opus mox ſe accingunt: nec ratione alia, niſi quia anima dominatur, corpus autem ſeruit, modò non fuerit morbo affectum, vt conuulſione, aut id genus. Alter principatus cernitur ciuilis, ſiue regius, qualis eſt principis ad ſubditos. & hoc pacto ratio appetitui dominatur, non quidem, vt diximus principatu, qui eſt ad ſeruos, ſed ad liberos, qui ſubduntur. Nam quemadmodum ſubditi regibus aduerſari poſſunt, ſic appetitus nonnunquam aduerſatur rationi, aliqua imperando contra motum rationis. Cauſam autem huius diuerſitatis aſſignamus ex eo, quoniam corpus non niſi ab anima moueri poteſt, ideo ei ſubiicitur omni ex parte, modò non ſit morbo affectum. Senſualis autem appetitus & à ratione, & à ſenſu moueri poteſt, ideo non omni ex parte rationi ſubiacet. In vtroque autem regimen, vt Ariſtot. optimus rerum naturalium indagator inquit primo politicorum libro, ſubiectio naturalis eſt ac expediens, quippe cùm corpus ipſum diſſolueretur, niſi animæ ſubiiceretur. appetitus autem corrumperetur niſi rationi ſubeſſet. Ex iis perſpicuum quid ſit monaſtica libertas, quidve ſubiectio, eſt enim libertas monaſtica, quotiens homo propter rationis principatum, appetitui imperat. Tunc enim in vera, & propria viuendi libertate eſt, eſt enim ratio homi-

ni propria, & rationi expediens ac naturale, vt appetitui imperet. ſubiectio verò, quoties appetitus à ſenſibus ipſis perſuaſus imperat rationi, aut ſaltem non ſequitur rationem. Tunc enim homo in monaſtica ſubiectione eſſe videtur, quæ non eſt homini propria, ſed communis belluis cum hominibus prauis. Appetitus enim in belluis ipſis ſenſibus ſubiacet, atque paret, quemadmodum ſeruus domino. Dicitur autem propria homini libertas, qua humana ratio dominatur appetitui ſenſitiuo, quoniam ratio quæ appetitui imperat, homini propria, ac peculiaris eſt, imperium autem, quo in homine ipſo ſenſus imperat appetitui, nec humanum eſt, nec homini proprium, quippe cùm in belluis etiam reperiatur, ſenſus enim in eis appetitui dominatur.

De Politico ac ciuili principatu, déque libertate ac ſubiectione.

QVONIAM autem vita ipſa Politica, ſiue ciuitas, ſiue regnum, ſiue id genus, communicatio multorum eſt, qui vnũ finem intendunt, bonum videlicet ciuile, quicquid illud ſit, ideo oportet, vt in ipſa alterum ſit quod imperet, alterum autem quod pareat: ideo ciuilis huiuſmodi multiplex eſt, altera, in qua vnus imperat, altera in qua plures. Si quidẽ vnus, hæc à Græcis ipſis Monarchia dicitur, quæ rurſum ſubdiuiditur, nam ſi qui imperat, commune ipſum bonum curat, & qui ſubduntur, liberè, ac volentes ſubiiciuntur, hæc à Græcis Baſilia, Latinè regnum nuncupatur: ſi autem qui dominatur, proprium, ac priuatum bonum procurat, & qui ſubduntur, vi ſubiiciuntur, hæc tyrannis appellatur. At ſi plures imperitauerint, dominatio hæc Politia Græcè dicitur, in qua ſi præſint pauci, qui optimi atque virtute inſignes ſunt, & quidem ob commune ipſum bonum, hæc Græcè Ariſtocratia, Latinè optimatum potentia dicitur. Si præfuerint pauci, qui potentiores, atque nobiliores, quique ditiores ſunt, & quidem propter proprium, ac priuatum bonum, hæc Græcè Oligarchia, Latinè paucorum poteſtas appellatur. At ſi multi præfuerint, hi autem propter commune bonum ſecundum leges dominantur, Timocratia Græcè, Latinè Res

Digitized by Google

publica dicitur. hæc à nonnullis bona ratione Iſonomia vocatur, quaſi iuris æqualitas. At ſi propter proprium ac priuatum bonum, nec non & præter leges vi dominentur, poteſtas hæc Democratia, hoc eſt popularis potentia vocanda eſt. Quibus patet ciuiles dominationes, quæ ſimplices ſunt, eſſe ſex Dico ſimplices, quoniam (vt Plato aſſerit) ſunt dominationes etiam miſtæ, veluti ea, quæ ex Ariſtocratia, & Timocratia conſtat, inſuper & ea, quæ conſtat ex Democratia & Oligarchia, & cæteræ id genus, de quibus alibi diſſerendum eſt: nunc verò ſatis ſit ſex eſſe dominationes, quarum tres Tyrannicæ ſunt, vt ea, quæ per quandam excellentiam Tyrannis appellatur, & Oligarchia, quæ paucorum poteſtas eſt, & Democratia, quæ popularis dominatio appellatur: quæ verò Baſilia, hoc eſt regnum, & Ariſtocratia & Timocratia, ſiue Iſonomia dominationes regiæ ſunt, nam qui regnant, ſecundum leges, & quidem ob commune bonum imperitant. Ex iis perſpicuum eſt, quid ſit ciuilis libertas in politica hominis vita, quidve ſubiectio, qui enim dominatur, in ciuili libertate viuit, qui autem ſubditur, in ſubiectione, quæ ſubiectio grauis eſt, ſi tyrannica, ſuauis verò ſi regia fuerit dominatio.

De Oeconomico atque domeſtico principatu, déque ſubiectione ac libertate.

QVONIAM etiam vita hominis œconomica, ſiue in ſolitudine, ſiue in ſocietate agatur, quædam communicatio eſt multorum, qui in vna domo, vel caſa coaleſcunt, propter domeſticum ipſum bonum, quod ex propriis actibus aſſequi enituntur, quicquid illud ſit, ideo, vt actus ordinatè ab eis proficiſcantur, oportet in ea eſſe aliquod, quod imperet, aliquod quod pareat. Et quoniam in huiuſmodi vita adhuc tres communicationes cernimus, alteram, quæ viri, & vxoris eſt, alteram verò quæ eſt domini ad ſeruum, tertia quæ eſt patris ad liberos: ideo in œconomica ipſa hominis vita triplex principatus eſt, primus vxorius, in quo vir præeſt, vxor verò ſubiicitur: ſecundus Deſpoticus, hoc eſt Herilis, in quo pater familias qui dominus eſt, dominatur, ſerui ſub-

Digitized by Google

duntur. tertius denique paternus, in quo pater præeſt, liberi obediunt. Mater autem quia reducitur ad virum, (gerit enim vxor perſonam viri) in œconomica hominis vita quartum principatum non efficit: locuti autem ſumus in œconomica hominis vita perfecta, quoniam multæ ſunt domus imperfectæ, in quibus non ſunt niſi vir & vxor. Ex iis non erit obſcurum, quid in œconomica hominis vita ſit libertas, quidve ſubiectio: eſt enim libertas in viro, ad vxorem, in patre, ad liberos in domino ac hero ad ſeruos. ſubiectio autem in vxore, liberis, atque ſeruis.

De vera atque propria viuendi libertate in homine.

HIs ad amuſſim dilucidatis, non erit difficile exponere quid ſit in homine vera ac propria viuendi libertas, non enim libertas viuendi quæ eſt propria homini, eſt facere quicquid voluerit: ſic enim ſoli reges, vel Tyranni eſſent in vera viuendi libertate. Eſt igitur propria ac vera viuendi in homine libertas, facere quicquid ratio recta iubet. Nam qui facit quod ratio recta faciundum eſſe cenſet, hic vtitur propria, & vera libertate, in qua appetitus obedit, & ratio imperat. Hæc dicitur libertas homini propria, non quòd ſemper inſit, ſed quoniam ſoli ineſt, & ſemper apta eſt ineſſe. Eſt autem vera libertas, quia cæteræ per comparationem ad hanc dictæ ſunt, quaſi libertas ſit primò ac principaliter de monaſtica libertate dicta, de cæteris autem, vt logicorum verbis vtar, per analogiam ad hanc. Præterea hæc libertas in cæteris libertatibus ſi iuſtæ fuerint, præſupponenda eſt: ſi enim libertas domini ad ſubditos fuerit iuſta, præſumendum in eo eſt rationem imperare, appetitum ſubiici. Si libertas patris familias ad eos omnes, quibus præeſt, fuerit rationabilis, etiam oportet ſupponere in eo rationem præeſſe, appetitum ſubeſſe. Inſuper hæc monaſtica libertas, etiam in ſubditis ſupponenda eſt, in his enim qui ſubduntur ratio imperat eſſe obtemperandum, appetitus autem obedit, & ſubditur. Monaſtica igitur libertas erit homini propria, quia non cum belluis communis, erit vera quoniam cæteræ ab ea deducuntur, & per analogiam vt ita dixerim,

ad ipſam ſunt dictæ. Erit denique communiſſima, quoniam homini competit, in omni ſtatu: tam ſi princeps, quàm ſi ſubditus, inſuper tam ſi pater familias, quàm ſi domeſticus, fuerit. Differt autem in homine viuendi vera libertas, & voluntatis abſoluta libertas. Nam abſoluta voluntatis libertas, contradictionis eſt indifferentia, quæ nihil aliud eſt niſi voluntas, quæ per eſſentiam, vt ita dixerim, eſt libera. Vera autem viuendi libertas, eſt ad ea ſolùm ſecundum quæ ratio viuendum eſſe monet.

Quòd prudentia faciat veram viuendi libertatem.

CVM ex iis perſpicuum ſit, rectam rationem facere veram in homine viuendi libertatem, prudentia autem vt Ariſtot. tradit, ſit recta ratio eorum, quæ agimus, vel acturi ſumus: fit vt prudentia cùm in ipſa mente ad habitum tranſierit, veram viuendi libertatem efficiat, cùm enim prudentia in nobis vt habitus fuerit, recta ratio agendi nobis vt habitus erit, & in ipſo appetitu habitus obediendi rationi: cùm itaque in appetitu rectè obediendi habitus emicat, in ipſa autem mente, habitus rectè imperandi, tunc erimus in propria atque vera viuendi libertate. Nam verè liberè viuimus, cùm quicquid egerimus, non pro appetitu vincente ſed pro ratione recta iubente fecerimus, ratio enim recta homo eſt, vt Plato inquit, appetitus autem bellua. Quare ſi pro ratione iubente principibus obedimus, & non pro appetitu vincente, liberè agimus, non enim inuiti paremus. Inſuper ſi pro ratione dictante, non autem pro appetitu ſubuertente patri familias ſubdimur, liberè ſubiicimur, non autem inuiti. Princeps etiam ſi pro ratione conſiliante ſubditis imperat, & non pro appetitu compellente, liberè dominatur, & viuit, ſin autem pro appetitu vrgente, nec liberè dominari, nec liberè viuere dicitur: ſimili ratione in œconomica ipſa vita de patre familias, & eius ſubditis dicendum eſt. Eſt igitur, vt ita dixerim, veriſſimum, virtutem, veram in homine viuendi libertatem efficere, quippe cùm prudentia id efficiat, per quam omnes virtutes in ipſo homine connectuntur, quæ princeps & mater omnium virtutum eſt.

Digitized by Google

De iis, quæ ſibi aſciſcit vera viuendi libertas, & de paupertate.

POST hæc conſequens eſt dicere de his quæ ſibi aſciſcit vera viuendi libertas. Primò aſciſcit paupertatem, nam ſi paupertatem eſſe ferendam præcipit recta ratio, & eam pro ipſa ratione dictante ferimus, non autem pro appetitu aduerſante, in ea viuere liberè dicimur, libertatéque viuendi noſtra potimur. At ſi pro appetitu compellente, ratione autem non iubente, eam portamus, in ea non liberè viuemus, non enim vt homines, ſed, vt belluæ agimus.

De diuitiis.

SIMILI ratione vera viuendi libertas diuitias ſibi aſciſcit. Si enim diuitias eſſe habendas recta ratio monet, & eas pro ratione monente poſſidemus, non autem pro appetitu compellente, in diuitiis vera viuendi libertate potiri poſſumus. Perſuadet autem recta ratio diuitias habendas eſſe, non pro poſſidendi, ſed pro diſtribuendi appetitu. Diſtribuuntur autem rectè, quoties pro liberalitate, magnificentiáque ſeruanda, pro honoribus, diuinóque cultu, pro emendis inſtrumentis ad artes exercendas, eis vtimur. Inſuper ratio monet, vt diuitiæ, quæ ſunt bona externa, ordinentur ad animi bona, & non vt per ſe diligantur, ſed vt inſtrumenta eorum, quæ per ſe ſunt diligenda: poteſt igitur diuitiis quis abundans, vera viuendi libertate potiri. Quòd ſi argumenta ſuperiùs inducta aliquid probare videntur: diuitias efficere ciuilem libertatem monent, non autem veram libertatem, niſi modo quo nunc expoſuimus.

De ſolitudine.

NON ſecus vera viuendi libertas ſolitudinem aſciſcit. Si enim pro ratione perſuadente ſolitudo eligatur, non autem pro appetitu hallucinante, (vt fortaſſe fuit in Petrarcha ſua ætate doctiſſimo viro) in ſolitudine vera viuendi liber-

libertas habetur. Nec eſt verum quòd vera viuendi libertas ſit liberè philoſophari. Quoniam ſi recta ratio nos ad philoſophandum non mouerit, in philoſophando non erit vera viuendi libertas. Monet autem ſemper recta ratio vt nos Deum diligamus, ipſúmque contemplemur, ideo in huiuſmodi dilectione atque contemplatione vera viuendi libertas eſt. Non autem nego in ſolitudine faciliùs nos poſſe vera viuendi libertate potiri. Nam cùm hæc ſit monaſtica viuendi libertas, videtur faciliùs homini ineſſe, aut ſaltem ineſſe poſſe, cùm homo in ſolitudine eſt, eſt enim tunc homo, homo, & nihil aliud: cùm autem vera viuendi libertas inſit homini, quia homo eſt homo, & nihil aliud, videtur in ſolitudine veram viuendi libertatem faciliùs homini poſſe ineſſe. Modò ſolitudo hominis non tãta ſit, vt nemo ſentiat eum viuere. Deſideranda enim ſunt in ſolitudine ipſa ea quæ ſunt victui neceſſaria, nec non & famulatus, & tu intelligas deſiderãda hæc eſſe ratione ipſa iubente: in ratione enim recta eſt omnis radix libertatis.

De ciuili potentia.

EODEM modo vera viuendi libertas ciuilem potentiam aſciſcit. Princeps enim qui eſt in ciuili ipſa potentia, ſi in ea fuerit, vt recta ratio perſuadet, non autem vt appetitus compellit, in ea ipſa poteſtate vera ac ſumma viuendi libertate videtur potiri, non modò regia, ſubditis imperando, ſed monaſtica ſuo appetitui iubendo. Potentia enim ciuilis, non veram, ſed ſpuriam, vt ita dixerim, libertatem efficit. Veram enim viuendi libertatem virtus efficit in nobis, potiſſimum prudentia, quæ, vt diximus, nihil aliud eſt niſi recta agendorum ratio. Hæc enim facit nos iuſtos, liberales, veridicos, magnificos, magnanimos, fortes, manſuetos, continentes, vrbanos, & in omni vita liberos, cùm abſoluat nos ab ea neceſſitate, quam appetitus in nobis efficere ſolet. In hac virtute, quæ omnes complectitur, ſecundum peripateticos eſt humana felicitas, operari enim ſecundum hanc omnes homines natura deſiderant. Reges ergo, niſi fuerint prudentes, libera vita frui non poterunt. Quæ enim agunt, non moti à recta ratione, ſed obruti appetitu facere viden-

Digitized by Google

tur. Potentia itaque & ſceptrum non veram ſed ciuilem libertatem efficiunt: vera ergo viuendi libertas monaſtica eſt, quæ & paupertatem & diuitias, ſolitudinem & potentiam, & cætera id genus ſibi aſciſcit, quæque in omni hominis ſtatu eum liberum facit.

Qui in vera viuendi libertate vixerunt.

NVNC qui in vera viuendi libertate vixerint, exponamus, non enim omnes hac viuendi libertate viuere audiuimus. Itaque diſcipuli Domini, qui heroica virtute clari fuerunt, ſumma prudentia, ac ſanctiſſima ratione affecti, vera viuendi libertate potiti ſunt: nec mirum, nam virtutum dominum, vitæque ducem doctorem habuerunt, à quo ſanctiſſimam prudentiam accipientes, fortes, temperantes, liberales, magnifici, magnanimi, veraces, iuſti, manſueti, heroici, atque ſancti euaſerunt. Et licèt viri omnes ſancti in hac viuendi libertate ſine dubio fuerint, (quos, & quot enumerare eſſet longum) non ſunt tamen ſub ſilentio prætereundi nonnulli, qui aliquibus inſignioribus libertatis actibus clari fuerunt. Æthiopum itaque reges vſque ad Ptolemæi regis Ægypti tempora conſueuere, cùm eis à ſacerdotibus Iouis, (qui apud Meroem tunc colebatur) denunciatum eſſet, deo inuiſam eſſe eorum vitam, ſe conferre in ſolitudinem, in qua ſacerdotes Iouis erant, vt ibi ab illis interimerentur. quin inter eos nullus eſt inuentus, apud quem pluris ſalus quàm religio haberetur, vſque ad Erganem regem, qui ne per ſacerdotes & mors denunciaretur, omnes ipſos interemit, primúſque morem illum ſuſtulit. M. Iulius Philipus Imperator Chriſtianorum eo nomine primus, cùm ob ſcelus patratæ in Gordianum proditionis, ſacra communione à Fabiano pontifice eo vſque prohiberetur, quouſque in Chriſtiana eccleſia crimen emendaſſet, humiliter pontifici paruit, nihilque de Imperij maieſtate deperire arbitratus, vbi religionis habita ratio videretur. Egdarus Britanniæ Rex cùm virginem deperiret, quam in Vinceſtrenſi monaſterio viderat educari, (quæ vt virginitatem à regis iniuria tueretur, velo vnius ipſius monaſterij monacharum ſe texerat, neque

Reges Æthiopum.

M. Iulius Philippus.

Egdarus.

Digitized by Google

ob id ab iniuria Rex deſtitiſſet) profectus ad eum Duriſtanus Cantuarienſis Archiepiſcopus, vt ipſum reprehenderet, porrigentem in congreſſu dexteram ſuam honoris gratia, regem à contactu repulit, tanquam propter inceſtum indignus qui ſacerdotem contingeret, videretur. Quam notam non ſolùm patienter Egdarus tulit, verùm, errore agnito, in quem nimia libidine victus inciderat, ad ſancti ſacerdotis pedes proſtratus, lachrimabundúſque, criminis veniam petiit, & cùm pœnæ loco ei, vt geſtando diademate ſeptem annos abſtineret, & ſacris quoque virginibus monaſterium conderet, iniunctum eſſet, obedienter ea peregit. Veremundus primus Hiſpaniarum Rex, poſtquam duos ex vxore filios ſuſcepit, memor quòd ante connubium diaconatus dignitatem accepiſſet, ne parum diuinas leges obſeruaſſe videretur (adeo penes eum religionis reuerentia valuit) conſobrino regno ceſſit, & monaſtico ordini ſe dicauit. Ob eandem religionem Ludouicus Caroli ſecundi Neapolitani Regis filius matrimonio ſe atque regno priuauit. Nam cùm in morte Caroli primi filius eius Carolus ſecundus, cui ſucceſſio regni debebatur, in Catelanorum manu captiuus eſſet, Ludouicus pro patre obſes pactione inita datus, ſeptem annos in captiuitate manſit, quo tempore ob ægritudinem ſe ad Minoritas tranſiturum vouit. Tandem igitur liberatus moriente patre Robertum fratrem minorem regnare permiſit, & ipſe Minoritarum religioni ſe dicauit, in qua ad Toloſanum epiſcopatum aſſimptus eſt, ſicuti Ioannes XXII. teſtatur, qui eum in numero Sanctorum retulit. Marci Attilij Rom. religionem, ſeruata à Guidone Flandriæ Comite eiúſque filio fides ſuperauit, quia qui cogere poſſet non habebat vt regulus. Nam carcere liberati à Philippo (qui cognomento Pulcher erat) Gallorum rege, data fide ſi Flandriæ populos, qui rebellarant, & cum Britannis Philippum vexabant, ad officium reſtituere non poſſent, ad carcerem redituros. quia de componendis rebus non ſucceſſerat, fidem carcere repetito ſeruarunt, in quo intra breue tempus Guido deceſſit. Poſſem adhuc inſigniores libertatis actus, & in regibus, & in priuatis annotatos ferè infinitos referre, ſed breuitatis ſtudens, hoc pro exemplis volui ſufficere. Nam ſunt qui non pro appetitu,

Veremundus.

Ludouicus

M. Attilius

Digitized by Google

quo natura omnes permanere deſideramus, ſed pro ratione appetitum ſuperante, ſe tormentis atque morti expoſuerunt, ratione enim perſuadente liberè nec tormenta, nec mortes pertimeſcebant: non enim erat appetitus, qui eos compelleret, nec ſenſus, qui pollentiùs quàm ratio appetitum moueret, ſed cùm liberi eſſent, omnia liberè ferre poterant.

Digitized by Google

AVGVSTINI NIPHI
DE VERA VIVENDI LIBERTATE
LIBER SECVNDVS.

PROOEMIVM.

DILVCIDAVIMVS in priore libro quid eſt id, quod veram viuendi libertatem efficiat, & quid ſit vera viuendi libertas, & quos homines deceat, & ſi aliquando fuerint homines quos decet vera viuendi libertas: conſequens nunc eſt in hoc libro ſecundo, Illuſtriſſima Victoria, declarare finem, cuius gratia homines enitantur vera viuendi libertate potiri, & vtrum vltra huiuſmodi liberum viuere ſit alius finis, vel ipſum ſit vltimus omnium quæ agimus, finis: inter philoſophos enim peripateticos, quorum doctrina certior eſt cæteris, non parua differentia eſt. Nam ſunt, qui liberum ipſum viuere, finem conſtituunt

Digitized by Google

Opinio eorum peripateticorum qui dixerunt eorum, qui ſecundum virtutes vera viuendi libertate potiuntur, non eſſe alium finem præter verum ipſum liberum viuere.

QVONIAM virtutes eſſe expetendas propter ſe Ariſtoteles demonſtrat, ideo euenit, vt quæ potiſſima virtus eſt, potiſſimùm propter ſe expetatur. Maxima autem omnium virtutum eſt prudentia, quæ recta ratio omnium eorum eſt, quæ agimus, ac quæ acturi ſumus. Præterea omnium virtutum mater, & origo eſt prudentia, non enim eſt aliquis liberalis, cuius in dando, atque accipiendo prudentia appetitum non comprimat atque moderetur. Non eſt fortis, cuius in audendo, atque metuendo deſiderium prudentia non frænet, atque cohibeat. Non eſt iuſtus, cuius appetitum in bonis diſtribuendis, commutandíſque prudentia concupiſcentiam non compeſcat. Et ne te morer, nulla virtus eſt, quam prudentia non efficiat atque gignat. Videtur igitur prudentia maximè propter ſe expetenda, cùm maxima virtutum ſit. Et cùm virtus tunc in potiore ſtatu habeatur, cùm in actu fuerit, (nam actus eſt ipſius habitus perfectio atque finis) fit vt vera viuendi libertas, aut potiùs ipſum verè liberè viuere finis hominis ſit, quippe cùm ipſum verè liberè viuere, aut actus prudentiæ ſit, aut cum actu prudentiæ compoſitus. Hanc opinionem Seneca & in ea epiſtola, quam ad Lucillium ſcribit, cuius principium eſt, Longè mihi, & de conſolatione filij ſui ad Martianum, apertis rationibus probauit, aſſerens poſt mortem nullum eſſe virtutum præmium. M. etiam Tullius, qui aliquando de alia vita dubitauit, ſemper omnia ſecundum virtutem agenda eſſe arbitratur. Secundum hos ergo honeſtorum hominum, qui vitæ vera libertate potiuntur, virtus finis eſt ſtatuendus: hac enim homo homini præſtat: per hanc antiquitas Reges Heroas fecit, ac ipſos inter Deos annumerauit, quoniam nihil aliud exiſtimabat eſſe Deum,

Digitized by Google

quàm prodeſſe mortalibus. per hanc homo propria vita potitur, (nam per hanc libera vita finitur, quæ eſt homini propria) & Deo par efficitur.

Refutatio.

VERVM nec Theologi, nec philoſophi adprobarunt virtutes eſſe propter ſe expetendas. Euclides enim philoſophus non obſcurus, qui fuit Megaricorum diſciplinæ conditor, id eſſe ſummum bonum aſſerit quod ſimile eſt & idem ſemper: intellexit profectò, quæ ſummi boni natura ſit, licèt id non explicauerit, id eſt autem immortalitas. Seneca quoque (licèt non videatur ſibi conſtans) dicit tandem, nullum aliud ab immortalitate eſſe virtutis præmium. laudans enim virtutem in eo libro, quem de immatura morte ſcribit, Vna, inquit, res eſt virtus, quæ nobis immortalitatem donare poſſit, & pares diis facere. Stoici quoque virtutum præmium eſſe beatam vitam dixerunt. Præterea ſi virtus propter ſe expetenda eſſet, videretur eſſe ſummum bonum, & quidem homini tale, quo melius eſſe non poſſet. At virtutem non eſſe ſummum bonum probat vis, eiúſque natura, quæ in malorum perferentia poſita eſt. Inſuper quomodo poterit eſſe per ſe expetendum id, cuius vis atque natura (vt Seneca inquit) in aduerſis collocata eſt? Quis enim exilia, carceres, vulnera, paupertatem per ſe expeteret, in quibus præcipua virtutum natura firmatur? eſt enim virtus egeſtatem, exilium, dolorem, mortémque, quæ timentur à cæteris, pati fortiter ac ſubire. Nimirum igitur (vt inquit Pamphilus) ſuperuacuis, & inanibus pœnis delectantur, quibus licet agere tranquillè, ſi enim mortales ſunt animæ, ſi virtus diſſoluto corpore nihil futura eſt, quid fugimus attributa nobis bona? Sanus, vt inquit, non eſt, qui nulla ſpe maiore propoſita, his bonis, quibus cæteri vtuntur in terra, labores, & cruciatus, & miſerias anteponat. Quare ſi ad virtutem conſtat naſci hominem, ſubeſſe debet ſpes aliqua maior, quæ malorum, & laborum, quos perferre virtutis eſt, magnum afferat, præclarúmque ſolatium. Ex iis itaque protritum eſſe

Digitized by Google

videtur, virtutem non eſſe expetendam propter ſe, quia videlicet ipſa ſit maximè bonum, ſed gratia maioris boni.

Opinio eorum, qui dixerunt præmium eorum qui ſecundum virtutem vera viuendi libertate vtuntur, eſſe honorem, atque perennem gloriam.

CVM probatum ſit virtutem non eſſe propter ſe expetendam, ſed gratia maioris boni, fit, vt hi, qui vera viuendi libertate vtuntur, non propter virtutem tantùm, ſed maioris boni gratia id agant. Huiuſmodi autem maius bonum, peripatetici nonnulli honorem, & gloriam eſſe affirmant. Quod ex eo probarunt, quia Ariſtoteles Peripateticæ ſectæ magiſter in quarto ethicorum libro, apertiſſimè tradit honorem eſſe virtutis præmium. Accedit quòd perennis gloria, atque honeſtus honor nullo vnquam tempore, vt Homerus inquit, aboleatur: gloriam enim eſſe expetendam plures philoſophorum ſentiunt, veluti quæ virtutis, laborum, periculorum, merces quædam eſſe videatur. Hinc Ariſtot. principem, cui non ſatis eſt præmij honor, & gloria, tyrannum fieri probat. Iſocrates ad Nicoclem Cypriorum regem, Pluris faciendum eſt bonam gloriam, inquit, quàm diuitias filiis relinquere, hæ enim mortales, illa immortalis. Et diuitiæ gloria acquiri poſſunt, gloria autem diuitiis non acquiritur. Ac hæ etiam à malis, gloria verò à virtute præditis ſolùm poſſidetur.

Refutatio.

SED admiratione huiuſmodi opinio non caret, nam viuere ſecundum virtutem in noſtra poteſtate eſt, & aliquid in noſtra anima manens: at honores exhibere honeſtis ac fortibus viris, in poteſtate eſt eorum, qui eos exhibent: nemo enim dubitat in poteſtate honorantis eſſe, vt honoret, vel non honoret, niſi eſſet vt Cæſar qui à Romanis vi triumphum voluit: non eſt autem in arbitrio eius, qui honoratur, honorari vel non honorari. Non videtur igitur virtus expetenda

Digitized by Google

tenda à nobis propter id, quod habere non poſſumus pro noſtro arbitrio. Præterea ſi videretur ſummũ bonum honor, aliquo nolẽte honores exhibere nobis, contingeret nos non eſſe felices, immo fieri nunc felices, nunc non felices. Propterea multi philoſophorum gloriam & honorem non eſſe per ſe expetendam tradunt. Vnde Demetrius Phalaræus cùm audiſſet ſtatuas, quæ ei ab Athenienſibus erectæ fuerant, ob inuidiam diſiectas eſſe, ridens inquit, Statuas quidem inuidi euertere potuerunt, virtutes autem & præclara geſta, quarum præmio imagines illæ extiterant, nequaquam abolere potuerunt. Poſtremò, honor eſt exhibitio reuerentiæ in teſtimonium virtutis, aut excellentiæ, quare maior eſt virtus, in cuius teſtimonium honorem quærimus, quàm honor ipſe, quem vt virtutis teſtem deſideramus. Non igitur eorum, qui vera viuendi libertate fruuntur, honor merces eſt.

Opinio eorum qui dixerunt id, cuius gratia nitimur vera libertate vitæ potiri, eſſe conſcientiam ac memoriam rectè factorum.

SVNT qui eorum, qui vera viuendi libertate potiri enituntur, nec non & omnium virtutum præmium rectè factorum conſcientiam ac memoriam eſſe aſſerant. Hanc ſapienti viro ſat eſſe plures philoſophi putauerunt, qui gloriam, & honorem non eſſe expetendum tradunt. Huc ſpectat illa Bruti ſententia, qui ad Ciceronem ſcribens, Quid enim igitur, inquit, eſt melius, quàm conſcientia rectè factorum, & libertate vitæ contentum negligere humana: quod enim maius, aut honeſtius præmium? quam gloriam maiorem à mortalibus ferre poſſumus, quàm ſcire nos rectè egiſſe? quæ laurea, quis triumphus clarior eſſe poteſt? nec profectò maledicum, nec obtrectatorem formidat, qui ſuæ virtutis eſt conſcius.

Digitized by Google

Refutatio.

SEd id, quod iſti dicunt, pace tantorum virorum dixerim, friuolum videtur. Primò quidem, quoniam multi arbitrantur, & dubio procul credunt ſe viuere ſecundum virtutes, qui tamen reuera non viuunt. Quare hi qui ſic crederent, felicitate potirentur æquè ac ij qui reuera ſecundum virtutes viuunt: vtrique enim gauderent memoria, atque conſcientia rectè factorum. Deinde ſi memoria atque rectè factorum conſcientia eſſet illud bonum, propter quod expetitur virtus ipſa, delectabilius, atque iucundius eſſet recordari, atque ſcire rectè feciſſe, quàm rectè facere. Quod eſſe falſum declarat experientia, longè enim iucundius mihi videretur, illuſtriſſima Victoria, harmonicas meæ Selenæ voces, ſuauéſque modulationes audire, diuinum ac amabiliſſimum aſpectum roſeóſque genarum colores cernere, carnes leniſſimas tangere, corallina labella ſugere, ſucci plenam linguam deguſtare, ſuauiſſimum odorem, qui ab ore ſpirat, olfacere, quàm hæc meminiſſe. Nec ab ratione quidem, nam, vt rerum naturalium rimator ſcribit octauo ethicorum libro, voluptas ex adeptione conuenientis obiecti proficiſcitur, ſub ratione, qua vt conueniens apprehenditur: nihil autem eſt in humanis nobis conuenientius virtute, ac virtutis operatione. vir enim probus nihil virtute melius eſſe putat. Non ergo poteſt memoria atque conſcientia rectè factorum virtute, atque officioſa virtutis operatione iucundior eſſe. At finis ſemper & melior, & iucundior eſt eis, quæ ſunt ad finem, quare non videtur virtus propter memoriam, atque conſcientiam rectè factorum eſſe expetenda. Alioquin melius, atque iucundius propter peius, & inſuauius expetendum eſſet.

Digitized by Google

Opinio eorum qui diuitias cum potentia coniunctas dicunt eſſe id magis bonum, cuius gratia homines in vera libertate ſecundum virtutes viuunt.

QVONIAM qui in vera libertate viuunt, ſecundum virtutes viuunt: virtutes autem, vt fortitudo, & prudentia, diuitias, & potentiam atque ſceptrum in nobis efficiunt, atque gignunt, ideo illud magis bonum, cuius gratia nos ſecundum virtutes in vera libertate viuimus, nonnulli diuitias cum potentia coniunctas eſſe affirmant, potiſſimùm ex eo quia felicitas, vt Boëtius vir doctiſſimus definit libro de conſolatione philoſophica tertio, eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus: talem autem ſtatum diuitiæ cum potentia efficiunt, quippe cùm nummum quinto ethicorum libro Ariſtot. inuentum eſſe dicat, vt fideiuſſor nobis ſit habendi quodcunque voluerimus. Quare diuitiæ cum potentia felicitas cenſentur, felicitas autem magis bonum eſt iis videlicet bonis, quæ ordinantur in ipſam: iccirco finis eſſe videntur eorum, qui ſecundum virtutem in vera libertate viuunt. Poſtremò diuitiæ cum potentia coniunctæ ſummè appetibiles ſunt, quippe cùm in infinitum, vt Ariſtot. primo politicorum libro probauit, appetantur. Ergo longè magis diuitiæ cum potentia ipſa coniunctæ ſunt appetibiles quàm libera vita, quæ eſt ſecundum virtutes. & ita finis eorum cenſendæ ſunt, qui ſecundum virtutes vera libertate potiuntur.

Refutatio.

SED non erit difficile huiuſmodi errorem ab humanis mentibus extirpare, ſi rationibus ſit adhærendum: primò enim dicant, quonam pacto in externis bonis felicitas, atque ſummum bonum haberi poteſt? felices enim non erimus niſi felicitas nobis inerit, atque proprium noſtrum ſit bonum, alioquin nemo felix per ſe eſſet. Vnde Seneca vir doctiſſimus ea epiſtola, quæ incipit ad Lucilium, An meritò, Omnia mea mecum ſunt, inquit. & ea quæ incipit, Tu me inquis, Non

eſt tuum ait quod fortuna fecit tuum, dare bonum quod potuit, auferre poteſt. Deinde externa bona aliquando, violentiis atque rapinis, nonnunquam inſidiis nanciſcimur, quando autem à progenitoribus atque parentibus derelinquuntur, hæredibus qui ſuccedunt, interdum non bonum ſed malum operantur. Quæ procul profectò à felicitate ipſa atque ſummo bono eſſe videntur. Adhuc felicitas eorum bonorum, quæ humana ſunt (quemadmodum Ariſtot. ethicorum primo inquit) optimum eſt, & ſummum. Externa bona neque optima ſunt neque per ſe bona, tum quia ipſis poſſumus malè vti, tum etiam quia plerunque qui flagitioſiſſimi ſunt, eis exuberant. Adde quòd externa bona magno labore acquiruntur, maiore metu cuſtodiuntur, maximo dolore relinquuntur, quæ optimo atque ſummo bono non inſunt. Præterea bonum quod eſt aliorum finis, claudit appetitum ipſum. At diuitiæ quò plures poſſidentur, eò magis appetitum augent, quippe cùm diuitiarum appetitus infinitus ſit, niſi ſuperiore virtute reprimatur, in qua maius bonum eſt. Poſtremò bonum in quo felicitas reſidet, non facilè à nobis tollitur: at diuitiæ etiam potentiæ coniunctæ facillimè auferuntur. Vnde Seneca ad Lucilium ea epiſtola quæ incipit, Claranum, Omnia enim iſta, inquit, in quæ dominum caſus exercet, ſeruilia ſunt, pecunia & corpus & honores, imbecilla, fluida, mortalia, poſſeſſiones incertæ. Quibus perſpicuum diuitias nec per ſe, nec cum potentia coniunctas eſſe id maius bonum, quod honeſti homines, qui ſecundum virtutem in vera libertate viuunt, appetunt.

Eorum opinio, qui aſſerunt maius illud bonum eſſe voluptatem, cuius gratia in vera libertate viuimus ſecundum virtutes.

ALII voluptatem illud maius bonum eſſe cenſent, cuius gratia nos ſecundum virtutes in vera libertate viuimus, ex eo, quia niſi iuſtis operationibus, temperatiſque voluptas adderetur, nequaquam expetibiles eſſent. niſi enim in malorum perferentia, in qua præcipua virtutum natura firmatur, voluptas quædam adeſſet, nequaquam qui in liber-

tate vera ſunt, ſecundum virtutes viuerent. fortis enim in pugna vulnera patitur, & quidem doloroſa, non tamen abſque voluptate. Quatenus enim eſt in aſſequendo fortitudinis bono & in euitando metu, qui eſt fortitudinis malum, delectatur, quatenus verò vulnera dolorifica ſunt, dolet: quare niſi vulneribus voluptas quædam adeſſet, nequaquam ea pateretur vir fortis: videntur igitur virtutes expetendæ propter voluptatem, non quidem propter voluptatem omnem, ſed propter eam, quæ honeſtam operationem comitatur.

De voluptate quædam breuiter.

QVID verò ſit voluptas, Ariſtot. Philoſophorum princeps libro ethicorum decimo, dilucidè tradit. Nos verò ea duntaxat breuibus attingemus, quibus noſtro propoſito opus fuerit. Dicamus igitur voluptatem eſſe quietem ſiue permanſionem in re ipſa delectãte, qua quis per operationem potitur. hoc autem ex eo perſpicuum videtur, quia operationẽ verbi cauſa ſenſum perficit ipſum ſenſibile, & ipſa vis ſentiendi, & ipſa quoque delectatio. vis quidem ſentiendi, non quidem omnis, ſed quæ bene fuerit affecta. nec ſenſibile omne, ſed quod virtuti ſentiendi conueniens, idoneum atque valde accommodatum fuerit. Verùm non eodem modo, hæc quæ diximus ſenſum ipſum, hoc eſt operationem ſenſualem perficiunt. nam delectatio ſenſationem ipſam perficit per modum formæ, eſt enim operationis forma veluti color parietis. non enim ſicuti habitus, qui intrinſecus ineſt, delectatio operationi ineſt, ſed veluti ſuperaddita quædam perfectio, ceu pulchritudo Selenæ cæteriſque iuuenculis ineſſe videtur, non enim Selenæ cæteriſque puellis ineſt, ac ſi de earum eſſentia, vt ita dixerim, ſit, ſed quaſi bonam cauſarum, quæ iuuentam efficiunt, diſpoſitionem ſequens. Senſibile autem ipſum conueniens ſenſationem perficit velut agens, primúmque mouens, quod à nullo mouetur. Sentiendi verò vis bene affecta, vt mouens mota: quæ videlicet ab ſuo conuenienti ſenſili mouetur. Rectè igitu diximus voluptatem eſſe quietem permanſionémque quandam in re delectante, qua per operationem potimur.

Digitized by Google

Refutatio opinionis ſupradictæ de voluptate, ex his quæ nunc dicta ſunt.

EX iis, quæ nunc pertritiſſima ſunt, perſpicuum eſt honeſtos homines in vera viuendi libertate, quæ eſt ſecundum virtutes, non viuere propter voluptatem, licèt non ſit libera vita quæ eſt ſecundum virtutes abſque voluptate, neque honeſta voluptas abſque libera vita, quæ eſt ſecundum virtutes. non enim quietem in aliquo appetit, quo exiſtimat illud ſibi conuenire, operatio enim quæ delectat, quemadmodum conueniens quoddam per prius appetibilis videtur, quàm delectatio, quæ ei extrinſecus aduenit. Argumentemur igitur, illud per ſe expetendum, quod per prius expetitur. Sed operatio ſtudioſa per prius quàm voluptas expetitur: ergo magis operatio ſtudioſa expetenda, quàm eius propria voluptas. Ad hæc ſi ſtudioſè operationes fierent, propter voluptatem non fierent, quia fieri debent. Inſuper ſi propter voluptatem honeſta ageremus, cùm maior voluptas ſit in aliquibus turpibus, longè magis illa eſſent agenda: quod nemo ſanæ mentis probaret.

Opinio eorum, qui affirmant maius illud bonum eſſe rerum diuinarum contemplationem, cuius gratia ſecundum virtutes in vera libertate viuimus.

SVNT qui in ſcholis peripateticorum aſſerunt, illud maius bonum, cuius gratia nos in libertate viuere nitimur, & quidem ſecundum virtutes, eſſe numinum, rerúmque diuinarum contemplationem. Nec iniuria quidem virtutum moralium vſus ad contemplationem diſponit: animus enim, vt Ariſtot. inquit ſeptimo auſcultationis phyſicæ, prudens fit, & ſciens, ſedendo atque quieſcendo: ſedatis enim perturbationibus, perturbationúmque tumultibus propter virtutum moralium exercitationem, animus afficitur vt liberè attolli poſſit in numinum diuinarúmque rerum contemplationem: quod diuus Gregorius libro moralium ſexto ſcribit, Qui contemplationis artem tenere deſiderant,

Digitized by Google

neceſſe eſt, vt priùs in actionis campo ſe probent. Præterea melius ſemper finis eſt eius quod non eſt ita bonum, ſemper enim finis iis melior eſt, quæ ad finem ſunt: at contemplatio potiſſimùm numinum, atque rerum diuinarum longè præſtabilior eſt libera ipſa vita, quæ ſecundum officioſas operationes eſt, ſi quidem hæc bona eſt, illa verò optima: quod Ariſtoteles efficaciſſimis rationibus libro ethicorum decimo probare enititur, primò quia numinum contemplatio optima eſt ex parte potentiæ, quæ eſt mens, optima quidem res omnium humanarum & ex parte obiecti, quoniam inter ea, quæ apprehendere poſſumus, numina ipſa ſunt optima. Deinde quoniam eſt maximè continua, nam contemplari magis continuè quàm agere poſſumus Menti enim defatigatio non accidit, niſi propter imagines ſenſiles, quæ internos noſtros ſenſus defatigant. Ad hæc contemplatio iucundior eſt quibuſuis actionibus, etiam ſtudioſis, tum puritate, tum firmitate: puritate quidem, quoniam circa puras, atque omnino è materia abſolutas res verſatur, nihil enim in natura purius, atque à materia magis abſolutum eſt numine. firmitate verò, quia numina ſunt omnino immutabilia. At qui circa corporea, materialia, ac terrena verſatur, videtur admodum impurus, quaſi ſe circa impura occupans. etiam videtur mutabilis voluptatis, quippe cùm re ipſa mutata, aut deleta, quæ voluptatem afferebat, voluptas aboletur, quinimmo aliquando in dolorem vertitur. Deinceps in contemplatione maxima ſufficientia ineſſe videtur. nam & prudens, & iuſtus, & cæteri, qui ſecundum virtutes viuunt, rebus iis indigent, quæ neceſſariæ ſunt ad vitam. Iuſtus quidem eorum indiget, ad quos, & cum quibus egerit iuſtè, & liberalis, & temperans, itémque ac fortis, & cæteri id genus. At ſapiens ſi ſolus etiam ſit, contemplari poteſt, & quò ſapientior eſt, eò magis poteſt. meliùs autem fortaſſe ſi adiutores habeat, attamen ſufficientiſſimus ipſe eſt. Præterea contemplatio propter ſe ipſam ſolam amari videtur, nihil enim homini accreſcit ex contemplatione numinum præter ipſorum numinum contemplationem. at cùm agimus ſecundum virtutem, præter ipſam actionem aut plus aliquid, aut minus aſſequimur, vt puta honorem, aut gloriam, aut gratiam,

Digitized by Google

quas ſapiens ex ſua contemplatione non niſi ex accidente acquirit, quo videlicet numinum contemplationem aliis enuntiauerit, quod quidem ad externam actionem attinere videtur. Deinde Ariſtot. eodem ethicorum decimo demonſtrat quomodo ciuile bonum, quod per virtutes acquiritur, in bonum, quod in contemplatione eſt, vt in finem ordinetur: per quod perſpicuum nobis facit ciuiles virtutes expetendas eſſe propter huiuſmodi contemplabile bonum, & aſſumit nullum virtute præditum agere ſecundum virtutem, nihil vltra appetendo præter actionem, quam agit. Quod in viro forti perſpicuum primò, non enim vir fortis pugnat, nihil appetendo præter actum pugnæ. videretur enim ſanguinolentus quidem, & occiſor, atque homicida. bellum enim gerit, vt in pace degat. Ciuilis etiam vita negotioſa eſt, & præter ipſam laborum adminiſtrationem opes, poteſtates atque honores, & felicitatem ſibi, & ciuibus comparat, quæ quidem felicitas aliud quippiam eſt à vita ciuili. Hæc enim contemplatio eſt, ad quam vniuerſa ciuilis vita vt in finem ordinatur. per pacem enim & ocium, nec non & per alia bona, quæ ciuilis ſtatuit atque ſeruat, ciuibus facultas offertur contemplandi numina. Argumentemur igitur ex iis, quæ eo loco tantus Philoſophus declarauit, inter actiones moralium virtutum pulchritudine excellunt, & magnitudine, quæ ſunt ciuilium atque bellicarum, pulchritudine quidem, cùm ſint cæteris honorabiliores, magnitudine verò, quoniam ſunt circa potiſſimum bonum, quod eſt bonum omnibus commune. nam ciuiles virtutes illud commune bonum ordinant, bellicæ verò defendunt, ac tuentur: igitur cùm huiuſmodi actiones non expetantur propter ſe, ſed gratia alterius finis, actiones cæterarum virtutum moralium non erunt propter ſe expetibiles. Sed quoniam operatio mentis, quæ contemplatio numinum eſt, propter ſe ipſam, & non ob alium finem expetitur, videtur, vt ipſa ſit fini ciuilis vitæ, atque moralium virtutum omnium, potiſſimùm quia propriam habet voluptatem à qua augetur. Epilogando igitur dicamus: ſi actiones moralium virtutum expetuntur propter actiones ciuilium, & bellicarum, & ciuilium atque bellicarum propter contemplationem, videtur vt virtutes

tutes

tutes omnes propter contemplationem expetantur. Huic autem aſtipulantur regiones atque vrbes, in quibus pax, & cætera bona, quæ ſtudiis ſapientiæ ſunt neceſſaria, ſunt perpetua. in eis enim ſapientiæ ſtudia diu florent, vt olim Romæ & Athenis. nunc verò in Gallia, Hiſpania, & in Germania, cæteriſque vbi pax & reliqua bona ſunt admodum perpetua. Apud nos verò, ſapientiæ ſtudia delecta ſunt tum propter bella, tum quia nulla eſt regio, aut vrbs in Italia, quam latrones, qui hodie militant, non diripuerint, atque deuaſtauerint.

Difficultates, quæ contingunt ſuper ea quæ dicta ſunt.

HÆ ſunt opiniones de eo maiore bono, cuius gratia virtutes expetuntur, in quibus nonnulla quidem perſpicua, nonnulla autem dubia, atque obſcura ſunt: protritum enim eſt apud Ariſtot. vitam quæ verè libera eſt, eſſe eam, quæ ſecundum virtutes eſt, potiſſimum ſecundum prudentiam quæ metrum cæterarum virtutum eſt. Sicuti enim vita contemplatiua ſapientiæ attribuitur, quatenus primaria exiſtens cæteras contemplatiuas ſcientias comprehendit: ita quoque actiua atque libera vita, quæ ſecundum virtutes eſt, prudentiæ attribuenda eſt, quæ metrum atque menſura ac mater eſt omnium moralium virtutum. Inſuper etiam perſpicuum eſt liberam vitam, quæ ſecundum virtutes eſt, non eſſe expetendam propter ſe, quemadmodum nec virtutes, ſed propter contemplationem numinum, in qua vita contemplatiua principaliter reſidet. Sed quæ numinum contemplatio ſit huiuſmodi finis, non parua eſt ambiguitas Deus enim quod numen eſt, bifariam intelligi poteſt, vno modo intellectione, quæ, vt ita dixerim, eſt ipſius Dei effectus, quæque à recentioribus cognitio à poſteriori dici ſolet, ab Auerroë autem diſcurſiua. Alio modo intellectione, quæ eſt ipſemet Deus, quam Aueroës eſſentialem nuncupat, Theologi de facie ad faciem: intellectione quæ eſt ipſius Dei effectus, tunc Deus intelligitur, cùm per compoſitionem intelligitur. quæ, vt verbis iuniorum vtar, eſt conceptuum qualitatiuorum & quidicatiuorum, qui ex effectibus Dei colliguntur, colle-

ctio. Hæc enim cognitio Deus non eſt ſed Dei effectus, quandoquidem è rebus ipſis proficiſcitur, quæ ab ipſo Deo productæ ſunt. Huiuſmodi tamen cognitio, vt vtar verbis Theologorum, nec intuitiua eſt, cùm in ipſum Deum ſine medio non ſiſtat, nec abſtractiua, cùm non in aliquod terminetur ſimulacrum, quod vt ita dixerim ſit ipſius Dei repræſentatiuum. Et licèt nos aliquando fuſo quodam verbo hanc abſtractiuam appellauerimus, tamen Theologi eam nocturnam, veſpertinam, atque obſcuram vocant. Rectiùs tamen nocturnam dico, quippe cùm per eam quaſi ſub luce nocturna per ænigmata numina cognoſcamus. Intelligitur autem Deus cognitione, quæ eſt ipſe Deus, quoties non per conceptuum compoſitionem, nec per ſpeciem ſiue ſimilitudinem intelligitur, quæ, vt ita dixerim, ab ipſo Deo abſtrahitur, ſed cùm ipſum in ipſo ſine medio cognoſcimus eo modo, quo ipſe ſeipſum intelligit: Deus enim cùm ſeipſum intelligit, nec per ſpeciem, nec per actum intelligendi, nec per lumen, nec per aliud quoduis mediũ intelligit, loquor autem vt peripateticus, qui accidentia in diuinis ſubſtantiis penitus ſuſtulit. Hanc notitiam Theologi claram dicunt, quia eſt ipſemet Deus: intuitiuam, quia ipſius Dei eſt in ipſo ſine medio: matutinam quia lucida: diurnam, quoniam luce ſolis maior. Quare cùm duplex ſit numinis cognitio, dubium eſt, ſitne nocturna liberæ vitæ finis, an diurna. Nocturna quidem non videtur, ſic enim Metaphyſicus, vt ita loquar, ciuili philoſopho præſtantior, cuius profectò contrarium Ariſtot. ethicorum primo probauit. Vbi præponens ciuilem cæteris facultatibus, Hæc enim, inquit, & quas ſcientias in ciuitatibus eſſe, & quales quemque diſcere, & quouſque oportet, ipſa diſponit. Eas præterea facultates, quæ ſummis afficiuntur honoribus, vt rei militaris, reíque familiaris facultatem, ac oratoriam artem huic ſubeſſe videmus. Præterea Plato aſſerit ſe efficere potiùs viros bonos quàm doctos, nam boni nunquam diis, atque præceptoribus aduerſati inueniuntur, docti autem contrà. At Metaphyſica facit homines doctos, & ciuilis bonos, quare hæc illi præferenda: deinde ciuilis commune bonum adminiſtrat, Metaphyſica priuatum, non igitur Metaphyſica præferenda, ſed ciuilis. At ſi dixeris diurnam numinum

Digitized by Google

contemplationem eſſe finem liberæ ac actiuæ vitæ, obiiciemus: aut hanc aſſequimur dum ſumus in humanis, aut poſt mortem: ſi dum in humanis degimus, cogemur afferre opinionem Auerois ab omnibus reprobatam. Poſt mortem verò, exploratum non eſt ſecundum Ariſtotelem, viuátne anima, an cum corpore tabeſcat. Præterea ſi numinum contemplatio finis eſſet liberæ vitæ, tunc quicunque liberam ipſam vitam aſſecutus eſſet, mox contemplationem numinum eſſet aſſecutus, eo enim ipſo, quo media ſufficienter ad finem habentur, finis habetur. At conſtat multos vixiſſe in vera vitæ libertate, vt Romanos plurimos & Ariſtidum iuſtum, qui ad numinum contemplationem non peruenerunt. Vnde argumentabimur, ſi vita actiua ordinetur in contemplatiuam, vt in finem, eo ipſo, quo aliquis in actiua ipſa vita eſſet perfectus, in contemplatiua quoque perfectus eſſet, omnibus enim mediis ad ſummum acquiſitis, neceſſe eſt finem ad ſummum haberi. Non videtur autem contemplatio præmium eſſe liberæ vitæ, cùm non ſemper homini inſit, cui vera viuendi libertas ineſt: non enim ei, qui ſecundum virtutes viuit, præmium aſſignatur contemplatio, cùm quis viuere poſſit ſecundum virtutes, qui nunquam numinum contemplationem tanquam præmium aſſequetur.

De duplici fœlicitate ſecundum quoſdam, déque duplici bono.

THEOLOGORVM verò nonnulli doctiſſimi qui peripateticam doctrinam non ignorant, duplicem dicunt eſſe fœlicitatem, duplex quoque bonum: alteram, quam nouo nomine præmiatoriam: alteram verò, quam meritoriam vocant. Præmiatoria quidem eſt, quæ primò nullum mali genus admittit, nec culpæ, nec pœnæ. deinde omnia bona complectitur, quibus homo ſuis meritis dignus eſt. Poſtremò cuiuſlibet intellectualis deſiderij fruitionem, omnéque gaudium in ipſo fœlici coniungit: fœlicitas verò meritoria, licèt omne culpæ malum tollat, alioquin fœlix non eſſet omni ex parte bonus, malum tamen pœnæ admittit. quippe cùm nullus ſit in humanis, qui pœna omnino vacet. Inſuper

Digitized by Google

tametſi meritoria ipſa fœlicitas quædam bona admittat, quibus fœlix dignus eſt, bona tamen omnia nequaquam continet. Ad hæc, meritoria fœlicitas in ipſo fœlici non omne deſiderium atque gaudium complet. quippe cùm nullus ſit in humanis qui aliquo deſiderio non prematur, ſaltem eo, quod ſuæ bonitatis eſt præmium. Quibus præſuppoſitis aſſerunt meritoriam fœlicitatē in hac præſenti vita haberi poſſe, quod Ariſtot. probaſſe tradunt, cùm dixit ethicorum primo, Id igitur quod quæritur, competit ipſi fœlici, & erit talis per vitam. Nam ſemper, aut maximè ea aget, & contemplabitur, quæ prodeunt à virtute, fortunámque feret pulcherrimè & omni ex parte concinnè, ac æquabiliter. quippe qui verè bonus atque quadratus, eſt ſine vituperatione. Poſtea quibuſdam interpoſitis, Sin aduerſa, inquit, premunt, lædúntque vitam beatam, afferunt enim dolores, & multas operationes impediunt. Attamen & in iis ipſis perlucet ipſa honeſtas cùm multas quiſpiam, ac magnas aduerſitates facilè perfert: non ob indolentiam rectius, ſed quia generoſus eſt atque magnanimus. Dicit deinde quòd ſi operationes dominæ ſint, vt diximus, vitæ, nemo beatus fiet miſer, nunquam enim odioſum quicquam, atque improbum agét, eum enim qui verè bonus eſt, atque prudens fortunam omnem decorè perferre, pro facultatéque rerum ſemper res pulcherrimas agere, vt & ducem bonum præſentibus vti caſtris ad optimè gerendum bellum, & bonum item ſutorem ex ſibi datis pellibus pulcherrimum conficere calceum, cæteróſque omnes identidem artifices arbitramur. quæ cùm ita ſint, miſer quidem nunquam fiet ipſe fœlix. Quare meritoriam videtur Ariſtot. deſcripſiſſe libro ethicorum primo, cùm fœlicitatem dixit eſſe operationem ſecundum virtutem perfectam, in vita perfecta, intelligens, vt diximus, per virtutem perfectam, prudentiam ipſam, quæ complectitur virtutes omnes. Huic quoque multa attribuit, vt eſſe optimum, atque iucundiſſimum, pulcherrimúmque quippiam, in hominis poteſtate conſtitutum. Hanc inſuper fortunæ non eſſe ſubiectam, ſed magis ſibi ſubiicere fortunam tradit, quatenus qui prudens eſt & fœlix omnia aduerſa perfert. Quòd ſi Ariſtot. aliquando aſſerat ſine corporis, atque fortunæ bonis nullum

fœlicem eſſe, hoc dicit quoad vulgarium opinionem, qui fœlicitatem ſine his deformem eſſe exiſtimant: aut dicit hoc, non quia externa bona ſint fœlicitatis partes, ſed ſplendor, emicat enim fœlicitas in his, ſicuti pretioſus ipſe lapis in auro. De præmiatoria verò quid ſentiendum ſit, non eſt ſatis exploratum. Id tamen perſpicuum primò, fœlicitatem præmiatoriam in hac vita haberi non poſſe. quippe cùm nullus ſit in humanis extra omne pœnæ malum. Nec qui maximè merentur, bona omnia habent quibus digni ſunt, quinimmo vitam aliquando in doloribus triſtitiiſque finiunt, præeligentes longè magis bene mori, quàm indecorè viuere. Deinde dicunt de huiuſmodi nihil Ariſtot. penitus tradidiſſe, ex eo quia poſt mortem nihil hominis remanere Ariſtot. arbitratum eſſe probant. Primò quia Ariſtoteles in libris de anima, nos nihil poſt mortem reminiſci affirmat: deinde ethicorum primo dicit fœlicitatem, qua quis potitus eſt in vita, poſt mortem ſolùm in hominum memoriis remanere, ſicuti iniuſta & mala, quæ in tragœdiis, vel hiſtoriis recitantur. Præterea ait nihil ad mortuos de viuentium operibus pertinere niſi fragile admodum atque paruum: quod non videretur, ſi mortui quippiam eſſent in re, præter viuentium memorias. Inſuper lib. eth. 3. aſſerit mortuis nihil ineſſe, neque boni, neque mali. Quare præmiatoriam huiuſmodi fœlicitatẽ ſolùm Theologicam eſſe volunt, quòd non niſi à ſanctiſſimis viris tradita ſit, & dilucidata.

Quid ſentiendum de fœlicitatibus paulo antè narratis.

SED de his fœlicitatibus nonnulla ſunt repetenda. Et primò videtur mihi eſſe probandum, non eſſe meritoriam fœlicitatem ſecundum Ariſtot. ſi præmiatoria non fuerit, quoniam ſi nullum ſit præmium, nullus erit, qui mereatur præmium, ſunt enim meritum & præmium ad aliquid. Deinde cùm dicunt Ariſtot. nullam præter meritoriam fœlicitatem tradidiſſe, non rectè ſentiunt, nam ethicorum decimo duas affirmat, quarum alteram humanam quòd ſit hominis, qui ex anima conſtat & corpore: alteram ſeparatam ſiue diuinam vocat, quòd ſit mentis, quæ diuina atque ſe-

Digitized by Google

parata res eſt. Harum verò duarum alteram diuinam, ſcilicet non præmium ſed finem humanæ fœlicitatis vocat. Quòd quidem non ſit præmium, ex eo perſpicuum, quia fieri poteſt, vt aliquis humanam aſſequatur, non autem diuinam. Præmium autem id eſt quod mox conferetur, cùm quis meruerit. Præterea ſi diuina humanæ præmium eſſet, eo ipſo, quo quis in humana perfectus eſſet, in diuina eſſet perfectus. At videmus plurimos in virtutibus viuere, atque mori, qui nunquam alia fœlicitate fruuntur. Quòd verò ſit finis, Ariſtot. vt diximus, multis argumentis probauit. Quæ cùm ſuperiùs diligenter retulerimus, nunc illud ſatis eſt nobis dicere, diuinam fœlicitatem eſſe humanæ finem, quia ſemper melius finis eſt eius, quod non eſt ita bonum. Verùm qualis contemplatio numinum finis ſit, vtrum nocturna, quæ de numinibus per effectus eorum habetur, an diurna, quæ eorum eſt notitia clara, & intuitiua, non eſt exploratum. Primam quidem eſſe finem humanæ fœlicitatis, nemo dubitare debet, qui peripateticam doctrinam percallet. quippe cùm rerum diuinarum cognitio etiam nocturna atque obſcura, res pretioſiſſima ſit, tantóque humanis actionibus pretioſior, quanto res diuinæ humanis ſunt præſtabiliores, quod Ariſtot. de partibus animalium primo ita dicit, Res namque illas ſuperiores, tametſi leuiter attingere poſſumus, tamen ob eius cognoſcendi generis excellentiam amplius oblectamur, quàm cùm hæc iuncta omnia tenemus: quemadmodum quamlibet partem, minimámque corporis noſtrarum puellæ delitiarum vidiſſe gratius, ac iucundius eſt, quàm cæterorum hominum membra tota perſpexiſſe, & contrectaſſe. Præterea procemio primæ philoſophiæ, Sed vt dicimus, inquit, homo liber, qui ſuimet, & non alterius cauſa eſt, ſic & hæc ſola libera eſt, quippe quæ ſui gratia ſola eſt. Quare actiones omnes cæterarum facultatum, atque habituum, huius gratia erunt. Cùm verò dicebatur contra hoc, finem mox eſſe, quum omnia media fuerit, quæ ad finem ſunt: dicemus illud verum eſſe in naturalibus, non autem in voluntariis, nam licet omnia, quæ pro domo conſtruenda ordinantur, parata promptáque fuerint, tamen non propterea erit domus. quippe cùm domus non natura ea ſequatur,

Digitized by Google

ſed pro opificis voluntate. Cauſa autem, quoniam media in finem bifariam ſunt, quædam ſine quibus finis eſſe non poteſt, & hoc pacto præparationes domus, media ſunt in domum conſtruendam. non enim poteſt domus conſtrui, niſi omnes præparationes præfuerint, quibus ad domum ſtruendam opus eſt: quædam, quibus finis eſt, & hoc pacto in naturalibus media ſe habent reſpectu finis. mediis enim omnibus in ipſa materia præſentibus, motus ceſſat, & finis adeſt. Diuinorum igitur illa obſcura, ac nocturna contemplatio, quam Ariſtot. nunc diuinam ſcientiam, nunc ſapientiam, nunc primam philoſophiam vocat, finis eſt humanæ fœlicitatis, non eo quia humana fœlicitas ſit medium quo, ſed magis, quoniam eſt medium ſine quo. propterea eſſe poteſt. vt quis perfectus ſit ac fœlix in omni humana vita, qui nunquam ad huiuſmodi finem dum in humanis fuerit, perueniet. Nec Ariſtot. ethicorum primo ciuilem huic diuinæ ſcientiæ præpoſuit, ſed quoad vſum, ordinat enim ciuilis vt aliqui doceant, vel diſcant geometriam: huiuſmodi enim actus, quo voluntarij ſunt, ad ciuilem attinent, qui eos ordinat ad finem humanæ vitæ. non autem præcipit diuino philoſopho aut geometriæ, quæ docere debet: non enim ſubiacent humanæ voluntati, ſed pendent ex ipſa rerum ratione. Quod verò Plato dicit, verum eſt, comparando doctrinam & virtutem in idea. tamen ſapientia in nullo eſſe poteſt perfecta, quin in eo ſit vita ſecundũ virtutes perfecta: niſi enim anima ſedeat, atque quieſcat, nequaquam prudens ac ſapiens, vt inquit Ariſtot. eſſe perfectè poterit. Nam qui contemplationis artem tenere deſiderant, neceſſe eſt, vt priùs in actionis campo, vt Gregorius inquit, ſe probent. Inſuper licèt ciuilis commune bonum præconcipiat, numinum verò contemplator, quique ſapiens dicitur, priuatum: quia tamen illud commune bonum ad priuatum, vt in finem ordinatur, ideo priuatum illud & communi bono, & ſapiens etiam ciuili præferendus eſt. Vtrum verò Ariſtot. præmiatoriam fœlicitatem olfecerit, quia ſcio te hoc à me expectare, ideo dico Ariſtot. nullibi poſuiſſe aſſertiuè beatitudinem fœlicitatémque præterquam in præſenti vita, nec aliam expreſſè negaſſe, nec de ea perſcrutari attinet ad ipſum, qui ſolùm de eis pertra-

Digitized by Google

ctat, de quibus veritas inquiri poteſt per humanitus inuenta. Conſtat autem de præmiatoria ipſa fœlicitate nos loqui non poſſe, niſi per ea quæ nobis diuinitus ſunt reuelata. Plato autem qui Ariſtot. doctor fuit, in Gorgia aſſertiuè tradit, fœlicitatem quæ poſt mortem euenit nobis eſſe virtutibus præmium, vitiis autem pœnam perpetuam. quod etiam in Phædone & libro de legibus decimo, vbi puniendos eſſe aſſerit, qui contrarium dicunt. cauſa autem, quia Plato ex fide maiorum philoſophatur, Ariſtot. autem ex memoriis, ſenſibus, atque experientiis. Et quoniam nihil eſt in ſenſibus, ex quo ducamur in cognitionem præmiatoriæ fœlicitatis, ideo Ariſtot. nihil aſſertiuè de ea tradere potuit. Sed vtrum eam obſecerit aliquo pacto dubium eſt non paruum. videtur tamen mihi eum huiuſmodi fœlicitatem & olfeciſſe, & quibuſdam verbis indicaſſe: nam ethicorum primo iis, qui deceſſerunt, amicorum operationes bonas conferre dicit. Quid autem conferunt, nullam poſt mortem homines fœlicitatem haberent? deinde ea non ſic mortuis conferre dicit, vt non fœlices, fœlices, vel fœlices non fœlices faciant. ecce mortuos ponit in ſtatu fœlicitatis & miſeriæ. Inſuper Ariſtot. libro de animalibus ſecundo mouit quæſtiones duas, quarum prima eſt veniátne extrinſecus anima, an intus naſcatur, & ſoluit eam non eſſe in ſemine traductam ſed extrinſecus venire, per quod ſignificauit animam non eſſe genitam, veluti cæteræ naturales formæ generantur, quæ deducuntur de materiæ ipſius potentia, ſed eſſe creatam, atque in corpore humano extrinſecus inductam. Secunda verò quæſtio eſt, maneátne anima poſt mortem, an cum corpore tabeſcat, & reſpondens apertè fatetur eam cum corpore non tabeſcere, ſed poſt mortem remanere: hæc autem ita eſſe aſſerenda eo libro probauimus, quem de immortalitate animæ ſcripſimus. Si igitur ita fuerit, oportet fateri animam poſt mortem, ſi non fuerit otioſa, habere aliquam operationem: ergo ſuſpicandum eſt ſecundum ea, quæ Ariſtot. ſcripſit poſt mortem eſſe in illis, qui bene vixerunt, perennem fœlicitatem præmium virtutum, in iis verò, qui malè, miſeriam perpetuam eſſe malorum pœnam. Poſſumus etiam hoc idem ex aliis philoſophi verbis coniectare,
ſepti-
Digitized by Google

ſeptimo enim politicorum libro, poëtis autoribus, eos in beatorum inſulis gaudere dicit, qui philoſophia, temperantia, & iuſtitia in vita vſi fuerint. Vbi optimus expoſitor Thomas, beatorum inſulas exponit in quibus animæ eorum collocantur qui in vita bene egerunt, fœlicitérque vſque ad mortem perſeuerarunt. Et Oeconomicorum libro ſecundo de Alceſte, & Penelope dicit, factas in malis fideles ſibi gloriam immortalem præparaſſe, iuſtéque à viris eſſe honoratas, nec à diis eſſe immeritas, atque irremuneratas. In quibus verbis non modò coniectandum, verùm etiam aſſerendum eſſe videtur Ariſtotelem, fœlicitatem, quæ poſt mortem nobis aduenit, conferri à diis, vt virtutum præmium iis, qui ſecundum virtutes in vera viuendi libertate vixerunt. Quæ verò ſuperiùs adducta ſunt in contrarium, in libro de animæ immortalitate diluimus.

Quòd philoſophus Ariſtoteles in primis ethicorum libris præmiatoriam fœlicitatem non poſuerit.

QVOD philoſophus Ariſtot. in primis ethicorum libris præmiatoriam fœlicitatem non poſuerit, Thomas dilucidus eius interpres ex eo factum eſſe oſtendit, quòd in illis libris de ſummo hominis bono locutus non fuerit ſecundum omnem ſtatum. nam cùm fœlicitatem libro ethicorum primo deſcripſiſſet, Si autem ita beatos dicemus, inquit, beatos dicemus, vt homines. & doctiſſimus Thomas exponit, vt homines, qui in præſenti vita mutabilitati ſubiiciuntur. Quòd verò bene expoſuerit, Ariſtot. libro ethicorum decimo, cùm loqueretur de hac humana fœlicitate, dicit, Cùm autem hæ ſeſe ſic habeant, vt à ſe mutuò pendeant, ſintque coniunctæ affectibus, circa ipſum compoſitum fuerint, at compoſiti virtutes humanæ ſunt, quare & ea vita, quæ ab ipſis proficiſcitur, & fœlicitas humana eſt. Mentis autem, eſt ſeparata. hæc Ariſtot. vbi apertè aſſerit fœlicitatem, quæ eſt ſecundum virtutes eſſe humanam, quia hominis qui componitur ex anima, & corpore, fœlicitatem autem quæ eſt mentis, eſſe ſeparatam, atque diuinam: & quia in primis libris Ariſtot. de ea fœlicitate loquitur, quæ eſt vita ſecundum vir-

Digitized by Google

tutes, fit vt de ea fœlicitate loquatur, quæ hominis eſt ſecundum præſentem ſtatum. Qua ratione fit, vt homo bifariam conſiderari poſſit, aut ſimpliciter, videlicet non reſtrictus ſtatui præſentis vitæ, & ſic ſummum hominis bonum id eſt, quod ei ineſt, quo mens eſt. quod enim ſummum bonum principalioris partis alicuius compoſiti eſt, ſummum bonum totius ſimpliciter eſſe videtur. Alio modo homo conſiderari poteſt vt præſentis vitæ ſtatui aſtringitur, quatenus videlicet viuit vt animal ciuile rationale. & hoc pacto hominis bonum eſt animæ & corporis bonum. & quia animæ atque corporis bonum eſt viuere ſecundum virtutes in vera viuendi libertate, ſiquidem qui ſecundum virtutes in vera libertate viuit, pro ratione iubente & appetitu obediente viuit: fit, vt in primis ethicorum libris Ariſtot. de huiuſmodi bono locutus ſit, quod homini competit non ſimpliciter, ſed præſenti ſtatui reſtricto. Ex iis non erit obſcurum Ariſtot. in primis ethicorum libris fœlicitatem præmiatoriam non poſuiſſe, quoniam ab homine præſenti vitæ aſtricto virtus, ſolùm propter ſe expetenda eſt. quippe cùm homo ad præſentem vitam contractus ad bene beatéque viuendum, vt in finem ordinetur, bene autem viuere, vt diximus, eſt quum homo ſecundum virtutes in vera libertate viuit. viuit autem ſecundum virtutem in vera libertate, cùm mens cuius habitus prudentia fuerit, imperat, appetitus autem cuius obedientia in habitum peruenit, obedit.

Quòd philoſophus Ariſtot. in vltimis libris ethicorum cogatur ponere virtutes eſſe propter aliud expetendas.

QVONIAM homo contractus ad præſentem vitam, vt Ariſtot. decimo ethicorum libro tradit, in hominem ſimpliciter ordinatur, qui eſt mens, vel ſecundum mentem viuens, fit vt vita ſecundum virtutes expetenda ſit propter immortalitatem, qua homo ſimpliciter viuit. hoc autem ita eſſe Ariſtot. ethicorum primo oſtendit, cùm dicit, Si quidem igitur & aliud aliquod deorum eſt donum hominibus, manifeſtum eſt fœlicitatem Dei donum eſſe, & maximè humanorum optimum. Sed hoc quidem fortè alterius erit vtique per-

ſcrutationis magis propriũ. hæc ipſe, vbi duplex hominis bonum apparet, & vtrumque Dei donum. & quoniam alterum eorum eſt bonum, alterum verò optimum, & ſemper minus bonum eſt gratia melioris, fit, vt vita quæ eſt ſecundum virtutes, ſit eius boni gratia quod hominis eſt ſecundum mentem, quod immortalitas eſſe videtur. Quod alio principio dilucidemus, nam Ariſtot. ethicorum ſeptimo in homine duo contraria aſſignat valde extrema, diuinitatẽ videlicet, quam Heroicam virtutem ipſe, Plato autem ſanctitatẽ appellat. & immanitatem, quæ à Platone prophanitas, ab ipſo quoque feritas dicitur. Cùm enim in homine appetitus corrumpitur vſque ad belluarum ſimilitudinem, tunc homo prophanus fit, atque immanis, vt ſit prauitate appetendi magis bellua quàm homo dicendus. Cùm verò mens in eo vltra communem humanæ perfectionis ſtatum perſpicitur, & per habitum prudentiæ nihil niſi ſanctum, pium, religioſum atque diuinum excogitet, atque appetitui iubet, vſque in deorum ſimilitudinem exurgens, homo tunc heros, atque diuinus fit, quaſi ſupra ſtatum hominis exiſtens Deus. Quo fit, vt virtus ob immortalitatem ſit expetenda, qua videlicet homo reddatur Deus, aut Heros, qui ſupra homines eſt. Vnde & decimo ethicorum libro, Talis autem, inquit, potior vita eſt, quàm illa, quæ eſt ſecundum hominem, non enim quà homo eſt, ita viuet, ſed quo diuinum quoddam in ipſo exiſtit. Quantum autem differt hoc à compoſito, tanto & hæc operatio ab illa, quæ eſt ſecundum aliam virtutem. Si itaque diuinum eſt mens ad hominem, & vita, quæ eſt ſecundum illam, diuina eſt ad humanam vitam. Hactenus ipſe. Quibus non eſt obſcurum eſſe alteram vitam hominis contracti ad præſentem ſtatum: alteram autem hominis ſimpliciter, quæ videlicet eſt ſecundum mentem, tanto præſtabiliorem illa, quanto mens homine compoſito excellentior eſt. Et, cùm minus bonum ſemper ſit gratia melioris, iure vita verè libera quæ eſt ſecundum virtutes, ad vitam hominis ſimpliciter, quæ ſecundum mentem agitur, ordinatur, & propter illam expetitur.

De ſimpliciter fœlici, & vero vitæ liberæ fine.

EX iis non erit obſcurum deducere quid ſit verè, ac ſimpliciter fœlix, ſecundum philoſophum Ariſtot. lib. ethic. 10. concludit enim fœlicem eſſe, qui ſecundum mentem operatur, & eam colit, & optimè diſpoſitus eſt. & qui diis amiciſſimus eſt. Per hoc quod dicit, optimè diſpoſitus eſt, tangit eum eſſe perfectum in vera viuendi libertate, quæ eſt vita ſecundum virtutem, per id verò, quod ait ſecundum mentem operatur, & eam colit, tangit contemplationem numinum, ad quam vita quæ ſecundum virtutem verè libera eſt ordinatur. Cùm verò dicit, diis amiciſſimus eſt, tangit præmium vitæ ſecundum virtutem: non enim ſapiens atque fœlix in huiuſmodi ſtatu conſtitutus ſuarum virtutum præmium à diis accepiſſet, niſi eis amiciſſimus tandem factus eſſet. Quare per hoc, quod amiciſſimus dicit, præmium ſuarum virtutum fœlicem accepiſſe ſignificauit. Dicit etiam huiuſmodi fœlicem eſſe in cura deorum, tanquam omnium, quæ ſunt in ſublunari mundo optimum: & propterea ipſos deos inquit gaudere ipſo fœlici tanquam optimo, atque maximè ſibi cognato. Quòd ſi hæc vera fuerint, non modò coniectandum, ſed quaſi aſſerendum eſt Ariſtot. affirmaſſe aliam vitam vltra præſentem, in qua fœlix beatè viuit, prophanus autem cum dolore atque triſtia languet. Exiſtimandum inſuper eſt, veram viuendi libertatem, quæ hominis vita eſt ad præſentem ſtatum contracti, non eſſe propter ſe expetendam, ſed propter fœlicem vitam hominis, quæ eſt ſecundum mentem. Poſtremò concludendum eſt, eſſe fœlicitatem præmiatoriam, & meritoriam, etiam ſecundum Ariſtot. Longè plura, illuſtriſſima Victoria, poſſent ſcribi, ſed quoniam in libris philoſophicis copioſe rem omnem diſſeruimus, bona fronte ſuperſedendum eſſe arbitramur. Illud vnum velim non ignores, Alexandrum, Aphrodiſium, Themiſtium, Euphratam, Auempacem atque Abubacem Hiſpanos, Alpharabium Babylonienſem, & Auerroem Cordubenſem viros in Ariſtot. ſcholis doctiſſimos, arbitratos eſſe fœlicitatem duplicem, meritoriam, & præmiatoriam, & vtramque in præ-

Digitized by Google

ſenti vita hominibus accidere. Meritoriam quidem cùm duplex pars animæ omni ex parte perfecta euadit, appetitus ſcilicet, & intellectus. Appetitus enim cùm heroica obedientia fuerit affectus, rationi ſe ſubiacet, & à mente non diuertit, & cùm à mente non diuerterit, non ſolùm nobis impedimento non eſt, ſed ad philoſophandum iuuamento, atque calcari. Intellectus etiam, qui à philoſophis potentiæ intellectus dicitur, ſiue poſſibilis, cùm ab ſcientiis omnium rerum, quæ ſciri poſſunt, perficitur, atque impletur, effectus eſt quaſi condigna materia ad recipienda numina, vt formas. Præmiatoriam autem, nam hac duplici animæ parte perfecta, atque omnino elata, virtutibus videlicet, & ſcientiis, Deum quem agentem intellectum vocant, quadam naturæ neceſſitate copulari animæ arbitrantur vt formam: quo copulato homo erit duplici fœlicitate fœlix, meritoria quæ eſt vita ſecundum virtutes verè libera, & præmiatoria, quæ eſt contemplatio numinum, non obſcura quidem, ſed clara, intuitiua, atque matutina. nam fœlix vi copulationis cum Deo ipſum Deum, cæteráque numina per eſſentiam intelligit, modo videlicet, quo Deus ac numina ſe ipſa intelligunt. Ad hunc autem ſtatum poſſe peruenire homines ex eo potiſſimum probarunt, quòd nobis natura inſitus ſit appetitus intelligendi numina omni ratione, qua illa ſunt apta intelligi. Quare ſi appetitus fruſtra non ſit, aliquando ad eum ſtatum peruenient homines, in quo Deum cæteráque numina intelligent modo, quo illa ſe ipſa cognoſcunt, & apprehendunt. In hoc autem ſtatu homines ad huiuſmodi fœlicitates peruenire autumant, qui nullum alium ſtatum homines præter præſentem habere exiſtimauerint. Sed quoniam in noſtro de intellectu libro, atque in eo, quem de immortalitate animæ edidimus, hæc omnia diligentiſſimè refutauimus, tanquam fictiones magis propter otium, quàm propter veritatem inuentas: nunc ex iis hoc accipiamus primò, duplicem eſſe fœlicitatem, & præmiatoriam, & meritoriam, licèt eas his nominibus non appellent: deinde meritoriam eſſe propter præmiatoriam. Quare ex iis atque aliis pro libri fine pateat, quid ſit vera viuendi libertas. eſt enim viuere ſecundum virtutes, potiſſimum ſecundum pruden-

Digitized by Google

tiam. Pateat inſuper finem eius vitæ quæ eſt ſecundum veram libertatem, eſſe beatitudinem, quæ nihil aliud eſt quàm Dei, ac numinum clara, atque intuitiua contemplatio. Pateat denique præmium virtutum vitæque verè liberæ eſſe beatitudinem, ad quam Deus ſua nos bonitate, atque gratia collocat. Neapoli M. D. XXX. Septembris XIX.

Digitized by Google

AVGVSTINI NIPHI SVESSANI

OPVSCVLORVM MORALIVM PARS SECVNDA,

DE DIVITIIS.

AD IACOBVM FILIVM.

SÆPE me rogaſti, Iacobe fili, vt diuitias longè plures ac maiores tibi accumularem iis, quas à me poſt obitum es poſſeſſurus: vt ergo intelligas diuitias, & quæ ſint, qua- léſve, & quot, quantaque ad fælicem vitam opus ſint, hunc li- bellum ad te ſcripſi, ex quo clarè intelliges, vana eſſe, quæ quæ- ris: declarabit enim tibi diuitias, quæ ad concupiſcentias, aut ad opinionem vulgi deſiderantur, finem nullum habere: quæ verò & ad beatam vitam, & ad ciuilem optimam, longè pauciores mino- réſque eſſe iis, quæ à me poſt obitum poßidebis.

De nominibus quibus diuitiæ appellantur, & de diuiſione earum.

QVONIAM, vt diximus, de diuitiis nobis agendum eſt, de nominibus, quibus appellantur primò, deinde de earum diuiſione diſſerendum: eſt enim quid nominis (auctore Ariſtotele) omnium præcognitionum prima. Diuiſio verò præfacienda, quoties id, de quo facienda eſt oratio, æquiuocum, ac multiplex eſt. Diuitiæ itaque quemadmodum apud nos, ita apud Græcos non vno nomine vocantur: τὸ ἄφενος in genere neutro, & in maſculino πλοῦτος, Latinè diuitias ſignificat. Apud verò naturales rerum poſſeſſiones dicuntur diuitiæ & opes, & facul-

Digitized by Google

tates: diuitiæ enim ab opibus ita diſtant, quòd diuitiæ ſint, vt vtaris, opes verò, vt aliis opituleris. vnde Cicero in libro de Amicitia, Diuitiæ ad neceſſarium vſum ſunt, opes ad magnificentiam. A diuitiis diues dicitur, qui auctore Varrone quaſi Deus nihil indigere videatur. Ab opibus autem opulentus, hic autem eſt, qui terræ rebus abundat. Et quoniam cùm aliquis diues eſt, atque opulentus, facilè quod vult, agit, vt Petronius inquit, diuitiæ etiam facultates dicuntur, à quibus & facultoſus, diues eſt, & opulentus. Sunt autem diuitiæ non vna ratione, nam aliæ ſunt naturales, vt res naturales, quæ à nobis poſſidentur pro vitæ neceſſitate. Aliæ autem artificiales, vt pecuniæ, & lapides, & metalla, quæ commutatione, etiam quaſi ex accidente diuitiæ dicuntur.

De ipſa domo quædam.

HIs de nominibus, & diuiſione prænarratis, ſupereſt, vt breuibus ea exponamus, quæ neceſſaria ſunt ei ſermoni qui de diuitiis eſt. Quorum primum eſt domus ipſa, eſt autem domus ſocietas, quæ ex primis, atque ſecundis ſocietatibus conſtat, ordinata & ad viuendum, atque beatè viuendum. Primæ ſocietates ſunt maris & fœminæ, quæ facta eſt propter ſalutem hominum in ſpecie. Alia eſt domini & ſerui facta propter eorum ſalutem in indiuiduo, nam ſeruus protegit dominum, vtilia ei adminiſtrando ſine quibus dominus viuere non poſſet: dominus autem ſeruum, eum à periculis ſeruando, quæ ſua ignauia poſſet ſubuenire, & neceſſaria vitæ ei impartiẽdo, atque victui neceſſaria præbendo, quæ ſine domini prudentia conſequi nequiret. Ab his autem ſecundariæ ſocietates profectæ ſunt: ab ea enim, quæ eſt maris cum fœmina, ea ſocietas emerſit, quæ eſt patris cum filiis, ſiue matris cum liberis, pater enim & mater vnam perſonam ſubeunt, & per liberos, tam maſculos quàm fœminas intelligit Ariſtoteles. Ab ea autem, quæ eſt domini cum ſeruis, proceſſit ſocietas œconomi, hoc eſt gubernatoris domus, ſiue ille ſit paterfamilias, ſiue illius vicarius, cum poſſeſſionibus, & diuitiis. Quid verò ſit vita, quidve beata vita eorum, qui in domo viuunt, in libris ethicorum ſatis dilucidè explicauimus. Nunc verò pateat domum eſſe ſocietatem.

tem quandam ex primis, atque ſecundis ſocietatibus conſtitutam, ordinatam & ad viuendum, & bene viuendum. Heſiodus verò ad primas ſocietates attendens, dixit domum quidem in primis mulierem atque bouem & aratorem continere, bos enim pro ſeruo pauperibus eſt. Et cùm dixit mulierem, cointellexit virum, vir enim & vxor eandem ſubeunt perſonam. Et cùm dixit aratorem, dominum intellexit. Ariſtoteles verò omnium philoſophorum doctor, domum ſocietatem eſſe dicit ſecundum naturam, eorum videlicet quos Charondas Catinienſis quidem ὁμοσιπύους, homoſipyos, Epimenides verò Cretenſis ὁμοκάπους Homocapos appellat. Dixit quotidiana, nam actionum humanarum quædam ſunt quotidianæ, ſicut comedere, ad ignem calefieri, & id genus: quædam autem non ſunt quotidianæ, ſed quibuſdam temporibus interpoſitis inter homines emergentes, vt mercari, pugnare, & id genus. Licèt igitur in vtroque operationum genere homines ſibi inuicem à natura communicent, domus in id inſtituta eſt, vt in actibus quotidianis cohabitantes conuerſentur. Ciuitas verò, vel vicus vt communicent in humanis actibus, qui interpellatis diebus exurgunt. Dixit autem ſecundum naturam, non intelligendo per domum parietes, & tecta, quæ arte fiunt, ſed ſocietatem cohabitantium, qui ratione habita ad naturales ipſas inclinationes, quibus homines proni, aptique ſunt ad cohabitandum, ſocietatem quaſi natura conſtituunt, quam Græci œciam, ſiue œcion, ſiue œcum vocant: nos autem domum. Cohabitantes verò Charondas legum lator Catinienſis ὁμοσιπύους, Homoſipyos, hoc eſt eiuſdem arcę ab ὁμῶς, ſimul, & σιπύη arca, tametſi apud nonnullos σιπύη Græcè, Latinè ſit repoſitorium panis. Epimenides verò Cretenſis (quem Plato tertio libro de legibus dicit longè nouarum rerum excogitatione excelluiſſe apud Atticos, quémque Plutarchus in condendis legibus Solonis fuiſſe collegam tradit) appellat ὁμοκάπους homocapos, hoc eſt eiuſdem præſepij, atque menſæ, nam κάπυ, præſepium vel menſa eſt: ſunt qui legunt ὁμόκαπνος hoc eſt eiuſdem fumi, vel foci. Capnos enim fumus, vel focus eſt. Cohabitantes enim ſedent in eodem igne. Quid igitur ſit domus ex hiſce perſpicuum.

De Oeconomia, Oeconomica, œconomo, & de opere œconomico.

POST hæc quid Oeconomns ſit, exponamus. eſt enim œconomus, qui vniuerſæ rei familiari, quæ œconomia à Græcis dicitur, præeſt, hic enim eſt rerum domeſticarum omnium diſpenſator. Verùm diſpenſare rem familiarem eſt, aut per ſe propriáque cura, aut per ſubminiſtros. Primo modo priuati ciues ſuarum rerum familiarium œconomi ſunt: quoniam non per miniſtros, ſed per ſe propriè rei familiari ſtudent, eámque, vt decet, diſpenſant, & ſi aliquos ſeruos habuerint, eorum ipſi ſunt præfecti. Secundo verò modo principes, & qui rem publicam gerunt, vel ſtudiis philoſophiæ incumbunt, rerum ſuarum familiarium œconomi ſunt, cùm enim ſcientia gubernandi domum non magnum aliquid neque glorioſum contineat, loco œconomi vicarius hunc honorem ſuſcipit, ipſe verò vt Ariſtot. inquit, aut reipublicæ adminiſtrandæ, aut ſtudiis philoſophiæ intendit. Ideo quibuſcumque facultas eſt ceſſandi à domeſticis laboribus, ſuadet Ariſtoteles, vt ceſſent, melioribúſque rerum ſtudiis ſe tradant. Eſt autem œconomica, ſcientia, ſiue ars, ſiue diſciplina diſpenſandi atque gubernandi omnes res domeſticas, vnde quemadmodum rex gubernat, atque diſpenſat per regiam diſciplinam regni res cunctas, ita quoque œconomus per œconomicam res familiares omnes. Differt autem ſcientia gubernandi domum, quæ dicitur œconomica, ab ea diſciplina quæ dicitur acquirendi. Nam illa (vt poſteriùs diſputabimus) diſpenſando vtitur bonis acquiſitis, hæc verò parat vel ſeruat. Opus autem œconomicum primum eſt rerum familiarium recta diſpenſatio, vltimum autem eſt vita, (vt Ariſtot. & Plato aſſerunt) atque ſtudioſa vita eorum, qui in eadem domo conuiuunt: non enim vltimum œconomicum opus eſt viuere tantùm, nam cùm viuere nobis cum beſtiis commune ſit, etiam beſtiarum opus poſſet œconomicum eſſe. quod nemo ſanę mentis diceret. Finis verò eius diſciplinę, quæ eſt in acquirendo, eſt diuitiarum acquiſitio. Hæc autem multùm differt ab operibus ipſis œconomicis, de quibus poſteriùs eſt diſſerendum. Con-

Digitized by Google

cludendum igitur eſt vltimum œconomicum opus eſſe bene viuere: bene autem viuet, quicunque ſecundum virtutem viuet, & longè magis, qui viuet ſecundum eam virtutem, quæ eſt cæteris maior, vt puta, qui viuet ſecundum prudentiam, quæ nihil aliud eſt niſi recta agendi ratio: adhuc longè maximè qui viuet ſecundum ſapientiam, quæ nihil aliud eſt (Platone auctore) quàm diuina cognoſcere, & humana recta ratione gubernare, & hæc ad illa dirigere. Hoc igitur eſt vltimum opus boni œconomi, atque ſcientiæ œconomicæ finis. Ex iis non eſt difficile tibi intelligere, fili, ad quid domus ipſa ſit inſtituta, non enim domus inſtituta eſt, vt res domeſticæ diſpenſentur, ſed etiam vt viuamus, nec vt viuamus duntaxat: quia ſic nidus more Virgiliano domus eſſet, nam aues nidum faciunt, vt pulli viuant, & creſcant, ſimili ratione armentum, ſtabulum, grex, domus eſſent, quippe cùm in vnoquoque horum beſtiæ viuant, ac concreſcant: ſed vt bene, beatéque degamus, ſic enim domus à nido, & à quouis habitaculo differet. Sunt itaque opera œconomi, œconomicæque diſciplinæ, primum quidem rerum familiarium recta diſpenſatio, poſtremum autem bene viuere.

Diuitias non eſſe materiam, ſed inſtrumentum œconomi, œconomicæque, diuitiarúmque acquiſitionem finem eius diſciplinæ, quæ eſt in acquirendo.

SED cùm artificis ferè cuiuſlibet, artis inſuper omnis duplex inſtrumentum cernamus, (auctore Ariſtotele omnium philoſophorum principe) alterum inanime, veluti gubernatori nauis. eſt inſtrumentum inanime, alterum verò animatum, vt proretarius, qui iuſſu gubernatoris proram gubernat. Sic œconomo, œconomicæque diſciplinæ duplex inſtrumentum aſſignatur pro tuenda vita, alterum inanime, vt ipſa vniuerſa poſſeſſio, ipſæque diuitiæ cunctæ, cuiuſuis generis fuerint: alterum animatum, vt ſeruus, qui licèt poſſeſſio quædam ſit, tamen veluti miniſter in arte, & inſtrumentum ſupra cæteris inſtrumentis eſt, vtitur enim ſeruus pro œconomi imperio cæteris domeſticis inanimatis inſtrumentis, mouétque ea, quando enim oportet & le-

Digitized by Google

ctum, & veſtem, cæteráque bona tum mobilia, tum ſtabilia pro iuſſu œconomi, atque liberorum mouet. Eſt autem inſtrumentum animatum neceſſarium œconomo, œconomicæque diſciplinæ, nam ſi vnumquodque inanimatorum inſtrumentorum imperium œconomi cognoſceret, perficeret opus ſuum, & ſicut pectines per ſe pectinarent, plectra per ſe cytharizarent. Sed cùm inanimata inſtrumenta non cognoſcant, ideo œconomo ſeruo opus fuit, qui imperium eius cognoſcens, moueat inſtrumenta inanimata pro iuſſu illius. Vnde rectè Ariſtot. Si poſſet, inquit, vnumquodque inſtrumentorum ad iuſſum vel ad nutum domini, vel artificis, opus ſuum perficere, vt ager fructus facere, calceus calciare, veſtis veſtire, quemadmodum quæ Dædali ſunt ſecundum famam, (fecit enim Dædalus ſtatuam, quæ ſe ipſam mouebat) aut quemadmodum erant Vulcani tripodes, quos Poëta Homerus ſponte ſua diuinum certamen, quod fiebat in miniſterio templi, aggreſſos eſſe narrat: nec architectus miniſtris, nec œconomus ſeruis indigeret. Sunt igitur poſſeſſiones, diuitiæ, bonáque cuncta tum mobilia, tum etiam ſtabilia atque pecuniæ inanimata inſtrumenta, ſerui verò animata, quibus œconomus vtitur pro tuenda vita omnium eorum, qui ſecum habitant. Et quoniam inſtrumentum duplex eſt, factiuum quidem, quo aliquid fit in exteriore ipſa materia præter vſum eius, vt inſtrumentum artis, martellus videlicet, quo faber gladium facit præter vſum martelli. Actiuum verò, quo nihil fit præter illius vſum, vt veſtis atque lectica, quibus nihil fit præter vſum, fit vt ſerui, atq; diuitiæ cunctæ inſtrumenta ſint actiua. Accedit ad hæc, quoniã vita, pro cuius neceſſitate huiuſmodi inſtrumenta ſunt inducta, non factio ſed actio eſt. Quare & ſeruus, & cuncta bona ad agendum inſtrumenta ſunt. Differt autem inſtrumentum à materia, nam inſtrumentum eſt quo artifex opus ſuum perficit, vt pecten textori: materia verò id, in quo artifex per inſtrumentum operatur, vt æs, ex quo ſtatuarius facit ſtatuam, & lana, ex qua textor facit pannũ. Sunt igitur diuitiæ œconomo non materia, ſed inſtrumenta actiua, quibus vtitur ad neceſſitatem vitæ eorum, qui ſecum viuunt, nec non & ad bene, beatéque viuendum: quod ita eſſe proximo capite perſpicuum

Digitized by Google

eſt. Quid verò finis eius diſciplinæ ſit, quæ in acquirendis diuitiis eſt, non eſt obſcurum, eſt enim diuitiarum ipſa acquiſitio, diſciplina enim quæ in acquirendo eſt, non materiam œconomo, ſed inſtrumentum ſubminiſtrat: per quæ etiam patet œconomum non eadem diſciplina gubernare rem familiarem, & acquirere diuitias. Diſciplina enim qua acquirit diuitias, ſubminiſtra eſt ei diſciplinæ, per quam domum gubernat: non quæ parat materiam, non enim diuitiæ materia ſunt, ſed quæ parat inſtrumenta, veluti pectinaria, quæ eſt ars faciendi pectines, quibus texitur, ſubminiſtra eſt arti textoriæ, quatenus illi proprium parat inſtrumentum.

De modis acquirendi diuitias iis, qui præter communem ordinem videntur.

IIs exploratis, ad modos deueniendum eſt, quibus diuitiæ acquiruntur præter communem ordinem, qui licèt innumeri ſint, (vt Ariſtot. libro politicorum primo tradidit) tamen ad typum quendam reducentes, dicamus diuitias extra ordinem aliquando eſſe acquiſitas caſu, atque fortuna, nonnunquam induſtria, interdum ludis, donis etiam non rarò. Caſu quidem ac fortuna illi diuitias ſibi compararunt, qui theſauros, aut nonnulla precioſa caſu inuenerunt: vt Minyas qui ſua ætate mortalium fuit ditiſſimus. Hic enim cùm inueniſſet lapides quamplurimos pretioſiſſimos, primus theſaurū recōdendis pecuniis ſtruxiſſe fertur. Donis quoq; non paucos ditatos eſſe legimus, vt Ablabium Ægyptium philoſophum donis Conſtantini Imperatoris: Oppianum poëtam, Antonij Imperatoris Seueri: Theombrotum medicum, Ptolemæi Regis: Seleium Baſſum poëtam lyricum, Veſpaſiani: Democedem medicum ditatum eſſe donis Darij. Temporibus autem noſtris Matthias Pannoniæ Rex Ioannem Monteregium Ephemeridum ſcriptorem multis auxit honoribus & diuitiis. Induſtria etiam, qualis fuit illa Thaletis Mileſij, qui Mileti, atque Chij omnium oliuarum futuri anni ſibi venditionem reſeruans, magnam vim pecuniarum lucratus eſt, per quam tradunt eum oſtendiſſe amicis perfacile eſſe philoſophis ditari, ſi vellent, ſed hoc non eſſe illis curæ. Hac eadem in-

Digitized by Google

duſtria quidam in Sicilia mercator quicquid erat ferri ex fe rariis emit, poſtea verò mercatoribus illuc accedentibus vendebat ſolus, non magnum exceſſum pretij faciens, ſed tamen ita vt pro quinquaginta talentis centum conficeret. Hoc itaque ſentiens Dionyſius Syracuſanus pecunias quidem illi iuſſit efferre, ſed ampliùs Syracuſis morari vetuit, vt qui queſtus reperiſſet ipſius rebus inutiles. Mercator autem iſte ex induſtria ditatus eſt, nam ſibi ſoli venditionem comparauit: quemadmodum Thaletem feciſſe traditum eſt. Ludis præterea nonnulli ditati ſunt, vt Lenæus in vrbe Roma apud Pompeium. Vt Æſopus Tragœdus ludis hiſtrionicis ad tantam peruenit opulentiam, vt ſeſtertio centies ei patina ſteterit, reliqueritque filiũ adeò diuitem, vt is vniones liquefactos cœnæ apponeret. Pallas Claudij libertus in ludis vna nocte longè quàm Craſſus ditior euaſit. Poſt hæc de modis acquirendi ordinariis differendum quorum alij ſecundum naturam, alij ſecundum artes, alij denique ſecundum diſciplinas eſſe videntur: & quoniam modus acquirendi, qui eſt ſecundum naturam ex modis viuendi tum in animalibus, tum in hominibus, qui natura inſunt facilè colligitur: ideo de animalium vitis primò, deinde de vitis hominum differendum.

De vitis ferarum.

DE vitis ferarum differentes dicamus, primò ferarum alias gregales eſſe, alias autem ſoliuagas, alias verò quæ nunc gregales, nunc ſoliuagæ ſunt, vt hoc vel illo modo eis conducit ad victum. Gregales quidem ſunt, vt oues, capræ, boues, cæteræque id genus: ſoliuagæ autem leones: nunc autem gregales nunc ſoliuagæ, vt lupi, & vulpes, lupi enim & vulpes aliquando ſoli, aliquando cum aliis cibum quærunt. Eſt inſuper ferarum alia differentia, quippe cùm aliæ viuiuoræ, quæ viua comedunt animalia, vt feræ, auéſque rapaces, aliæ fructiuoræ, quæ herbas atque fructus comedunt, aliæ omniuoræ, quæ indifferenter omnia vorant. Ideo propter variam ciborum electionem harum vitas natura diſtinxit. Nam feræ, quæ viua vorant, vt pugnaces ſint, oportet, alioquin non poſſent cibum inuenire; quæ verò herbas, atque

Digitized by Google

fructus, cùm cibi tales facilè reperiri poſſint ſimul viuunt, atque in deſidia. At quæ indifferenter omnia comedunt, partim ſimul, partim ſola aliquando viuunt modo quo eis conducit ad victum. Verùm cùm non idem dulce ſecundum naturam ſit cunctis animalibus, nam diuerſis animalibus delectabilia diuerſa ſunt. quippe cùm non omnia animalia quæ carnibus veſcuntur, eiſdem carnibus delectentur, nec omnia fructiuora eiſdem fructibus, ſed alia aliis: iccirco eorum animalium, quæ viuiuora ſunt, & eorum quæ ſunt fructiuora, vitæ hoc eſt viuendi modi inter ſe differunt.

De variis hominum vitis.

EX iis, quæ diximus de vitis, modíſque viuendi in feris, non erit difficile colligere vitas hominum varias. Et licèt plures ſint ſecundum Ariſtotelem libro politicorum primo, tamen ad has reduci poſſunt, nam alij viuunt ex pecoribus, quorum vita paſtoralis eſt, veluti qui pigerrimi ſunt, & palantes homines, horum enim vita ocioſa eſt, quoniam à manſuetis animalibus ſine labore victum habent: qui enim paſtoralem vitam ſequuntur, non alium laborem ſubeunt, niſi cùm fuerit neceſſarium mutare paſcua pecoribus, coguntur enim tunc vnà cum pecoribus locum mutare, & hi ſunt qui agriculturam quandam viuam colere videntur, colunt enim gregem, vel armentum, vel id genus, ac ſi colerent quendam agrum, qui viuit & mouetur. Alij autem à venatione victum ſibi comparant, verùm non vno modo, vt Ariſtoteles dicit, nam alij latrociniis & prædis ab hominibus factis cibum acquirunt, vt latrones, graſſatores, piratæ. Quòd verò latrocinium & præda, ſit ſpecies venationis, Plato philoſophus eminentiſſimus ſeptimo libro de legibus probauit. Nonnulli autem viuunt à piſcatione, quicunque paludes, ſtagna, flumina, aut mare colunt: piſcationem verò eſſe venationis ſpeciem Plato eodem loco fatetur. Alij ab auibus, & feris ſiluestribus viuunt, quicunque agros & ſiluas accolunt, & hanc ſpeciem venationis laudant omnes, de qua Plato ſeptimo libro de legibus multa dicit: aſſerit enim volatilium venationem ſeruilem magis quàm liberam eſſe, pedeſtrium verò ſo-

ſam diuinam, non omnem quidem, ſed quæ equis, canibus, corporeis viribus agitur. Et ſub venatione Plato bellicum venatum comprehendit, dicit enim, Venatus res latior eſt, nomine vno comprehenſa, alius aquaticorum, alius volatiliũ, alius pedeſtrium, nec ferarum ſolùm, verùm etiam hominum, horúmque non bellicus tantũmodò, verùm etiã qui per amicitiam. Bellicam igitur diſciplinam ſub venatione opus eſt cõprehendere. Ariſtot. quoque idẽ ſentit, cùm inquit, Nam bellica eſt pars venatoriæ, qua vti oportet & contra beſtias, & contra barbaros, qui ad parendũ nati ſunt, nec volunt parere. Sic igitur alij viuunt à pecoribus, alij à venationibus. Tertius autem modus eſt eorum, qui viuunt ex terra, atque domeſticis fructibus, qui agricolæ dicuntur. Modus autem viuendi agricultura, eſt autem hic viuendi modus omnibus communis, nam hoc pacto cibum elaboratum habent. Sunt qui ex iſtis miſcentes viuunt mixtim, ſupplentes humanæ vitæ deficientiſſimæ ex ea parte, qua deficiens eſt, id quod deeſt, ex altera, quouſque ſufficienter viuant. Sicuti qui miſcẽt paſtoralem cum prædatoria, vel agriculturam cum venatione: ſimili ratione circa alias, vt indigentia compellit.

De diſciplinis naturalibus, quæ ſunt in acquirendo.

EX iis, quæ diximus, perſpicuum eſt omnes diſciplinas naturales ſimplicéſque quæ conſiſtunt in acquirendo, in tria genera reduci, quippe cùm alia ſit paſtoralis, alia agricultura, alia venatoria: ſub venatoria verò ſunt piſcatoria, prædatoria, & ea venationis ſpecies, quæ alimentum accipit ex feris, & auibus ſilueſtribus, quæ per excellẽtiam venatio dicitur. Inſuper ſub venatoria eſt etiam bellica, eſt enim bellica contra eos homines (auctore Ariſtotele) quicunque ad parendum nati ſunt, vt barbari, nec volunt parere. Qui verò huiuſmodi diſciplinæ ſint natura, perſpicuum eſt tum ex parte noſtra, tum ex parte rerum, quæ acquiruntur. Ex parte noſtra quidem, nam pro naturali aptitudine, qua aliquis eſt aptus viuere ſecundum aliquem dictorum modorum, ſic illum viuendi modum excoluit. Vt ſi aliquis ex naturali ipſa aptitudine aptus eſt viuere ſecundum modum viuendi paſtoralem, viuit,

Digitized by Google

viuit, vt ita dixerim paſtoraliter. Et ſic de cæteris ſuo modo. Simili ratione ſi aliquis ex naturali aptitudine aptus eſt viuere aliquibus illorum modorum miſtim, ſic quoque natura viuere excoluit. Ex parte verò rerum, quæ acquiruntur, nam res quibus apti ſumus viuere, natura nobis ſtatim poſt primam generationem, ſicuti etiam poſtea in ſecunda cùm ad perfectionem deducimur, præbuit. Dicimus autem primam generationem eam, in qua non poſſunt animalia cibum per ſe ipſa accipere: ſecundam verò eam, in qua poſſunt per ſe cibum ſibi quærere. Hoc autem ita eſſe primò patet iis in animalibus, quæ ex ſemine naſcuntur, ordinauit enim natura iis, cùm in vtero primò generantur, ſanguinem puriorem ex menſtruis, vt ex illo per vmbilicalem venam tanquam per radicem quouſque in lucem eduntur, nutriantur. Poſtea verò eis in lucem editis, lac parauit, quod nihil aliud eſt, niſi illemet ſanguis, quo in vtero veſcebantur, ab eadem natura ad mammillas tranſmiſſus. Completa verò prima generatione, cùm venerint ad perfectionem, per quam poſſunt ſuo iure viuere, ordinauit natura eis aliměta ex terra, ex aquis, ex aëre, rebúſque cæteris, quibus animalia veſcuntur. Deinde idem ex iis perſpicuum eſt animalibus quæ ex putredine, vel ex ouis gignuntur. Ex iis quidem, quæ ex ouo, nam in ouo id quod album eſt, in pullum conuertitur: id verò quòd rubeum, tranſit in alimentum pulli, & hoc quouſque pullus intra teſtam conditur: poſtea verò cùm in lucem editur, natura ordinauit herbas fructúſque vt illis veſceretur. Ex iis verò, quæ fiunt ex ouo, nam fit quoddam ouo ſimile, vbi id, quod rubeo ſimile eſt, in nutrimentum vermis tranſit, id verò quod eſt ſimile albo, tranſit in vermem: deinde poſtquam perfectum eſt animal, natura præparauit ei fructus, herbas, atque cætera alia, quæ ex aquis, terra, & id genus proficiſcuntur. Vnde & Ariſtot. rectè ait plantas, herbáſque atque herbarum plantarúmque fructus eſſe animaliũ gratia, animalia autẽ cuncta propter homines: ex iis enim quæ ex terra naſcuntur, cuncta animalia veſcuntur & volatilia, & aquatilia, & terreſtria: ex animalibus verò homines, & veſcuntur, & commoda accipiunt. Ex manſuetis quidem, commoda atque alimentum, quoniam homines manſuetis vtuntur, vt bobus

ad colendos agros, & ad calceos, qui ex eorum pellibus fiunt, & ad alimentum, quod ex carnibus accipitur. Equis verò ad equitandum & ad calceos. Ex agreſtibus verò, etſi non ex omnibus, quia non ex ſerpentibus alimentum habent, ex pluribus tamen veſcimur. ex iis autem quibus non nutrimur plurima commoda emergere nobis cernimus, partim ex eorum pellibus, partim quoque ex pilis, ex oſſibus verò & inteſtinis muſica inſtrumenta, & alia id genus. Patet igitur paſtoralem, venatoriam atque agriculturam diſciplinas eſſe naturales, nec ſolùm has, ſed quæ ex hiſce miſcentur.

Quòd licèt paſtoralis, venatoria, atque agricultura ſint ſimpliciter naturales, tamen nec venator, nec agricola exercet opus ſuum ſine electione.

SED iis, quæ diximus, occurret quiſpiam, quoniam cernimus paſtorem opus ſuum circa pecora non exercere ſine electione, non enim inuitus, aut neceſſitate compulſus excolit gregem, armentum vel ſtabulum, aut id genus: quare diſciplina, per quam opus ſuum exercet, non videtur nobis natura inſita: ſimili ratione de venatoro, & agricola contingit. Verùm huius dubitationis dilutio ex iis, quæ diximus, non eſt obſcura. Nam ſi conſiderentur natiuæ aptitudines, ex parte noſtra, & ex parte rerum quæ acquiruntur, paſtoralis, venatoria, atque agricultura naturales eſſe videntur: quippe cùm aptitudines tam noſtræ ad acquirendum, quàm rerum vt acquirantur, à natura ſint. At ſi conſiderentur aptitudines vt executioni mandantur, ſunt per electionem. Quare licèt huiuſmodi diſciplinæ, ſi referantur ad aptitudines, ſint naturales admodum, tamen nec paſtor, nec venator, nec agricola ad opus earum venire poterit ſine electione: ſunt itaque huiuſmodi diſciplinæ quidem voluntariæ, quatenus, vt ita dixerim, executioni opus mandant: ſunt verò naturales, quo aptitudines earúmque propenſiones nobis natiuæ ſunt ad acquirendum, rebus verò naturalibus, vt acquirantur.

Quòd nullum ſit animal, nulláque planta, quæ non ſit hominis naturalis poſſeſſio, & de abuſu eorum.

POSSET inſuper quiſpiam aduerſus ea, quæ dicta ſunt, adhuc ambigere, ex eo quidem, quia nonnulla animalia, nonullæque plantæ videntur non eſſe hominis cauſa à natura productæ, quippe quæ nec ad alimentum, nec ad aliam vtilitatem ſunt, quemadmodũ noxia animalia, noxiæque plantæ atque venenoſæ: per quæ videri alicui poſſet, nec animal omne, nec omnem plantam eſſe poſſeſſionem homini à natura ipſa oblatam. Siquidem poſſeſſio omnis, omníſque res homini acquiſita ab ipſa natura ſit cuiuſdam boni gratia. Sed hoc quod obiicitur, diluere poſſumus, aſſereréque nullum eſſe animal, nullam quoque plantam quæ non ſit à natura producta hominis cauſa. Et primò quidem hoc generatim probare enitemur, deinde ſpeciatim de noxiis venenoſíſque: & generatim quidem ex eo, quia ſunt homine ipſo imperfectiores, atque cùm ſemper peius imperfectiúſque (auctore Ariſtotele) ſit melioris atque perfectioris gratia, fit vt nulla ſit planta, nullum quoque animal, quod non ſit hominis cauſa natum. Deinde, quia natura nec in ſuperfluis excreſcit, nec in neceſſariis manca eſt. At cùm hominem fecerit, qui alimentis, veſtimentis & etiam aliis nonnullis indiget ad ſui vel neceſſitatem, vel delectationem, quæ omnia (vt Ariſtot. probauit primo Politicorum libro) ex animalibus atque plantis colligi poſſunt, ideo nonnulla ex animalibus & plantis natura pro alimentis, nonnulla pro veſtimentis, alia pro aliis neceſſitatibus, atque voluptatibus videtur conſtituiſſe. Inſuper terra, atque elementa ordinata ſunt in plantas, vt ex eis plantæ cunctíque fructus oriantur: plantæ plantarúmque fructus in animalia, vt ex eis animalia viuant: animalia denique in homines, vt ex eis homines & veſcantur, & veſtimenta ſumant, & alias neceſſitates capiant. Ergo cuncta ſunt hominis cauſa. Hac ratione Ariſtot. ipſe libro ſecundo auſcultationis phyſicæ tradit, nos eſſe quaſi omnium finem. Quod ſi ita fuerit, dubio procul erit perſpicuum nullum eſſe animal, nullam quoque plantam, nullúmque eorum fructum, qui

Digitized by Google

non ſit naturalis hominis poſſeſſio, nam cùm hæc omnia ſint facta à natura boni cuiuſdam cauſa, vt videlicet homini proſint, videntur etiam omnia eſſe hominis naturales poſſeſſiones, quæ ſunt ei naturaliter acquiſitæ, tum ad neceſſitatem, tum ad vtilitatem, etiam ad delectationem. Quod ſi ita fuerit, non erit obſcurum eum hominem abuti animalibus atque plantis, qui eis ad alium finem vtetur quàm ad bonum ſuæ vitæ. Dicitur enim quiſque aliquo abuti, cùm id non in proprium finem ordinauerit, ob quem inſtitutum eſt, veluti qui calceo pro veſte, aut muliere pro ſerua, non enim calceus factus eſt, vt eo veſtiamur, nec vxor, vt ſeruiat. ſed calceo vtimur ad tegendum pedem: vxore autem ad generandum. Hac ratione qui plantis atque animalibus vtitur vltra ſufficientiam eorum, quæ ſunt vitæ neceſſaria, atque vtilia: plantis atque animalibus non iniuria abuti videtur. Inſuper qui bruta atque plantas vendit finaliter, vt pecunias excreſcat, reponátque in arca, ac poſſideat, & non vt ipſis vtatur cùm occurrerit, in commutationibus eorum, quæ ſunt vitæ neceſſaria, hic animalibus & plantis, fructibúſque eorum abutitur, quippe qui in alium finem eis vtitur, quàm ipſa fuerint à natura ordinata. Poſt hæc ſpeciatim illud idem de venenoſis obnoxiíſque patet, nam licèt nec in alimentum, nec in veſtem hominum cedant, tamen ſunt propter hominem. Primò quidem quia illa ſunt fortaſſe gratia aliquorum animalium quæ ſunt in bonum vel delectationem hominum. Deinde quia ex eis fieri poſſunt nonnulla medicamenta, quæ in bonum hominum cedunt: quod ex libris medicorum ſatis perſpicuum eſt. Præterea natura ea produxit, vt mundus perfectus eſſet, nihílque eorum deeſſet, quæ fieri poſſunt. At cùm mundi pulchritudo, ac perfectio in delectationem hominis emergat, fit, vt cuncta etiam obnoxia ſint hominum cauſa. Poſtremò dicere poſſumus ea eſſe facta hominum cauſa, quoniam licèt noceant eis aliqua ex parte, tamen vtilia eis ſunt, vt per ipſa deueniant in cognitionem ſuæ naturæ, recordentúrque ſuæ fragilitatis. Nam ſic deducentur quotidie in cognitionem ſui creatoris, quod hominibus eſſe vtile nemo eſt qui dubitat.

Digitized by Google

Quo iure omnia hominibus omnibus ſint communia, quóve non communia.

ET cùm declaratum ſit cuncta animalia, cunctáſque plantas, tam conuenientes, quàm noxias, eſſe naturales hominum poſſeſſiones, fiet perſpicuum, vt ipſa quoque cuncta iure naturali quodam ſequente communem naturam hominum, ſint communes poſſeſſiones. Quod icciteo eſt verum, quoniam natura non videtur produxiſſe ea magis in bonum atque delectationem vnius hominis, quàm omnium. Quare videtur feciſſe ea omnibus communia. De iure verò gentium ſequente communem hominum conſenſum ex communi electione emergentem, dominia poſtea ſunt diſtincta, in agris termini poſiti, ob quæ deinceps de iure gentium introducta ſunt bella, diſcretæ gentes, regna condita, ædificia collata, commercium, emptiones, venditiones, locationes, obligationes inſtitutæ, de quibus in legibus ſatis abundè ſcribitur.

Quæ adhuc communia hominibus ſunt.

SVNT (quemadmodum diximus) diſciplinæ nobis ex ipſis rebus naturæ, quæ in acquirendo verſantur: ſimplices quidem tres, vt paſtoralis, agricultura, atque venatoria: miſtæ verò plures, quatenus illæ tres pluribus modis componi poſſunt pro vitæ neceſſitate. Diuitiæ, quæ habentur per agriculturam, ſunt quæcunque ex terra naſcuntur. Quæ autem per paſtoralem, ſunt omnia animalia manſueta, quæ in grege, vel in armento, vel in ſtabulo, aut in aliquo id genus excoluntur, etiam & aues domeſticæ, vt gallinæ, anſeres, anates, columbi, & id genus, quæque in nidis, columbariiſque educantur. At quæ per venatoriam, non vno modo ſunt, nam per prædatoriam bona venamur, per bellicam homines, etiam & bona, ſed alia, vt dicemus, ratione: per piſcatoriam piſces, per aucupium ſilueſtres aues, & per eam venationis ſpeciem, quæ dicitur per excellentiam venatio, venamur feras quæ per ſiluas atque montes inerrant.

Digitized by Google

Hæ itaque diuitiæ in prima hominum origine fuerunt omnes communes, licebátque cuique pro arbitrio ſibi eas comparare: poſtea verò cùm ex communi hominum conſenſu dominia diſtincta, & in agris termini poſiti ſunt, cæteráque (vt diximus) ſeparata, adhuc quædam remanſerunt communia, ea quidem quæ per aucupium acquiruntur, communia remanſerunt, ſed non vbique. Nam (vt Plato dicit ſeptimo libro de legibus) auceps per incultos agros, atque per montes vagari permittitur, à cultis verò locis, ſacríſque incultis à quocunque pelli debet. Inſuper etiam ea quæ per piſcationem, cõmunia adhuc relinquuntur, ſed nec vbique: quoniã, vt etiam Plato ait eodem loco, piſcator nec in portibus, nec in ſacris fluuiis, paludibus, ſtagníſque venari poteſt: in aliis liceat, modò ſuorũ non vtatur permiſtione. Ea autem, quæ per eam venationis ſpeciem acquiruntur, quæ dicitur per excellentiam venatio, adhuc communia relinquuntur: non tamen ſecundũ omnem modum. Nam (vt Plato eodem loco inquit) nocturnus venator, qui retibus & canibus ſuis fidens, vel laqueis venatur, nullibi venari eſt permittendus. At qui quadrupedes omnes curſu, vulneribus, telíſque manu propria venando vincere feras enituntur, vbicunque (vt Plato autumat) venari voluerint permittantur. Diuitiæ quas per prædatoriam nanciſcimur, communes non ſunt nobis cum hominibus, niſi cùm homines hoſtes fuerint, bellúmque aduerſus eos iuſtum. Diuitiæ quæ ſpectant ad bellicam, barbari ſunt, atque eorum bona, nam (vt Ariſtot. inquit) ſolùm aduerſus barbaros bellum iuſtum Græcis eſt, atque Latinis. Nam barbari ſunt natura ſerui, Græci autem & Latini natura domini. Quare barbari, & eorum bona Græcis omnibus atque Latinis communes ſunt. Earum autem diuitiarum, quæ ad agriculturam ſpectant, agri quidem apud barbaros quoſdam communes ſunt, vt apud Æthiopas, eorúmque finitimos, necnon & apud Arabas: efficiuntur autem proprij interdum per viciſſitudinariam occupationem. At fructus, qui ex agris percipiuntur, nullibi communes eſſe leguntur. Diuitiæ verò, quæ per paſtoralem acquiruntur, quacunque quidem ſpecie illius eas nanciſcimur, non ſunt communes poſt primam hominum originem, ſed occupantis.

Digitized by Google

Quomodo huiuſmodi naturales diuitiæ ſint veræ diuitiæ, non autem nummi.

HINC accipere pro exploratiſſimo debemus ſolas res naturales, quas nobis pro vitæ neceſſitate natura ſuggeſſit, eſſe veras, propriáſque diuitias. Nam hæ ſolæ ad domus ciuitatiſque ſocietatem vtiles eſſe videntur, iiſque non modò ad viuendum, verumetiam ad bene viuendum ſufficimus. Non deſunt tamen, qui nummorum multitudinem veras diuitias conſtituant, & hi ſunt qui congregandis cumulandiſque nummis ſtudent. quorum argumentum, vt Ariſtoteles confecit, tale erat: Finis nummulariæ atque pecuniariæ eſt pecuniarum multitudo, finis nummulariæ atque pecuniariæ ſunt diuitiæ. nihil enim aliud nummularius, atque pecuniarius intendit, niſi diuitias accumulare, atque congregare. Ergo in tertia ſyllogiſmorum figura diuitiæ ſunt pecuniarum multitudo. Per huiuſmodi ſyllogiſmum arbitrati ſunt diuitias atque multitudinem pecuniarum idem eſſe. Sed his non ab ratione Ariſtot. facilè omnium philoſophorum doctor, occurrit primò quidem, quoniam ſi nummi diuitiæ videntur, non ob aliud illud eſt, niſi quia lege (vt poſtea dicemus) ſunt introducti. At leges atque nummi nugæ aliquando videntur eſſe, nihilque ſecundum naturam, vt apud Turcas nummi, atque Athenienſes leges temporibus hiſce. Præterea mutatis lege, atque propoſito eorum, qui vtuntur nummis, nummi nullius pretij, nulliúſque vtilitatis erunt ad aliquid eorum, quæ ſunt vitæ neceſſaria: non enim exiſtimandæ ſunt diuitiæ illæ, quæ, mutato hominum propoſito, nullam dignitatem habent in re ipſa familiari. Poſtremò fieri poteſt, vt locuples, nummiſque abundans, neceſſarij alimenti penuriam patiatur, inediáque pereat. Sed abſurdum eſt aſtruere tales veras eſſe diuitias, quarum quis abundans fame perire poſſit: vt de Mida in fabula proditum eſt, quam Ouidius vndecimo Metamorph. hoc carmine ſcribit:

Hinc Deus optanti gratum, ſed inutile fecit
Muneris arbitrium, gaudens altore recepto

Digitized by Google

veluti fabrorum, lignariorum, ædificatorum, cælatorum, ærariorum, vt flatorum, fuſorum, ſtatuariorum, plaſtium, figulorum, item & lanariorum, vt textorum, veſtiariorum, adhuc & coriariorum, vt ſutorum calceariorum, & innumerorum penè talium, quorum enumerare artes, & materias eſſet difficile & non multùm neceſſarium: ſatis enim nobis ſit ſcire, nullum eſſe artificium talium, quin ex materia conſtat. Calceolarij enim artificium eſt calceus, cuius materia eſt corium. Textoris artificium eſt pannus, cuius materia eſt lana, ſimili ratione & in cæteris omnibus poteris reperire. Vt autem intelligatur, quonam modo per has acquiruntur diuitiæ artificiales, & naturales, priùs de commutatiua, commutationibúſque ipſis agendum. Et cùm nec de commutationibus, nec de ratione, quæ eſt in commutandis rebus, poſſumus diſſerere, niſi aliquibus ſuppoſitionibus nobis conſtitutis, primò ſuppoſitiones conſtituantur.

Quòd cuiuſque artificij, quod ex materia conſtat, duplex ſit vſus, immo cuiuſlibet rei naturalis, quæ eſt hominis poſſeſſio.

QVONIAM (vt diximus) nec de commutationibus, nec de commutandi ratione dicere poſſumus, niſi quibuſdã primo aſſumptis, accipiamus primò cuiuſlibet artificij, cuius eſt aliqua materia, duplicẽ eſſe vſum. Alter (vt Ariſtot. inquit) proprius eſt, vt calcei calciatio: alter autem communis, vt venditio. Vterque enim vſus calcei eſt, nam qui calceum indigenti vendit pro pecunia, vel cibo, vtitur calceo, qua calceus eſt ex re naturali tanquam ex materia, hoc eſt ex corio: dicitur autem venditio vſus communis, quoniam communiter competit cuilibet artificio, qua artificium conſtat ex re naturali, quæ eſt apta commutari cum alia re nobis à natura ſuggeſta. Competit etiam veſti, qua veſtis conſtat re naturali, ſcilicet lana: ſimili ratione omnibus artificiis, quorum materia eſt res naturalis, quæ commutationibus apta eſt, & idonea. Verùm venditio non eſt proprius vſus calcei, non enim commutationis atque venditionis cauſa factus eſt: ſed

Digitized by Google

vt pes calciaretur. Hac ratione, qui vtitur calceo ad calciandum, vt emptor, hic proprio vſu vtitur calceo. Qui verò eo vtitur ad venditiones atque commutationes, vſu communi eo vtitur, cum cæteris rebus, quas nobis natura ſuggeſſit. Eadem ratione commutatio ſiue emptio ſit, ſiue venditio, ſiue quæuis alia id genus, vſus communis eſt cuiuſlibet poſſeſſionis, quam nobis natura ſubminiſtrauit: quippe cùm poſſeſſio naturalis omnis, vt frumentum, ſiue aliud id genus, ſi in proprium finem referamus, cuius cauſa ipſum natura produxit, in proprium vſum venit, vt ſi referamus in alimentum. Communis autem illius vſus eſt venditio, vel emptio, aut alia quæuis commutatio: nam hæc communis eſt frumento cum omni poſſeſſione quam nobis natura miniſtrat.

Quòd cuiuſlibet artificij ex ea parte, qua eſt artificium, commutatio vſus ſit præter naturam. Et quo modo artificij, quod eſt ſine materia, commutatio poſſit eſſe communis vſus.

EX iis, quæ paulò antè diximus, perſpicuum eſt artificij ex ea parte, qua eſt artificium, commutationem ſiue venditionem, ſiue emptionem vſum eſſe præter naturam, vt calcei. Nam vſus, qui non eſt ſecundũ eum finem, ad quem artificiũ eſt introductum, præter naturam artificij eſt. Talis eſt vẽditio calcei ex ea parte, qua eſt artificium, nam calcei ex ea parte, qua eſt artificium, non eſt venditio, nec commutatio, ſed pedis calciatio. Quare qui calceo vtitur ex ea parte, qua calceus eſt artificium, ad venditiones, calceo vtitur præternaturali vſu: qui verò ad calciationem, calceo vſu naturali vti videtur. Et cùm omne præter naturam ſit iniuſtum, fit, vt venditio calcei, atque cuiuſlibet artificij ex ea parte, qua eſt artificium, ſit iniuſta. Sed quonam modo artificij quod eſt ſine materia, commutatio poſſit eſſe communis vſus, nunc diſſerendum: videtur enim ipſius ſanationis, quæ artificium eſt medici ſine materia, venditio iuſta, & patrocinij, quod eſt artificium ſine materia artis ciuilis, etiam venditio iuſta, licitáque. At venditiones & emptiones commutationes ſunt.

Verùm illud annotatione dignũ eſt, in artificio cum materia tria eſſe conſideranda, artificium ipſum, quo eſt artificiũ, materiam ex qua artificium fit, vt in calceo corium, & in ſtatua cuprum: & tertium ſunt labores, quibus artifex ad opus ſuum perficiendum ſubit. Sunt autem labores poſſeſſiones naturales, quas nobis natura pro vitæ neceſſitate ſubminiſtrat, quæque vendibiles, atque commutabiles ſunt, non aliter quàm frumentum, vel vinum. Ita profectò, vt laborum ſit duplex vſus, pro ratione duplicis finis, quorum alter eſt commutatio, quæ communis eſt laboribus cum omni naturali poſſeſſione. Alter eſt commodum vitæ, habemus enim ex laboribus, quibus vtimur ad aliquod opus perficiendum, commodum ad viuendum. At in artificio, quod eſt ſine materia, duo tantùm ſunt, artificiũ ipſum, & labor, quo expletur, atque perficitur. Ex iis perſpicuum, artificium cum materia bifariam iure vẽdi atque commutari poſſe: vna ratione quidem ex parte materiæ, quæ eſt quædam naturalis poſſeſſio, calceus enim ex ea ratione qua eſt corium commutari iure poteſt, eſt enim (vt diximus) commutatio communis vſus omnium naturalium poſſeſſionum. Altera autem ex parte laborum, ſine quibus nullus artifex opus ſuum ad finem deducere poteſt. Artificium verò ſine materia, vna duntaxat ratione eſt commutabile, ſcilicet ex parte laborum, tantóque carius quanto labores & maiores, & præſtabiliores ſunt, quibus promitur. Vnde Ariſtoteles magnus naturæ rimator primo politicorum, aſſerit eum qui fortitudine aut militari vtitur ad accumulandas, congregandáſque diuitias, nec fortitudine, nec militari vti ſecundum naturam, nec medicum cùm medicinali potentia vtitur ea ratione, ſecundum naturam medicinali facultate vti arbitratur. Nam nec militaris, nec medicinalis eſt ad accumulandas diuitias vt in finem, ſed illius quidem finis eſt vincere, huius autem ſanare.

Commutationem fuiſſe primum vſum poſſeſſionum naturalium: & de ratione commutandi.

DEINDE ſupponamus naturalium poſſeſſionum primum vſum fuiſſe commutationem naturalis poſſeſſio-

nis cum naturali poſſeſſione: poſt quam procedente tempore ſucceſſerunt emptio, & venditio, locatio, conductio, & cæteræ commutationes arte conſtitutæ, de quibus in legibus agitur. Cœpit enim commutatio primò poſſeſſionis naturalis in poſſeſſionem naturalem, nam in prima hominum origine, alios plus de vino, alios plus de tritico, alióſque de aliis plura vel pauciora habuiſſe, exploratum habemus: quo in tempore nullius nummi genus inuentum eſſe legimus. Et quoniam qui plus vini quàm tritici habebat, tritico egebat, ei opus erat vinum pro tritico commutare, ita quoque contrà. Dico autem in prima hominum origine, non quidem in ea ſocietate, quæ eſt domus, non enim inter ſe commutant vir & vxor, dominus & ſeruus, & pater ac mater cum liberis, quippe qui communiter omnia habebant: ſed auctis gentibus in ea ſocietate, quæ eſt pagus, caſtellum, ciuitas, aut gentes. Nam ciues ſeparatim multa habebant, alij vinum, alij triticum, alij denique oleum, quibus pro indigentia opus erat commutationem facere. Comperto verò, percuſſo, obſignatóque nummo, emerſerunt venditio, quæ nihil aliud eſt, quàm commutatio poſſeſſionis naturalis in nummum: & emptio, quæ eſt commutatio nummi in poſſeſſionem naturalem, cæteræque aliæ id genus quæ arte fiunt, de quibus in legibus diligenter & per capita pertractatur. Ex iis patet rationem commutandi primam non eſſe præter naturam, primò quia poſſeſſiones, in quibus commutatio locum habet, ſunt naturales, nobis ſcilicet à natura oblatæ pro neceſſitate viuendi. Deinde quia indigentiæ, quibus homines indigent poſſeſſionibus, ſunt naturales. Inſunt enim nobis natura, naſcitur enim homo nudus, & multifariam indigens. Nullus enim naſcitur qui cuncta poſſideat, maximè in prima rerum origine. Et quia homines natura indigent, & poſſeſſiones hominibus natura offeruntur, ideo quaſi de iure naturæ ſaltem ſecundario (quod eſt iùs gentium) introducta fuit olim commutatio, quam vſque ad hæc tempora plures barbararum nationes ſeruant, alia pro aliis dantes, recipientéſque, vt Seres, & Garamantes populi. Verùm quamquam commutandi ratio, commutatióque ipſa naturales ſunt, iuréque naturæ introductæ, nihilominus ad actum, perfectionémque deduci

non poſſunt, niſi ratione conſulente, atque voluntate eligente. Hactenus de ratione commutandi: Poſt hæc de pecuniaria, qua videlicet œconomus vtitur ad acquirendas pecunias.

Epilogus, hoc eſt peroratio eorum, quæ diximus.

QVONIAM de eo genere nobis diſſerendum eſt, quod pecuniarium vocant, reſumendi ſunt omnes modi, omnéſque rationes acquirendi, de quibus diximus antequam de eo proſequamur: modi igitur ſiue rationes acquirendi, vt diximus, alij præter ordinem ſunt, qui nec natura, nec arte, nec diſciplina nobis inſint, alij nobis natiui ſunt ab ipſáque natura ſuggeſti, quorum genus κτητικὸν, hoc eſt acquiſitiuum ſiue poſſeſſiuum dicitur, quòd natura per ipſum acquiramus naturales ipſas poſſeſſiones. Cuius generis tres ſpecies enumerauimus, paſtoralem, venatóriam, agriculturam, & quartam addimus, quæ eſt ex aliquibus horum miſta, vt natiua neceſſitas compellit. Poſtea volentes de pecuniario acquirendi genere diſſerere, enumerauimus artes, quibus homines diuitias acquirere conſueuerunt, tam eas quarum artificia conſtant materia, quàm eas, quarum artificia ſine materia ſunt. Diximus etiam de ratione commutandi, commutationibúſque ipſis. Hæc ſunt quæ diximus, cum quibus multa alia interpoſuimus, quæ viſa ſunt nobis bona ratione non prætereunda. Reliquum eſt nunc vt dicamus de alio acquirendi genere, quod (vt diximus) pecuniarium vocant, & de nummulariis facultatibus, nec non & de diſciplinis, per quas etiam diuitiæ acquiri ſolent: non prætermittentes quæcunque alia nobis videbuntur pertractatione digna.

De nomine pecuniariæ, & de pecuniarum introductione, & quo modo pecuniaria differt à naturali ratione quæ in acquirendis diuitiis eſt.

EST itaque genus aliud acquirendi, quod (vt Ariſtot. inquit) maximè vocant, atque iuſtum eſt ipſum nuncu-

Digitized by Google

pare χρηματικόν, hoc eſt pecuniarium, nam pecunias, quarum hoc acquirendi genus acquiſitiuum eſt, Græci vocant χρήματα. Differt autem primum acquirendi genus ab hoc, nam primum ineſt nobis natura, quoniam cuncta animalia natura docente quærunt alimentum, ac cætera quæ ſunt ſibi victui neceſſaria. Inſuper primum eſt in acquirendis poſſeſſionibus, quas natura nobis miniſtrat: vt ſit ſuperiùs rectè traditum primum acquirendi genus eſſe nobis naturale, tum ex parte noſtra, tum ex parte rerum, poſſeſſionúmque ipſarum, quæ acquiruntur. At genus acquirendi, quod nunc vocamus pecuniarium, nec ex parte noſtra eſt naturale, quippe cùm ſit magis ſecundum quandam experientiam & artem: qui enim hoc lucrandi genere lucrantur, vtuntur conuentionibus, commutationibus cuiuſcunque generis, quæ ſine arte, atque experientia nequaquam perficiuntur. Nec inſuper ex parte rerum, quas per huiuſmodi genus homines acquirunt, quippe cùm pecunias non natura, ſed ars nobis introduxit. Et licèt hoc ſecundum acquirendi genus à primo differat, non tamen valde, non enim eſt omnino præter naturam, nam per huiuſmodi pecuniæ acquiruntur, quæ vt diuitiæ exiſtimantur, quippe cùm per eas haberi poſſint cuncta, quæ ſunt nobis vitæ neceſſaria. Vnde Ariſtot. pecuniarium genus, quod in commutationibus eſt, inuentum eſſe aſſerit in ſupplementum quoddam eius indigentiæ, quæ nobis natura ineſt. Cùm enim natura alimentis, & cæteris nobis neceſſariis indigeamus, pecuniaria vis emerſit, vt per eam pecunias acquiramus, quæ ſunt in ſupplementum diuitiarum inſtitutæ: quare rectè dictum eſt huiuſmodi genus non eſſe ſecundum naturam, non tamen omnino aduerſus naturam. Pecuniæ enim quas per huiuſmodi genus acquirimus, conſtructæ ſunt, vt per eas poſſeſſiones naturales acquiramus, quæ ſunt nobis à natura productæ. Et ita fit, vt ſaltem huiuſmodi genus ſit naturale merito vltimi finis, ad quem œconomus pecuniario genere vtitur, etſi non merito proximi finis, quæ eſt pecunia ipſa.

Digitized by Google

De pecuniariæ origine, & de nummi introductione.

SED vnde profectum ſit pecuniarium genus, non erit difficile exponere. Ariſtoteles enim primò ortam in hominibus commutationem poſſeſſionum naturalium eſſe probauit. Poſtmodum gentibus auctis, ciuitatibúſque conſtructis emerſiſſe ſecundum commutandi genus, quod fit pecuniæ in poſſeſſiones, vel poſſeſſionum in pecuniam: cuius generis venditio, & emptio, & cæteræ id genus ſunt. Ex hoc ſecundo genere veniſſe autumat genus pecuniarium. Nam cùm auctæ eſſent gentes, & quaſi vniuerſa terra habitata, externum inſurrexit auxilium, quatenus res victui neceſſariæ exportantur ad remotas ciuitates, & ad proprias importantur: & cùm hæc fieri non poterant facilè, neceſſariò nummi introductus eſt vſus. Comperto autem, percuſſo, obſignatóque nummo, pecuniarium genus, quo pecuniæ acquirerentur, emerſit. Ad commutationes igitur in remotis faciendas tale aliquid compoſuerunt inter ſeipſos quaſi de communi conſenſu, quod dare in emptionibus poſſent, & in venditionibus accipere. Hoc autem & vtile, & in commutationibus facile eſſe oportet: vtile quidem, nam ſi vtile non fuerit, non bene vtile pro inutili commutabitur: facile autem, quoniam ſi non eſſet in commutationibus facile, fruſtrà nummi vſus introductus eſſet.

De pecunia, & nummo, & de eorum ſpeciebus, quibus vtimur plerumque.

ET cùm pecuniarium acquirendi genus in pecuniarum, nummorum, atque monetarum acquiſitione conſiſtat, exponamus genera primò nummorum, poſtea ſpecies eas, quibus plerumque vtimur, nam ſi omnes enumerare vellemus, eſſet nobis difficile, & non vtile. Sunt igitur genera, quæ nunc vſu generico nuncupantur, pecunia, nummus, moneta, & denarius. Auguſtinus libro de doctrina Chriſtiana, dum Totum, inquit, quod homines in terra habent, quorumcunque domini ſunt, pecunia dicitur, quia antiqui quod ha-

bebant, in pecoribus habebant: Vlpianus libro 48. ad S. Conſul. Pecuniæ verbum, inquit, non ſolùm numeratá pecuniam complectitur, verùm etiam omnem omnino pecuniam, hoc eſt omnia corpora: nam corpora quoque pecuniæ appellatione nemo eſt qui ignoret: quod Hermogianus probauit etiam. At Plinius libro 33. Pecunia, inquit, ſortitur nomen à nota pecudis, quoniam antiquitus nummi effigie pecudis ſignabantur. hinc Plutarchus in Publicola aſſerit in vetuſtiſſimis nummis ſignum fuiſſe ouis, ſuis, bouiſque conſpectum. Et in hunc ſenſum Ariſtot. vbique pecuniam χρῆμα appellat, è quo χρηματική, hoc eſt pecuniaria deducitur ars, ſiue diſciplina. Nummus verò dicitur à νόμος, quod eſt lex, quia cùm commutatione vti homines ſolerent, vſus nummi lege introductus eſt. Hac ratione nummum monetam appellauere, quòd nos ſigni impreſſione, vel auctoris vel pretij moneat. Vnde Ariſtot. quinto ethicorum aſſerit nummum eſſe, qui rebus menſuram infert, ac æſtimationem, éſtque medius quodammodo, quo cuncta metimur, ac rerum pretia inæqualium ad æqualitatem reuocamus: quia verò ex lege eſt, non natura, proinde nummi protepſit appellatio à nomo hoc eſt lege. éſtque (vt Ariſtoteles inquit) οἷον ἐγγυητής, hoc eſt tanquam fideiuſſor. Ante cuius inuentionem rerum fiebat permutatio, & res metiebatur indigentia. Scribunt ex Græcis nonnulli quadrupedibus maximè permutationes conſtitiſſe, qua item ſit effectum ratione, vt mox inuento nummo pecudis imprimeretur nota, ſed bouis maximè. Denarius verò genus monetæ eſt, quod (vt Varro inquit) denas libras æris valeret. Verùm propter excellentiam nummi denarij, factum eſt, vt denarius pro omni moneta intelligatur: nam ab Ariſtotele proditum eſt, cùm alibi, tum auſcultationis phyſicæ tertio, omnes homines tam barbaros, quàm Græcos priſcam ſeruaſſe conſuetudinem perpetuò ad decem vſque numerandi. neque enim cenſeri fortuitum debet verum ex naturæ fontibus propagatum, quod ſemper fiat, atque item vbique. Præterea denarius numeri abſolutam indicat qualitatem. Continet enim numerandi genera vniuerſa, vti par, impar, quadratum, cubum, quod quadrantale dicunt, longum, planum, primum, compoſitum. Inſuper denarius

denarius fons eſt, ac principium, quippe qui ex vno, duobus, tribus, & quatuor conſtet. Nec illud reiiciendum, dediſſe nobis in manum digitis eum numerum ipſam rerum naturam. Poſtremò denarij rationem continere & centenarius, & millenarius videntur: nam & hi quoque vniuerſi cenſentur. Quare licèt denarius idem ſit quod drachma, tamen pro genere cuiuſque monetæ eo vtimur hodie. Hæc de generibus. Species verò diuerſæ emerſerunt, aut ex parte materiæ, quatenus alia eſt aurea, quæ aureus dicitur: alia autem argentea, quæ licèt pro variatione ſignorum varietur, tamen in tranſalpina Gallia, qualemcunque numerorum ſpeciem, ſimpliciter argentum vulgò appellant. Nam & Græcis ἐξαργυρίζειν, quod Mar. Cicero exargentare tranſtulit, in pecuniam redigere ſignificat: alia ærea, eſt autem æs metalli ſpecies, quæ apud antiquiſſimos priùs in vſum quàm ferrum venit, vt Heſiodi poëtæ carmen indicat, vnde & pecunia ſolo ære cudi cœpta eſt. hinc factum eſt, vt qualiſcunque pecunia æris appellatione comprehenderetur, quod etiã Græci ſeruarunt, qui χαλκὸν hoc eſt æs pro quacunque pecunia acceperunt. Inſuper diuerſitas ſpecierum etiam ex differentia figurarum, atque ſignorum colligitur. Siquidem differentia ſigni, atque figuræ pondus cognoſcitur, cuius diuerſitate diuerſæ monetarum ſpecies habentur. Diuerſificantur quoque monetæ nomenclaturis, pro varia ratione atque varia quibus appellantur pro arbitrio: de quibus auctores quærantur.

De cauſis monetarum, & de inuentoribus, & de Chalcochymia.

SED de cauſis monetarum, ſiue pecuniarum, vel nummorum non erit infructuoſum quædam pertranſire. Sunt itaque monetarum, quemadmodum rerum naturalium cunctarum cauſæ quatuor, cauſa quidem, vt materia eſt ex qua moneta fit. Hæc verò materia quæcunque fuerit, vtilis eſſe debet, alioquin non bene pro re vtili (vt ſuperiùs diximus) commutaretur, ceu ferrum, auctore Ariſtotele, & æs, & argentum, & ſiquid aliud tale fuerit, videlicet aurum. Hæc

Digitized by Google

enim ſecundum ſe vtilia ſunt, inquantum quidem ex eis fiunt vaſa, inſtrumenta quædam atque ornamenta. Inſuper eſſe debet cara, atque pretioſa, nam ſub parua quantitate magni valoris eſſe debet. Adhuc delatu facilis, vt metalla, quæ diximus, quæ in parua quantitate valent multum, potiſſimum argentum, & aurum, ſicuti etiam ad præſens tempus procul peragraturi pro ſumptuum neceſſitate, loco ferreorum, vel æreorum nummorum fecerunt argenteos, vel aureos, & quidem ob faciliorem delationem. Cauſa autem, vt finis, eſt vt per monetam haberi poſſint ea, quæ victui neceſſaria ſunt per importationem & exportationem. Cùm enim externo auxilio opus eſt, ea importando, quibus indigemus, atque exportando, quibus alij procul eguerint, nummi, vt diximus, vſus introductus eſt, cùm ea non facilè deferri poſſint. Cauſa vt forma, eſt monetæ diſpoſitio & in figura, & ſigno, quibus pondus atque menſura cognoſcuntur. Vnde Ariſtoteles de nummo loquens, primò quidem definitum inquit magnitudine, & pondere, poſtea perfectum, ſignóque impreſſum, quo à menſuratione liberi eſſent, nam ſignum poſitum eſt ad quantitatem ſignificandam. Cauſa, vt efficiens, eſt princeps, vel Reſpublica, cuius eſt poteſtas condendi leges. Loquor de efficiente primario, non autem de fabro, qui monetam ſtruit, atque cælat. Etiam qui primus monetam adinuenit, vt efficiens cauſa eſt, ſicuti Phidon Corinthiorum legis lator, qui fertur primus nummum percuſſiſſe, ac ſignaſſe, & pondera & menſuras ad commutationum æquitatem excogitaſſe. Legimus etiam in primis Peloponenſium nummum fuiſſe quendam ab incuſa animalis forma Chelonem, hoc eſt teſtudinem nuncupatum. Nam obolum Eupolis Callichelonum appellauit, veluti teſtudinem dicas pulchram. Hinc emanauit illud, τὴν ἀρετὴν καὶ σοφίαν νικῶσι χελῶναι, quod eſt, virtutem ac ſapientiam teſtudo ſuperat. Aliqui ex Græcis memoriæ commendarunt Lydos primos aureum ac argenteum nummum, principes feriendum curaſſe, percuſſiſſe atque ſignaſſe. Hermodicen ſcribunt veterum plerique Phrygum regis Midæ vxorem, quæ tum forma conſpicua, tum verò ſapientia, atque artifici ingenio præclara fuit, Cumæis primam cudiſſe nummos. In decem viro-

De inuentore monetæ.

Digitized by Google

rum legibus ita lectum inuenimus:

Tribuni ſunto, domi pecuniam publicam cuſtodiunto.

Vincula fontium ſeruanto, capitalia vindicanto.

Æs, argentum aurúmve publicè ſignanto.

Sed vtcunque ſit, primus nummi inuentor cauſa vt efficiens eſt. Ex quibus perſpicuum videtur monetam in re ciuili non eſſe vna ratione, quoniam ex parte materiæ, & formæ contingit eſſe multiformem, multíſque modis, vt commoditas ſuppetit. Cùm enim mercatores interdum procul ire contingat, pretioſas monetas, multi valoris in parua quãtitate pro faciliore delatione eos ferre oportet. Præterea in Rep. non pro omni re opus eſt omni moneta, ſed alia atq; alia pro alia atque alia re emenda. Hinc aliæ aureæ, argenteæ aliæ, æreæ, atque miſtæ pro neceſſitate ac ciuium commodo. Materiam verò monetarum nobis miniſtrat natura vim ob ſuam mineralem, per quam agit metalla: & hac ratione monetarum materiæ, aurum, argentum, & id genus ſunt. Alio modo nonnulli materiam monetarum ſubminiſtrare putant eam artem, cuius vis eſt mutare vnam metalli ſpeciem in alteram, quam dicunt fuſoriam, Græci Chalcochymiam vocant. Verùm inter philoſophos non parua digladiatio ſemper fuit, poſſitne per huiuſmodi artem verum argentum, atque verum aurum fieri, an ſophiſticum duntaxat. Sed cùm hæc diſceptatio magis ad meteorologicos, quàm ad ciuiles ſpectet: iccirco quoad rem ciuilem attinet, mihi videtur artem huiuſmodi à re ciuili, quæ bonis legibus eſt inſtituta, eſſe fugandam: primò quidem, quia moneta ipſa, (vbi per fuſores aurum, atque argentum facilè fieri poſſent) vim ſuam amitteret, quippe quia non rara, ſed plurima fieret. Deinde in re ciuili non ea ars permittenda eſt, per quam & plurimi euadunt pauperes, & plurima falſa, atque ſophiſtica metalla pro veris à ciuibus recipiuntur. Finem autem monetæ nobis ſubminiſtrat, non quidem neceſſitas, nam in prima rerum origine gentes ſine moneta vixerunt, multæ etiam barbararum & nunc, ſed ipſum commodum. Introductus eſt enim monetæ vſus, (vt ſæpe diximus) & vt commutationes facilè fiant, & vt inter longinquas gentes naturales neceſſitates ſuppleantur.

De mutationibus monetarum, & epilogus.

NON erit inutile de monetarum mutationibus aliqua interſerere: vbi illud primò eſt ſupponendum quinque conſideranda eſſe in ipſa moneta, in quibus mutatio cadere poteſt. Materiam videlicet, pondus, figuram, appellationem, & vſum. Poſtea aſſerendum eſſe arbitror, mutationem ſolùm iure fieri poſſe ab eo, cuius poteſtas eſt faciendi monetam, quippe cùm ab eo duntaxat interpretationem habeat. Siquis autem alius hoc facere præſumpſerit, in crimen ſubiectæ iuriſdictionis eum incurrere nemo dubitare debet. Verùm vbi mutatio monetæ (ſiue in materia, ſiue in põdere, ſiue in ſigno, ſiue in appellatione, ſiue in vſu fiat) redundauerit in publicum ciuium damnum, nec à principe, nec ab aliquo alio iure fieri poteſt. At vbi in publicum bonum emerſerit, (ceu in multis caſibus cernimus) princeps cuius poteſtas eſt instituendi monetas, iure eam facere poterit. Hactenus de pecuniis, necnon & de pecuniaria, quæ ratio quædam eſt acquirendi diuitias pro vitæ neceſſitate, pecuniarum videlicet interuentu.

Dubitationes.

SED cùm hæc ſint explorata, dubitationes, quæ olim à ciuilibus excitantur, facilè diluentur. Eſt prima, vtrum œconomi ex ea ratione, qua eſt œconomus, ſit acquirere diuitias, an eas ſubeſſe oporteat. Deletur autem hæc dubitatio illico, ſi animaduertantur ea, quæ diximus: diximus enim diſciplinas, quibus diuitias acquirit ciuis, alteram eſſe naturalem, vt paſtoralem, venatoriam, & agriculturam: alteram eſſe partim naturalem, partim arte confectam, vt pecuniariam: quas ambas Ariſtoteles vno nomine appellat diſciplinam acquirendi domeſticam, vel familiarem, quoniam vtraque parat inſtrumentum œconomo, hoc eſt diuitias, licèt (vt dictum eſt) modo quodam diuerſo. Quare perſpicuum œconomi ea ratione, qua œconomus eſt, eſſe diuitias adminiſtrare. Nam ſicuti homines non facit res publica, ſed ſuſcipiens factos à

natura, eis vtitur, ſic rei familiari oportet naturam alimentũ præbere, aut à terra, aut à mari, aut ab aliquo alio, quod vt inſtrumentum ſubſit, ac ſubiaceat: ſed quo pacto id adminiſtrãdum ſit, ad œconomũ ea ratione, qua œconomus eſt, attinere videtur. Nam textor lanas non facit, ſed eius eſt factis vti, atque diſcernere qualis bona ſit aptáque, qualis autẽ mala atque inepta. Quòd ſi idem œconomus diuitias acquiſierit, eíſque vſus fuerit, non vno habitu hoc facit, nam habitu œconomico domum gubernat, habitu verò, qui diſciplina acquirendi domeſtica dicitur, diuitias acquirit. Sicut enim alio habitu ſutor facit calceum, & alio cytheram pulſat, ſic œconomus alio habitu rem familiarem gubernat, diuitiáſque pro neceſſitate miniſtrat, alióque eas acquirit. Secunda verò dubitatio eſt, cur acquirendi facultas neceſſaria eſt œconomo ad rem familiarem gubernandam, medicinalis verò haudquaquam. Et planè videtur neceſſaria: nam ſanam oportet eſſe familiarem, vt & victum habere. Quare æquo iure medicum oportet eſſe œconomum, veluti diuitiarum lucratorem. Diluit Ariſtoteles, dicens quodam modo ad œconomum ſpectare vt de ſanitate prouideat, non eo modo, quo ſpectat ad medicum, ſed ea ratione, qua attinet ad œconomum, cuius officium eſt ſeruare familiam ſanam, vel per habitum proprium, vel per habitum alterius hominis, qui medicinalem facultatem percallet: ſicuti imperatoris eſt vincere, aut per proprias vires, aut per vires militum, quibus fretus victoriam conſequitur.

De locis vtilibus pro emptionibus, & venditionibus, & pro acquirendis diuitiis ex rebus naturalibus.

DIXIMVS de acquiſitiuis facultatibus generatim ea, quæ attinent ad cognitionem, hoc eſt theoreticè, nam diximus de acquiſitiuis, quæ ſunt penitus naturales, inſuper & de pecuniariis, quæ ſunt partim arte atque experientia roboratæ, quales, & quæ ſint. Nec ab ratione, quia cuncta, quæ ſic dicuntur de acquiſitiuis methodis, contemplationem liberalem habent quæ eſt libero homine digna. Siquidem contemplatio omnis de quauis re etiam viliſſima, cùm gene-

Digitized by Google

ratim, atque theoreticè agitur, libero homine digna videtur eſſe. Sed cùm pro gubernanda domo, aut ciuitate non ſufficiat, opus enim eſt neceſſaria experientia. Contemplatio enim experientiæ coniuncta ad gubernandam domum vel rem publicam optima eſt. Quare cùm de iis theoreticè diximus, nunc loca, atque conſiderationes aggredimur, quibus venditiones atque emptiones, aliæque commutationes, necnon & acquiſitiones, quæ ex rebus naturalibus proficiſcũtur, facilè fieri poterint. Pro emptionibus igitur atq; venditionibus (vt Ariſtot. monet) prima conſideratio, primúſque locus eſt inſpicere ipſas res, quæ emuntur, aut vẽduntur, quales maximè vtiles ſint, vt equi, aut boues, aut oues, aut porci, & id genus: dico quales maximè vtiles fuerint aut ad emendum, aut ad vendendum, aut ad aliquod id genus faciendum, vt lucro expediat. Secundus verò locus eſt animaduertere, vbi maximo vel minimo pretio emantur, vel vendantur, vbi viles, caræque magis, minúſve fuerint. Tertius autem, quo tempore, aut quomodo ſecundum cæteras conditiones cariùs, viliúſque emuntur, aut venduntur, aut aliis rationibus commutantur. Ceu, vt diximus, cùm equi emendi ſunt, vel vendendi pro ſtabulo faciendo, aut boues pro armento, aut oues pro grege, aut alia animalia pro congregationibus cæteris id genus. Simili ratione oportet œconomum, ſi apes, gallinas, anſeres, columbos, cæteráque animalia, tam volatilia quàm natatilia gubernare voluerit, experientia cognoſcere, quæ vtilitas fuerit prouentura. Deinde pro emptionibus, atque venditionibus agrorum oportet œconomum, qui ex fructibus eorum pecunias acquirere vult, eſſe expertum agriculturæ, terræque tam nudæ quæ ſine ſtirpibus eſt, quàm etiam conſitæ quæ fruticeta, vel arbuſta, vel arbores continet. Oeconomus enim ex his rerum venalium copiam acquirit, vt tritici, vini, olei, & id genus, ex quibus multas pecunias congregare poterit. Plures aliæ conſiderationes eſſent faciendæ, ſed has pro exemplis ſufficere volumus.

Digitized by Google

Enumeratio omnium acquiſitiuarum artium, & repetitio.

SVNT igitur artes ſiue methodi, ſiue rationes acquirendi, aliæ omnino naturales, vt venatoria, paſtoralis, & agricultura. Aliæ partim naturales, partim tranſlatitiæ, ſiue artificiariæ, vt pecuniaria, quæ ex poſſeſſionibus naturalibus pecunias, quæ ſunt res artificiales congregat: & lignaria, quæ ex cædua ſilua ligna, atque tabulas, & id genus pro pecuniis accumulandis facit: & metallica, quæ ex mineris pro coadunandis pecuniis metalla ſubfodit, atque conficit, & hæc quidem plura genera continet, quippe cùm multa ſint metallorum genera, vt aurum, & argentum, & ferrum, & id genus. Sed de ſingulis horum, quæ complectuntur huiuſmodi artes generatim dictum nunc ſit, particulatim autem atque exactè dicere vtile quidem foret, ad quæſtus ipſos, pecuniáſque comparandas, ſed pergraue in his edocendis perſiſtere. Sed cùm à quibuſdam de his ſcriptum ſit, vt à Charetide Pario, & ab Apollodoro Lemnio, à quibus eſt ſcriptum de cultu agrorum tam nudorum, quàm conſitorum, etiam à Hierone Attalo, Philometore, Archelao, Xenophonte, Magone, Theophraſto, Hippocrate, Dioſcoride: inſuper & à Latinis, vt à M. Catone, Vergilio, Saferna, Trebellio, Celſo, Grecino, Hygino, Plinio, Columella, Palladio: ſimiliter & ab aliis de aliis artibus per quas quæſtus haberi poſſunt: hæc quidem ex his auctoribus conſideret curioſus, cui cura eſt hæc velle ſcire. Aliæ verò artes ſunt, quæ dicuntur tranſlatitiæ, quæ penitus artificiariæ ſunt, dictæque tranſlatitiæ, quia transferunt ab eo, quod eſt naturæ neceſſarium, ad id, quod requirit concupiſcentia. Generis harum eſt mercatura, cuius partes ſunt nauigatio, quæ commercia mercationéſque per mare exercet: deuectio, quæ commercia in terra per deportationes onerum, quæ carri, vel iumenta deuehunt: & tertia eſt negotiatio, quæ nec per mare, nec per terram commercia exercet, ſed per commutationem pecuniæ aut rerum mercatoribus aſſiſtit. Harum negotiatio & vectio ſecuriores ſunt, cùm per terram exerceantur. Nauigatio verò vtilior, periculis tamen magis expoſita. Inſuper generis harum eſt fœneratio, &

Digitized by Google

campſoria, de quibus ſtatim ſeorſum dicemus. Adhuc autem alia eſt mercenaria, tam quæ arte perficitur, quam ſuprà diſtinximus, in ardonicam, lanificam, oleariam, & in cæteras id genus, quàm quæ ſine arte miniſtrat, vt ars fodiendi, ars arandi, & cæteræ id genus, in quibus parum, aut nihil artificij eſt, ſed pro maiore parte ipſo corpore explentur. Qua ratione fit, vt omnes methodi rationéſque acquirendi ſint, aut omnino naturales, aut omnino artificiales, aut partim natura, partim arte ſuggeſtæ.

De acquiſitionibus, quæ fiunt per diſciplinas.

FIVNT acquiſitiones diuitiarum per diſciplinas, quæ nec artes, nec naturæ ſunt, vt per grammaticam, per dialecticam, per rhetoricam, per mathematicas omnes, per phyſicas, per metaphyſicam, per theologiam, & per id genus. Præceptores enim qui has diſcipulos docent, pecunias multas accumulare cernimus: nos enim primi à Bononienſibus, à Venetis, ſi in eorum Gymnaſiis philoſophiam docere vellemus, millenarium aureorum numerum pro mercede ſingulis annis acciperemus, ſicuti à Florentinis accepimus, Piſis philoſophiam profeſſi. Sed quanta eſſe debet recompenſatio, an pro æſtimatione præceptoris qui docet, an diſcipuli, qui diſcit, non eſt exploratum. Protagoras cùm docuiſſet ea quæ profitebatur, diſcipulum æſtimare iubebat, nam quanti ei videbantur, tantum accipiebat. Cauſa autem, quia merces viro benefacienti, non autem diſciplinæ exhibitæ retribuitur, non enim dignitas philoſophiæ, quam diſcipulum præceptor docet, poteſt auro, aut pecunia æſtimari, nec poteſt diſcipulus præceptori reddere par, ſicuti nec filius parentibus, nec Deo: ſed ſatis eſt reddere quod poteſt, ne ingratus benefactori cenſeatur. Sic putat Ariſtoteles nono ethicorum libro, præmia præceptoribus eſſe retribuenda. Temporibus verò noſtris præceptores vendunt pacto doctrinas, modo quo mercatores res venales: nam illi magis laude digni habentur, qui pluris profeſſiones atque doctrinas vendunt. Rhetores orationes, nam Iſocrates vno talento

vnam

Digitized by Google

nam orationem vendidit. Aſtronomi iudicia, Claudius Ptolemæus cuidam Ægyptiorum Regi vno indicio de eius vita prolato, ditiſſimus ab illo effectus eſt. Poëtæ carmina, Virgilius enim ex carminibus in laudem Auguſti ſcriptis, magnis muneribus eſt decoratus. Plautus paupertate oppreſſus vendebat comœdias.

De fœnore.

QVIA propoſuimus de fœnore, & campſione dicere, priùs de fœnore, poſteà de campſione diſſerendum. Fœnus itaque ſe ipſum facit maius, vnde & nomen ipſum venit, dicitur enim τόκος, hoc eſt fœtura, vel partus pecuniæ. Nummi enim in fœnore à nummis pariuntur. Differt autem fœnus à fœneratione, & ab vſura, nam fœneratio eſt mutatio ad vſuram, fœnus (vt diximus) partus pecuniæ, quæ mutuabatur. Vſura verò eſt obligatio (vt Paulus inquit) ex tacito, vel manifeſto pacto, quo recipiens obligatur vltra ſortem dare pretium. Eſt autem vſura, ſiue fœnus modus acquirendi maximè contra nummi naturam. Primò quidem, quia contra vſum nummi, quo nummus eſt, nam nummi vſus, quo nummus eſt, commoda eſt rerum naturalium cum nummo commutatio, & cùm fœneratio mutatio ſit, per quam nummus ex nummo fit, erit igitur abuſus quidam nummi. Deinde, quia eſt contra vſus nummorum, quo nummi diuitiæ ſunt ſaltem artificiariæ: nam nummi, quo ſunt diuitiæ, ſunt inſtituti ad vitæ neceſſitatem, ſed cùm is, qui nummis vtitur, vt ex nummis nummi generentur, non ad vitæ neceſſitatem vtatur; videtur contra naturam nummi facere. Quare fœneratio in republica bonis legibus inſtituta, tanquam id quod eſt contra naturam, & malum fugandum eſt. Eſt etiam fœneratio alia ratione contra naturam, quippe cùm in ea, vt Ariſtot. inquit, non ſeruetur finis, auget enim cupiditatem in infinitum: omne autem infinitum eſt contra naturam. Inſuper fouet illiberalitatem tam dantis, quàm recipientis, at illiberalitas ſicuti & omne vitium contra naturam eſt, ſaltem hominis, quo homo eſt. Nec ſolùm eſt fugienda, ſed nullo pacto in republica recta permittenda. Primò quidem ne fœneratoris malitia perpetuò excreſcat,

néue illiberalitas in dies maiores ac maiores in ea vires aſſumat. Deinde ne prauorum hominum ditatio in dies maior ac maior euadat, inæqualitáſque diuitiarum inter ciues maius fomentum aſſumat, depauperatis quotidie bonis viris qui vltra ſortem pretium dare coguntur, malis autem locupletioribus factis. Poſtremò, quia permiſſa fœneratione, multæ artes à republica tollerentur è medio, ceſſaréntque commercia, laboréſque ciuiles reipublicæ neceſſarij, daréntque ſe homines pro maiore parte ad ocium. quippe cùm nihil ſit, quod magis ocium inducat inutile, quàm lucrum ſine laboribus, quod ex fœneratione proficiſcitur. Hac ratione diuinus Plato pro lege ſanxit ſexto libro de legibus, quaſi turbatus eum, qui pecunias ad vſuram accepit non teneri vltra ſortem pretiũ dare, nec ſi promiſerat, pactum ſeruare, etiam iuramento præſtito: cuius rei cauſam puto, quoniã ſi recipiens vltra ſortem daret, illiberalis efficeretur dando cui ex bono moris non oportet. Abuteretur inſuper pecuniis, omnis autem abuſus, cùm ſit contra naturam, malus eſt. Iuramentum quoque præſtitum ſeruare non tenetur, quippe cùm nullus ex iuramento id ſeruare teneatur, quod eſt ſui natura malum: non enim promiſſio de re omni ex parte mala eſt implenda, etiam iuramento facto: nam licèt iurans ex ea parte qua iurat, ſeruare rem omnino malam, peccet, ſiquidem iuramentum fatuum eſt, non tamen ſeruare tenetur, ne mali cum malo accumulatio fiat. Adde quòd nec mendaciũ, nec periurium committere videtur, alioquin in turpi voto oporteret fidem ſeruare. Addit etiam Plato eum qui recepit, non obligatum eſſe reddere ſortem, quod in pœnam fœneratoris puto bene factum eſſe. verùm Tyrannica fiſci lex ad ſe ſortem accipit. Diximus Platonis legem eſſe intelligendam, cùm is, qui pecuniam ad vſuram accepit, ſciuerit fœneratorem publicum eſſe infamem. Nam vbi eum bonum eſſe crediderit, mutuaſſéque pecuniam ob recipientis commiſerationem, non peccabit recipiens, ſi aliquid vltra ſortem retribuerit, vt remunerator beneficij accepti, non autem vt obligatus pro fœnore. Moſes verò conceſſit Iudæis fœnerari cum extraneis, non autem cum fratribus. Ariſtot. autem & Plato, qui omnes homines propinquos eſſe putant, fœnus à rebus humanis om-

Digitized by Google

nino fugarunt. Propterea quia vbique, atque cum omnibus ſeruanda eſt liberalitas, abuſúſque, cùm ſit contra naturam, fugiendus. Quare iuniores aſſerunt in veteri lege vſuram eſſe permiſſam cum extraneis, non quæ propriè vſura dicitur, ſed quæ metaphoricè, vt puta in recompenſationem damni, quod Iudæi in ea regione ab Ægyptiis paſſi erant, aut in locationem pecuniæ, quæ metaphorica vſura eſt. Sunt qui concedunt pro laboribus quos interdum fœneratores ferunt in pecuniis mutuandis, poſſe eos nonnihil præmij accipere, vt ſi in mutuationibus acciderit procul pecunias efferre. Verùm exactiorem indagationem viris ſacris derelinquimus.

De campſione.

EST inſuper alia mutatio, quæ campſio dicitur, à verbo cambio deducta, quod commutare ſignificat, ab hoc quoque campſores dicti ſunt illi, qui vulgò trapezitæ appellantur. Nec ab ratione: nam trapeza menſa eſt, qua argentarij vtuntur, inde trapezitæ pecuniarum campſores ſunt. Eſt autem campſoria mutatio multiplex: vna in qua campſor plus recipit, quàm dat: & hæc ſi fiat pro neceſſitate atque ad publicum bonum, lege cauenda non eſt. Sed ſi in priuatum bonum, atque publicum damnum agatur, auctore Platone, non eſt permittenda, potiſſimum cùm per eam homo inſatiabilis, vt Seneca inquit, reddatur. Alia eſt in qua minus quàm dat, recipit: & hæc ſi ab ignoratione proficiſcatur, non erit mala. Si ex malitia, vt videlicet campſor pauper euadat in heredum damnum, qui ei ſucceſſuri ſunt, mala eſt, cùm nihil fieri debeat in præiudicium alterius. At ſi fiat ex ſcientia, vt puta ad ſubſidium pauperum, campſor meretur. Tertia denique eſt, in qua campſor quantum dat, recipit: & hæc ſi non redundauerit in præiudicium boni publici eſt tum bona, tum laude digna. Quibus perſpicuum campſionem iure fieri poſſe de vna regione in alteram, ſiue fiat cum accremento, ſiue cum decremento, ſiue ex æquo, modò nec in publicum damnum, & priuatum bonum, nec in præiudicium alicuius adminiſtretur.

Digitized by Google

De quæſtibus laude dignis, déque vilibus. Atque de diuitiis nouis & antiquis.

POST de quæſtibus diſſerendum, ſunt enim non vna ratione proficiſcentes. Nam alij ſunt artificioſiſſimi, in quibus minimum fortunæ eſt: id enim à fortuna fieri exiſtimamus, quod fit præter rationem, in qua ars conſiſtit: eſt enim ars recta ratio faciendorum. Quare vbi plurimum artis eſt, ibi quoque rationis plurimum eſt, vbi rationis plurimum, minimum fortunæ habebitur. Quare euenit, vt quæſtus, qui multum fortunæ ſubiacent, parum artis continebunt, veluti quæſtus ex piſcatione, & venatione: contrà verò quæſtus, qui parum fortunæ ſubſternuntur, artis plus habere videntur, vt qui ex fabrilibus artibus, atque picturis proueniunt. Quæſtus verò ſordidiſſimi ſunt, in quibus corpora maximè inquinantur, atque maculantur, ſicuti qui ex coquis, & ab iis, qui plateas purgant, contingunt: contrà verò illuſtres, in quibus corpora ad laudem attolluntur, vt qui ex militia accidunt. Quæſtus ſeruiles ſunt, in quibus longè magis corporis, quàm animi vſu aguntur, ſicuti qui à deportandis oneribus, & à curſoribus & à cæteris id genus exiguntur: contrà verò liberi, in quibus rationis vſus maior cernitur, vt in docendis diſcipulis. Ignobiles denique ſunt, in quibus longè magis corporis quàm animi virtute habentur, vt qui ex macellaria, cauponaria, & cæteris id genus: at nobiles, in quibus longè magis anim,iquàm corporis virtus emicat, vt quæſtus qui ex doctrinis colliguntur. Ex iis licet deducere omnes quæſtus, qui ex quibuſuis artibus proficiſcuntur, habere nonnihil ſordidi, nonnihil ſeruilis, nonnihil ignobilis. Nam nulla ars ex ea parte qua eſt ars, eſt mercenaria, ſed ex ea parte qua quibuſdam laboribus expletur: medicinalis enim & militaris finis non eſt lucrum, ſed illius quidem ſanitas, huius verò victoria. Et ideo (vt ſuperiùs diximus) qui vtitur arte ad lucrum, contra naturam artis agit, omne autem contra naturã eſt malum: quare artifex ſi arte abuti non voluerit, opus eſt, vt ea vtatur ad lucrum, quatenus per labores artis opus implet. Merces igitur non arti, ſed artifici laboranti exhibetur. Qui verò pro labori-

Digitized by Google

bus mercedem accipit, mercenarius eſt, & ſordidus, & vilis, & ſeruilis. Propterea rectè Ariſtot. autumat diuitias, (niſi fuerint antiquæ, diúque ſeruatæ, non nouæ) non eſſe tertiam nobilitatem, vt poſtea diſputabimus. Quippe cùm nouæ forditie omnino non careant, antiquæ verò omni ex parte ſorde vacant. Vnde Ariſtoteles ſecundo Rhetoricorum libro, Sordidiores ſunt nuper ditati, quàm qui ab antiquo ditati ſunt. Debes igitur fili opes, quas tibi ſum derelicturus, omni diligentia ſeruare, ſic omni ſorde vacabis, atque ſumma ingenuitate dilucebis. Quod ſi amiſeris, poſtea verò repetere volueris (ſicuti faciunt imprudentes) duplici culpa inquinaberis, ſtultitia, qua ſeruare ignoraueras, & forditie, ſine qua nemo quæſtus eſt conſecuturus.

Quòd diuitiæ non debeant eſſe infinitæ.

SVPEREST nunc diſſerere de menſura diuitiarum, quantæ, quótve eſſe debeant, habet enim res hæc non paruam dubitationem. Loquor autem de diuitiis indifferenter, diximus enim diuitias alias eſſe naturales, quas nobis natura miniſtrat, alias autem arte inuentas, vt ſunt pecuniæ, quas ars inuenit propter commodum, vt commutationes facilè fierent. De omnibus igitur non parua ambiguitas eſt, infinitæne ſint, an finitæ. Solon poëtico more dicit, Diuitiarum nullus finis hominibus præfinitus ponitur. Conſona autem videtur hæc Solonis opinio naturali hominum inclinationi, atque natiuo appetitui, quo homines natiuo appetitu diuitias appetunt, non tot, nec tantas, quin plures, atque maiores in infinitum. Qua ratione fit, vt nullus ſit diuitiarum terminus, nullúſque conſtitutus finis, quemadmodum nec appetitionibus. Inſuper nos videmus diuitias eſſe infinitas, quæ ab ipſa pecuniaria atque nummularia ſunt: vt enim medicinalis facultas ſanationis in infinitum eſt, medicinalis enim ſemper in infinitum ſanare appetit, ſempérque ſanare enititur, ſic enim vnaquæque ars ſui finis in infinitum eſt: quoniam illum quem intendunt finem, facere quàm maximè volunt, quippe cùm in eo ſemper eſſe velint, & quàm maximè ipſum augere. Vnde ſyllogiſmus eſt, Cuiuſlibet artis finis eſt infinitus, Solon.

Digitized by Google

diuitiarum acquiſitio eſt nummulariæ atque pecuniariæ finis: ergo diuitiarum ipſa acquiſitio infinita erit. Ariſtoteles verò, & Plato nec ad bene beatéque viuendum, nec ad ſimpliciter viuendum volũt diuitias eſſe infinitas. Quod quidem non ad bene beatéque viuendum, Plato quinto libro de legibus ſatis probauit, vbi concludens dicit, Rectè itaque Seruio noſter aſſerit valde diuites bonos viros non eſſe, qui ſi boni non fuerint, fœlices quoque non erunt: quod Ariſtoteles etiam libro politicorum confirmat, cùm inquit, Sufficientia huiuſmodi acquiſitionis ad bonam vitam non infinita eſt. Vnde Dion, Plutonem diuitiarum Deum putabant, cæcúmque hunc pingebant, nec immeritò, cæcus enim eſt qui diuitiis ſtudet. Quod autẽ non ad ſimpliciter viuendum eodem loco probauit Ariſtot. per quandam ſimilitudinem ex aliis artibus, quoniã nullius artis, cuius opus finitum eſt, inſtrumentum eſt infinitum, nec magnitudine, nec multitudine, malleus enim qui artis fabrilis inſtrumentũ eſt, nec magnitudine, nec multitudine eſt infinitus. Cùm igitur œconomica ars ſit, cuius opus eſt gubernatio domus & ad bene beatéque viuendum, & ad ſimpliciter viuendum, quod eſt finitum: diuitiæ autem inſtrumentum eius, quo illud opus perficit: fit vt nec magnitudine, nec multitudine oporteat eſſe infinitas. Obiecta verò diluuntur: nam acquiſitio diuitiarum atque pecuniarum comparari poteſt ad eas artes, quæ huiuſmodi acquiſitionem, vt finem intendunt, & hoc pacto eſt infinita, quippe cùm nulla ars (vt diximus) ceſſet à ſuo fine, ſed eum quammaximè vult. Medicus enim non ceſſat ab ipſa ſanatione, ſed ſemper, & quammaximè vult ſanare. Militaris etiam non ceſſat ab ipſa victoria, ſed ſemper, atque quammaximè vult vincere. At ſi diuitiæ comparantur ad ipſam œconomicam, cuius eſt inſtrumentum, quo vtitur ad ſuum finem, ſic diuitiæ erunt finitæ, ſaltem in eum finem, in quem ſunt ordinatæ. fruſtra enim eſſet diuitiarum acquiſitio in finem inſtituta, ſi nunquã ceſſaret, nam ſi nunquam ceſſaret, nunquam finis acquireretur, in quem inſtituta eſt, & ita fruſtra ordinaretur. Per hæc alia obiectio diluitur: nam diuitiarum acquiſitio, cùm conſideratur vt finis pecuniariæ, vel nummulariæ, vel cuiuſcunque acquiſitiuæ, infinito appetitu eſt appetibilis: nam

Digitized by Google

(vt diximus) vnaquæque ars finem ſuum in infinitum vult, & appetit. cùm verò conſideratur vt inſtrumentum œconomicæ, quo ipſe œconomus opus ſuum perficit, appetitu finito appetitur atque deſideratur.

Quam ob cauſam œconomus infinitas diuitias quærit, etſi finitis ſemper vtatur.

SED illud non ſine admiratione eſt, cur œconomus infinitas diuitias quærat, cùm ſemper finitis vtatur. verùm Ariſtot. vir ingenio elatus, cauſam aſſignat ex eo, quia ſtudium œconomi non eſt ſemper vt bene viuat, ſed vt viuat quouis modo concupiſcit. ſi enim bene viuere eniteretur, ſecundum virtutes eſſet eius vita: cuius autem vita eſt ſecundum virtutes, iis ſolis eſſet contentus diuitiis, quæ naturam duntaxat ſuſtentare poſſunt. ſed quoniam prætermiſſa vita ſecundum virtutes, viuere elaborant ſecundum concupiſcentias, ideo acquirere ea nituntur, quibus concupiſcentiis indulgeant. Sed cùm œconomi cõcupiſcentiæ ſint infinitæ, potiſſimum cùm appetitum recta ratione non refrenauerit, eas diuitias concupiſcet, per quas ſuis infinitis concupiſcẽtiis satiſfacere poſſit: qua ratione fit, vt quærat diuitias infinitas. vnde Epicurus ad Pytocleam, Si vis, inquit, Pytoclea, te diuitem facere, non pecuniæ adiiciendum, ſed cupiditatibus detrahendum. Sed his occurres, nam ſuperiùs dictum eſt œconomum non appetere diuitias, niſi vt inſtrumentum ad ſuum finem: quare cùm ſemper diuitias referat in finem, diuitias ſemper finitas appetere cogetur. Hoc autem diluitur ex eo, quia qui diuitias ob concupiſcentias appetit, non ob vnum cõſtitutum finem eas vult, ſed propter infinitos, qui omni die nuper emergunt. At cùm dictũ eſt diuitias eſſe finitas, quæ appetuntur ab œconomo, hoc verum eſſe nemo dubitat, modò non ſurgat de nouo alius atq; alius finis, qui pro numero concupiſcentiarum, quæ ſunt infinitæ, in infinitũ multiplex euadit. Qua ratione non imperitè Seneca aſſerit appetitum, quo œconomus infinitas quærit diuitias, ex falſa opinione naſci. Naturalia enim, inquit, deſideria finita ſunt, ex falſa opinione naſcentia, vbi deſinant non habent: nullus enim terminus

Digitized by Google

falſo eſt. Ad hæc Epicuri illud ſpectare, & non latere arbitror, Si ad naturam viues, nunquam eris pauper, ſi ad opinionem, numquam diues. exiguum natura deſiderat, opinio immenſum: vnde Ariſtoteles primo Politicorum loquens de iis, qui vulgi opinione bene viuere ſtudent, ſcribit omnem eorum curam eſſe in acquirendo: non enim (vt inquit) fieri poteſt, vt aliquis per omnem numerum viuat ſecundum virtutem, qui in acquirendo omnem curam adhibeat. Surgunt enim appetitus in œconomo non pro natura, ſed pro opinione vulgi, vt Seneca inquit: nam breuiſſima ad diuitias per contemptum diuitiarum via eſt. ob hanc cauſam Ariſtoteles deridens Sardanapalum gloriantem ſe omnes libidinum voluptates ſecum abſtuliſſe, Sæpiùs, inquit, reliquit cauſas pœnitendi quàm recordandi.

De menſura diuitiarum opiniones.

CVM itaque probatum ſit finitas oportere eſſe diuitias, reſtat nunc nobis vt menſuram definiremus. non enim eſt res pertractatu facilis. Marcus Craſſus (auctore Cicerone) negabat vllam ſatis magnam pecuniam eſſe ei, qui in republica princeps vellet eſſe, cuius fructus exercitum alere non poſſent. Sed hæc menſura vana eſt, quia ſi loquatur de menſura, qua princeps debet eſſe diues, vt ait Plutarchus in Craſſo, malè ſentit. nam (teſte Archidamo) nulla menſura exercitus nutritur. At ſi loquitur de menſura, qua ciuis diues eſſe debeat, etiam non rectè ait, nam (vt Plato in Republica inquit) Nec extrema in aliquibus ciuium inopia ſit, nec ingentes diuitiæ. Cicero libro primo de Officiis hanc definitionem facere videtur, quòd triplex ſit cupiditas: altera, quæ à natura, naturalique ratione naſcitur, & hæc paucis minimiſque contenta eſt, nec quicquam niſi maximè neceſſarium appetit. Altera quæ proficiſcitur ab affectibus, parúmque ordinato appetitu, & hæc voluptates quærit, & ſuperflua ſectatur. eſt & tertia, quam animi altitudo, & laudis deſiderium gignit, & hæc opes appetit, vt benefacere multis poſſit, & multos ſibi amicos, atque clientes comparet. Qua ratione euenit, vt menſura diuitiarum non ſit vna ratione, quemad-

modum

modum nec cupiditas eſt vna ratione. Creantor viuendi ſtudium in quatuor partes diſſecuit, dabátque primam partem virtutibus, eſt enim virtus inter prima animi bona. Secundam verò honeſtis voluptatibus, animus enim qui virtutibus ſe præbet, niſi honeſtis voluptatibus relaxetur, agreſtis euadit. Dicit honeſtis voluptatibus, quoniam (vt Cicero libro primo Officiorum inquit) cùm relaxare animos voluerint, caueant intemperantiam. Tertiam acquirendis diuitiis tribuendam eſſe cenſuit, & quidem non ad luxuriam, ſed ad virtutum ſubſidium, & ad voluptatum poſſibilitatem. Vltimam ſtudij partem ſanitati dandam eſſe probauit, quippe cùm ſine ſanitate nec virtus agi, nec voluptas perfici, nec diuitiæ comparari poſſint. verùm ex hiſce nihil explorati, nihílque certi de diuitiarum menſura habemus. Creantor.

Opinio Ariſtotelis de menſura diuitiarum: & de optimis ciuibus.

ARISTOTELES verò libro quarto Politicorum potiùs ad ciuilem vitam, quàm ad contemplatiuam animaduertens, ciues in tres partes diſtinguit: nam alij, inquit, diuitiis admodum excellunt, alij paupertate nimia premuntur, alij ſunt inter hos medij. Deinde probauit mediocrem bonorum fortunæ poſſeſſionem optimam eſſe exiſtimandam. Primò quidem quia, vt in animi bonis mediocritas eſt optima, ſic & in cæteris: in forma videlicet, viribus, nobilitate, diuitiis, amicis, deliciis & huiuſmodi reliquis, mediocritas commendatur. quippe cùm exceſſus ſuperbiam, contemptum, paritatíſque impatientiam pariat: defectus verò ad fraudes, nequitias, iniurias, inuidentias & inimicitias pellat, deiectos compluſculos, ſeruiléſque reddat, & ad magiſtratus gerendos ineptos. Deinde qui in diuitiis, potentiíſque excedunt, nec imperium cuiuſquam pati volunt nec ſciunt. Et hoc ſtatim eis natis domi ineſt, nam ob delicias quibus educantur ne in ſcholis quidem obedire doctoribus conſueuerunt. non conſueti verò parere à pueritia, minimè ætate prouecti parere poterunt. Qui verò eorum ſunt nimia indigentia conſtituti, deiecto nimium animo, viles exiſtunt. ex quo

ſit, vt alij magiſtratum gerere neſciant, ſed ad parendum ſeruiliter ſint apti: alij ſibi imperari nullo modo patiantur, ſed ipſi aliis tanquam domini volunt imperare. Inſuper ciuitas ex paribus ac ſimilibus vult eſſe, quantum fieri poteſt hoc autē maximè cernimus in mediis. Ad hæc mediocres in ciuitate maximè conſeruantur, neque enim aliena concupiſcunt, vt faciunt pauperes, neque eorum bona capiuntur ab aliis, vt diuitibus accidit: inſuper quia nec inſidiantur aliis, nec alij ipſis, ſine periculo viuunt. Quapropter bene optauit Phocylides mediocribus optima multa, mediocris eſſe volens in ciuitate. Signum verò rei huius eſt, quoniam qui optimi fuerunt, ex mediocribus ciuibus fuere. Nam & Solon (vt apparet ex eius carminibus) huiuſmodi fuit. & Lycurgus (non enim erat Rex) & Charondas & aliorum plurimi. decimo verò ethicorum Ariſtoteles, Solon inquit, bene fortaſſe de felicibus ſenſit, qui eos felices dixit, qui mediocriter res habuerunt externas, modeſtéque vixerunt. fieri enim poteſt, vt mediocria poſſidentes, agant ea quæ agere oportet. Inſuper Anaxagoras neque locupletem, neque potentem felicem ipſum exiſtimat, cùm ſe non mirari inquit, ſi abſurdus quidem multitudini videatur, nam multitudo ſolùm res externas agnoſcens, ab his duntaxat iudiciū ferre ſolet. Photion Athenienſis bonorum mediocritate contentus contempſit centum talenta ab Alexandro in donum miſſa. ſpreuit etiam ſeptuaginta, quæ Arpalus obtulit, vt ipſum corrūperet, ad ſuique votum traheret. Cùm Menillo magnā auri quantitatem offerenti Photion accipere denegaſſet, rogatus ab eodem, vt concederet Photioni filio accipere, reſpondiſſe fertur, nec id eſſe opus. nam ſi vitam modeſtam ducet, quæ mihi ad viuendum ſuffecerunt, ei quoque ſatis erunt: ſi vitioſam cum prodigalitate, ac luxuria, nec hæc, nec mea, nec longè plura ſufficere credendum eſt. Verùm hæc mediocritas (vt Theophraſtus inquit) non ad vniuerſum referenda eſt, ſed ad eam ciuitatem, cuius ciuis quiſque eſt, nam & in ea viuit, & in ea optimus eſſe debet. Ex iis perſpicua eſt diuitiarum menſura, non enim eſſe debet tam magna, neque tam parua, vt ciuem è mediocritate tollat, & ad extremum conſtituat. nam ſic ab optimo ſtatu ciuis deponetur. hanc partem Iuuenalis

probat, cùm inquit,

Menſura tamen, quæ
Sufficiat cenſus, ſi quis me conſulat, edam,
In quantum ſitis, atque fames, & frigora poſcunt.

Opinio Stoicorum de diuitiis, & vtrum ſint bonæ.

Sed digladiatio fuit apud philoſophos ſintne diuitiæ bonæ, an malæ? Poſſidonius diuitias eſſe malorum cauſas dicebat, & ob id nequaquam bonas. Stoici verò externas res, vt diuitias neutra eſſe aſſerebant, quòd neque proſint, neque obſint. Deinde quia quod bene vti, & malè poſſumus, id bonum non eſt: diuitiis bene & malè vti poſſumus, non ſunt igitur bonæ diuitiæ. Ariſtoteles verò ſecundo libro elenchorum, Diuitiæ, inquit, ſimpliciter ſunt bonæ, ſed inſipienti, & non rectè vtenti non ſunt bonæ. Vnde Diogenes diuitem indoctum ouem inaurati velleris eſſe dicebat. Sed quonam modo ſint ſimpliciter bonæ, aperiamus. non enim ſunt bonum honeſtum, nec bonum delectabile, nam hæc vt finis eliguntur: diuitiæ autem vt inſtrumentum ad finem. Quare diuitiæ ſimpliciter, atque per ſe bonum ſunt vtile, (loquor autem de naturalibus) natura enim eas fecit ad bonum hominis. & quod ad bonum hominis à natura factum eſt, videtur & eſt ſuapte natura bonum, & vtile. Nec turbetur quiſpiam, quòd eis vtamur aliquando ad malum, quoniam rebus naturalibus, quæ ſunt ſimpliciter, atq; per ſe bonæ, perſæpe ad malũ vtimur, vt ſtellis, herbis, cæteriſque id genus. Et cùm diuitiæ ſint bonum vtile, videamus, quibus ſunt vtiles. non enim eſt hoc exploratum. Ariſtoteles itaque decimo ethicorum diuitias vtiles eſſe tradit ad ſubſidium hominis felicis, nam cùm felix debeat eſſe homo viuens, & longæuus, inſuper veſtibus, famulis, atque cæteris id genus munitus, diuitem eſſe oportet. Sine enim bonis externis felix, nec viuens, nec ſanus, nec longæuus, nec munitus eſſe poterit. Sunt inſuper bonæ inſtrumentali quadam ratione, quatenus felix per diuitias exercere poteſt plurima virtutum opera, vt magnificentiæ, liberalitatis, fortitudinis, iuſtitiæ, temperantiæ, & cæterarum id genus. Vnde Cicero diuitias belli ſubſidia, &

pacis ornamenta eſſe affirmat: quod ideo verum dicit, quia per eas fortitudinis opus agitur, & cæterarum virtutum ornamenta explentur.

Quomodo diuitiæ ſint nobilitas, & honorabiles.

CVM verò eo libro, quem de viro nobili ſcripſimus, plura de nobilitate dixerimus, non opus eſt ad præſens de diuitiarum nobilitate dilatare fimbrias. Illud verò repetitione dignum puto ex quatuor nobilitatis ſiue ſpeciebus, ſiue gradibus, duas tantùm eſſe nobilitates formaliter, (Sic hodie loquuntur Logici:) diſciplinam videlicet & virtutem. Duas eſſe per attributionem ad has, diuitias ſcilicet & genus: nam diuitiæ, cùm fuerint antiquæ, diúque per manus plurimorum ſeruatæ, ſunt & ſignum, & cauſæ nobilitatis. Signum quidem, quia per eas ſignificare poterimus non fuiſſe rapinis, fœnoribus, ſordidiſque diſciplinis cumulatas, ſed virtute, aut diſciplina: ſi enim flagitioſis modis olim congregatæ eſſent, non tam diu perdurraſſent, quippe cùm malis acquiſitis vix primus gaudeat heres. Prætereà diu ſeruatæ nihil ſordidi habent. nouæ enim (vt ſuperiùs diximus auctore Ariſtotele ſecundo Rhetoricorum) ſemper nonnihil mercenarij, atque ſordidi habere cenſentur. Qua ratione fit, vt antiquæ diúque ſeruatæ nobilitas ſint, quatenus ſignum ſunt nobilitatis maiorum, modo quo excrementa ſunt ſana, quia ſani corporis ſunt ſigna. Sunt inſuper cauſæ, non quidem effectrices, ſed inſtrumentariæ, primò quidem, quia ſunt vitę atque ſanitatis ſubſidia, ſine qua nec diſciplina, nec virtus eſt. œconomus enim diuitiis vtitur pro ſua, ſuorùmque familiarium ſalute. Deinde, quia ſunt inſtrumenta, quibus ciuis exercet plura (vt diximus) virtutum opera, multiſque benefacit, multóſque amicos, atque clientes comparat: quibus etiam ſibi adiicere poteſt, quæcunque ad contemplandum erunt neceſſaria, vt famulos, veſtimenta, libros, cæteráque id genus. ad quæ Ariſtoteles animaduertens in libris Topicorum, tradit eſſe priùs ditandum indigenti, & poſtea philoſophiæ vacandum. Sunt inſuper (vt Cicero inquit) ornamentum eorum, qui in pace vi-

Digitized by Google

uunt. Quare ſicuti cibus, atque potus ſunt ſani, quia cauſæ ſunt ſanitatis, ſic diuitiæ erunt nobilitas, quia ſunt inſtrumentariæ cauſæ, quibus nobiles nobilitatis opera exercent, quibúſque ſubſiſtunt ad nobiliter agendũ, quibus quoque ſibi cõparant cuncta, quę neceſſaria ſunt ad contemplandum, atq; beatè viuẽdum. Quòd autem diuitiæ ſemper vt nobilitas habitæ ſint, ex eo perſpicuum eſt, quia ſemper fuerunt honorabiles. nec ab re quidem, nam honor eſt ſignum reuerentiæ (vt Ariſtoteles inquit primo Rhetoricorum) alicui exhibitum propter potentiam benefactiuam, qua vel bene facit, vel bene facit vel poteſt bene facere. Et quoniam per diuitias potiſſimum exiſtimatur vnuſquiſque poſſe bene facere, hac ratione & diuitiæ, & diuites ſemper fuerunt honorabiles. honorabile autem omne, nobile eſt. nihil enim in ſe honore dignum putatur, quod in ſe non habeat nobilitatem honore dignã. Quare cùm diuites ob diuitias honorentur, diuitias nobilitatẽ eſſe putare oportet. Sunt inſuper honorabiles ob ſufficientiam, nam nemo ſibi ſufficit, niſi diues. ſufficiens autem omnis perfectus eſt, omne autem perfectum, bonum & honorabile eſt. Quare cùm ſufficientia per diuitias habeatur, erunt diuitiæ nimirum ſummo honore dignæ. De genere autem, déque aliis nobilitatibus ſatis eo libro dictum eſt.

Ad eum, qui in contemplatione bene beatéque vixerit, longè pauciores atque minores, quàm mediocres diuitiæ neceſſariæ ſunt.

SED cùm dictum ſit mediocres diuitias eſſe optimas, mediocréſque ciues optimos, intelleximus (vt Ariſtoteles inquit libro quarto Politicorum) ad viuendum in ciuitate ſecundum optimum ſtatum. nam ad eum, qui, vt Deus, in contemplatione bene beatéque vixerit, longè pauciores atque minores (vt Ariſtoteles inquit decimo libro Ethicorum) quàm mediocres, diuitiæ neceſſariæ ſunt. hoc autem non erit obſcurum, ſi fuerit perſpicuum quis ille fuerit, qui in contemplatione viuit. Quare dicamus ſecundum Peripateticos, eum in contemplatione bene beatéque viuere qui in ſo-

litudine vitam elegit contemplatiuam. hic autem licèt bifariam reperiri poſſit ſecundum Peripateticos, tamen eum intelligimus quem Ariſtot. decimo ethicorum dilucidè explicauit. hic enim eſt ille, qui licèt ſit numinum, rerúmque naturalium contemplationi nimis ſatis coniunctus, non tamen adeo, vt neque alimentis, neque veſtibus, neque ſeruis, neque cæteris vitæ neceſſariis indigeat. verùm cùm non in ciuili vita viuat, ei non tot diuitiis opus eſt. In libris autem Ariſtotelis, aut Platonis numerum ſeruorum, vel veſtimentorum, aut neceſſariorum menſuram non legimus. Hoc autem non dubito, bona, quæ diuino huic homini neceſſaria ſunt, eſſe longè pauciora eis, quæ optimo ciui ſufficiunt. Cauſa autem, quia huic non opus eſt virtutes ineſſe ex actionibus honeſtis generatas, ſed aut per diuinam diſpoſitionem, quæ ex principiis geniture proficiſcitur, aut per electionem, quæ in generatione virtutis eſt principale ſecundum Ariſtotelem: poteſt enim quiſpiam per doctrinam eligendo, cuiuſlibet virtutis actum exercere, etiam ſi nunquam virtutis actum exercuerit. nec iniuria quippe, nam ex crebris perſuaſiuis actibus poteſt aliquis bonæ naturæ vir ad vſum virtutum habiliſſimus reddi: frequens enim perſuaſio, qua ille ſibi ex doctrina perſuadet ad bene agendum, habitum quendam efficere poteſt in appetitu, quo nihil agat niſi quod ratio agendum eſſe perſuaſerit. Qua è re fiet huiuſmodi vir omni virtute præditus, etiam ſi nunquam virtutem exercuerit. Cui autem virtus ineſt per electionem, hic poteſt eſſe fortis, iuſtus, magnanimus, temperans, modeſtus, omníque alia virtute præditus, etſi nunquam eis exercuerit, aut exercebit. ei autem qui hoc pacto virtute præditus eſt, non opus eſt habere diuitias: hoc modo Irus, Socrates, Anaxagoras, Photion, Diogenes fuerunt liberales ſine diuitiis, temperantes ſine abſtinentiis, magnifici ſine ſumptibus, fortes ſine armis. nam per electionem omnia contèmpſerunt, ſolámque virtutem complectentes. De huiuſmodi ſolitario, ſcripſimus plurima in commentariis politicis, quæ viſa ſunt nobis eſſe prætermittenda ad præſens: ſed illud duntaxat pro explorato eſt tibi fili colligendum, poſſe eſſe felicem tam in contemplatiua, quàm in actiua vita, aut cum mediocritate, aut exiguitate bo-

Digitized by Google

norum, & quidem longè faciliùs atque tutiùs, quàm cum exceſſu.

Exempla eorum, qui cum exilibus diuitiis illuſtrem vitam duxerunt.

SED quoniam exempla longè magis perſuadere ſolent, quàm argumenta: iccirco exempla eorum illuſtrium ſubiungimus, qui cum exilibus diuitiis celebrem vitam duxerunt, vt intelligas fili fieri poſſe beatam vitam ſine diuitiarum affluentia. Ex iis itaque fuit Sextus Ælius Catus vir illuſtris, pauper tamen, quem cùm legati Ætolorum vaſis fictilibus prandentem reperiſſent, eidem vaſa argentea miſerunt, quæ tamen recuſauit: neque aliud argentum ad extremum vitæ diem habuit quàm duo pocula à L. Paulo ſocero ſuo accepta. & inſuper Crates Thebanus, qui non paruum auri, & argenti cumulum proiecit in mare, quo meliùs philoſopharetur, exiſtimans multitudinem diuitiarum eſſe ei impedimento, qui virtutibus omni ex parte ſe præbet. Inter hos illuſtres fuit etiam M. Curius, quem rapas in foco torrentem quum legati Samnitum reperiſſent, eique multum obtuliſſent auri, Malo, inquit, hæc in fictilibus meis comeſſe, & aurum habentibus imperare. Democritus vt liberè philoſopharetur agros ſuos reliquit, eóſque paſcua publica fieri paſſus eſt. Cimon dux Athenienſis ſpolia victis hoſtibus erepta, ſuis ciuibus partitus eſt, ne multitudine bonorum inebriaretur. Horatius miſellis diuitiis vſus eſt, virtute autem illuſtriſſimus. P. Æmilius præclarus fortitudine fuit, (nam de Liguribus & Perſeo Macedoniæ rege triumphauit) diuitiis tamen tenuiſſimus. Meneuius etiam in armis illuſtris fuit, (de Sabinis enim triumphauit) paupertate tamen laborauit, nam cùm moreretur, ſepeliri nequierat, niſi collatis à populo quadrantibus. Ariſtides qui rempublicam Athenienſium clariſſimè adminiſtrauit, illuſtriſſimus fuit, pauper tamen adeo, vt eius funeri ſumptus defuerit. Epaminondæ Thebanorum principi, & totius Græciæ, vnicum fuit indumentum rude, atque pertritum, quod ſi quan-

Sextus Ælius

Crates

M. Curius.

Democritus.

Cimon.

do expurgandum fulloni traderet, alterius veſtis inopia domi interim ſe continebat, nihilominus tamen in tanta paupertate magnam vim auri, quam Perſarum rex offerebat, recuſauit vltro: Aglaus Pſophidius in anguſtiſſimo Arcadiæ angulo conſenuit, exili contentus prædio, que nunquam egreſſus eſt. hunc tamen Apollo in tanta paupertate felicem teſtatus eſt. Lucillius noſter ciuis Aruncanus poëta illuſtris, exilibus diuitiis vixit, adeo vt à Neapolitanis publico funere ſepeliretur. Seruilius Iſauricus, qui militibus inſignia munera recuſauit, quos proconſul debellauerat, exilibus diuitiis functus funere publico elatus eſt. Anacreon poëta poſtquam à Polycrate Tyranno quinque talentorum acceperat munus, inſomnes duas egit noctes in cogitatione ſollicitus, reddidit ea, dicens non tanti ea eſſe, vt tanta cura eſſet ſollicitandus. Scipionis filiæ ex ærario publico dotem receperunt. Qui tamen illuſtriſſimi fuerũt. Meamenes Lacedæmonius rogante aliquo cur à Meſſeniis munera non accepiſſet, Quia ſi accepiſſem, inquit, cum legibus pacem componere nequirem: qui tamen optimam vitam duxit. Poſſem, fili, ſexcenta alia exempla afferre, quibus apertè poteris & cognoſcere felicem, & optimam vitam tam in medioeribus, quàm in exilioribus diuitiis fieri poſſe, & intelligere ea, quæ tibi relicturus ſum, (ſi vitam non ad luxuriam, ſed ad modeſtiam duxeris) plura eſſe, quàm deſideras, ad luxum autem atque immodeſtiam longè plura ac maiora etiam illa Crœſi, non ſufficere. Niphani ſexto Auguſti M. D. XXXI.

AVGV-

AVGVSTINI NIPHI SVESSANI

OPVSCVLORVM MORALIVM PARS TERTIA,

DE IIS QVI APTE POSSVNT in ſolitudine viuere.

AD

AVGVSTINVM PASTINEVM PERIFONENSEM.

PRÆFATIO.

CVM *animaduertiſſem, mi Paſtinee, te olim omni ſuaſione prouocatum ad Caprearum ſolitudinem colendam, in qua tu præſul es, primò viſum mihi eſt, tuam deliberationem laudare, quam quoque Tiberius Cæſar probauit. nam cùm illic probè vixeris, nihil audies quod audiſſe, nihil dices quod dixiſſe pœniteat: nemo apud te quempiam ſiniſtris ſermonibus carpet, neminem ipſe reprehendes, niſi tantùm te: cùm parum commodè ſcribes, nulla ſpe, nullo timore ſollicitaberis, nullis rumoribus inquietaberis, tecum tantùm, & cum libellis loqueris. Deinde libello hoc noſtro tibi dicato,*

hortari te curaui. habebis enim in eo aptitudines omnes paſſim expoſitas, ſine quibus nemo in ſolitudine aptè viuere poteſt. quibus perſpectis, non modò eam ſolitudinem aggredieris, ad quam te deſtinaueras, verùm etiam eos floccifacies, qui in vrbibus ſtrepitum, multos ineptos labores, inanéſque diſcurſus ſubeunt: defendéſque Attilij ſententiam, qui dictitare ſolebat ocioſum eſſe longe ſatius eſſe, quàm multa agere: exiſtimabis enim ocium illud non modò dulce, verùm etiam omni negotio & pulchrius, & honeſtius. Tecum & cum muſis viues, prælustria vitabis, è quibus non rarò ſæuiſſima fulmina mittuntur. non audies tot populorum querelas, nec tot Tyrannorum minas, feritatéſque quibus vniuerſa Italia conflictatur. Synceram vitam, ac beatam duces, quæ te æternæ felicitatis participem faciet. Vale.

Enumeratio aptitudinum, ſine quibus nemo poteſt aptè in ſolitudine viuere.

ANTEQVAM de iis hominibus dicere incipiam, qui aptè in ſolitudine viuere poſſunt, priùs de ipſa aptitudine pauca mihi dicenda ſunt. Placet autem in primis quid ſit aptitudo hoc loco definire, vt exemplo eruditiſſimorum virorum principio intelligatur de qua re omnis noſtra diſputatio futura ſit. ſic enim ſumma totius rei cognita, faciliùs de reliquis, & rectiùs iudicare poterimus. Eſt igitur aptitudo accommodatio quædam, qua quis natura vel habitu ad aliquid agendum, vel patiendum accommodatur. nam ſi (auctore Perſio dicente, Non ego cùm ſcribo, ſi fortè quid aptius exit:) aptum eſt, quod ad aliquid accommodatur, aptitudo profectò accommodatio quædam erit. quæ, ſi ex principiis generationis proficiſcitur, natiua aptitudo eſt, ſin autem ab vſu, vel morali aſſuetudine, habitualis appellatur: ſic enim eam vocat Ariſtoteles. Aptitudinum verò, ſi-

ne quibus nemo in ſolitudine vitam ... teſt, aliæ ex parte corporis, nonnullæ ex part ... dam ex parte animæ accipiuntur. Nam cù ... onis nec ſimpliciter, nec ſolitariam vitam age ... tribus exiſtentibus generibus bonorum, corpo ... icet, fortunæ, & animæ, tria quoque harum aptitudinum genera emergant.

Enumeratio earum aptitudinum, quæ accipiuntur ex parte corporis.

APTITVDINES verò quæ ex parte corporis accipiuntur, licèt à Peripateticis multæ enarrentur, ab Ariſtotele tamen in Ethicorum libris tres potiſſimum explicantur, ſanitas videlicet, vires, atque vitæ ... do. Verùm in libris Rhetoricorum his adhuc ... pulchritudinem, & proceritatem. ſed hæc, q ... s addit, licèt felici ciuili, qui non ſupra hor ... ſe neceſſaria ſint, tamen felici monaſtico ... inem vitam ducit, neceſſaria non ſunt. O ... facilè probare poſſumus: eſt enim robur ... Ariſtoteles Rhetoricorum primo expoſu ... n certatura, qua ſumus ex principiis nat ... rt... dum, atque dimicandum apti. Sumus autem ad dimicandum, certandúmque apti non vna ratione: nam qui pedes poteſt quodam proicere modo, citóque ac longè mouere, hic licèt curſor appelletur, tamen robuſtus quoq ... tur. Qui etiam alium vno pede premere, altero autem ... e retinere poteſt, hic, etſi luctator ſit, robuſtus tamen ... us eſt. Præterea qui pulſando aliũ pellere poteſt, quamquam percuſſor eſt, nihilominus robuſtus creditur. Simili ratione, qui plura horum aptus eſt facere, robuſtior putatur robuſtiſſimus autem, qui ea omnia facilè aptus eſt perfice ... Si igitur robur ex iis deſcribatur, cùm eorum nullum ... enti in ſolitudine neceſſarium ſit, quippe cùm po... ſquiſque ſolitudine frui, vt perſpicuum eſt, abſqu ... , vt robur inter aptitudines vitæ ſolitariæ neceſſarias ... merandum non ſit. verùm non nocet, cùm nul... cuiuſuáque natura bonum alicui bono nocere poſſit. Minime quoque pulchritudo viro ſolitario neceſſaria vide-

Digitized by Google

tur. hoc autem non erit obſcurum, ſi quid pulchritudo ſit expoſuerimus: nam ſi pulchritudo ſit quædam membrorum ſiue proportio, ſiue commenſuratio cum quadam colorum, lineamentorúmque ſuauitate, iucunditatéve, (vt in libris Ethicorum ſcribit Ariſtoteles) hæc nulla ratione viro ſolitario neceſſaria erit: non enim neceſſaria eſt ad naturæ humanæ ſubſidium, quippe cùm natura humana vitam contemplatiuam (in qua potiſſimum ſolitudo conſiſtit) ſuſtinere poſſit, ſiue pulchra ſiue turpis ſit, modò cætera ei non deſint, quæ ſunt illi neceſſaria. Sin autem pulchritudo eo modo cenſenda ſit, quo ſcribit Ariſtot. libro Rhetoricorum primo, longè minus viro ſolitario neceſſaria videbitur: nam cùm non ſit vna eadémque in omnibus ætatibus, ſed alia in alia, ea quæ iuuentæ eſt, vitæ ſolitariæ non eſt vtilis. Siquidem eum iuuenem Ariſtoteles pulchrum eſſe affirmat, cuius corpus aſpectu iucundum eſt, atque ad ſubeundos tum curſus, tum labores omnes aptiſſimum eſt. Iuuenem autem dico, qui ab annis circiter viginti quinque vſque ad triginta decurrit. Huius autem pulchritudo, quòd neceſſaria non ſit iis, qui in ſolitudine viuunt, nemo dubitare debet, quippe cùm nec ad ſuſtinendam naturam, nec ad contemplationem, quæ vita eſt ſupra naturam, aliquid fructus afferat. nec ea pulchritudo vtilis eſſe cenſetur, quæ viri eſt, nam vir pulcher habetur, cùm corpus & labores bellicos ſuſtinere poteſt, & ſic aſpectu gratioſum eſt, vt ſimul dum videtur, placeat, & terreat. eſt autem vir à triginta vſque in annos triginta quinque: quòd itaque hæc virilis pulchritudo nequaquam ſolitudini proſit, ex eo perſpicuum, quoniam tam natura, quæ ſolitudinem fouet, quàm contemplatio, quæ finis ſolitudinis eſt, ſine pulchritudine eſſe poteſt, modò alia bona adſint, quæ vtrique vitæ neceſſaria ſunt. Nec ea quæ ſenectuti propria eſt, nec ea quæ decrepitati: dico ſenem à trigeſimoquinto anno in ſexageſimum vſque, decrepitum verò hinc vſque ad finem vitæ. nam ſiue huius ſiue illius pulchritudo ſit, nequaquam ſolitudini prodeſſe videtur, propter eaſdem cauſas. Præterea ſi pulchritudo eſſet viro ſolitario neceſſaria, id profectò non ob aliud eſſet, niſi ad fugiendam increpationem,
Digitized by Google

quam quidem incurrere ſolent ij, qui defectus corporeos patiuntur: debet enim vir ſolitarius omni increpatione carere, ſi felici ſolitudine potiri ſtudet: verùm nec hanc ob cauſam ei pulchritudo neceſſaria eſt, nam (auctore Ariſtot. libro Ethicorum tertio) eos qui natura ſunt turpes, reprehendit nemo, ſed eos qui propter incuriam atque negligentiam tales ſunt. nemo enim exprobrabit cuique ad ipſum, ſi ſit aut natura, aut ægritudine, aut vulnere cæcus, ſed potiùs miſerebitur: quòd ſi ebrietate, vel aliquo alio flagitio, captus ſit oculis, omnes vtique carpent, ac increpabunt. Viro igitur ſolitario, etiam in contemplatiua felicitate conſtituto, nulla ratione pulchritudo neceſſaria videtur. poſſet autem ex eo conuenire, quo vir ſolitarius in omnibus (vt dicemus) ſibi ipſi iucundus eſt: at cùm pulchritudo cuilibet placeat, fit vt ad delectationem finiendam vtilis ſit habenda ei potiſſimum cùm ſit ſuapte natura bonum, quod nulli bono (vt diximus) obeſſe cenſetur. Nec denique proceritas neceſſaria videtur: eſt enim proceritas (auctore Ariſtotele Rhetoricorum primo) magnitudo corporis ſecundum omnem dimenſionem, longum videlicet, & latum, & profundum: per quam homo pluribus præſtare aptus eſt, motionéſque corporis non remittere, nec retardare, immo (vt ita dixerim) agiliùs exercere. Quòd autem huiuſmodi proceritas eis, qui vitam in ſolitudinibus ducunt, neceſſaria non ſit, ex iis, quæ diximus, perſpicuum eſt. nam ſolitarius duplicem vitam ducit, & eam, quæ eſt ſecundum humanam conditionem, & eam, quæ eſt ſupra hominem, per quam viuit intellectu. eſt autem natura humana vtriuſque vitæ fundamentum. cùm igitur proceritas naturæ neceſſaria non ſit, nam poteſt natura vtramque vitam ſuſtinere ſine proceritate, ſi modò ei neceſſaria non defuerint: ergo proceritas non erit inter aptitudines enumeranda. Reſtat nunc dicere de ea aptitudine, quæ ſanitas eſt, ſine qua nemo in ſolitudine viuere, aut permanere poteſt.

De ea aptitudine quæ eſt ſanitas.

ARISTOTELES itaque philoſophorum facilè princeps, ex aptitudinibus, quæ ſunt ſolitudini neceſſariæ, præcipuam dicit eſſe ſanitatem, vnde decimo Ethicorum aſſerit corpus ſanum eſſe oportere: primò quidem quoniam ob morbos ſenſuariæ ipſæ virtutes infirmantur, quibus homo ad contemplandum vtitur. deinde morboſis laboribus quiſque homo à contemplatione diuertitur, mentíſque efficacia ipſius diſtrahitur. Eſt autem ſanitas (vt primo Rhetoricorum ſcribit Ariſtoteles) corporis virtus, qua quis corpore penè inægrotabili ad labores vtitur. Qui enim ſic ſani ſunt, vt de Herodico fertur, eos nemo ſanitatis gratia felices putabit. Herodicus enim, vt ſanus eſſet, quibus homines vtuntur, iis omnibus, aut plurimis abſtinebat, quod quidem erat ei ſemper infirmum eſſe. Oportet autem ſolitarium, maximè cùm ad ſenectutem peruenerit, ſanum eſſe, quippe cùm in ea beata ſolitudinis vita præcipuè conſiſtat. eſt autem ſenex ſanus, cuius ſenectus, cùm tardè inuaſerit, etiam dolores non infert: nam tam qui citò ſeneſcit, quàm qui tardè, ſi modò non abſque dolore, atque triſtitia permanſerit, incommoda vtitur ſenectute. Vnde fit, vt commoda ſenectus non abſque bonis corporis ſit conſtituenda. qui enim valitudinarius eſt, & non omni ex parte ſanus, cùm facilè patiatur, ac doleat vitæque breuioris ſit, non eſt felix: ſi autem ſine bona ſanitate longæuus ſit, minimè eſt felix. at ſi longæuus, ſanúſque fuerit, non tamen ſine dolore atque triſtitia, nec felix eſſe poterit. bona ergo ſenectus eſt, quæ tarda & ſine dolore eſt.

De ea aptitudine, qua ſunt vires.

NEC ſolùm ſanitas eis neceſſaria eſt qui vitam ſolitariam ducere ſtudent, ſed etiam vires. ſunt autem vires, quibus poſſis, quod mouere cupis, ita mouere vt velis. Mouemus autem aut trahentes, aut pellentes, aut eleuantes, aut deiicientes, aut comprimentes: quare qui his omnibus vel

pluribus præſtat, hic viribus pollet. ſunt igitur vires iis neceſſariæ, qui vitam agunt ſolitariam, non minus quàm ſanitas: nam vires ſanitas ſunt, cum permanſione atque firmitate. ergo ſi ſanitas neceſſaria eis fuerit, maior (vt ita dixerim) ſanitas longè magis vtilis erit. vnde Creantor philoſophus eximius vires ſanas fundamentum omnium bonorum conſtitui t quippe cùm ſine eis, neque virtus neque voluptas, neque diuitiæ proſunt.

De ea aptitudine, quæ eſt longitudo vitæ.

ET non modò ſanitas, viréſque iis neceſſariæ ſunt, qui viuere in ſolitudine expetunt, verùm etiam & longitudo vitæ. nam cùm ſolitudinis finis ſit beatitudo, ea videlicet, quæ in contemplatione conſiſtit, niſi in vita perfecta fuerit, nequaquam erit beatitudo. Perfecta autem vita longa eſt, vnde Ariſtoteles Ethicorum primo, vt prouerbio dici ſolet, nec vna hirundo ver facit, nec vna dies, ita quoque nec vna dies, nec tempus exiguum beatum felicémque efficiet. & decimo Ethicorũ, Perfecta, inquit, felicitas hominis fuerit hæc profecto, modò ſumpta ſit vitæ longitudo perfecta. quippe cùm nihil felicitatis imperfectum ſit, nihilque eorũ quæ ad felicitatem attinent, mancum mutilatúmque fuerit. Præterea qui mentẽ habet, perpetuitatis appetit quantum appetere poteſt, apprehendẽs enim non ſolùm eſſe vt nunc, modo quo ſenſus ipſe apprehendit, ſed eſſe ſimpliciter, tam eſſe vt nunc appetit, quàm eſſe ſimpliciter. vtrumque enim ſuapte natura appetibile eſt. Quare quemadmodum animal ſolo ſenſu eſſe vt nunc apprehendens, nunc eſſe tantùm deſiderat, ita quoque homo ſua mente eſſe ſimpliciter agnoſcens, eſſe ſimpliciter, & ſemper, & non tãtùm vt nunc deſiderare compelletur. Itaque cùm homo in ſolitudine viuens, perfectus ſit, apprehendens tum eſſe nunc, tum eſſe ſimpliciter, appetere ſuapte natura cogetur non tantùm nunc eſſe, verùm etiam ſimpliciter. vnde perſpicuum eſt, (ſi felici vita fruitur) vt perpetuò ea fruatur, quantum humana natura patitur. & cùm æterna eſſe non poſſit, opus erit (vt ſit longa) ea videlicet longitudine, quam humana fragilitas pati poteſt. ſic enim per-

petuitatis deſiderium apprehenditur ex ea vitæ longitudine, quæ in humanis eſſe poteſt. redditúrq; ob id appetitus perpetuitatis ratione moderatus. agnoſcens enim fieri non poſſe, vt ſemper homo ſolitarius viuat, moderando appetitũ ex longitudine, quæ in vita eſſe poteſt, in appetitione ea quieſcit, quæ longitudinis eſt, quoad fieri poteſt, ſed quotannis vitæ longitudo producatur, non eſt exploratum. Philoponus libro de generatione ſecundo, ſpeciei humanæ alium terminum aſſignat, alium autem indiuiduis: eſt autem terminus ſpeciei tributus ille, vltra quem nullum indiuiduorum excedere poteſt, ſed præuenire. At terminus indiuiduis accommodatus, non eadem ratione cenſetur, multis enim de cauſis terminum præuenire poſſunt, tum ex varia ſeminum patris & matris commixtione, tum ex vario cibi ac potus, cæterarúmq; rerum non naturalium victu, etiam ex variis cœli conſtitutionibus, quæ in diuerſis genituris diuerſæ ſunt. Speciei verò terminum (vt omittam ea, quæ de huiuſmodi reſcribunt catholici, quæ metam noſtram excederent,) philoſophi non eodem modo conſtituũt. Auerroës libro ſecundo de generatione, ſpeciei humanæ ſpatium vitæ naturale conſtituit annos ſeptuaginta quinque: quod, pace tanti viri dixerim, falſum eſt, nam obſeruatio docet pleroſque vitam longiorem vixiſſe. conſtat autem ſpeciei terminum nullum indiuiduum poſſe excedere, ſed vel præuenire. Philoponus verò doctiſſimus Ariſtotelis expoſitor ſecundo de generatione libro, ſpeciei humanæ vitæ ſpatium conſtituit annos centum quadraginta, vel centum quinquaginta, quatenus nonnullos per hiſtorias tot annos vixiſſe inuenit, plures neminem. vnde Plinius in Tmoli montis cacumine, quod vocant tepſim, auctoritate Mutiani centum quinquaginta annos viuere homines ſcribit. eſt autem Tmolus mons Lydiæ, vt idem Plinius auctor eſt libro quinto. Sed cùm ad huiuſmodi terminum pauca hominum genera peruenire poſſint, ſatis erit homini ſolitario pro ſua appetitionis moderatione, vt ad eum terminum perueniat, ad quem plures ſapientum perueniſſe per hiſtorias traditum eſt. Sapientes autem vltra centum annos qui vixerint, pauci admodum ſunt. Thales vir ſapientiſſimus mortuus eſt, vt ſcribit Socrates, anno ætatis

Digitized by Google

tatis nonageſimo. Cleobolus autem obiit ſenex annorum ſeptuaginta. Socrates verò teſte Apollodoro, anno ſuæ ætatis ſeptuageſimo, teſte verò Platone in apologia plures quàm ſeptuaginta, non tamen quot vixiſſe exponitur eo loco. Plato autem vixit annos octuaginta vnum, tametſi Neanthes eum vixiſſe ſcribat annos octuaginta quatuor. Ariſtoteles verò vixit annos ſeptuaginta tres. & vt breuibus cõcludam paucos admodum ſapientes vltra annos centum vixiſſe legimus. Quare viuendi appetitus in ſapiente non vltra hos proficiſci debet, præſertim cùm poſtea quaſi ſemimortuam vitam ducat. & de aptitudinibus ex parte corporis hactenus.

Enumeratio earum aptitudinum, quæ accipiuntur ex parte fortunæ.

EX parte verò fortunæ etiam aptitudines accipiuntur, ſine quibus nemo in ſolitudine permanere poteſt: Nam cùm ille, qui in ſolitudine viuit, in ſumma felicitate ſit conſtitutus, ideo prima facie ea videntur neceſſaria homini ſolitario, quæ felici eſſent. ſunt autem felici neceſſaria, (vt ſcribit Ariſtoteles primo Ethicorũ) ex parte fortunæ, pulchritudo, nobilitas, proles, ſtudioſi liberi, amici probi, non enim (vt inquit) omnino felix eſt, qui ſpecie eſt turpiſſimus, vel qui ignobilis, vel ſine prole ſolitarius: præterea nec erit aliquis felix, cui peſſimi filij ſunt, vel amici improbi, vel qui boni erant, mortui. Primo verò Rhetoricorum, his bonis addit diuitias, gloriam, & honorem, proſperitatem, & potentiam. Decimo verò ethicorum, vbi de beato loquitur, qui in ſolitudine, ipſáque contemplatione viuit, non tot neceſſarias eſſe tradit. ſed de eo loquens, Eſt autem (inquit) opus huic, & proſperitate externa, cùm ſit homo. natura namque ipſa ſcilicet humana non eſt ad contemplandum ſufficiens, propter videlicet conditionem corporis, quod ad ſui ſuſtentationem indiget exterioribus rebus. nam licèt mens, quæ incorporea eſt, ad contemplandum per ſe ſufficiens ſit: homini tamen, qui eam ſuſtinet, opus eſt primò habere (vt diximus) corpus ſanum, & alimenta, deinde habere famulos, qui ei miniſtrent ea omnia, quæ ſunt ſuæ vitæ neceſſaria: per quæ vo-

luit intelligere diuitias, nam per diuitias hæc omnia facilè vnuſquiſque ſibi comparat. quippe cùm nummus (vt ſcribit Ariſtoteles) qui inter diuitias enumeratur, ſit menſura, pretiúmque omnium rerum. Præterea eodem libro loquens de eodem felici ſolitario, ab eo non tollit amicos, quos adiutores vocat, Melius autem, inquit, fortaſſe eſt, vt adiutores habeat, tametſi ſufficientiſſimus ipſe ſit. Nam, vt ipſemet octauo libro ſcribit, duo ſimul ſeſe iuuantes, intelligere, & agere magis poſſunt. Sæpe enim accidit vt alter eorum ad ea perueniat ad quæ alter licèt ſapientior ex multis cauſis peruenire non animaduertit. eſt etiam alia ratio, quòd amicitia ſit ſummè neceſſaria vitæ: ſine amicis enim nullus eligeret viuere, licèt cuncta poſſideret alia bona. Vnde cùm de omnibus percurriſſet, deueniens ad eos, qui ſunt in ſtatu felicitatis propter contemplationem, Et iis item, inquit, qui ſunt in ſtatu, neceſſarij ſunt amici ad artes omnes honeſtas, etenim ſi duo ſimul erint, intelligere magis, ac agere poſſunt. Verùm (vt inquit) ſi ſufficientiſſimus ipſe ſit, amicis, coadiutoribúſque non opus erit. De honore, & gloria, potentia ac proſperitate, nihil decimo Ethicorum meminit, nec ab ratione, nam ſolitarius contemnit honores, & gloriam. contemnit etiam ſceptrum, atque potentiam, & proſperitatem: quod decimo Ethicorum Ariſtoteles demonſtrat, cùm inquit, Non tamē putandum eſt multis ac magnis ei opus fore, qui futurus eſt felix: ſi fieri non poteſt, vt ſit beatus ſine bonis externis. Non enim in exceſſu diuitiarum ſufficientia eſt, paucis enim indiget natura: præterea exceſſus minus ſufficientes reddit eos, qui diuitiis exuperant, indigebunt enim multorum auxiliis ad cuſtodiendas, gubernandáſque ſuperabundantes diuitias. Inſuper neque iudicium, quod in contemplatione eſt, neque actio, quæ à virtute proficiſcitur, in exceſſu diuitiarum aut potentiæ, aut honorum, aut proſperitatis eſt. Sed poſſunt etiam, qui non terræ, mariſque principes ſunt, honeſta agere. nam à mediocribus facultatibus etiam poteſt quis illa agere, quæ ſunt ſecundum virtutem. atque id clarè cernere licet, priuati enim non minus agere videntur res bonas, quàm qui ſunt in poteſtatibus ac dignitatibus conſtituti, immo etiam non magis.

Digitized by Google

De inconſtantiis, quæ apparent de ſolitario in his quæ Ariſtoteles dicit.

SVNT autem in iis, quæ Ariſtoteles dicit de felici, qui in contemplatione viuit, non paucæ inconſtantiæ. Prima quidem tacta eſt, nam cùm ille, qui in ſolitudine viuit, in ſumma felicitate ob contemplationem viuere cenſetur, ideo videntur neceſſaria ei cuncta illa, quæ enumerauit Ariſtoteles tum primo Ethicorum, tum primo Rhetoricorum. Decimo verò Ethicorum felici contemplatiuo, qui eſt, aut futurus eſt, tot, tantáque bona tribuit, quot quantáve ad naturæ ſubſidium ſufficiunt, quæ profectò pauca ſunt, paucis enim indiget natura, ſi nihil aliud quærant, quàm ſui ſalutem atque conſeruationem. Præterea decimo Ethicorum vno loco aſſerit in contemplatione maximam eſſe ſufficientiam, quoniam in ea homo iis ſolis indiget, quæ ſunt neceſſaria omnibus ad communem vitam. Indiget enim neceſſariis vitæ tam felix contemplatione, quàm beatus ipſa virtute. verùm virtute felix, cùm ciuilem vitam ducat, vltra vitæ neceſſaria aliis egere videtur. vt iuſtus, qui indiget aliis ad quos opus eſt iuſtè agere, deinde aliquibus indiget cum quibus aut per quos iuſtitiam operetur, & ſic indiget multorum auxilio. ſimili ratione temperans, & fortis, aliíque quibuſuis virtutibus præditi. At ſolitarius, qui contemplatione gaudet, veritatem contemplari poteſt, etiam ſi per ſe ſolus viuat: per quæ declarauit externis non indigere, niſi quatenus per ea ſolùm natura ſuſtinetur. Inſuper eodem libro felici ſolitario aſſignat opera virtutum, & ob id mediocrem bonorum ſtatum opus ei eſſe affirmat. Et eodem libro, teſte Deo, qui contemplatione ſola beatus eſt, actiones officioſas contemplatiuo non aſſignat, aſſerens eum viuere vitam, quæ eſt ſuper hominis naturam. non enim, inquit, quà homo eſt ita viuit, ſed quo eſt quid in ipſo diuinum. quantum igitur hoc ab ipſo compoſito differt, tantùm & huius operatio diſtat ab ea quæ à virtute alia proficiſcitur: per quæ intelligere potes clariſſimè huiuſmodi felici non opus eſſe vti virtutibus, præterquàm mente: quippe cùm ſola mente ipſa ſit beatus. quòd ſi ita fue-

Digitized by Google

rit, nulla eſt bonorum externorum neceſſitas, niſi ad ſubſidium naturæ, in qua mens collocatur. At ad naturæ ſubſidium non mediocres diuitiæ, non vxor, non liberi, non honor, non gloria, non potentia, non proſperitas neceſſaria eſt, cùm ſine his & mens contemplari & natura ſeruari poſſit, modò bona naturæ adſint, quæ dicta ſunt, & externa pauca, quæ naturæ ſufficiunt. per quæ perſpicuum eſt Ariſtotelem ſibi non conſtare.

De multiplici ſolitario.

SED cùm in libris tanti philoſophi nulla ſit vnquam inconſtantia, aut contradictio, aut repugnantia reperta, niſi ab eis, qui (vt Auerroës inquit) verba eius nullatenus perceperunt, nihil quoque ſit ab eo aſſertum (vt Alexander Aphrodiſius ſcribit) ſine grandi, ac inconuincibili ratione: ideo ad tollendas huiuſmodi inconſtantias, non recedemus ab eis quæ tantus vir in doctrina in aliis libris accepit. Dicamus itaque Ariſtotelem ſolitarium non vna ratione diſtinxiſſe: eſt enim alius, quem ipſe beſtiam vocat, nos verò (vt ad formam eius diſtinctionem aptemus) appellamus ferinum. Alius eſt, quem Deum eſſe fatetur, nos diuinum vel heroëm, ſiue heroicum, Plato ſanctum vocat. Alius eſt, cui ipſe nullum præbet nomen, nos autem vocemus ipſum humanum: nam licet procul à ciuitate rura colat, tamen cùm non ſit (vt dicemus) ſine hominis conditione humanus dicatur. Alius denique eſt, ciuilis quem ideo ciuilem appellamus, quia non procul à ciuitate vitam ducit.

De ſolitario ferino.

NVNC de vnoquoque breuibus tranſigamus, initio nobis ſumpto ab eo ſolitario, quem ferinum appellamus. Vbi itaque dicamus hominem procul à ciuitate viuere ferino more interdum ob fortunam, & hic eſt ille, qui ſine ſui cauſa toto ſuæ vitæ tempore ad ſolitudines relegatur: qualis is eſt, qui propter parentum delicta, ſine ſui culpa pœnam exilij ſubit. Aliquando ob morbos, veluti iis euenit, qui ob atræ

Digitized by Google

bilis exceſſum rationis vſum amittunt, hi enim ea de cauſa homines fugiunt. hanc atræ bilis ſpeciem Auicenna cucubrit vocat, per quam homines, qui ea affecti ſunt, loca fugiunt habitata, deſerta, atque ſolitudines colunt. ab hac captus Aiax loca deſerta proſecutus eſt. vnde illud Homeri:

Aſt hic quando etiam grauior diis omnibus errat,
In campos ſolus latos, inque auia rura,
Ipſe ſuum cor edens hominum veſtigia vitans.

Et ob hanc cauſam Ariſtoteles libro Problematum atram bilem vino aſſimilauit: nec ab ratione, nam atra ipſa bilis variis affectibus animam afficit, quemadmodum vinum. Aliquando ob defectum naturæ, qui contingit in inſtrumentis, per quæ exercentur operationes animales, qualis in mutilatis, aut in ſurdis, mutiſque euenit, qui ob id relegantur ad agros excolendos. Nonnunquã ob defectum naturæ, qui contingit in ipſis ſenſoriis, ſpiritibúſque qui functionibus mentis ſeruiunt: quales homines ij ſunt, qui nati in aliqua regione à temperie lapſa, vt puta quia vel calidiſſima, vel frigidiſſima, in ea enim nullus niſi ferinus, atque ſilueſtris naſcitur: ceu in Æthiopia, & in Ponto. aut quales ij ſunt, qui licèt in regionibus admodum temperatis orti ſint, tamen ex aliqua vi cœli ineptiſſimi ad rationis vſum producti ſunt, & propterea à parentibus relegantur ad agros excolendos, & ad ſolitudines. Interdum ex habitu, nam licèt fortaſſe in decenti regione nati ſint, bona ac decenti diſpoſitione dotati, nec aliquo morbo, vel atra bili affecti: tamen electione ſcelerum adeo ratione obcæcantur, vt in feritatem eam veniant, quæ virtuti heroicæ contraria eſt. & ea de cauſa cùm in ciuitatibus admitti non poſſint, ſyluas, locáque deſerta petunt, vt rapinas, graſſationes, & omnium malorum genera exercere poſſint. Hunc Ariſtoteles libro Politicorum primo, quia ab ipſa ratione penitus deficit, beſtiam vocat. nos autem ferinum hominem. Nam ſolis ſenſibus, ac paſſionibus affectus viuit. vnde licèt eius natura ſit humana, cùm homo ſit, tamen eſt adeo inepta aut ex tempore aut ex principiis generationis, vt reddat eum ferinum, & ab humana ipſa conditione multùm abſentem.

Sectione 30. problemate 30.

Digitized by Google

De ſolitario diuino.

DIXIMVS eſſe alium ſolitarium, quem Ariſtoteles Deum appellabat, nos heroëm, heroicum, vel diuinum, Plato ſanctum. Eſt autem is, qui adeo ab ipſis ſenſibus eleuatus eſt, numinúmque contemplationi, ac veritatis ſtudiis adhibitus, vt neque alimentis, nec veſtibus, neque ſeruis ei aliqua ratione opus ſit. hic enim ſupra humanæ conditionis curſum ſola diuinorum contemplatione viuit, atque gaudet, ſola etiam veritatis indagatione ſeruatur. & de hoc Ariſtoteles decimo Ethicorum ita ſcribit. Talis autem vita ſuperat hominis naturam, non enim hoc ipſo quo homo eſt, ita viuet, ſed quo eſt quid in ipſo diuinum. quantum igitur hoc ab ipſo compoſito differt, tantùm & huius operatio diſtat ab ea, quæ à virtute alia proficiſcitur. quòd ſi mens diuinum ad ipſum hominem eſt, & vita, quæ ab hac manat, diuina eſt reſpectu ipſius vitæ humanæ: per quæ clarè colligitur huiuſmodi ſolitarium ad ſui vitam nullo alio indigere, præterquam contemplatione, quoniam ea ſola gaudet, & viuit. nec externis ei opus eſſe, cùm eius vita ſuperet hominis naturam. Huius generis apud nos fuerint, diuinus ille Ioannes Baptiſta, Elpidius Cappadox, qui bis tantùm veſcebatur in hebdomada, Medericus Edunenſis, qui ſemel in hebdomada cibum ſumebat, & alij plurimi. Temporibus autem Ariſtotelis Polydorum Prieneum fuiſſe narrant hiſtoriæ. hunc enim ſola contemplatione vixiſſe, nunquámve alimentis aut veſtimentis, aut aliquo alio externorum vſum eſſe affirmant. Sed vnde huiuſmodi conditionem diuinus hic ſolitarius ſibi comparare poſſit, non eſt exploratum. Ariſtoteles ſeptimo libro Ethicorum huiuſmodi diuinam conditionem hominibus accidere cenſet ex eius virtutis adeptione, quam vocat heroicam: per quam melior quàm homo euadit, ſed minor Deo, hoc eſt quaſi medius inter deos, & homines, dictus Heros. eſt enim heroica virtus melior humanis profectionibus, quæ ſunt virtus ipſa, & continentia. in heroica enim ipſa virtute motus concupiſcentiæ, pugnáque partium animæ ſunt cùm ſedati, tum omnino emortui. in virtute autem ſedati quidem, ſed

Digitized by Google

non omnino emortui. At in ipſa continentia neque ſedati, neque emortui, ſed exuperati duntaxat. in ipſo enim continente motus emergunt concupiſcentiæ, necnon & pugna partis irrationalis aduerſus rationalem, tamen ratio ſemper vincit, ſedátque ſemper motus, qui ſurgunt aduerſus eam. Alij verò boni Peripatetici eum ſolitarium poſſe conditionem, qua ſuperat humanam naturam, lucrari autumant ex principiis generationis. homo enim ex principiis ortus, non modò elementariam naturam ſibi cõparare poteſt, qua eſt calidus, frigidus, humidus vel ſiccus, aut inter hos medius, quáve eſt cholericus, ſanguineus, phlegmaticus, melancholicus, vel inter hos temperatus, verùm etiam eam, quæ à medicis hodie materialis complexio dicitur, quæque inſequens materiam appellatur, ſic enim nunc vocatur. per hanc Ariſtoteles hominem arbitratur in omnem actum virtutis exire poſſe, non quidem tanquam per habitum, (cùm habitus ex actibus generetur) ſed tanquam per diuinam diſpoſitionem loco habitus vice fungentem, per hanc hominem ea ſolùm agere putat, quæ ratio dictat, appetitu nullo pacto aduerſante. per hanc motus concupiſcentiæ, & pugna, quæ emergere ſolet inter rationem & appetitum, non modò ſedantur, verùm etiam penitus abolentur. Hanc opinionem Auicenna moralis philoſophiæ non ignatus ſexto libro ſuorum naturalium affirmauit, innumeriſque argumentis probauit. Verùm inter nos & Peripateticos hanc differentiam arbitramur. nam Peripatetici illud fieri poſſe putant naturæ tam vniuerſalis, quàm particularis beneficio. quod Auicenna dilucidè exponere eniſus eſt. Nos verò in Ioanne Baptiſta, & aliis id genus ex diuina ordinatione factum eſſe cenſemus: quam diuinam ordinationem, licèt Ariſtoteles ignorauerit, qui cuncta lumine naturali tradit, tamen id factum eſſe aliquando, nec ignorauit, nec negauit, cùm huiuſmodi hominem libro Politicorum primo appellet Deum. de his fortaſſe ſentit Virgilius, cùm dicit,

Pauci, quos æquus amauit
Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus.

& alibi, *Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo.*

Digitized by Google

De ſolitario humano.

DIXIMVS inſuper alium ſolitarium eſſe, qui aut rura, aut montes, aut loca ſolitaria colit: qui licèt contemplationi veritatis omni ex parte ſit immerſus, non tamen adeo diuinam diſpoſitionem eſt nactus, vt neque alimentis, neque veſtibus, neque ſeruis, neque cæteris pro ſuæ vitæ neceſſitate indigeat: quem appellauimus humanum. & de hoc loquitur Ariſtoteles decimo Ethicorum, cùm inquit, Eſt autem opus huic & proſperitate externa, cùm ſit homo. natura namque ipſa non eſt ad contemplandum ſufficiens, ſed corpus ſanum eſſe oportet, & alimenta, reliquúmque famulatum adeſſe. Dicitur autem hic ſolitarius humanus, quia vltra contemplationem, qua vt Deus viuit, modo humano omnes virtutes nactus eſt, quippe cùm doctrina atque perſuaſione eas adeptus ſit: nam cùm per moralem ipſam philoſophiam nouit vitia eſſe fugienda, quia mala, virtutes verò eſſe eligendas, quia ſunt honeſtæ, atque bonæ, inſuper & quæ vitia, quęve virtutes, etiam ſi nunquam in actionibus virtutum ſe exercuiſſet, per electionem omnes virtutum actus exercere poterit eo modo, quo recta ratio præcipit, ac dictat. nam licèt ad officioſum actum, vt officioſus ſit, & officioſus dicatur, neceſſaria ſit & electio, & actio exterior: tamen cauſa præcipua, ac ſola eſt electio, multi enim actus quotidie aguntur qui honeſti videntur, quia verò ſunt aut timore, aut inani gloria proficiſcentes, non autem per electionem, nec ſunt, nec dicuntur honeſti. Quare poteſt quiſpiam per electionem ſolam, quam ex doctrina lucratur officio cuiuſlibet virtutis fungi, etiam ſi nullum virtutis habitum nactus fuerit: poteſt enim ex frequentibus actibus perſuaſiuis (quos ex morali ſcientia ſibi comparat) crebras electiones exercere ad bene agendum, ex quibus tandem habitus innaſcetur tam in ipſa ratione dictante quàm in appetitu eligente, quo videlicet facilè poterit id ſemper eligere, quod ratio recta dictat: & hac ratione non virtutem (vt hodie loquuntur) formalem, ſed virtualem habebit, ſic enim Metaphyſici dicunt, habebit enim habitum, quem electiuum boni nuncupant. ob hanc cauſam Ari-

Digitized by Google

Ariſtoteles liberalem eſſe poſſe hominem putat, etſi nunquam aliquid donauerit, & fortem, etiamſi nunquam pugnauerit, & iuſtum, & id genus, etſi nullum omnino virtutis actum prompſerit. liberalē verò manifeſtum, aut fortem, aut iuſtum nequaquam, niſi huiuſmodi virtutum actus exercuerit. Nec ſolùm ex crebris perſuaſionibus, quæ ex doctrina habentur, poteſt quiſpiam habitum eligendi boni ſibi comparare, ſed etiam ex frequentibus perſuaſionibus quæ fiunt à parentibus, & à viris bonis, potiſſimum cùm interuenerit exemplum bonæ vitæ eorum videlicet qui perſuadent. Monet enim vitæ bonitas iuuenes ad bene beatéque agendum longè magis (vt ſcribit Ariſtoteles) quàm argumentatiua, atque ſyllogiſtica perſuaſio. hæc ſiquidem perſuadet, illa afficit: hæc concitat, illa vincit. Nec ex huiuſmodi perſuaſionibus tantùm, verùm etiam ex legibus tam diuinis quàm humanis, præcipitur enim in diuinis legibus eſſe bene viuendum, vt perpetuam mortem euitemus, & perennem beatitudinem conſequamur. In humanis autem, (quando correctionis ſpes aderit) pœnæ tolerabiles, incorrigibilibus autem exterminationes promittuntur. Quare iis qui ex principiis generationis diuinam naturam ſortiti ſunt, non opus eſt legibus, nec iis quorum natura magis ad bonum quàm ad malum prona exoritur. nam doctrina atque perſuaſio ſufficiunt. At iis, qui ex principiis naturæ magis ad malum affecti quàm ad bonum nati videntur, legibus opus eſt, vt earum metu boni tandē euadant: qui ſi boni effici non poſſint, exterminentur. Huiuſmodi igitur ſolitarius humanus eſt, atque humanus dicatur, primò, quia licèt præcipua eius vita ſit cōtemplatio veritatis, tamen modo humano externis bonis indiget, licèt paucis, cùm non ad vulgi opinionem, ſed ad naturam ea velit. deinde, quia humanis ſtudiis virtutum opera exercet, non autem heroicè, aut diuinitus, vt de diuino ſolitaio dictum eſt.

De ciuili ſolitario.

INSVPER eſt ciuilis ſolitarius, qui ideo ciuilis eſt, quia in ciuitate moratur: ſolitarius autem, quoniam procul ab

adminiſtratione reipublicæ ſtudiis philoſophiæ intendit. De huiuſmodi Ariſtoteles loquens primo Politicæ, Quapropter, inquit, quibuſcunque eſt facultas à laboribus ceſſandi, ſtudiis philoſophiæ intendunt. Huius generis fuerunt apud Græcos, Romanos & barbaros plurimi, vt Ariſtoteles, qui (teſte Cicerone) licèt officia publica gerere potuiſſet, ſtudiis philoſophiæ ſe deſtinauit. Socrates quoque, & Plato, & Anaxagoras, & Democritus, & Pythagoras, & Heraclitus, & Leuſippus, & cæteri, qui Pythagoreo nomine philoſophi ſunt appellati, antiquitus autem ſapientes. omnes enim hi licèt in ciuitate morati ſint, rebus autem publicis gubernandis non ſe intromiſerunt, occupati altioribus ſtudiis. Quare mente ſolitarij philoſophi ſunt, corpore autem, ciuiles. De huiuſmodi loquitur Ariſtoteles, cùm decimo Ethicorum dicit, Solon etiam bene fortaſſe de felicibus ſenſit, qui quidem eos eſſe felices dixit, qui mediocriter res habuerunt externas, & pulcherrimas (vt putabat) egere, modeſtéque vixere: fieri enim poteſt, vt mediocria poſſidentes agant ea quæ agere oportet. idem auctoritate Anaxagoræ probauit cùm dicit, Anaxagoras quoque videtur non locupletem, neque potentem exiſtimare felicem: dicens ſe nequaquam mirari ſi ille multitudini abſurdus quidem videtur, nam multitudo ſolùm iudicat à rebus externis.

De iis, quæ communia ſunt tribus ſolitariis.

NVNC de iis, quæ communia ſunt tribus ſolitariis, videlicet diuino, humano, & ciuili, nam per hæc erit perſpicuus vnuſquiſque magis. Primum igitur commune eſt, contemplari veritatem omnium eorum quæſitorum, quorum cauſa eſt ignota. Quòd ſi omnium veritatem indagare nequierit, ſecundum erit eniti ad eam curam peruenire, qua poſſit omnium quæſitorum veritatem attingere. Tertium eſt, mentem diligere, atque ſummopere venerari. Quartum eſt, ſecundum prudentiam cuncta agere atque moderari. Quintum eſt, omnia hæc agere, vt diuina cognoſcat, & humana omnia, quæ tam ſibi ſoli, quàm quæ ſibi cum aliis communia ſunt, gubernet. Ex iis poſtea deducuntur alia communia,

Digitized by Google

nam quia felix ſolitarius veritatem contemplatur, & enititur eam quoad fieri poteſt contemplari, videtur (vt Ariſtoteles inquit) optimè affectus: quo verò eo excellit quod optimum hominibus eſt, diis eſt amiciſſimus. Amat enim mentem, quæ Deo ſimillima eſt. etiam diligit, ac honorat eandem, quæ inter res humanas maximè amatur à Deo. Præterea eſt in cura eorum, nam ſi dij curam habent humanorum, vt rei veritas eſt, rationi conſentaneum eſt eos curam habere eius, quod inter humana eſt optimum. Talis eſt felix, qui ſecundum prudentiam cuncta agit, & quidem bene, & rectè. hactenus de communibus.

Quòd Ariſtoteles ſibi conſtet.

HIs dilucidatis, facilè cernere poſſumus Ariſtotelem in omnibus ſibi conſtare. cùm enim in libris Rhetoricorum, atque primo Ethicorum, tot aptitudines felici attribuerit, de eo felici loquitur, qui ſola ciuili felicitate beatus eſt. in aliis verò locis de felici monaſtico, cui non tot neceſſaria ſunt. Monaſtico enim (qui diuinus eſt) Ariſtoteles nec vxorem, nec liberos, nec aliquod externorum bonorum aſſignat, nam eum arbitratur ſola contemplatione viuere ac ſeruari. humano autem monaſtico, licèt nec vxorem nec liberos, nec nobilitatem, nec cætera id genus iniungat, tamen externa præbet, ſed quàm pauciſſima, quoniam ille non ad opinionem vulgi, ſed ad naturam viuit, indigétque externis tot, tantiſque, quibus nec alimenta nec veſtes, nec ſerui deſint, quibúſque in ſanitate, & viribus ſeruari poſſit: concedit autem amicos, qui ſuorum ſtudiorum ſint coadiutores, tum ob inſufficientiam, tum propter alias cauſas. Ciuili denique contemplatori, qui moratur in ciuitate, externa admittit, ſed non omnia, cùm nec ſceptrum nec exceſſum diuitiarum, ſed cum mediocritate cuncta, longè tamen plura quàm humano monaſtico: & licèt vxorem, & liberos, & amicos, & cætera permittat, nullum tamen externorum neceſſarium eſſe autumat, perter diuitias, cùm fuerint honeſtæ, ac medioctes. nam Plato ſapientiſſimus fuit, qui nec liberos, nec vxorem, nec potentiam poſſedit, tam-

etſi plures ſapientiſſimi fuerint, qui & liberos, & vxorem habuerint, vt ipſe Ariſtoteles, & Socrates, & alij plurimi. Quod ſi contingat in omnibus externis excellere, præcipit Ariſtoteles primo Politicorum, vt talis ipſe ſapiens omnium externorum curam vicario committat, ipſe verò ſtudiis philoſophiæ ſe præbeat. Plato autem ſapientiam cum potentia bene coiungi autumat, aſſerens felices fore Reſpublicas ſi à philoſophis gubernarentur, aut ab iis, qui diuina ſorte philoſopharentur. verùm Plato per philoſophos, morales, Ariſtoteles contemplatiuos intellexit. Nam potentia, quæ cum morali philoſophia coniungitur, cum ſumma prudentia cuncta moderatur. contemplatio autem ob potentiam, bonorúmque affluentiam impeditur, tum propter nimias occupationes atque curas, tum ob ſuperbiam, quæ ex abundantia bonorum paritur. Ex iis perſpicuum, & diuinum, & humanum, & ciuilem monaſticum non eſſe aliquem, quin omni morali virtute præditus fuerit. aut ob habitum, qui ex crebro vſu eligendi bonum in animo relinquitur. aut ex vſu officioſarum actionum, quibus quotidie fungitur. aut ob diuinam ipſam diſpoſitionem, quæ in eius animo infunditur aut innaſcitur.

Dubitationes aduerſus diuinum atque humanum ſolitarium.

SED hæc, quæ diximus, de diuina atque humana ſolitudine, quæſtione non carent, nam vtraque ſolitudo res videtur preter naturam. Duorum enim oppoſitorum ſi alterum eſt naturale, alterum præter naturam fateri compellimur. Sed ſocietas ciuilis, quæ ſolitudini diuinæ, atque humanæ contraria eſt, res naturalis eſt homini. eſt enim homo animal natura ſociale, atque ciuile. ergo tales illæ ſolitudines res erunt homini præter naturam. omne autem, quod eſt homini præter naturam, rectis legibus prohibitum eſt, atque cautum. Præterea loquela eſt hominibus res naturalis, & non ob aliud, niſi quia homo eſt animal natura ciuile, atque ſociale. ergo ciuilis ſocietas eſt naturalis: quare illiuſmodi ſolitudines res erunt præter naturam. Data eſt enim hominibus vox, & ſermo. vox quidem, quemadmodum cun-

Digitized by Google

ctis aliis animalibus ad ſignificandum affectus, vt metum iram, dolorem, voluptatem, & id genus. ſermo verò, ad exprimendum animi conceptus, qui pro ſocietate ciuili neceſſarij ſunt. non enim homo cum homine ciuiliter aſſociari poſſet, niſi natura ſermo eſſet ei inditus. Quare ſi ſermo homini eſt res ſecundum naturam, ciuilis ſocietas, vt probauit Ariſtoteles, res eſt ſecundum naturam. erit igitur omnis ſolitudo præter naturam, legéque cauenda. Inſuper Seneca vir doctiſſimus, Omnia nobis mala, inquit, ſolitudo perſuadet. nemo eſt, cui non ſanctius ſit cum quolibet eſſe, quàm ſecum. Adhæc diuinum & humanum ſolitarium Ariſtoteles vbique aut heroem, aut Deum appellat, quòd Deo perſimilis ſit. ergo naturali deſiderio vterque eniti debet Deo quoad fieri poteſt aſſimilari. At homo per nihil allud magis ipſi Deo aſſimilari creditur, quàm hominibus bene faciendo exemplis, atque doctrina: quod prouerbium demonſtrat, homo homini Deus: immo Plinius nihil aliud Deum eſſe contendit quàm mortale, cùm iuuerit mortale. Quare vnuſquiſque debet in ciuili ſocietate viuere, vt proſit mortalibus, ſolitudinémque cauere, ne ſibi ſoli natus ſit. eſt enim vnuſquiſque (auctore Platone atque Ariſtotele) natus patriæ, parentibus, & amicis. Quòd ſi vtraque ſolitudo res ſit contra naturam, aduerſúſque bonum moris, fit, vt vtraque lege ſit cauenda. Epiſt. 61.

Dilutiones.

SED hæc non militant, ideo pro dilutione illud accipiendum, ſolitudinem illam diuinam, aut humanam, de quibus nunc diſputamus, nec eſſe hominis eſſentiam, nec perfectionem, nec vitam, ſed inſtrumentum (vt Diuus Thomas inquit) non quidem actioni, ſed contemplationi idoneum. & cùm contẽplatio nec lege, nec natura ſit homini interdicta, fit, vt nec ſolitudo, quæ eſt ei idoneum inſtrumentũ: verùm nec ſolitudo, nec contemplatio tanta eſſe debet, vt per eam cõmune bonum aut tollatur, aut impediatur. nam cùm ſolitarius multis prodeſſe poſſit, lege naturæ tenetur benefacere, alioquin iniuſtus redderetur: ſed cùm non poſſit aliis 2. 2. q. 188. partic. 8.

Digitized by Google

prodeſſe vel benefacere, niſi cum hominibus conuerſando, atque in ciuili ſocietate viuendo, fit vt vita partim in ſolitudine, partim in ſocietate frui cogatur. nam cùm per temporaneam conuerſationem finem non amittat, per vices (vt arbitror) nunc ſolus vt ſibi, nunc in ſocietate vt aliis proſit, viuere compellitur. Tempus autem quo ſolus vitam agit, tanto maius eſſe debet, quanto vnuſquiſque plus ſe quàm alios diligere natura compellitur. Quare diuinus atque humanus ſolitarius nemo dicendus eſt, quia omnibus vitæ temporibus ſibi viuit. ſed quoniam plerumque ſecum, rarò autem, & quidem pro neceſſitate, cum aliis vitam degit. ſicut enim aliquod coloratum mediocri colore affectum, album dicimus, quia plus albi quàm nigri in ſe continet: ita quoque ſolitarium appellabimus, quia pluribus temporibus ſibi, quàm aliis viuit. Qui igitur ſolitudinem diligit, nocte ſibi vniuerſa, die autem partim ſibi, partim aliis (ſi opus fuerit) vitam impartiatur, nec ſe in multitudinem conferat niſi neceſſitas maximè compellat. Seruauit huiuſmodi ſolitudinem inter Romanos Cincinnatus, qui nunquam ad vrbem ſe conferebat, niſi aut accerſitus, aut cùm neceſſitas vrgeret. Demonax quoque philoſophus vitam ſolitariam ducens, nunquam niſi benefaciendi cauſa commotus in ſocietatem ſe ducebat. Timon Athenienſis, etſi congreſſus, atque hominum ſocietatem (vt auctor Cicero eſt in libro de Amicitia) refugiebat, cùm ciuibus cognoſcebat ſe prodeſſe poſſe, eos perlibenter adibat. Diocles eremum quandam Thebaidis habitabat, ad ſocietatẽ tamen aliquando ſe conferebat, cùm ſe eis vtilem fore cenſeret. Eucherus ordinis Senatorij dignitate conſpicuus ſpeluncam dumis horridam, nigróque lacu tutam in agro Lugdunenſi habitauit: non tamen abſtinebat ſocietate cùm opus erat. Ethbinus honeſtiſſimis parentibus inter Britannos natus tugurium ſibi fecit in ſylua, in quo ad finem vitæ durauit conſtantiſſimè, nunquam tamen defuit ciuibus, cùm compelleret occaſio. Poſſem ſexcenta alia exempla inducere, per quæ agnoſcere poterimus, vſque quò ſolitudo eligenda, quóve vſque fugienda ſit hominibus. ſed de iis hactenus.

Digitized by Google

Enumeratio earum aptitudinum, quæ accipiuntur ex parte animæ.

POST hæc inſtitutum noſtrum proſequamur, & eas aptitudines enumeremus, quæ ex parte animæ accipiuntur. Sunt autem harum aliæ, quæ accipiuntur ex parte animæ ſenſitiuæ, aliæ autem quæ accipiuntur ex parte animæ intellectiuæ. Ex parte quidem animæ ſenſitiuæ, aliæ nobis natura inſunt, aliæ ex tempore nobis acquiruntur. Quæ natura nobis ineſt, eſt bona diſpoſitio in ſenſoriis, & ſpiritibus qui menti ſeruiunt ad contemplandum. Bona autem diſpoſitio & quanto, & quali, & proportione deſcribitur. Quæ nobis ex tempore emergit, ſunt morales ipſæ virtutes, ſiue nobis per habitum eligendi bonum inſint, ſiue per diſpoſitionem diuinam, ſiue ex crebro vſu honeſtorum actuum. Ex parte autem animæ, quæ mens eſt, reſpectu actionum quidem quas in vniuerſa vita exercemus, eſt prudentia, quæ nihil aliud eſt quàm recta ratio moderandi omnes actus, qui à nobis eliguntur: reſpectu verò contemplationum, eſt habitus ſcientificus, quem Auerroës ſpeculatiuum intellectum vocat. Dico autem habitum ſpeculatiuum, qui aut ad finem in ipſa mente eſt productus, aut continuò per inuentionem atque diſciplinam excreſcit, quouſque ad finem peruenerit.

De aptitudinibus quæ ex parte animæ ſenſitiuæ accipiuntur.

SED cùm bona diſpoſitio in ſenſoriis, & ſpiritibus ex bona diſpoſitione, quæ in ſanguine eſt, pendeat, (generantur enim ſenſoria, & ſpiritus ex ipſo ſanguine) de ipſo ſanguine dicamus primò: eſt enim ſanguis alius craſſus, alius tenuis, inſuper alius calidus, alius frigidus, adhuc alius peruius, dilucidúſque, alius obſcurus, atque opacus. Spiritus igitur atque ſenſoria, qui ex tenui, calido, peruióque ſanguine exoriuntur, conuenienti multitudine atque proportione affecti menti ad contemplandum optimè ſeruiunt, & ad vires aptiſſimi cenſentur. Sed ſi ex ſanguine calido,

craſſo tamen, ad vires quidem idonei, ad contemplationem inepti habentur. Inſuper ſi ex ſanguine calido, tenui, opaco, tamen nec ad contemplandum, nec ad fortitudinem conferunt. De ſpiritibus, & ſenſoriis, qui ex frigido ſanguine exoriuntur, dictum eſt à nobis in libro de partibus, reſumptum verò in primo politicorum. Poſtea de ea diſpoſitione differendum, quæ nobis ex tempore emergit, quam in moralibus ipſis virtutibus conſiſtere, nemo eſt qui dubitat. Diximus enim ſuperiùs neque diuinum, neque humanum, neque ciuilem monaſticum poſſe eſſe aliquem, quin omni morali virtute præditus fuerit: aut ob habitum, qui ex crebro vſu eligendi bonum, in animo relinquitur, aut ex longo vſu officioſarum actionum, quibus quotidie funguntur, aut ob diuinam ipſam diſpoſitionem, quæ in eis infunditur, aut innaſcitur.

Quòd nullus poſſit ſibi ſoli viuere, niſi ſummis virtutibus præditus ſit.

POST hæc quòd nullus poſſit ſibi ſoli viuere, niſi qui ſummis virtutibus præditus eſt, declaremus: nam nullus poteſt ſibi viuere, niſi qui in ſe ipſo habet ea omnia, quæ cupit eſſe in amicis, vt cum eis conuiuat, atque ſumma voluptate fruatur. tria autem ſunt in amicis, vt cum eis iucundè conuiuamus, mutua beneficentia, mutua beniuolentia, atque mutua concordia. cùm enim hæc tria in amicis reperiuntur, mutuo cōuictu gaudent, nec aliquid vltra eſt, quod cupiant. Hæc autē quòd ſuſtineat officioſus, qui omni virtute præditus eſt ad ſe ipſum, dilucidemus. Officioſus enim primò eſt ſibi beneficus, nam ea ſibi procurat, adminiſtrat, atque confert, quæ ſunt verè bona, vt ſunt bona virtutis. virtus enim (auctore Ariſtotele) eſt quæ facit, & habentem, & opus bonum: quare bona animi ſibi conferendo, ſibi etiam bene facit. Deinde eſt ſibi beneuolus: officioſus enim vult ſeipſum viuere, ſéque ipſum ſeruari, præcipuè quoad eam animæ partem, cui virtus, & ſapientia inſunt. At eſſe, & viuere cum virtute & ſapientia, eſt maximum omnium bonorum: igitur eſt ſibi beneuolus, quo vult ſibi bonum, quod eſt eſſe,

&

& viuere cum ſapientia, atque virtute. Poſtremò officioſus maximè ſibi ipſi concors eſt: primò, quia ſibi ipſi maximè vult conuiuere pluribus de cauſis: primò quidem quatenus ad cor ſuum reuertendo, ſecúmque meditando, mirabili voluptate afficitur: deinde quoad præteritorum, quæ rectè geſſit, memoriam. memoria enim atque conſcientia rectè factorum mirabiles affert voluptates. poſtea quoque quoad futurorum ſpem, cùm enim ſpem bene agendi habeat, mira delectatione gaudet. poſtremò quoad præſentium agnitionem, nam cùm ob ſapientiam contemplationibus mentis abundet, diuinis voluptatibus etiam excellere videtur. Eſt igitur officioſus maximè ſibi ipſi concors, primò quia ſibi ipſi ob has cauſas maximè vult conuiuere: deinde ob conſenſum in affectibus, nam rationalis pars & ſenſitiua, quæ irrationalis dicitur, condolent, atque condelectantur, idem enim vtriſque iucundum, & dolorificum eſt, eſt enim in officioſo irrationalis ipſa pars rationali omni ex parte obnoxia, quippe cùm omni ex parte motum rationis imitetur, aut ſaltem non vehementer renitatur. non enim in officioſo rationalis ipſa pars affectibus irrationalis ducitur, adeo vt poſtea affectu ceſſante egiſſe pœniteat, ſed cùm ſemper ſecundum rationem agat, non facilè pœnitet: qua ratione fit, vt maximè officioſus ſibi ipſi conſentiat. Quòd ſi officioſus maximè ſibi conuiuere velit, maximè quoque ſibi ipſi conſentiat, fit, vt maximè quoque ſibi ipſi concors ſit. rectè igitur dictum eſt officioſum eſſe maximè ſibi beneficum, maximè beneuolum, maximè etiam concordem. Qui autem ita ſe habet ad ſe, maximè poteſt ſibi ſoli viuere, cùm ea omnia in ſeipſo habeat, quæ in amicis deſiderat: ſapiens itaque nunquam ſolus eſſe poteſt, habet enim ſecum omnes qui ſunt, & qui fuerunt boni, & animum liberum, & quocunque vult, profert, & transfert, & quod corpore non poteſt, cogitatione complectitur, & ſi hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo, quare nunquam bonus ſolus erit. Vnde & illud Scipionis rectè fertur, Nunquam minus ſolus, quàm cùm eſſem ſolus. Hoc idem teſtimonio Dei probauit Ariſtoteles, qui ſolus ſibi viuit, & gaudet, quoniam ea omnia in ſe habet, quæ deſiderari poſſunt.

Quòd officioſus quolibet amicitiæ genere ſit ſibi ipſi amicus, & maximè philautus.

CVM triplex ſit amicitia, quædam quæ honeſti cauſa, quædam quæ vtilitatis gratia, & tertia, quæ ob voluptatem, inter homines emergit. hoc triplici amicitiæ genere officioſus ſibi ipſi vt amicus ſit, nemo eſt, qui dubitat. eſt enim ſibi iucundus, quoniam virtus, qua emicat, iucundiſſima eſt. eſt inſuper vtilis, quia quotidie ea bona ſibi procurat, & parat, quæ ſunt bona animi, quæ à Peripateticis verè bona dicuntur: bona autem externa pro tanto ſibi elaborat, pro quanto ſunt inſtrumenta vitæ, & ad bene agendum ordinata. eſt etiam ſibi amicus honeſti cauſa, ſiquidem virtutes, & ſapientia, quibus præditus eſt, ſunt bona honeſta, quæ expetuntur propter ſe. Eſt inſuper maximè philautus, hoc eſt amator ſui, nam ea ſibi tribuit, quæ pulcherrima, maximéque bona ſunt. Inſuper inſeruit principaliſſimo ſui videlicet intellectui, & in omnibus illi quieſcit. eſt autem ipſe intellectus aut homo totus, aut res principaliſſima omnium earum quæ ſunt in homine. officioſus igitur maximè ſui amator eſt, quia mẽtem amat, illíque maximè inſeruit. Qua ratione euenit, vt propter hæc officioſus maximè ſolus viuere poſſit, quoniam ſibi omni amicitiæ genere eſt amicus, nihilque expetibilis reperiri poſſit in aliis, quod in ſe non habeat.

Quòd flagitioſus non poſſit ſibi ipſi ſoli viuere.

QVONIAM officioſus ideo aptus eſt viuere ſolus, quia eſt ſibi beneficus, ſibi beneuolus, atque ſibi concors, fit vt nequaquã flagitioſus ſibi ſoli viuat vnquam, eſt enim ſibi maleficus, maleuolus, atque diſcors. Maleficus quidem, quia ob formidinem, atque inertiam eas res agere omittit, quæ ſibi optimæ eſſent. agit autem eas, quæ licèt corpori bonæ appareant, animo tamen peſſimæ, atque turpiſſimæ ſunt. Maleuolus verò, nam res graues, nefandáſque agendo, vitam ob prauitatem odio habet, ac fugit, ſibíque nonnunquam mortem conſciſcit. diſcors denique, ſi quidem alios quærit qui-

Digitized by Google

bus cum verſetur, ſe verò ipſum fugit. nam ſi ſit ſecum, recordatur multarum, grauiúmque rerum, & ſperat alias tales. ſed ſi cum aliis ſit obliuiſcitur. Inſuper neque vnà ſecum gaudet atque dolet, eſt enim in ſeditione eius animus, cùm interdū propter improbitatem doleat, abſtinénſque quibuſdam interdum lætatur, adeo vt modò illuc, modò huc rapiatur. Flagitioſus igitur atque improbus nec erga ſe quidem amicè affectus eſt, propterea quòd nihil habeat, quod ſit amabile, nec ſibi ſoli viuere vult cùm ſemper cum aliis viuere cogatur, vt ſuorum ſcelerum obliuiſcatur. Et de aptitudinibus ex parte animæ ſenſitiuæ hactenus.

De prudentia, déque intellectu actiuo.

POST hæc eas aptitudines opus eſt dilucidare, quæ ex parte mentis accipiuntur, quarum prima eſt prudentia, quæ cùm ſit ratio moderatrix omnium actionum quæ contingunt in vita, ſumma aptitudo erit, per quam quiſque poterit non ſolùm cum aliis, ſed etiam ſibi ſoli viuere. cùm enim è medio tollitur moderamen actionum, tollitur prudentia, & omnis virtus, iis è medio ſublatis, ſolitudo non erit permanſiua, nec iucunda: quare de prudentia diſſerendum, cùm ſit aptitudinum præclariſſima ad ſolitudinem agendam. Videtur itaque prudentis eſſe bene conſulere poſſe, circa ea, quæ ſibi ſunt bona, ac proſunt, non particulatim, vt quænam ad ſanitatem vel vires, ſed quæ ad bene viuendum omnino conducant. Signo autem argumentóque nobis ſunt prudentes particulares, qui circa aliquem finem conſultant. nam ideo prudentes dicuntur, quòd circa eum finem ea excogitauerint, quorum nulla eſt ars. Quare & generatim is prudens erit, qui ad conſultandum eſt aptus. Sed quæ ſint conſultabilia breuibus exponamus. ſunt enim nec neceſſaria, nec impoſſibilia, ſed quæ fieri poſſunt, vel non fieri, nec cuncta poſſibilia ſunt conſultabilia, ſed ea, quæ ſunt in poteſtate noſtra. inſuper nec hæc omnia. quia non quæ factioni, ſed quæ actioni ſubſunt. differunt enim factio, & actio. nam factionis finis quid aliud præter ipſam factionem eſt, vt domus: actionis verò non ſemper, nam interdum ipſa bona

actio finis eſt. Ex iis quid prudentia ſit, perſpicuum. eſt enim habitus verus cum ratione, qui in his agendis verſatur, quæ ſunt homini bona & mala. ob hoc Periclem & alios huiuſmodi prudentes dicimus, quia ſibi ipſis, & quæ cæteris hominibus ſunt bona, proſpicere poſſunt, quales quidem ſunt, qui publicis, priuatiſque rebus adminiſtrandis ſunt apti. Plato autem prudentiam cauſam eſſe ait rectè agendarum rerum. Cicero verò propter hæc ſæpe prudentiam eſſe aſſerit humanæ vitæ vel magiſtram, vel artem. Socrates omnes virtutes prudentias eſſe dicebat. Ariſtoteles hunc erraſſe ait, & eum dicere debuiſſe, nullam virtutem abſque prudentia eſſe. ob hoc quoque Apollophanes Stoicus tanti prudentiam fecit, vt hanc vnam virtutē eſſe putaret, vel quæ in ſe cunctas alias contineret, vel cui reliquæ omnes famularentur: quam rem & Bion Boriſthenites, & Epicurus probarũt. vnde & Afranius in togata propter hanc excellentiã, prudentiam, ſapientiam appellauit. Hipparchus verò atq; Ptolemæus prudentiã affirmant aſtrorũ vim præuertere. nam huius officiũ eſt præſentia diſponere, præterita meminiſſe, futura autē præuidere, & propter hæc non modò à ſolicitudine hominē abducit, verùm etiã contra omnes fortunæ impetus armat, ſemper enim præcipit quæ agenda, vel non agenda ſint. Præterea prudẽtia ab ingenij acumine in primis manat, augetur memoria, creſcit doctrina, ac rerũ experientia perficitur. Plotinus Platonicus cùm de virtutibus ciuilibus ſcriberet, prudentiæ has ſpecies ſubiecit, intelligentiam, circunſpectionem, prouidentiam, docilitatem, cautionem: quibus quoque Peripatetici, & veteres Academici ſagacitatem addunt, & verſutiam, & calliditatem, & aſtutiam, & æquitatem. Qua ratione fit, vt ex mente ipſa atque prudentia is intellectus coaleſcat, qui dicitur actiuus, quippe cùm ſemper quæ agenda, vel non agenda ſunt, præcipiat. Et cùm ex mente ipſa atque prudentia intellectus fiat actiuus, non ab ratione Mineruam de Iouis virtute natam eſſe poëtæ fabulantur: intelligentes per Mineruam, huiuſmodi ex mente atque prudentia compoſitum. Et cùm prudentis viri officium ſit quæcunque cogitat, aut agitat, recta quadam ratione metiri, nihilque præter rectum agere, aut nulla ex parte optare humana, atque putare, ſemper diuinis ar-

bitris præſentibus agi, diuiniſque conſiliis gubernari, fit vt ſumma aptitudo ſit homini ad viuendum in ſolitudine. nam per hanc ſolitarius voluptates refrenat, dolores reprimit, affectus omnes moderatur, ad ſuperos attollitur, atque diuinis conſiliis gubernatur, adeo vt nihil horrendum, nihil formidabile pertimeſcat, excubétque ſemper animo, atque omnia præuideat: ſicque pacatus viuet, vt nec tabeſcat moleſtiis, nec timore frangatur, nec futili lætitia deliqueſcat.

De virtute, quæ prudentiam conſeruat.

HABET autem prudentia virtutem, à qua conſeruatur, vt temperantiam. hanc enim Peripatetici prudentiæ conſeruatricem eſſe autumant, vt quæ iudicium ſtabile ac firmum in rebus omnibus agendis reddat, nec permittat illud labefactari, atque corrumpi à voluptatibus, neque à doloribus tabeſcere, aut frangi: nam vt recta ſit ratio in dictis, ac factis, prudentiæ munus habetur, vt autem non effundatur, ſed circunſcripta, firma, ſtabilis, incorrupta, atque integra maneat, temperantia. Nec huic rei argumentum à contrario deerit, nam ſi voluptas & dolor iudicium, quod eſt de fine peruertunt, eorum etiam iudicium turbabunt, quæ ad finem nos perducunt. Turbatis autem fine, & mediis ad ipſum, prudentia corrumpitur. Quare temperantia, quæ voluptatum ac dolorum eſt moderatrix, prudentiam & conſeruabit, & augebit. Hoc idem teſtatur & Plato, qui principibus, ducibus, cæteríſque omnibus qui adminiſtrandis, atque gerendis rebus publicis intendunt, vinum, libidinéſque omnes interdicit: arbitratus per huiuſmodi non modò iudicium, verùm etiam mentem peruerti. ſunt inſuper nobis viri prudentes argumento, vt inter Græcos Themiſtocles, Phocion, Epaminondas, Ariſtides, Cimon, Philippus Alexandri regis pater: & inter barbaros Maſſiniſſa Numidiæ rex: ex Romanis iunior Scipio, Veſpaſianus, M. Fabius, Q. Cincinnatus, Cn. Plancus: hi enim & alij complures pariter temperatiſſimi atque prudentiſſimi fuerunt. Comitantur autem temperantiam modeſtia, verecundia, pudor, abſtinentia, caſtitas, honeſtas, moderatio, parcitas, ſo-

brietas, atque pudicitia: in quibus ferè vniuerſa ſolitudo conſiſtit.

De pabulo fouente prudentiam.

EST inſuper prudentiæ pabulum, quod ipſam fouet, humor melancholicus, qui cùm ex quotidiano victu excreſcit, euadítque præternaturalis, febres quartanas, lienes, cæteróſque morbos efficit: cùm autem naturalis exiſtens quantitate, atque caliditate exuperat homines, reddit percitos, ingenioſos, amaſios, ad omnem excandeſcentiam, atque cupiditatem propenſos, nonnullos etiam loquaciores. Multos etiam (vt Ariſtoteles eſt auctor) propterea quia calor ille ſedi mentis in vicino eſt, morbis veſaniæ implicatos, aut lymphatico inſtinctu inferueſcentes, ex quo ſybillæ efficiuntur, & bacchæ, & omnes, qui diuino ſpiraculo inſtigari creduntur: cùm ſcilicet id non morbo, ſed naturali intemperie accidit. Et (vt cernis) Ariſtoteles non de veris prophetis, qui diuino numine afflantur, loquitur, ſed de iis, qui pſeudoprophetæ ſunt: nam veros prophetas admiratur, & non negat in libro de ſomno, & vigilia, cùm dicat eos eſſe ſupra capitulum noſtrum. per hunc modũ fieri poëtas narrat, cùm Marcus, inquit, ciuis Syracuſanus, poëta præſtantior erat, dum mente alienaretur. vbi autem frigiditate exceſſerit, cùm formidoloſum quicquam denunciatum eſt, timidum reddit. Iam enim metui aditum patefacit, & metus ipſe refrigerat, vt ex iis conſtat, qui metu perculſi obtremiſcunt. Hæc iterum ſi magis excreuerit, inducit conuulſiones, attonitiones, atque ſtupores. At cùm calefit cum mediocritate, ij prorſus melancholici quidem, ſed longè prudentiores, & quamquam aliqua in parte minus excedunt, multis tamen in rebus ceteris ſunt omnibus præſtantiores, alij in ſtudiis literarum, alij in artibus, alij in republica, magnum etiam ad ſubeunda pericula diſcrimen hic habitus affert. vnde fit, vt homines omnes, qui ingenio clauerunt, vel in ſtudiis philoſophiæ, vel in republica adminiſtrandà, vel in carmine pãgendo, vel in artibus exercendis, melancholici fuerint, attæque bilis morbis infeſtarentur: ceu inter Heroas de Hercule fer-

Libro problem. partic. 30. problem. primo.

tur, hic enim ea ipſa natura putatur, & morbum comitialem ſacrum ab illo & Herculeum priſci nominauere. Lyſandro quoque Lacedæmonio proximè ante obitum genus id vlcerum emerſit. Adde Aiacem & Bellerophontem, quorum alter penitus ad inſaniam prorupit, alter loca proſequebatur deſerta. quin etiam pleroſque alios ex heroum ordine morbo eodem laboraſſe compertum eſt, annis verò poſteriori-bus Empedoclem, Socratem, Platonem, alióſque complures viros inſignes hoc fuiſſe habitu nouimus, atque etiam partem ordinis poëtarum ampliorem. nam & multos id genus hominum morbi ob eiuſmodi habitum corporis exercent, & aliqui ſuapte natura in eos ipſos affectus perſpicuè vergunt. omnes tamen fere (vt dictum iam eſt) natura huiuſmodi extitere. Quæ cùm ita ſint, fit, vt habitus huiuſmodi, cùm calidus ſit mediocriter, pabulum ſit idoneum non modò ad prudentiam fouendam, ſed ad ſolitudines quærendas.

De intellectu contemplatiuo.

IIs aptitudinibus explicatis, quæ ex parte ſenſitiuæ animæ accipiuntur, nunc de intellectu contemplatiuo diſſerendum, qui proxima aptitudo eorum eſt, qui in ſolitudine viuere volunt. Quippe cùm ſolitudo aut ipſe contemplatiuus intellectus ſit, aut ad eum aptiſſimum inſtrumentum, quod quidem niſi contemplationi ſit coniunctum, fruſtra cenſetur, atque non permanſiuum. Intellectus itaque contemplatiuus (cùm ad finem peruenerit) tria in ſe habet, cognitionem principiorum, ſcientiam eorum quæ ex principiis deducuntur, & ſapientiam, quæ intellectus eſt principiorum & ſcientia eorum, quæ ex principiis cognoſcuntur. cùm verò fuerit in via, circa hæc tria ſemper verſatur, donec ad finem ſe perueniſſe putauerit. Quare duplex nomen ſortitur, nam cùm in via fuerit, ſtudium ad contemplandum, aut ad cognitionem veritatis inſtitutum dicitur: cùm autem fuerit in fine, (quod Auerroës fieri poſſe cenſuit) intellectus omni ex parte acquiſitus, atque perfectus, vocatur. Ex iis non eſt obſcurum ad quid ſeruiat ſolitudo. nam ſi intellectus contemplatiuus omni ex parte acqui-

Digitized by Google

ſitus, atque perfectus eſt, ſolitudo inſtrumentum aptiſſimum eſt, quo aptè eo frui poſſumus atque gaudere: ſin autem in via ad finem cucurrerit, idonea aptitudo erit, tum vt ea parte, quæ acquiſita eſt, fruamur, tum vel maximè vt ad finem, quoad fieri poſſit, perueniamus.

De partibus intellectus contemplatiui.

CONTEMPLATIVI autem intellectus partes multiplices ſunt, nam aliæ principes, aliæ ſubminiſtræ, aut (vt Græci dicunt) organicæ ſunt. Principes quidem, naturalis philoſophia, quam Græci Phyſicam vocant, Mathematica, & harum mediæ Aſtrologia, Perſpectiua, Muſica: eſt tertia ſcientia, quam verbo corrupto Metaphyſicam dicunt, Ariſtot. nunc ſapientiam, nunc Theologiã. Mathematicas explodit à felicitate contemplatiua: Auerroës aſſerens eas non eſſe inuentas propter delectationem, ſed propter exercitationem, nam Græci (auctore Alexandro Aphrodiſio prooemio de Phyſico auditu) antequam pueros transmutarent ad ſtudium rerum diuinarum, exercebant in Mathematicis, vt aſſueti res mediocriter ſeparatas contemplari, facilè poſſent res diuinas, quæ omni ex parte ſeparatæ ſunt à materiáque abiunctæ. Præterea etiam alia ratione, ex ſtudiis Geometricis facilè poterant ad mechanicas ſe conferre, ex ſtudiis Arithmeticis ad Mercaturas. Quòd verò non videantur intentæ per ſe, ex eo perſpicuum eſt, quia, cùm effectus non ſit ſua cauſa priùs agnitus, nullam nobis admirationem affert, cùm per cauſam ſcitur: quare nec voluptatem. Inſuper nulla res naturæ eſt (teſtatur Ariſtoteles primo de partibus animalium) in qua non mirandum aliquid inditum habeatur. & quod Heraclitum dixiſſe ferunt ad eos, qui cùm alloqui eum vellent, quòd fortè in caſa furnaria quadam caloris gratia ſedentem vidiſſent, accedere temperarunt. Ingredi enim eos fidenter iuſſit, quoniam (inquit) ne huic quidem loco dij deſunt immortales. Hoc idem indaganda quoque natura animantium faciendum eſt. aggredi enim quæque ſine vllo pudore debemus, cùm in omnibus naturæ, numen, & honeſtum, pulchrúmque inſit ingenium. Quippo cùm

naturæ

naturæ operibus iunctum illud præcipuè ſit, vt nihil temerè, vicéque fortuita committatur, ſed alicuius gratia omnia agantur: finis autem cuius gratia quicquam vel conſtat, vel conditum eſt, boni honeſtique obtinet rationem. Hæc Ariſtoteles, per quæ clariſſima ratione patet, nullum eſſe naturæ effectum, in quo non ſit numen, atque diuini quicquam. Quare nihil erit in natura, quod antequam ſciatur, nobis admirationem non afferat, poſtea verò ſcitum miram delectationem non efficiat. At res Mathematicæ, cùm non ſint effectus naturæ, ſed in noſtra cogitatione collocatæ, nec admirationem nobis afferant, quaſi priùs ſuis cauſis agnitæ: fit vt nec delectationem, nec admirationem nobis præbeant. non enim in eis numen, aut diuini quicquam comperimus: niſi in mediis ſcientiis ea ex parte, qua effectus naturæ ſunt res, de quibus agunt. Hac ratione Ariſtoteles primo Metaphyſicæ tradit apud Ægyptum vbi Mathematicæ primò inuentæ ſunt, eas nec ad voluptatem, nec ad neceſſitatem repertas eſſe. Non ergo ab ratione Auerroës, & Alexander compertas eſſe dicunt propter exercitationem: eam autem ſcientiam, quæ cognitio rerum naturalium eſt per ſuas cauſas, quamquam Græci Phyſicen, & eam, quæ ſupranaturalium rerum eſt per ſuos effectus, quæ & ſapientia, & Theologia vocatur, partes eſſe affirmant contemplatiui intellectus. ſubminiſtræ verò his ſunt Grammatica, & Analytica, cuius duæ partes ſunt, prioriſtica, atque poſterioriſtica. ſine enim ſyllogiſmis nec inuenire, nec iudicare veritates aliquas poſſumus, quare nullo pacto philoſophari, cùm philoſophari ſit aliud nihil quàm ſtudium indagandæ veritatis. ſine autem Grammatica nec rectè loqui, nec rectè ſcribere poſſumus. Sunt igitur analytica atque grammatica ſubminiſtræ atque organicæ artes, ſine quibus non bene, nónque artificioſè partes contemplatiui intellectus haberi poſſunt. Topica autem inuenta eſt pro colloquiis, & ad diſſerendum probabiliter in omni ſcientia de omni quæſito, quod in ea proponitur. eſt enim facultas diſſerendi omne problema. Sophiſtica verò reperta eſt aduerſus importunos, qui veritatem extorquere enituntur. Rhetorica licèt moralis philoſophiæ ſit inſtrumentum, vt Analytica naturalis philoſophiæ: tamen vtilis

Digitized by Google

eſt in omnibus dicendi generibus, in quibus dicere ſolemus coram auditoribus. Poëtica autem inuenta eſt (vt Ariſtoteles auctor eſt in eo Libro, quem de poëtica ſcripſit) & ad delectandum, & ad conferendum. Quod Horatius affirmat, cùm dicit,

Et prodeſſe volunt, & delectare poëtæ.

Partes naturalis philoſophiæ.

PARS verò naturalis philoſophiæ, quæ quidem omnibus communis eſt, cùm ſit de iis, quæ rebus naturalibus omnibus communia ſunt, ea eſt, quam phyſicam auſcultationem vocant, alio autem nomine Librum phyſicorum. in hac enim parte agitur de accidentibus, quæ rebus naturalibus omnibus communia ſunt, & de principiis, quæ eorum accidentium communes cauſæ ſunt. Secunda verò, quæ de cœlo, & mundo inſcribitur. nam diſſerere videtur de mundo elementario, & de ea parte ſupralunari, quæ dicitur cœlum. de his enim agitur, quatenus motui locali ſimpliciter ſubiiciuntur. Tertia autem, quæ de generabilibus, & corruptibilibus pertractat: nam de mobilibus eſt, vt ſubiiciuntur motui, qui terminatur ad formam ſimpliciter. Quarta deinceps, quæ de iis mobilibus eſt, quorum motus terminatur ad formam mixti imperfecti, quorum ſcientiam meteorologiam vocant, hoc eſt ſermonem de ſublimibus. Quinta poſtea, quæ eſt de mobilibus, quorum motus finitur ad formam mixti perfecti, non tamen ſub certa ſpecie definiti. Quem appellant Græci de mixtis, hunc ſub nomine Libri quarti meteororum iuniores Latini ab Ariſtotele traditum eſſe putant: Alexander Aphrodiſius tertiam de generatione, nos verò hanc partem quintam librum de mixtis facimus, quæ videlicet terminatur ad formam perfectam, non tamen ſub certa ſpecie conſtitutam. Sexta verò quæ de mobilibus eſt, quorum motus terminatur ad formam mixti perfectam, atque ſub ſpecie definitam, vt eſt liber de mineris lapidibúſque. Septima autem, quæ de plantis, quarum motus finitur in formam plantæ, quæ ſub certa ſpecie definita eſt. Octaua deinceps quæ eſt de animalibus, quorum generatio ad formam

Digitized by Google

terminatur, quæ ſub ſpecie eſt. Nona ea pars eſt, quam Ariſtoteles libro primo de partibus mediam & mathematicam appellat: mediam quidem, quia eſt de anima, cuius vna pars mens videlicet, ad Metaphyſicam attinet. ſenſitiua verò atque vegetalis ad naturalem. Mathematica verò, quia huius ſcientia maximè diſciplinalis eſt. hæc breuibus attigiſſe ſit hactenus.

Partes Metaphyſicæ.

METAPHYSICA (vt diximus) ab Ariſtotele Theologia appellatur. Verùm Theologia, cùm ſit ſermo de diuinis ſubſtantiis, duobus modis tradi poteſt, aut ſenſibus noſtris tam externis, quàm internis menti ſubminiſtrantibus, & lumine intellectus agentis illuſtrante, aut ſupra ſenſus, captúque noſtro lumine ſupernaturali illuminante. Prima ratione quidem Theologia naturalis eſt, & hanc tradit Ariſtoteles in libris, quæ ſunt μετὰ τὰ φυσικὰ hoc eſt vltra naturalia. Secunda verò ratione eſt Theologia ſupernaturalis, quam ſub lumine ſupernaturali ſanctiſſimi viri attulerunt. Plato verò quæcunque de diuinis pertractat, mixta ſunt ex iis, quæ pura fide tradita ſunt, & ex iis, quæ lumine naturali ipſe comperta ab aliis inuenit. Naturalem verò Theologiam Ariſtoteles diſſecuit, nam alteram partem eſſe voluit, in qua agitur de iis omnibus, quæ per quandam indifferentiam communia eſſe cenſentur diuinis ac naturalibus ſubſtantiis. Et hanc Ariſtoteles abſoluit in vndecim libris, qui primò leguntur. Alteram verò, in qua de iis diſſeritur, quæ ſolùm diuinis ſubſtantiis accommodantur: & hanc in libro duodecimo vſque ad finem pertractat. Supernaturalem verò Theologiam non opus eſt diſſecare, cùm ſufficienter à viris ſanctiſſimis in omnes ſui partes diſtincta ſit.

De diuiſione moralis philoſophiæ.

SED quoniam (vt diximus) vnus modus, quo prudentiam, virtuteſque omnes acquirimus, eſt per doctrinam, quæ in morali philoſophia traditur, non erit inutile moralis phi-

loſophiæ diuiſionem in medium afferre. Et cùm hæc diuiſio ab ipſius hominis diuiſione colligatur, dicamus trifariam hominem conſiderandum eſſe, aut quo viuit ſimpliciter, vt homo, aut quo viuit in domo, aut quo viuit in ciuitate. Et cùm quouis modo viuat, bene, & malè viuere poſſit, ita, vt omnifariam bene, beatéque viuat, tres philoſophiæ moralis partes aſſignantur. Prima quidẽ, in qua regula traditur, vt homo bene viuat quo homo. Alia deinceps, in qua leges afferuntur, quibus bene viuat vt œconomus, atque diſpenſator domus. Tertia denique, in qua leges, regulæque dantur, quibus homo, vt ciuis, & vt gubernator ciuitatis bene, beatéque viuere enitatur. Primam quidem partem in his libris abſoluit, qui Ethicorum appellantur. Secundam verò in his, qui Oeconomicorum dicuntur. tertiam denique qui Politicorum nuncupantur. Ex iis facilè colligere poſſumus in quibus conſiſtit vniuerſa vis contemplandi, cui ſolitudinem idoneum inſtrumentum eſſe diximus. Qui enim ſolitudinem eligit, & non in his omnibus, vel pluribus verſatur, beſtia eſt: qui verò contrà in iis omnibus, aut pluribus, Deus, hoc eſt heros eſt habendus.

De rebus quibus deſcriptio ſolitudinis conſiſtit.

POST hæc de iis rebus agendum eſt, quibus deſcribitur ſolitudo: niſi enim ſolitudo optimo ſitu deſcriptionéque ſtatuatur, fortaſſe erit magis homini viuenti in ſolitudine impedimento, quàm iumento. Deſcribitur itaque primò diſtantia à ciuitate, aëre, aqua, & terra, in qua ſita eſt.

De diſtantia à ciuitate.

DISTANTIA à ciuitate quidem, nam licèt ſolitudo haberi poſſit in ipſa ciuitate, tumultuaria eſt, & non procul à negotiis, & hanc ob cauſam C. Plinius nepos Minutiũ Fundanum hortatur ad ſeceſſũ, cùm in vrbe occupati ſint homines rebus inanibus, rure nihil audiant quod audiſſe, nihil dicant quod dixiſſe pœniteat. hortatur inſuper ad ſeceſſum, cùm nemo apud ſe quemquã ſiniſtris ſermonibus carpat, neminem

Digitized by Google

ipſe reprehendat, niſi vnum ſe, cùm parum commodè ſcripſerit, nulla ſpe, nullo timore ſollicitetur, nullis rumoribus inquietetur, ſecum tantùm, & cum libellis loquatur. propter has cauſas huiuſmodi ſolitudinem felicem, ſyncerámque vitam, dulce ocium, honeſtúmque, atque penè omni negotio pulchrius vocat. hac quoque ratione muſæum, hoc eſt bibliothecam, (quæ muſarum locus eſſe ſolet) ſacrum atque ſecretũ aſſerit, ſatiúſque eſſe otioſum eſſe quàm nihil agere, hoc eſt quàm multis rebus inanibus implicari. Quæ cùm ita ſint, longè commodius eſt ad contemplandum, vt ſolitudo ſit procul à ciuitate quàm in ea collocata. Sed quanta eſſe debeat diſtantia, non eſt exploratum. C. Plinius nepos aliquando aſſeruit ad quartum lapidem procul eſſe eligendam, nec ab ratione, nam cùm in ciuitate ſufficientia ſit, & in ſolitudine contingat indigere iis, quæ in ciuitate reperiuntur, vt poſſit indigentia citò reparari, non oportet ſolitudinem vltra quartum lapidem à ciuitate procul collocare: eſt autem huiuſmodi diſtantia ſufficiens, ad fugiendos ciuiles ſtrepitus, quare omni ex parte idonea cenſetur. Alij verò aliam definiunt diſtantiam, vt Hieronymus, quod cùm ſit ad alium finem electa, non eſt in huiuſmodi diſputatione ampliùs immorandum: ſatis autem nobis ſit colligere ſolitudinem commodiùs procul quàm in ciuitate eſſe eligendam, & quidem cum opportunitate viæ.

De Aëris probatione.

AERIS verò ſalubritatem deſcribit Palladius primo de re ruſtica. hunc enim declarare aſſerit loca ab infimis vallibus libera, & nebularum noctibus abſoluta, & habitatorum conſiderata corpuſcula, ſi eis color ſanus, capitis firma ſynceritas, inoffenſum lumen oculorum, purus auditus, fauces commeatum liquidæ vocis exercent. hoc genere (vt inquit) benignitas aëris probatur, his contrariis noxium cœli illius ſpiritum confitentur. Ariſtoteles verò omnium Magiſter locum aëre ſalubrem eſſe autumat, qui eleuatis in locis conſtitutus eſt, illic enim homo tardiùs ſeneſcere cenſetur, quippe cùm ſit euentabilis, & ob id putredo, quæ ibi aliqua Partic. prima problem. 14.

ex cauſa fieret, durare non poterit. contrà, qui in concauis paludeſtribúſque ociſſimè ſeneſcunt. Præterea locus ſalubrior eſt, qui montibus altis tegitur à parte cœli occidua, atque meridiana, & qui diſcooperitur ad ortum, & ad arctum. Sic enim perflatur ſalutaribus ventis, qui (vt ſcribit ipſe ſecundo meteororum) ſunt ſeptentrionales, & orientales. & ob hanc cauſam feneſtræ ad ortum, vel ſeptentrionem ſunt collocandæ, vt videlicet ſalutaribus ventis perflentur. Ex quibus patet non rectè dictum eſſe à M. Catone ſalubrem locum eſſe, qui in radice montis ſitus eſt, & ad meridiem ſpectans. non enim radix montis euentabilis eſt, nec ventus, qui ſpirat à meridie, eſt ſalutaris. defert enim aërem plenum vaporibus ab aqua eleuatis, cùm tranſeat per maria. aër autem cùm eſt humentior, inducit in corporibus putrefactionem calore æſtiuo agente. Inſuper qui æſtate habet vmbram, hyeme ſolem.

In lib. de re ruſtica cap. primo.

De aqua probanda.

Prima partic. probl. problem. 13. & 14. In primo phen. 2. doctrina cap. 16.

ET cùm aquæ vſus (vt Ariſtoteles inquit) plurimus ſit, nam & in pane, & obſoniis, & in potu eſt, ideo cùm fieri poteſt, meliore aqua munienda eſt ſolitudo. vnde Auicenna: Aqua elementum eſt, quod hoc proprium habet, vt id ingrediatur, quod comeditur, & bibitur, non quidem vt nutriat, ſed vt alimentum penetrare faciat, illiúſque ſubſtantiam bonā aptámque reddat. Cauſa autem cur aqua non alat, eſt quoniam id, quod nutritur eſt primò ſanguis, deinde ob ſanguinem membrum. Sed cùm ſimplex corpus (quale elementum eſt) nec in ſanguinem, nec in membrum conuerti poſſit, niſi miſtionem aliquam accipiat, fit, vt nequaquam aqua nutriat. Aqua itaque (vt inquit) ſubſtantia eſt, quæ ad liquefaciendum alimentum prodeſt, quatenus ipſum tenue aptiúſque citò penetrare in venas, atque loca, quibus expurgantur excrementa, reddit, vſque adeo vt nequeat alimentum in corpore perficere ſine ea ſuam operationem. Ariſtoteles verò libro problematum ſectione prima aquam aſſerit corporibus alimento eſſe, quo iam habito, complexóque peregrinemur, aërem verò nequaquam. quod non

Probl. 13.

ed by Google

ob aliud verum eſſe arbitror, niſi quia aqua pura nulla inuenitur, quæ miſtionem aliquam non ſuſtineat. Sed miſſa faciamus iſtæc. Sed qualis aqua eſſe debeat, licèt Auicenna vir naturalis philoſophiæ non ignarus, multa aquarum genera deſcribat, Palladius tamen breuibus complectitur, cùm ait, vt ne à lacunis, aut palude ducatur, ne de metallis originem ſumat, ſed ſit perſpicui coloris, neque vllo aut ſapore, aut odore vitietur, nullus ibi limus inſidat, frigus tempore ſuo mulceat, æſtatis incendia moderetur. Sed ſolet his omnibus ad ſpeciem cuſtoditis occultiorem noxam tectior ſeruare natura, ipſam quoque ex incolarum ſalubritate noſcamus, ſi fauces bibentium puræ ſunt, ſi ſaluo capite in pulmonibus ac thorace aut nulla eſt, aut rara cauſatio. nam plerumque has noxas corporis ad inferiorem partem, quæ ſupra ſunt corrupta, demittunt. Sed vt vitiato capite ad pulmonem vel ſtomachum morbi cauſa decurrat, tunc culpandus aër potiùs inuenitur. deinde ſi venter, aut viſcera, vel latera, vel renes nullo dolore aut inflatione vexentur, ſi vitia nulla veſicæ ſunt. Sed quoniam inuenire aquam ita ſalubrem eſt aut impoſſibile, aut difficile, accipiendum eſt conſilium M. Terentij Varronis libro primo, cùm inquit in villa ædificanda hoc potiſſimum, vt intra ſepta villæ habeas aquam, ſi non quàm proximo primum quòd ibi ſit nata, ſecundum quòd influat perennis, ſi omnino aqua non eſt viua, ciſternæ faciundæ ſub tectis: quam aquam Auicenna mirum in modum commendat, cùm primo libro inquit, Ex aquis quoque laudabilibus ſunt pluuiatiles aquæ, illæque præcipuè, quæ æſtate pluerint, cum quarum videlicet nubibus tonitrua permixta ſunt. nec ob aliam cauſam, niſi ob illius tenuitatem, atque concoctionem.

De terra probanda.

TERRA verò, in qua ſolitudo eſt conſtituenda, nec cæmẽtoſa, nec tofoſa ſit, nam vapores exhalationéſque quæ ab his attolluntur, ſplenes, & hydropes efficiunt. Sit à paludibus, aquiſque malis procul, potiſſimùm vbi linum aut canabum maturatur. nam circa paludes, locáque huiuſmodi,

Cap. 12. animalia etiam quædam minuta creſcunt, quæ (vt M. Terentius Varro inquit libro primo) per aëra intus in corpus per os, ac nares perueniunt, atque efficiunt difficiles morbos. Inſuper terra ſit, vt in ea ornamentum fieri poſſit ex arboribus, ſtirpibus, atque herbis optimis atque ſalubribus, quæ etiam viſum oblectent: qualis hortus fieri ſolet. poterit enim per eum locum ſolitarius nonnunquam recreari.

De relaxationibus ſolitarij viri.

QVONIAM ſolitarius, qui contemplatione gaudet, atque delectatur, nec perpetua, nec continua voluptate affici poteſt, ideo relaxatione indiget. Quòd verò perpetua atque continua voluptate affici non poſſit, eo patet, quia voluptas, quæ contemplationem conſequitur, aut eſt ipſa contemplatio, aut non ſine contemplatione. Sed cùm nec operatio aliqua, nec contemplatio humana in nobis perpetua, aut continua eſſe poſſit, dum ſumus in humanis, fit, vt indigeat relaxatione: cùm enim in qualibet operatione laboremus, opus eſt, vt tamdiu operatio delectet, quamdiu corpora noſtra à ſua diſpoſitione non mutentur ad laborem. hac ratione nonnullæ res, cùm nouæ ſunt delectant, ſed poſtea non ſimiliter propter hæc ipſa. primò namque (vt Ariſtoteles inquit decimo Ethicorum) inuitatur mens, & circa illas operatur intenſè: quemadmodum operantur viſu qui inſpiciunt. deinde non fit talis ipſa operatio, ſcilicet ſic intenſa, ſed neglectior: quapropter & voluptas extenuatur, ac offuſcatur. Quare tam qui ſenſu quàm qui intellectu operatur, ac delectatur, relaxatione indiget: qui ſenſu quidem, quia per ſe operationem perficit inſtrumento corporeo: qui verò intellectu, quoniam ſaltem per accidens ſenſoriis opus eſt, quæ corporea ſunt. Et cùm operationes omnes, tam quæ per corpus explentur per ſe, quàm quæ per accidens, indigeant relaxatione, & quiete, (quippe cùm per eas ſpiritus reſoluantur, qui indigent inſtauratione) fit vt ſolitario etiam relaxatio aliqua ſit concedenda. Sed quid illa ſit, non eſt protritum, nec omnibus exploratum, C. Plinius nepos in epiſtola ad Tacitum, cùm

Mi-

Digitized by Google

Minerua in montibus, & ſolitudinibus Diana conuixit. Non eſt (inquit) quòd contemnas hoc ſtudendi genus: mirum eſt, vt animus agitatione, motúque corporis excitetur. Iam vndique ſyluæ, & ſolitudo, ipſúmque illud ſilentium quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta ſunt. proinde cùm venabere, licebit (auctore me) vt panarium, & laguneulam, ſic etiam pugillares feras. experieris non Dianam magis montibus, quàm Mineruam inerrare. Ariſtoteles etiam primo Politicorum venationem laudauit quòd inter facultates enumeretur, quibus natura acquirimus neceſſaria ad vitam, & quòd pro parte per eam oblectemur. Deorum quoque inuentio fuit venatio Apollinis, atque Dianæ, qua Chiron ob iuſtitiam ornatur, quo ille accepto dono lætus vtebatur. Vſi ſunt etiam ea (vt inquit Xenophon) qui per id tempus diis cari fuerunt, Cephalus, Æſculapius, Milanion, Neſtor, Theſeus, Hippolytus, Pallamedes, Vlyſſes, Meneſteus, Diomedes, Caſtor, Pollux, Machaon, Podalirius, Antilogus, Æneas, Achilles. Quòd ſi dij venationem inuenerint, eámque exercuerint qui diis cari erant, fit, vt conueniens relaxatio ſit ſolitario, cùm laboribus contemplãdi feſſus fuerit. Alij voluerunt relaxationem huiuſmodi fieri per amicorũ colloquia, vel conuictus, vel per alia genera voluptatum quæcunque, modò ſint honeſta, viróque ſapienti digna. vnde Cicero libro Officiorum, Atque etiam cùm relaxare animos voluerint, caueant intemperantiam. Creantor quoque philoſophus eximius humanam operationem omnem etiam honeſtiſſimam, agreſtem, atque rudem eſſe autumat, ſi voluptatis penitus expers fuerit. Quare quouis modo viro ſolitario pro inſtaurandis ſpiritibus idonea fuerit recreatio, concedenda eſt, modò (vt diximus) honeſta ſit.

Solitudinis præmia.

SVPEREST tandem vt honeſtæ ſolitudinis præmia afferamus: eſt enim primum ea voluptas, quæ rectè factorum conſcientiam, ac memoriam comitatur. Memoria enim ac rectè factorum conſcientia cùm nec maledicum, nec obtrectatorem formidet, iucundiſſima eſt. hanc ſapienti viro ſat eſſe

plures philoſophorum putarunt, qui gloriam non eſſe expetendam aſſeruerunt. Nec ſolùm rectè factorum conſcientia, ſed longè magis rerum agendarum ſpes iucunda eſt. nam cùm ſolitarius ſemper ſpem habeat bene agendi in futuro, ſumma voluptate gaudet, atque oblectatur. Nec tantùm præteritorum memoria, atque futurorum ſpes, verùm etiam præſentium agnitio atque contemplatio delectabiliſſima eſt: nam cùm ſit rerum præſtantiſſimarum, per eam (vt Ariſtoteles aſſerit) vel Deus eſt, aut Diis par. Deus enim ſola contemplatione gaudet, atque voluptate ſola, quæ eam ſequitur, fruitur. Eo autem duntaxat differt quòd in ſolitario voluptas, quæ ſuam contemplationem comitatur (vt Ariſtoteles probauit) paruo tempore durat, nam ipſe cùm corruptibilis ſit, voluptas ſempiterna non erit. Operationes verò ſenſuum, quæ ei ſubminiſtrant, cùm expleantur labore, nec erit continua, nec perpetua. At illa Dei, & ſempiterna, & perpetua eſt, eſt enim eius intellectio ſine labore perpetua atque ſempiterna, quam diuina voluptas ſequitur. Secundum verò præmium, quod honeſto ſolitario paratur, à Deo eſt. Deus enim optimus non ſatis præmij eſſe putans, quicquid in terris mortalibus tradi poteſt, honeſtum ſolitarium æterni æui participem reddit, vt æterna cum numinibus vita fruatur.

Niphani octauo Septembris M D. X X X I.

Digitized by Google

AVGVSTINI NIPHI SVESSANI OPVSCVLORVM MORALIVM PARS QVARTA,

DE SANCTITATE, ATQVE prophanitate.

AD HIERONYMVM SERIPANDVM Eremitani ordinis virum religioſiſſimum.

ET ſi ea, mi Hieronyme, perturbatio eſt omnium rerum, vt ſuæ quenque fortunæ maximè pœniteat, nemóque ſit (vt Ciceronianis verbis vtar) quin vbiuis, quàm ibi vbi eſt, eſſe malit: tamen cùm malorum omnium medicina eáque præcipua ſit philoſophiæ ſtudium, poſt libellum de viro nobili Antonio fratri tuo inſcriptum, de Sanctitate atque Prophanitate (vt hoc vtar vocabulo) ad te ſcribere decreui. Nam cùm animo ex totius ferè Italiæ clade affecto opem attulero, tum liquidò inter omnes conſtare poterit, ſancto viro nihil mali accidere poſſe. Sed quemadmodum tot amnes tantorum supernè deiectorum imbrium, tanta mediterraneorum vis fontium non mu-

Digitized by Google

tant maris ſaporem, aut remittunt quidem, ita aduerſarum rerum impetu ſancti viri animum deiici non poſſe. Apparebit enim illum immotum in eodem ſemper ſtatu manere, & quicquid aduerſi euenerit, veluti mare in ſuum ſaporem vertere, ac etiam quod Deo placitum, aduerſus mala attolli. Præterea Deum ipſum Opt. Max. erga ſanctos viros paternum habere animum, illóſque vehementiùs amare. Ærumnis verò, doloribus ac damnis ideo exagitare, vt verum inde colligant robur. Quæ omnia ſi mente perceperimus, ingentes profectò flocci faciemus calamitates quibus nunc maximè vrgemur. Iccirco autem Libellum hunc ad te ſcripſimus, tuóque ſub nomine potiſſimum emittere decreuimus, quòd cùm vita, moribus ac doctrina ſummus eniteas, eorum, quæ in hoc elaborauimus, & æquus iudex, & acerrimus defenſor eſſe potes. Vale.

IO. ALOVISII VOPISCI.

I, templum ad ſanctum huc. Si vrget via longa, viator,
Saltem attrectato limine tutus abi.

DE SANCTITATE
LIBER PRIMVS.

De ſanctitatis definitionibus ſecundum Platonem.

QVONIAM de ſanctitate atque prophanitate pertractare propoſuimus, de quibus Plato in Euthiphrone, & Ariſtoteles ſeptimo Ethicorum ſub nomine heroicæ virtutis, atque immanitatis diſſeruerunt, ideo primò ea, quæ Plato ſentit, afferemus, initio nobis aſſumpto ab ipſius ſanctitatis definitionibus. ſunt enim à Platone in Euthiphrone plures aſſignatæ, qua-

Digitized by Google

tum prima eſt, vt ſit ſanctitas habitus, quo homines inclinantur ea omnia Deo tribuere, quæ Dei ſunt. Alia verò eſt, vt ſit ſanctitas hominis ad Deum amicitia. Tertia definitio eſt, vt ſit cura deorum. Quarta, vt ſit ſcientia vouendi, atque ſacrificandi Deo. Quinta, vt ſit inter deos, & homines mutua quædam mercatura. Hæ ſunt definitiones ſanctitatis, quæ in Euthiphrone aſſignantur, & licèt Plato in eo libro, vt mihi videtur, nihil certi definiat, tamen per ordinem definitiones huiuſmodi omnes exponamus. nam iis dilucidatis, quid prophanitas ſit, omnibus erit perſpicuum.

De prima ſanctitatis definitione ſecundum Platonem.

SECVNDVM Platonem igitur prima ſanctitatis definitio eſt, vt ſit habitus, quo homines inclinantur ea omnia Deo tribuere, quæ Dei ſunt: hanc ergo definitionem primùm exponamus, quoniam ex huius dilucidatione, cæteræ perſpicuæ erunt. Eſt itaque ſanctitas habitus: nam ea, quibus homines agunt aut patiuntur, vt auctor Ariſtoteles eſt libro magnorum Moralium, ſunt aut potentiæ aut affectus, aut habitus. Affectus (vt exemplo dicam) ſunt ira, manſuetudo, amor, odium, timor, audacia, pudor, inuerecundia, impudentia, commiſeratio, indignatio, inuidia, cæteráque de quibus Ariſtoteles diſſerit ſecundo Rhetoricorum libro: talia verò comitari ſolent dolor, atque voluptas. ſunt enim affectus, quibus homines commoti differenter iudicant. Potentiæ verò ſunt facultates appetitiuæ ſiue ſenſitiuæ animæ, quæ ex principiis generationis innaſcuntur ei, quibus facilè affici poſſumus, vnde enim eis poſſumus iraſci, odiſſe, pertimeſcere, & alia huiuſmodi pati, potentiæ dicuntur. Inſuper ea quibus poſſumus videre, audire, currere, & cætera id genus agere, etiam potentias appellamus. At habitus ſunt quibus ad hæc bene, vel malè, facilè vel cum difficultate habemus. Erit autem inter hæc ordo, nam ex eſſentia animæ, à principiis ortus potentiæ pullulant, ex potentiis in appetitu, affectus prodeunt, ab affectibus verò, cùm in actione ſæpe ponitur, habitus in appetitu generantur. Cùm igitur ſanctitas nec ſit potentia

Digitized by Google

quæ ab animæ eſſentia nobis innaſcatur, alioquin omnes eſſemus ſancti, vel prophani: nec affectus, non enim ſanctitate commouemur ad differenter iudicandum. eſſet etiam ſanctitas (ſi eſſet affectus) non ex noſtris actionibus orta: fit vt ſanctitas ſit habitus, quo homines inclinentur, ea omnia Deo tribuere quæ Dei ſunt: Dei verò ſunt quæ ſine medio à Deo accepimus: Accepimus à Deo ſine medio non corpus, vt Plato in libro de natura diſputat, ſed ab elementis quattuor, non eã naturam, quam vulgares medici naturalem complexionem vocant, ſed à cæleſtibus ſphæris, non eas animæ partes quæ affectibus trahuntur, ſed à dæmonibus, atque ſphærarum animis. Accepimus ergo rationem, ac mentem noſtri parentis imaginem ſine vllo cœlicolarum, aut dæmonum miniſterio, quare hæc Dei ſunt: qua ratione fit, vt habitus, quo homines inclinantur Deo reddere mentem ac rationem, ſanctitas ſit: non enim alia præter hæc ſine medio à Deo accepimus. qui itaque hæc omnia Deo reddit vir ſanctus, hæc Deo reddere opus ſanctum, dicuntur.

Quòd propter hæc quæ dicta ſunt in prima definitione, Plato affirmet ſanctitatem eſſe iuſtitiæ partem ſiue ſpeciem.

SED quoniam, vt Ariſtoteles aſſerit quinto Ethicorum, vnum iuſtitiæ genus eſt, quo reddimus alicui quod ſuum eſt, fit profecto, vt Plato eo libro verum affirmet, cùm aſſerit ſanctitatem eſſe huius generis iuſtitiæ partem ſiue ſpeciẽ; qua reddimus alicui quod ſuum eſt: ſanctitate enim reddimus Deo, id omne, quod Dei ipſius eſt: reddimus enim mentem ac rationem, quæ Dei ſunt, quæque à Deo ſine medio accepimus. Eſt autem ſanctitas pars vel ſpecies iuſtitiæ, quippe cùm omne ſanctum ſit iuſtum, non autem iuſtum omne ſanctum eſt. Eſt enim vna iuſtitiæ huius generis ſpecies, qua hominibus reddimus ea, quæ ſua ſunt, & hæc rectè, vt Plato aſſerit, ad hominum curam ſpectat. Altera verò qua Deo reddimus id omne quod Dei eſt, & hæc ad Dei curam attinet. Quare ſanctitas ea iuſtitiæ pars vel ſpecies eſt, quæ ſpectat ad Dei curam, qua videlicet Deo red-

Digitized by Google

dimus id omne quod Dei eſt, mentem ſcilicet ac rationem.

De ſecunda ſanctitatis definitione ſecundum Platonem.

QVVM verò opus ſanctum ſit Deo amicum, ac vir ſanctus etiam Deo amicus, fit, vt ſanctitas ſit hominis ad Deum amicitia, vt in ſecunda definitione Plato deducit. Verùm pluribus modis huic definitioni occurres: primò quidem, quoniam (vt octauo Ethicorum tradit Ariſtoteles) amicorum proprius actus eſt conuictus, nihil enim (vt inquit) tam proprium amicorum eſt, quàm viuere ſimul, atque conuerſari. At hominum ad Deum nec conuictus, nec conuerſatio cum Deo eſſe poteſt. Deinde ſi hominis ad Deum amicitia ſit, oportet vt ſit aut honeſti, aut vtilis, aut voluptifici mutuus amor. Ad hæc ſi nos ad Deum amicitiam habere poterimus, in aliquo communi bono eam firmari neceſſe eſt: iſtud autem quid ſit, aut quale, non eſt perſpicuum. Rurſum ſanctitas (vt Plato demonſtrauit) eſt iuſtitiæ pars. at amicitia, nec virtutis pars, nec vt Ariſtoteles inquit, iuſtitia, nec iuſtitiæ ſpecies eſt. Quare ſi hæc ſecunda Platonis definitio conueniens fuerit, ſanctitas non ipſa hominis cum Deo amicitia, ſed erit habitus iuſtitiæ quo reddimus Deo ea omnia, quæ ab eo accepimus propter amorem, quem erga Deum ipſum habemus. non enim hæc ſecunda Platonis definitio formam, ſed cauſam dicit, hunc enim amorem quem Plato amicitiam vocat, ſanctiſſimi viri charitatem appellant, quæ habitus eſt vel amor, quo mouemur ad fruendum Deum propter ipſum, deducitur enim charitas à χάρις Græcè, quæ Latinè eſt tum amor, tum gratia. Verùm charitas dicitur à gratia: nam gratia multis debet, primò enim Deo in quo eſt prima & principalis debiti reddendi ratio, quippe cùm Deus omnium eorum bonorum, quæ in nobis ſunt, prima & principalis cauſa ſit. Poſtea parentibus, qui ſunt generationis noſtræ, atque diſciplinæ proximum principium. Deinde iis perſonis qui nobis præſunt, è quibus publica beneficia proficiſcuntur quatuor iis homi-

Digitized by Google

nibus, qui priuata nobis beneficia contulerunt, charitas verò ſolum in Deum refertur: cùm ſit amor, quo Deum amamus propter ipſum, quóve mouemur ad eum fruendum, quo etiam ſi laudabilia agimus, id prodeſt nobis ad ſalutem. at ſi omnia ſine eo ageremus, quæ virtutis ſunt, nihil nobis prodeſſet: ſanctitas ergo non ipſa amicitia hominis ad Deum eſt, ſed vel propter amicitiam, quæ nihil aliud quàm charitas eſt. Hanc rem ille gentium ſapientiſſimus magiſter ita indicat, cùm inquit, Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt, ſubaudi ad ſalutem. Qua ratione fit vt nemo poſſit boni ſimpliciter quicquam ſine hac Dei amicitia, atque charitate agere: etiam ſi nudum veſtierit, famelicum ſaturauerit, & aliqua id genus fecerit: Nam ſi (vt Ariſtoteles octauo Ethicorum affirmat) vera virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum, ſic nulla vera virtus eſſe poterit ſine charitate, quæ eſt amor, vel amicitia, ad ipſum ſimpliciter bonum, quod eſt Deus: poteſt tamen aliqua virtus eſſe in aliquo homine non ea ratione, qua charitate caret, aut qua charitatem habet, ſed vel qua aliquod donum ab ipſo Deo accepit, ſaltem naturæ bonum quod non omni ex parte propter ſcelera ipſa amiſit: hoc enim pacto poterit aliquis ſine charitate ad virtutem aliquem actum exercere, & ſi non ſimpliciter bonum, ſaltem bonum in genere: nam licèt deſit debita ordinatio in vltimum finem, cuius amore cuncta agere debemus, non deeſt tamen ſui generis bonitas. non enim eſt abſque ordine in aliquem particularem finem quem vt particulare bonum amamus, hoc enim ordine in particularem finem (quod eſt donum, atque aliquod naturæ bonum) propter ſcelera homines non caruerunt. Patet igitur ex iis neminem ſanctum eſſe qui non habet cum Deo amicitiam, hoc eſt charitatem atque amorem, cum quo licèt nec conuiuere, nec conuerſari poſſimus. ſecundum exteriorem naturam, quæ corporea, atque ſenſitiua eſt, ſecundum tamen ſpiritalem vitam, quæ mente agitur, cum Deo & conuictus & conuerſatio eſſe poteſt. Firmatur autem hæc hominis ad Deum amicitia ſuper beatitudinem quæ eſt communis Deo, & hominibus

qui

Digitized by Google

qui ſanctitate emicant, ideo in huiuſmodi charitate triplex amicitiæ ratio reperitur: honeſti quidem, quoniam beatitudo ſumma atque honeſtiſſima bonitas eſt. Iocundi verò, nam auctore Ariſtot. boni & abſolutè & ſibi mutuò ſunt iocundi, at Deus, atque ſancti conſimili bonitate ferè boni eſſe videntur. Vtiles denique, quoniam boni ſunt ſibi inuicem vtiles. Hactenus de ſecunda ſanctitatis definitione.

De tertia ſanctitatis definitione ſecundum Platonem.

TERTIA verò ſanctitatis definitio ſecundum Platonem erat, vt ſit ſanctitas cura Deorum. Dixit autem Deorum cùm vnus tantùm ſit Deus, more gentilium, qui Deum & angelos deos appellarunt. horum curam ſanctitatem eſſe aſſerit. Eſt enim multiplex cura: alia, quæ ad equos ſpectat, vt equeſtris: eſt enim equeſtris facultas equorum cura. alia ad canes, vt venatoria, alia ad boues, vt bucolica: quæ verò ad Deos ſpectat, hæc eſt ſanctitas. Verùm non eadem ratione ſanctitas eſt Deorum cura, qua equeſtris equorum, equeſtris enim bonum ac vtilitatem equis affert. ab equeſtri enim equi iuuantur, ac meliores euadunt, & canes à venatorum peritis, & à bucolica, boues, & reliqua cuncta ſimiliter. Sanctitas verò cùm diis non proſit, nec meliores efficiat, fit vt non eodem modo cura ſit Deorum, quo & equeſtris equorum: erit igitur eo modo ſanctitas Deorum cura, quo ſerui dominos curant. Quare miniſtra quædam Deorum (vt videtur) cura hæc erit, non tamen ea ratione miniſtra qua medicinalis facultas ad ſanitatem, nec qua facultas, quæ naues conſeruit ad nauium fabricam, nec qua facultas ædificandi ad domorum conſtructionem miniſterio fingit. qua ratione fit vt ſanctus ſit Deorum miniſter ea ratione qua diis miniſtrat ſacrificia atque vota, & grata loquendo & agendo.

De quarta ſanctitatis definitione ſecundum Platonem.

EX iis ſequitur quartam ſanctitatis definitionem quæ à Platone aſſignatur eſſe rectè aſſignatam, cùm ait ſanctitatem eſſe ſcientiam vouendi atque ſacrificandi: ſanctus e-

Digitized by Google

nim vouendo petit, ſacrificando dat, quid enim petit à Deo ſe ipſum, quid Deo dat ſe ipſum: ideam enim ſui quæ in diuina mente eſt, petit, quam & Mercurius à Periandro petiit, dat autem naturam ſuam, quæ ideæ particeps eſt.

De quinta ſanctitatis definitione ſecundum Platonem.

QVONIAM verò ſanctus vouendo petit à Deo, ſacrificando verò Deo dat, fit vt ſanctitas mercatura quædam mutua ſit inter Deos & homines, mercatura enim eam nominare lubet, non autem ea ratione mercatura, qua & mercatores mutuo accipiunt, & dant. nihil enim nobis boni eſt, quin illi præbeant, quæ verò à nobis accipiunt, quod illis conferunt, non enim iis quæ dij à nobis accipiunt, aliqua ex parte iuuantur: quare ex hac ratione ſanctitas mercatura quædam mutua eſt inter Deos & homines, qua omnia bona ab illis homines ſuſcipiunt, & eis honorem, venerationem, & vt modò dixeram, gratiam reddunt. fit igitur vt ſanctus ſit Deo placitus atque amicus, qui enim honorem, venerationem, & gratiam reddit Deo, is placet, & Deo amicus eſt. hæc in Euthiphrone de ſanctitatis definitionibus Plato.

De pietate quæ ſanctitatem antecedit ſecundum Platonem.

NVNC de pietate diſſerendum, de qua non vna ratione loquuntur auctores. Aſclepius, qui Triſmegiſti auditor fuit, inter pietatem & religionem nullam fecit differentiam. Marcus autem Tullius libro veteris artis inquit, Pietas eſt per quam ſanguine coniunctis patriæque beniuolis officium, & diligens tribuitur cultus. Nonnulli verò eorum qui in libro decimo de Ciuitate Dei ſacris rebus elaborarunt, vt Aurelius vir omni doctrina egregius, non niſi erga Deum pietatem extendit, aſſerens quòd pietas propriè Dei cultus intelligi ſoleat, quam Græci Euſebiam dicunt. Alij autem ſumma doctrina viri aſſeruerunt pietatem primò erga Deum habendam eſſe, quippe qui ſummum bonum eſt &

Digitized by Google

in nobis eſſendi, atque gubernandi primum principium: deinde parentibus atque patriæ, è quibus etiam ſecundariò ſumus atque gubernamur, & quia conſanguinei eo dicuntur quo ex eiſdem parentibus proficiſcuntur, veluti octauo Ethicorum tradit Ariſtoteles, fit, vt in pietate quæ erga parentes habetur, etiam pietas contineatur, quæ erga conſanguineos intelligitur: ſimili ratione in pietate erga patriam, intelligunt pietatem erga ciues atque amicos. At Plato pietatem nihil aliud eſſe autumat quàm Dei agnitionem, quæ ſanctitatem præcedit: quid ſit autem εὐσέβεια, id eſt pietas, Hermes eadem definitione deſcribit, cùm inquit, ἡ γὰρ εὐσέβεια γνῶσις ἐστὶ τοῦ θεοῦ, hoc eſt, pietas enim agnitio Dei eſt: nam, vt inquit, vna cuſtodia pietas eſt, pium enim hominem, nec dæmon malus nec fatum tenet. nam Deus liberat pium ab omni malo, quòd vnum quidem & ſolum in hominibus bonum ſit pietas: & quoniam pietas eſt Dei agnitio, ideò ſanctitatem excitat, ſanctitas verò pietatem confirmat atque ſancit: qui enim Deum cognoſcit ſe natum eſſe ad fruendum Deum nouit, qui verò ſe natum eſſe ad fruendum Deum præuiderit, mouetur ad ſanctitatem, quæ habitus eſt, quo ea omnia Deo reddimus, quæ ab eo accipimus. ſanctitas verò ideo pietatem confirmat ac ſancit, quoniam ſanctus Deo ipſo agnito, quæ ab ipſo accepit retribuit, non poteſt autem quæ ab eo accepit retribuere, niſi iterum Deum parentem noſtrum eſſe agnoſcat. rectè ergo Plato aſſerit ſanctitatem confirmare, atque ſancire pietatem ipſam.

De religione quæ ſanctitatem ſequitur.

QVONIAM verò ſanctitas religionem mouet, ideo quid ſit religio Plato exponit, cùm ait, Religio eſt eius quod Deo redditum eſt, aſſidua meditatione iuſtiſque operibus indiſſolubilis cum ipſo Deo religatio: & quoniam cum Deo eſt religio ipſa indiſſolubilis religatio, rectè, vt Plutarchus affirmat, fit vt religio ſcientia ſit diuini cultus, nam iuſtis operibus, aſſiduáque meditatione, cum ipſo Deo quotidie nos religando ſcimus Deum colere, atque ei ſeruire: qua-

re pietas ſanctitatem mouet, ſanctitas quoque religionem: priùs enim hoc vel inſtinctu vel inſpiratione, vel admonitio. ne opus eſt, quo Deum vnum eſſe noſtrum parentem fide indubia cogitemus, quam, pietatem eſſe diximus, cùm quis iſta concepit, mox omnem mentis, & rationis intentionem in Deum noſcendum amandúmque figit, quam rem Mercurius ſanctitatem eſſe affirmauit. Ex hac flagranti in Deum intentione, mentíſque ardore fit, vt omnia Dei opera inſtituta, mandata meditemur, exerceamúſque, & aſſiduo ſtudio quicquid ad eius venerationem pertinet, relegamus, quamobrem nos ipſos relegendo religantes Deo religioſi ſumus. Quod ſi ita fuerit, ex pietate, ſanctitate atque religione vna fit connexio, veluti triplex funiculus, quem difficile eſt ſoluere, quoniam vt diximus, pietas ſanctitatem excitat, ſanctitas pietatem confirmat ac ſancit, ſanctitas quoque religionem mouet, religio religat ſanctitatem. hæc ex Platone apertè accipiuntur. Qua ratione fit vt religio ipſa ſine metu tueri, aut cuſtodiri non poſſit, quo enim non metuitur, contemnitur, quod contemnitur vtique non colitur, ita fit vt religio, & maieſtas, & honor metu conſtet. Metus autem non eſt vbi nullus iraſcitur. ſiue igitur gratiam Deo, ſiue iram, ſiue vtrumque detraxeris, religionem tolli neceſſe eſt, ſine qua vita hominum ſtultitia, ſcelere, immanitate repletur: multum enim refrenat homines conſcientia, ſi credamus nos in conſpectu Dei viuere, ſi non tantùm, quæ gerimus videri deſuper, ſed etiam quæ cogitamus, aut loquimur, audiri à Deo putemus. Proficiſcitur autem metus ex Dei agnitione, qui enim Deum cognoſcit, Deum timeat neceſſe eſt, quod eleganter in ſanctionibus dictum eſt, qui enim Deum non cognoſcit, (quod ad ſapientiam attinet) Deum non timet, ſicuti qui non regem agnoſcit, regem nequaquam timebit. quare ſi quis tollit Dei agnitionem, tollet pietatem, qui verò pietatem ſanctitatem quoque, qui denique pietatem & ſanctitatem, Dei metum etiam delebit, quare & omnino religionem tollet, qua ſublata, confuſio ac perturbatio vitæ ſequitur: qui enim religionem non ſuſcipit, hic à natura hominis alienus vitam pecudum ſub humana ſpecie viuit.

Digitized by Google

De quæſtione Platonis.

SED mouet Plato quæſtionem, vtrum ſanctum, quia ſanctum eſt, à Diis amatur, vel quia à Diis amatur, eſt ſanctum? Ex iis quæ dicta ſunt, facilè quæſtio diluitur, nam ſi ſanctitatis ratio in ipſa retributione atque deuotione cõſiſtit, licèt ſanctum ſit quod amatur à Deo, tamen non quia amatur à Deo sanctũ eſt, non enim ratio eius, quod eſt amatum eſſe, & eius quod eſt ſanctum eſſe, vna eſt: nam amatum à Deo, eo ipſo quo amatur à Deo à Deo amatum eſt, non autem quia amatum à Deo eſt amatur. At ſanctũ oppoſito modo ſe habet, ſanctũ enim quia tale eſt, vt ametur, amatur, & amatũ eſt à Deo, quare non quia amatur à Deo ſanctum eſt, ſed vel quia ſanctum amatur à Deo. Quòd ſi occurras, quia nemo ſanctus eſt, quin ſit prædeſtinatus ad ſalutem: nemo autem ad ſalutem prædeſtinatur, quin ab ipſo Deo diligatur atque ametur, ergo nemo ſanctus eſt niſi quia amatur à Deo, quare quia à Deo amatur, vnuſquiſque ſanctus erit. Hæc quæſtio aduerſus Platonem non paruam habet difficultatem, ſed quoniam diſputare de ea eſſet egredi propoſito noſtro, ideo ad noſtra Theologica te mitto, vbi intelliges vtrumque verum eſſe, & quòd ſanctum ſit, quia amatur à Deo, & quòd è contrario quia ſanctum ametur à Deo: alia tamen atque alia ratione, quam nunc non opus eſt aggredi.

De ſanctitate ſecundum Ariſtotelem.

ARISTOTELES verò Græcorum ſapientiſſimus libro Ethicorum ſeptimo ſanctitatem heroicam virtutem autumat, qua homines dij fiunt. & quoniam Diagora Theodorus, Leucippus, Democritus cæteríque Epicurei ſanctitatem, atque heroicam ipſam virtutem ſuſtulerunt. Ariſtoteles loco à contrariis ſic virtutem heroicam eſſe argumentatur, tria ſunt quæ circa mores ſunt fugienda, vitium, incontinentia, & immanitas: ergo circa mores tria ſunt amplectenda, virtus quæ vitio opponitur, continentia, quæ incontinentiæ aduerſatur, & ſanctitas, ſiue virtus heroica: quæ

immanitati, ac prophanitati contraria eſt. hanc autem eſſe ſanctitatem ita exponit, hanc conuenit dicere quæ eſt ſupra nos, heroïcam inquam quandam atque diuinam, vt Homerus de Hectore, quoniam eximia bonitate præſtabat, dicentem Priamum introduxit:

Nec iam hominis ſanè mortalis filius ille eſſe videbatur, ſed diuo ſemine natus: deinde concludit, cui ſanctitas opponitur primò, & dicit quare ſi ex hominibus ob virtutis exuperationem (vt aiunt) dij fiunt, talis quidem is habitus fuerit, qui feritati opponitur: tu verò ſubintelligas: Primò, quoniam ſanctitas aduerſatur omni ei, quod circa mores eſt fugiendum, videlicet & vitio, & incontinentiæ, & immanitati, primò tamen aduerſatur immanitati quæ eſt longè magis fugienda quàm incontinentia & vitium: poſtea exponit, quonam modo heroïca hæc virtus ſit præſtabilior virtute, & inquit, Etenim vt feræ neque vitium eſt, neque virtus, ſic neque Dei, ſed hoc quidem præſtabilius eſt virtute, illud autem diuerſum quid eſt à vitio genus: quare veluti feritate homines euadunt belluæ feræ, atque immanes, ſic virtute heroïca homines euadunt dij, hoc eſt ſancti, atque heroës: Eſt enim heroïca ipſa virtus, ſupra humanam virtutem virtus, & homo igitur qui hac virtute pollet ſupra homines heros.

Quæ Euſtratius de heroica virtute atque ſanctitate.

EVSTRATIVS verò librorum Ethicorum Ariſtotelis egregius interpres, humanam naturam in medio diuinarum ſubſtantiarum & belluarum conſtituit, habet enim mentem qua cum diuinis ſubſtantiis, & vim ſentiendi, qua cum belluis communicat. Quare cùm homo ea parte qua cum Diis communicat, vltra communem modum humanæ perfectionis perficitur, quaſi in ſimilitudine ſubſtantiarum diuinarum, quas gentilitas Deos appellauit, Deus, heros, ſanctus fit: cùm verò ea parte, qua cum mutis animalibus conuenit, ad belluarum peruerſitatem attingit, tunc bellua fera, atque immanis euadit: quòd ſi medio modo ſe habuerit, ad neutrum extremorum declinando, tunc humana vir-

Digitized by Google

tute afficitur, eritque homo hoc pacto, non Deus, non heros, non ſanctus, ſed virtute humana affectus. Qua ratione fit vt virtus heroïca, & ſanctitas, & deitas, idem ſit, nam cùm habet ad eam perfectionem vehitur, quæ excedit humanam virtutem, euadit heros, hoc eſt ſemideus, ſanctus, hoc eſt ſenſibus ſuis, appetituíque ſenſuali penitus prædominans, ſenſualis enim appetitus in hac perfectione conſtitutus adeo rationi aſſuetus eſt, vt nihil vltra appetat quàm ratio dictat. Euadit etiam Deus, non quidem ſubſtantia atque natura, ſed vel ſimilitudine, aut ſecundum opinionem gentilium, qui crediderunt mortales homines virtutibus fieri poſſe Deos, vitiis verò, belluas, atque prophanos, & immanes. Sequitur etiam ex iis, vt heroïca ipſa virtus non genere aut ſpecie ab humanis virtutibus interſit, hoc eſt à fortitudine, manſuetudine, temperantia, cæteríſque id genus, ſed vel ſolo exceſſu: nam virtus, qua quis fortis eſt ſupra fortem omnem, heroïca eſt, atque diuina virtus eſt, virtus etiam qua quis temperans eſt ſupra temperantem omnem, heroïca ſimili ratione erit, eodem modo de cæteris virtutibus. Inſuper deducitur omnem virtutem fieri poſſe heroïcam, vt liberalitatem heroïcam, manſuetudinem heroicam, & cæteras id genus, cùm videlicet in homine ſupra communem modum virtutum humanarum fit.

De exceſſu quo virtus heroica excellit humanam virtutem.

QVID verò exceſſus ſit, quo heroïca virtus humanam virtutem excellit, nec Ariſtoteles expoſuit, nec Euſtratius dilucidauit, non enim eſt gradus, quo vna qualitas dicitur altera qualitate maior aut intenſior, non enim poteſt eſſe virtus altera magis quàm altera in medio extremorum. Quare dicamus omnem virtutem in bonum eſſe ordinatam, quippe cùm omnis actio, vt Ariſtoteles inquit, bonum quoddam appetere videtur, omne autem bonum principaliter finis eſt: quare ſi virtus ordinetur in vltimum finem qui ſecundum veritatem eſt Dei fruitio & ſummum bonum, ſic virtus eſt heroïca & diuina, quam Plato ſanctitatem vocauit. Li-

Digitized by Google

beralitas enim cùm ordinatur in Dei fruitionem, virtus eſt heroïca, diuina qua ſancti homines euadunt: ſimili ratione & manſuetudo & temperãtia, & quæuis alia virtus: quæuis enim harum ſi in vltimum finẽ ordinetur qui eſt ſimpliciter & ſummum bonum, heroïca virtus habetur. & quoniam hæc ordinatio qua actiones noſtras in vltimum finem dirigimus nihil aliud eſt quàm amor quo mouemur ad Deum fruendũ: amor autem quo ad Deum fruendum incitamur, charitas eſt, vt viri religione præcipui expoſuerunt, fit, vt exceſſus quòd heroïca virtus vniuocam ſibi virtutem exuperat, ſit charitas qua mouemur ad agendum ſecundum virtutes, vt diuina bonitate fruamur. At ſi virtus qua agimus ordinetur in Deum ſub ratione qua eſt obiectum infidelitatis, modo videlicet, quo Mahumetis ſectatores dirigunt, aut alij qui de Deo veram agnitionem non habuerunt, hoc pacto omnis actio erit peccatum cùm non ordinetur in vltimum finem, ea videlicet ratione qua eſt obiectum veræ fidei. & ſi virtus qua agimus ordinetur in particularem finem non qui eſt re ipſa bonum ſed apparens, etiam vitium erit: ſicuti non eſt vera virtus auarorum prudentia qua excogitant diuerſa lucrorum genera, auarorum iuſtitia qua grauium damnorum metu aliena contemnunt, auarorum temperantia qua luxuriæ quæ ſumptuoſa eſt cohibent appetitum, & auarorum fortitudo qua, vt ait Horatius, Per mare pauperiem fugiunt per ſaxa, per ignes. & ſi virtus qua agimus ordinetur in particulare bonum vt eſt ciuitatis ſalus, erit profecto vera virtus, imperfecta tamen, non enim refertur in finale & perfectè bonum: qui enim ſic agit non charitate, ſed quo habet naturæ bonũ quod non omni ex parte propter ſcelera eſt ablatum, agere videtur. exceſſus ergo quo heroïca virtus virtutem ſibi vniuocam excellit charitas eſt, & ideo heroïca virtus tantùm vniuocam ſibi virtutem exuperat, quantum charitas, quæ amor eſt, diuitiæ fruitionis exuperat amorem, quo mouemur in particularem finem. charitatem verò hanc nemo Plato, nec Ariſtoteles, nec Euſtratius cognouit, ſed ſub quadam confuſa & obſcura nomenclatura eam balbutierunt.

Digitized by Google

De peripatetica pietate quæ heroicam virtutem antecedit.

QVONIAM pietas, vt Plato autumat, ſanctitatem antecedit, eſt autem ſanctitas (vt diximus) heroïca virtus, fit vt pietas heroïcam ipſam virtutem antecedat. Verùm pietas alia ratione deſcribitur à Peripateticis, nam (vt Peripateticè loquar) pietas nihil aliud eſt, quàm agnitio finis, cuius gratia homo factus eſt. At finis cuius gratia facti ſumus, duplex eſt, alter vltimus, & ſic pietas, cùm in vltimum finem fertur eſt agnitio Dei: cùm verò medium finem reſpicit eſt agnitio virtutis heroïcæ, quæ in nobis cùm acquiritur ad eam pietatem paramur, qua homo eſt heros medius inter mortales & Deos. Quòd autem heroïca ipſa virtute paremur ad eam pietatem quæ Dei agnitio eſt, perſpicuum eſt: cùm enim homo ad eam perfectionem vehitur quæ excedit humanam virtutem, heros euadit, hoc eſt, vt ita loquar, ſemideus. Inſuper euadit ſanctus, hoc eſt ſenſibus ſuis appetituíque ſenſuali penitus prædominans: ſenſualis enim appetitus in hac perfectione conſtitutus adeo rationi parere videtur, vt nihil vltra appetat quàm ratio dictat: at cùm homo heros atque ſanctus euaſerit, ſenſualis appetitus menti adeo vnietur, vt ex eis quaſi vna facultas ſit facta. cùm verò ex appetitu ſenſuali & mente fit vna facultas, mox hæc facultas Deum agnoſcet atque fruetur. Sed quæ cognitio finis antecedat, quæve ſe vltimum finem comitetur exponamus, non enim vna eadémque cognitio eſt, nam agnitio finis quæ præcedit confuſa, vt ita loquar, atque vniuerſalis eſt: eſt enim finis confuſè atque vniuerſaliter expetitus, quippe cùm eo modo finis appetatur quomodo præcognoſcitur, & econuerſo, & quia finis confuſè atque vniuerſaliter appetitur, ideo vniuerſaliter, vt ita loquar, atque confuſè præcognoſcitur, non enim appetitur hic vel ille finis ſed finis, ideo non hic vel ille finis præcognoſcitur. Quare Peripatetica pietas agnitio finis eſt, non diſtincta atque, vt metaphyſicè loquar, intuitiua, ſed confuſa atque vniuerſalis. hæc itaque agnitio præcedit: agnitio verò quæ comitatur diſtincta, eſt atq; intuitiua qua finis agnoſcitur ag-

Digitized by Google

nitione quæ eſt ipſe finis, cùm enim finem agnoſcimus in ſe diſtincta atque intuitiua agnitione comprehendimus quæ eſt ipſe finis. Quid igitur ſit peripatetica pietas ex hiſce perſpicuum eſt: poſt hæc de amore qui pietatem ſequitur, & heroïcam virtutem antecedit diſſerendum.

De amore qui pietatem ſequitur, & heroïcam virtutem, atque ſanctitatem antecedit.

CVM itaque amor fruendæ pulchritudinis, vt Plato inquit, deſiderium ſit, deſiderium autem agnitionem ſequitur vt vmbra corpus, fit, vt amor ſequatur pietatem quæ eſt agnitio finis. pulchritudo autem ſplendor quidam eſt qui humanum animum ad ſe rapit, fit, vt amor ſit fruendi ſplendoris deſiderium. Sed quoniam ſplendor multiplex eſt, alter in corpore qui in colore, figura, linearúmque decore collocatus, alter in animo qui in doctrina atque morum concinnitate habetur, tertius autem in diuinis ſubſtantiis conſtituitur qui in bonitate atque perfectione intelligitur, fit, vt amor qui fruendi corporei ſplendoris eſt, ad aſſequendam ſanctitatem atque heroïcam virtutem impedimento nobis ſit, capit enim animum & diuertit ab ipſo fine. Amor autem & qui fruendæ diuinæ bonitatis eſt, & qui fruendæ pulchritudinis quæ in animo eſt, parat ad ſanctitatem & ſequitur pietatem, nec tantùm ad ſanctitatem, verùm etiam concitat animum ad religionem quæ diuini cultus, vt Plutarchus aſſerit, ſcientia eſt. hic fortaſſe eſt quem Theologi charitatem vocant, Peripatetici autem amorem fruendi finis.

De temporibus quibus heroica virtus ſanctitáſque ipſa floruit.

NVNC quibus temporibus heroïca virtus atque ſanctitas floruerit exponamus, non enim omnibus temporibus inualuit. Temporibus itaque diſcipulorum Domini heroïca virtus ſanctitáſque ipſa plurimùm ſpectata eſt: illis enim temporibus virtutum dominus, vitæque dux ſuæ con-

uerſationis odore totum reſpexit orbem. tunc enim fortes, temperantes, liberales, magnifici, magnanimi, veraces, iuſti, manſueti, heroïci, atque ſancti fuere. nec iniuria profectò, nam ad res mortales & ad horas tranſitorias quæ ſupra nos non ſunt, non eſt heroïca virtus, nec ſanctitas, ſed ad diuinas ad quas toto mentis conatu ferebantur, quippe qui caduca & quicquid ſuæ ſortis neglecta dignitas propriáque ignorantia facit magnum videri calcabant, vt opes, diuitias, honores. nihil enim ſenſibili in hoc mundo magnum eſt præter mentem, vt Plato inquit, quæ ſola diuinorum eſt capax. Illis etiam temporibus propter hæc quæ diximus ſola magiſtri vitæ præcepta cogitabant, nulláque eis alia ſtudia placebant. Quare temporibus illis cæleſtes heroës cum hominibus conuerſabantur quadam vitæ conformi bonitate allecti. hactenus de ſanctitate.

Digitized by Google

AVGVSTINI NIPHI

DE PROPHANITATE

LIBER SECVNDVS.

De prophanitate ſecundum Platonem.

QVONIAM verò prophanum, vt Plato autumat, ſancto aduerſatur, ſi ſanctitas habitus eſt quo homines inclinantur ea omnia Deo tribuere, quæ Dei ſunt, prophanitas habitus erit quo homines inclinantur à Deo ea omnia negare quæ ſunt Dei, mentem videlicet ac rationem. ſi ſanctitas eſt hominis ad Deum amicitia, prophanitas erit odium hominis ad Deum: ſi ſanctitas eſt cura Deorum, prophanitas erit Deorum contemptus, atque negligentia: ſi ſanctitas vouendi atque ſacrificandi ſcientia eſt, prophanitas erit ſacrificandi atque vouendi ignoratio: ſi ſanctitas eſt inter Deos & homines mutua quædam mercatura, prophanitas erit eorum quæ Dei ſunt, vt ita dixerim, rapina atque furtum. hac ratione fit, vt prophani impij ſint atque irreligioſi, & ſi prophani impij atque irreligioſi ſunt, propha ni nimirum ab hominum natura erunt alieni qui vitam pecudum ſub humana ſpecie viuunt, inſuper erunt & immanes qui feritate gaudebunt.

De prophanitate ſecundum Ariſtotelem.

QVID verò prophanitas ſit ſecundum Ariſtotelem non eſt clarum: illud tamen primò accipiendum, quod Plato prophanitatem, Ariſtoteles nunc immanitatem, nunc feritatem dicit. prophanum enim ſancto (vt diximus) contra-

Digitized by Google

rium eſt, immane autem heroïco. Sed cùm perſpicuum ſit ſanctum eſſe heroïcum, fit vt prophanum ſit immane. quare prophanitas erit immanitas ſiue feritas. Si igitur ſanctitate homines fiunt dij, ſancti atque heroës, prophanitate immanes atque feræ euadent. quod profectò Pythagoras intellexit, cùm migrare animos de corporibus in corpora aſſeruerit: iſtud enim migrare allegoricè dictum eſt, nam homo interdum vſque adeo in ſenſualem appetitum conuertitur, vt non homo, ſed bellua ſit. eius enim anima non ampliùs rationis particeps eſt, ſed omni ex parte ferina atque ſenſualis.

De triplici prophanitatis genere ſecundum Peripateticos.

VERVM prophanitas, aut, vt Peripateticè loquar, immanitas, non vna ratione eſt. nam triplex ſecundum Ariſtotelem immanitatis genus eſt. vna enim immanitas eſt naturalis, altera ægritudinalis, tertia verò moralis. Naturalis quidem ea immanitas eſt quæ & peruerſitate naturæ à generatione ipſa contrahitur. hoc enim immanitatis genere immanes ſunt Barbari omnes, peruerſitate enim eius naturæ quam ex ortus principiis contrahunt, immanes ſunt omnes atque prophani, veluti efferatæ gentes ſunt quæ circa Pontum incolunt: harum enim nonnullæ crudis, nonnullæ humanis carnibus delectantur, aliæ verò tradunt ad inuicem natos vt in conuiuiis comedantur. Ægritudinalis verò quæ ex ægritudine proficiſcitur. hoc immanitatis genere Aiax atque Bellorophontes, vt Homerus demonſtrat, laborarunt: fuit etiam quidam, vt Ariſtoteles inquit, qui mactauit matrem atque comedit, qui etiam conſerui iecur vorauit. de his duobus generibus nos non loquimur, cùm huiuſmodi immanitates heroïcæ virtuti non aduerſentur. Moralis verò immanitas ex peruerſorum actuum vſu nobis oritur. hoc profectò immanitatis genere ea mulier erat immanis quam ferunt prægnantium viſcera reſcindere, puerósque comedere: Phalaris etiam hoc immanitatis genere famoſus fuit. Oritur autem hoc immanitatis genus, vt Ariſtoteles demonſtrat ex conſuetudine, veluti nonnulli ex conſuetudine euellere ſibi pilos, corrodere vngues, carbones, aut ter-

Digitized by Google

ram comedere, & cum maſculis coire delectantur, quoniam à pueritia ſunt conſueti: adiuuat autem ad huius rei generationem viuere atque conuerſari cum Barbaris. hi enim, vt Ariſtoteles monuit, prauis moribus ſunt, quibus immanes fiunt omnes, & qui ſecum viuunt corrumpunt, conuertúntque in feras.

In quo differt prophanitas ſiue immanitas à crudelitate atque truculentia.

QVONIAM autem magna quædam ineſſe videtur immanitati cum crudelitate communitas, prætereundum non eſt, quibus in rebus hæc ab illa differat. Itaque crudelitas, (quæ in nullo differt à truculentia, niſi quia truculentus eſt, qui vultu crudelitatem præfert, alióſque terret, vt Terentius indicat) vindictam magis ſequitur, immanitas verò ſiue prophanitas impetu potiùs rapitur. Rurſum crudelitas non eſt electione vacua, immanitas autem ſiue prophanitas ſponte ſua fertur potiùs. Ad hæc crudelitas legem humanam, ritúſque tantùm honeſtos tranſgreditur, immanitas autem non modò leges humanas tranſgreditur, ſed per eam ab homine deſciſcitur, fitque ad beſtias etiam monſtruoſas, atque illarum rabiem tranſitio, quin immo etiam immanis atque prophanus in quibuſdam eſt belluis maior ac violentior. Quænam enim è numero beſtiarum mater inuenta, quæ fœtum medicamentis adhibitis ex vtero eiecerit? aut (ne partitudo ipſa palam fieret) in cloacas ſuffocauerit editam prolem? aut viuam tellure ſuffoſſa condiderit? Præterea immanitas ſiue prophanitas puerilem in modum nonnunquam ipſam crudelitatem ludum ſibi conſtituit, in quo exiliat, voluptatem ſolam è ſanguinolentia quæritans. Claudius Auguſtus gladiatoriis in muneribus, qui fortaſſe prolapſi eſſent, iugulari iubebat, quo expirantium ora ac faciem cerneret, quin & ipſe aderat tormentis quæſtionum, ſpectabátque ſumma cum voluptate cruciatus ac pœnas. Mahometus Turcarum imperator cõſueuit poſt victorias ac prædas è captiuorum numero nunc pluribus, nunc paucioribus in conſpectum ſuum adductis edicere in fruſta vti concide-

rentur, ſpectatorem ſeſe ludi eius exhibens. Maſius Barreſa Brutiis cum exercitu præpoſitus à Ferdinando Primo rege, iuſſit quoſdam non contentus à lege conſtitutis ſuppliciis, ſerra per lumbos adacta ſecari. Potuiſſet videri imitatus Caium Cæſarem, qui non paucos ſerra medios diſcerpſit: verùm ignorauit Maſius omnino literas. Quibus perſpicuum, neminem immanem vel prophanum eſſe, qui non & crudelis ſit. Poteſt verò quiſpiam crudelis eſſe, qui non eſt immanis.

Moralem immanitatem proficiſci interdum ab iniuſtitia.

MANARE autem immanitatem ab iniuſtitia è fonte quaſi quodam, nemo eſt qui dubitat. Quid enim iniuſtius eſt, quàm erga Deum ingratitudine vti? erga patriam impotentia? erga parentes, filios, cognatos, amicos impietate? inconſtanti ac fluxa fide erga eos, qui publicam rem adminiſtrent, & cui iureiurando ſis obſtrictus.

Moralem immanitatem aliquando proficiſci à nimio rerum futurarum metu.

QVOD etiam interdum à metu immanitas proficiſcatur, Ægyptij reges declarant, qui conſueuerunt (vt Ptolemæus narrat) per Mathematicos genituras eorum explorare, qui in lucem venirent, qui ſi aduerſarij regum ipſorum genituris eſſent comperti, è veſtigio natos occidi iubebant. Quo in genere fœdiſſima eſt Herodis illa Iudæorum regis in tot infantes puerôſque carnificina, cuius ſuſpicioſiſſima vita, moréſque variantiſſimi cùm omnia pauet, cuncta formidat, eò illum adegere, vt in filios innocentiſſimos, in vxorem etiam maximè amatam efferbuerit. Nero ille, quem iure immaniſſimum vocitarunt, ne de aliis loquar ciuibus, Domitium Corbulonem, innocentiſſimum ſenatorem, ſolertiſſimum ac feliciſſimum ducem, fortiſſimum ciuem Romanum, quíque Parthorum auctoritatem maximè fregiſſet, attriuiſſétque ſuperbiam, per fraudem occidi iuſſit, dum illius virtutes ſuſpectas haberet. quas & magnificari ab eo par fuiſſet, & ob maieſtatem Romani imperij magis ac ma-

Digitized by Google

gis illuſtrari. Theodoricus Romanorum Rex, licèt pluribus virtutibus eſſet clarus, cùm Symachum & Boëtium ob virtutes inſignes ſuſpectos haberet, eos exacto conſulatus anno, deferentibus Opilione & Claudentio factioſiſſimis ciuibus, Papiam relegauit, quos tandem aucta formidine occidi iuſſit.

Moralem immanitatem potiſſimum ab auaritia proficiſci.

AB auaritia verò, quæ etiam plurimorum vitiorum fons eſt, immanitatem etiam proficiſci, præſertim vbi fuerit ambitioni coniuncta, Virgilianum illud demonſtrat, Quid non mortalia pectora cogis, Auri ſacra fames? hoc accipe non exiguum eorum eſſe numerum, qui dum paternæ ſucceſſioni pauculos menſes dilationem ferre nequeant, parentes ſuos ſuſtulerint. Nicolaus Acteus ciuis noſter (ſi licet parua magnis comparare) dum ſuſpicaret Michaelem fratrem nummos patris clam ſubtraxiſſe, eum pugione tranſegit.

Moralem immanitatem ab impetu venereo proficiſci.

QVOD etiam ab impetu venereo homines prophani ac immanes fiant, ſanguinolenta animalia declarant, nam moloſſici canes, quique maioris ſunt ſtatu corporis, canes minores quaſi alterius generis ob impetum venereum morſibus diſtractos dilaniant. ſimili modo leones, vrſi, tigrides, elephanti, lupi, cæteráque id genus veneris impetu ſeſe dilacerant. Homines igitur in feritatem delapſi venereo ab impetu immanes fiunt. Itaque non ſolùm per ſanguinolentiam ac cruentationem, verùm etiam per vſum libidinis. Hac ratione Anchemolus filius Rheti Matrubiorum regis nouercam ſuam Caſperiam ſtuprauit, vt Virgilius libro decimo inquit. Semiramis Ninum filium poſt mortem Nini patris in virum ſibi coniunxit. Menephron (vt Ouidius Metamorphoſeon libro ſeptimo narrat) more ferarum cum matre iacuit. Biblis Caunum fratrem Mileti ex Ciane filium adamauit,

amauit, ibidem libro nono. Myrrha Cynaræ Cypriorum regis filia rem habuit cum patre, & ex eo concubitu ſuſcepit Adonidem. Macareus filius Æoli rem habuit cum ſorore Canace. Cleopatra à fratre (quem pro marito habebat) polluta eſt. Cydon etiam adamatus à ſorore. P. Clodius ſuas tres ſorores cognouit, ideo ait Cicero P. Clodium non pluris feciſſe bonam deam, quàm tres ſorores. M. Antonius Imp. conſuetudinem veneris habuiſſe dicitur cum Fauſtina ſorore, ex qua Lucillam genuit, quam poſtea L. Antonio fratri copulauit. A. Caracalla Imp. Iuliam nouercam ſibi in vxorem coniunxit. Ptolemæus Euergetes Berenicem ſororem adamatam in matrimonium duxit. Theodoricus Francorum rex fratris à ſe interfecti filiam in vxorem duxit. Philippus frater Alfonſi decimi Hiſpaniæ regis Chriſtianam Daciæ regis filiam, & fratris ſui vxorem ſibi per vim copulauit, ſpreta religione ac ſacerdotio, cùm eſſet Abbas, & præſul Hiſpalenſis. Ioannes Ariminenſis (vt de iis loquar, qui temporibus noſtris venereo impetu immanes facti) ſororem ſuam duxit vxorem. Et ne offendiculo ſimus aliquibus contemporaneis noſtris, qui ferino more ac immaniter cum ſororibus, matribus, & cæteris id genus libidine vſi ſunt, bona fronte prætermittimus. Illos inter immanes etiam enumerauit Ariſtoteles pædicones, qui fortaſſe ſunt pluſquam immanes, cùm hi abutantur natura, qua nulla ferarum abutitur. Inter hos Ariſtoteles enarrauit Armodium & Ariſtogitonem Athenienſes, qui mutua venere vtebantur. Cratinus Athenienſis Comœdiographus de immanitate notatus eſt propter obſcænum in pueros amorem. hanc immanitatis notam non aufugit L. Quintius Flaminius vir conſularis, nec Ibicus hiſtoricus patria Rheginus, nec L. Papyrius, nec Cæſar, nec Mamurra nec Phormianus talem notam euitarunt. ſunt qui accuſant philoſophos, vt Phædonem, qui cùm Athenis adoleſcentulus eſſet in ſeruitute, à domino in lupanari conſtitutus eſt, vt proſtaret, & corpore faceret quæſtum. Vt Theophraſtum quem ferunt Nicomachum Ariſtotelis filium ad præpoſteram venerem adamaſſe. Maledici inter hos notarunt Platonem, ſed quàm hæc ſint philoſophis obſcæna, libri demonſtrant, in quibus huiuſ-

Digitized by Google

modi immanitates acerrimæ exploduntur. Nolo notare Reges, Principes, ac Sacerdotes, quos poſſem, ſi vollem, ne eos offendam qui iure videntur defendendi.

De monſtroſis immanitatibus, & primò de mulierum immanitate circa partum.

SVNT inſuper nonnullæ immanitates, quæ cùm ſuperent ferinos mores, monſtroſæ dicuntur. Inter has ea immanitas eſt, quæ mulierum eſt circa fœtus proprios: ſunt enim nonnullæ mulieres, quæ in partus ſuos tam impiè debacchantur, vt (medicaminibus adhibitis) arbortionem procurent, aut prolem editam ſtatim exaniment, terræque aut cloacis clam infodiant. Quod quidem prophanitatis genus ſacerdotes maximè attingit, quæ Deo virginitatem cùm vouerint, pollutis tamen votis, ritúque ſacerdotali periuranter atque inceſtè contaminato, grauidæ factæ (ne ſcelus pateat) execrabiliori conantur ſcelere idipſum prohibere ac corrigere, dum hoc immanitatis genus ſcelus perpetratur. nec verò monſtroſa hac feritate ſacerdotes tantùm, verùm etiam viduæ ac nubiles puellæ, ſplendidiſſimæque etiam fœdantur familiæ. Compertas audio etiam vxores, quæ (vt viros hoc iniuriarum genere infeſtarent, aut illatas ab illis iniurias vlciſcerentur) in lucem venientem prolem propriis eliſerint manibus. Et quoniam cum hac immanitate nulla ferarum truculentia eſt comparanda, iure monſtroſa immanitas appellatur.

De ea monſtroſa immanitate quæ eſt liberorum expoſitio.

INTER monſtroſas immanitates enumerant etiam liberorum expoſitionem, hanc enim nulla ferarum viſa eſt facere: permulta tamen excuſare illam poſſunt, vt ſumma rei familiaris tenuitas, quæ ſatis nullo modo ſit alendæ ſoboli, vt euitandæ ſummæ infamiæ gratia, quemadmodum de Romulo & Remulo narrant hiſtoriæ, vt etiam cædis maternæ auertendæ reſpectus, ob adulterium aut inceſtum, quod

Digitized by Google

quamuis ita ſit, ex ipſa tamen excuſatione crimen magis imminuitur quàm diluitur. Quid enim immanius quàm parentes in prolem ſæuire quæ ope eorum orta eſt. nec modò inofficioſi ſunt, verùm etiam impij, & carnifices. Tametſi ea occurri ratione poteſt, quòd duobus è malis minus eligendum eſt. Cæterùm expoſitio ipſa duplex eſt, altera cui propoſita ſalus eſt, altera verò cui mors. Expoſitio cui mors propoſita eſt, (vt quæ de Cyro refertur) quam recipit excuſationem. Qui verò ſiue patres, ſiue matres ea conditione liberos exponunt, vt partus ſaluos faciant, digni ſunt laude: qui autem vt infamias diffugiant, ac cruciatus, accuſandi quòd volentes crimen quidem aduerſus rectum honeſtúmque prætérque ciuiles leges, moréſque bonos patrauerint, non tamen improbandi, quòd ſaluti conſulerent, cuius nobis à natura inſita eſt cupiditas ac ſtudium. Huic rei proſpicientes Chriſtiani loca quædam ſacra frequentiſſimis quibuſque in vrbibus conſtituêre, quæ hoſpitalia vocant, ad quæ pueri, puellæque exponendæ noctu deferuntur, ac ſine arbitris, quo & expoſitio occulta ſit, & infantes expoſiti commodè alantur, ac publicè: per hunc enim modum obuiam itur infamiæ pariter ac immanitati. Quòd igitur expoſitio, cui mors propoſita eſt, ſit monſtroſa immanitas, patet, nam illa fiebat in ſyluis, vt à feris partus deuorarentur. Huic propinqua expoſitio ea eſt, quæ fit ab Æthiopibus, quorum non exigua pars humano veſcitur ſanguine, dictique inde Anthropophagi. paſſim enim apud illos inuenies parentes, qui liberos frumento ducendæ vitæ gratia mutent cum mercatoribus, eóſque pro victu ſuo ſeruituti addicant.

De ea monſtroſa immanitate, quæ eſt circa religionem.

INTER monſtroſas immanitates enumerant etiam impietatem, quæ nihil aliud eſt quàm error contra religionem. nam cùm religio (vt inquit Plato in Phædone) ſit homini à natura inſita, nullæque tam feræ ſint, aut barbaræ nationes, quæ aliquam religionis ſpeciem non obſeruent, fit vt multiplex ſit immanitas, quæ in impietate conſiſtit. In

Digitized by Google

primo igitur ac maximo immanitatis genere verſari mihi videntur illi, Deum eſſe qui negant, aut ſi eſſe confiteantur cultum tamen illi ſuum, vt nullam habenti rerum humanarum curam, minimè tribuendum cenſent, néve ab aliis tribuatur & diſſuadent ipſi, & qua poſſunt etiam arte ac via, prohibent. Verùm vt dilucidiùs hæc monſtroſa immanitas pateat, illud annotatione dignum eſt, aduerſus religionem non vno tantùm modo peccari. nam alij reperti ſunt, qui erga Deum ingratiſſimi fuerunt, reperiuntúrque quotidie non primates tantùm, quíque potentatibus abutuntur, verùm infimi etiam ac plebeij homines, & hi ſunt, qui defectu diuini cultus monſtroſa immanitate prophani habentur, nam in colendo Deo maximè impij ſunt, beneficiorum eius immemores. Quid enim aut naturæ hominis magis aduerſum, quàm naturæ ipſi rebellem fieri? aut quid eſt aliud perduellionis reum eſſe, quàm eripere ei voluiſſe, cui omnia debeantur, ſuos honores, ſua iura, nullum denique eſſe eum dicere? Alij verò, qui exceſſu, ac nimij cultus ſtudio immanitate etiam monſtroſa polluuntur. hoc pacto prophani ſunt, qui dum placare Deum volunt, ſinguli tum homines, tum ciuitates ac populi hominem ipſum priuatis & publicis in ſacrificiis mactauerunt ac ſanguine eius aras imbutas conſperſerunt, vt Tantalus, qui in Phrygia regnauit: hic enim diis hoſpitio ſuſceptis, Pelopem filium coctum membratim comedendum appoſuit, vt eorum diuinitatem experiretur. Apud Dianam Tauricam hoſtiæ erant peregrini, & hoſpites. Apud Carthaginem annis ſingulis mactati hominis ſanguine Saturno diuina res fiebat. Quid diuina illa maieſtate, beneficentiáque indignius, quàm dum ſanguine gaudere illum humano putes, hominem ei id eſt te ipſum vt iugules, ad aram conficias, mactes? O mores maximè ſanguinolentos, pietatémque ſummè truculentam! O cultum feris ipſis quas imitaris, horribilem, ac formidandum! Catilina antequam orationem habuiſſet ad populares ſui ſceleris, humani corporis ſanguinem vino permixtum in pateris circuntulit, eóque ab ſingulis deguſtato aperuit ſuum conſilium. id ideo feciſſe creditum eſt, (vt Saluſtius ait) quo inter ſeſe magis fidi forent alius alij tanti fa-

Digitized by Google

cinoris conſcij, ac ſi poſt eam execrationem quis rem aperuiſſet, Deos iratos, infeſtóſque habiturus eſſet, fideique ac iuriſiurandi corrupti vltores. Refert Tacitus conſueſſe Reges quoſdam, quoties ſocietates inirent, iunctis ſimul dextris, pollices inter ſe vincire, nodóque perſtringere, atque vbi ſanguis in artus ſuffuſus eſſet exteriores, leui ictu eruorem eruere, eúmque inuicem lambere, idque fœdus arcanum haberi ſolitum, quaſi mutuo cruore ſacratum. Alij & tertij ſunt, qui inanibus quibuſdam, vaniſque omnino ſuperſtitionibus Deos coluerunt. Nam & gentes quædam coluerunt Canes, Ibidéſque, vt apud Ægyptios, quòd ſerpentes, qui certo anni tempore ex Arabicis paludibus ſubuolant, obuiam profectis arcere conficeréque credatur. Apud Romanos Anſerem, quòd Capitolinam arcem, expergefactis clangore cuſtodibus, ab irruptione Gallorum ſeruarit. Quin & auctore Prodico Coo corpora quædam inanima pro diis habita ſunt, veluti Sol, Luna, Aqua, Terra, quòd ad vitam conducere viderentur, quòd horum commoditate mortales maiorem in modum delectarentur. Scythæ (quemadmodum in Toxaride teſtatur Lucianus) per ventum & gladium tanquam per Deos iurant, propterea quòd ille ſpirandi ſit auctor, hic mortis. Sunt qui Deum ipſum ab hominibus vexari poſſe crediderunt, ſuíſque illum è ſedibus auguſtóque è tribunali tentaſſe pellere, ac deiicere. inde fictum eſt Gigantes è terra genitos, remotiſſimíſque à cœlo locis, quòd ratione nulla præditi, nullo veræ cognitionis ductu ad violenta traherentur, actionéſque maximè impias ac deteſtabiles, quódque non tam incederent quàm obſerperent, qui progreſſus animalium eſſet venenoſiſſimorum, ſerpentinis eos pedibus vel ſerpentibus ipſis potiùs pro pedibus vti dixere. immanes igitur gigantes non vaſtitate ſolùm corporis ac deformitate, verumetiam affectatione & impetu. At non immane, ſed anile potiùs: aut fortaſſe Dei de benignitate rectè eſt ſentire, id ſibi perſuadere, placari Deum placentula, aut mola ſalſa faſciculóve ſpicarum. Alij autem (quia parum viſum erat eſſe regum maximorum, ac fortiſſimorum filios) humanæ pudentes ſortis, ac pigentes regiæ prognationis, Deum ad adulteria euocarunt, v-

Digitized by Google

xoriáſque libidines, vt Alexander Philippi filius Salmoneum, & Iouis tonitrua effinxit, & diuinos ſibi honores exhiberi expoſtulauit. Quid aut dementius, aut immanius. nam quod Scipio lætaretur, exultarétque, Iouis dici atque haberi ſe filium, hoc ad ambitionem potiùs quàm ad immanitatem referendum videtur. ſicuti ad dementiam vel furorem magis, quæ in hoc ipſo genere ab Caio, qui in Cæſarum ſucceſſit ſeriem, admiſſa ſunt plurima. Vides igitur diuino in cultu quot modis peccetur, & qua etiam via recedatur à ratione, hominíſque à dignitate atque excellentia, quantúſque ab ea fiat ad immanitatem prolapſus.

De ea monſtroſa immanitate quæ eſt ex occupata patriæ libertate.

EST adhuc etiam aliud monſtroſæ immanitatis genus huic (quod diximus) proximum: occupare videlicet patriæ libertatem, nam cùm poſt Deum patria ſecundum obtineat locum, quid indeteſtabilius, magíſque violentum eſſe poteſt immanitatis genus, quàm occupata patria, libertatem ciuibus ſuis eripere, Tyrannidémque exercere, ac inter rapinas, exilia, graſſationes, torturas, cædéſque continuas verſari? Parte alia vitam agere voluptuariam, vt vtroque vitæ genere belluas ſequi videare, illarúmque inhærere veſtigiis, rationabilíque parte deprauata, ancillatum agere tum immundiſſimarum voluptatum, tum rabioſi impetus appetitionúmque violentiſſimarum. Inſectatus dicitur monſtra Hercules pro tuenda libertate, aut reſtituenda iis, quibus fuiſſet adempta: quæ ob merita inter Deos ipſe conſenſu hominum relatus eſt. Contrà verò, qui à patria libertatem ſuſtulit, lupus dicitur, vt illud Plautinum demonſtrat, homo homini lupus. Timebat vxores Dionyſius, ac maximè ſuſpectas tum has, tum etiam filias habebat. Adurebat ſibi capillum candente carbone, dum omnes pauitat, dum nulli fidit propter contaminatiſſimam cædibus, rapiníſque conſcientiam. Quid autem immanius quàm filias metuere, cùm ex aduerſo videamus feras ipſas pro tuendis catulis ſuis etiam in venatorum tela incurrere, próque

illorum ſalute mortem (quam euitare fuga poſſent) volentes appetere, vt belluis ipſis appareant tum inferiores, tum etiam deteriores. Ciuilia illa tot & tanta Romanorum bella quid præ ſe aliud ferunt, quàm monſtroſiſſimam immanitatem, qua vel truculentiſſima animalia exuperant? Quando enim aut leones, aut tigrides in aciem prodierunt aduerſum ſe ipſas, coactis vndique ex Aſia Europáque atque Africa præſidiis? Quo fit, vt in hoc ipſo immanitatis genere homines belluis ipſis ſint ſuperiores. Nam in hoc ſcelerum tumultu ac calamitate pater in filij, filius in patris viſcera gladium adegit, mutuóque ſeſe confœdauerunt cruore: id quod nullis vnquam in prœliis præterquam ciuilibus contigiſſe legitur, vt iure exclamare liceat Terentianis verbis, O cœlum, ô terra, ô maria Neptunia! Quid enim à ſole ſpectari potuit indignius, ipſiſque ab cœlitibus?

Si liceat regnandi cauſa monſtroſis immanitatibus vti atque prophanitatibus.

SVNT tamen, qui regnandi cauſa admittunt monſtroſas immanitates. quòd Reges, Cæſares, principes atque id genus potentatus alij regnandi gratia eas exercuerint, boni enim illi ac ſanctiſſimi Cæſares, cognatos, affines, familiares, ſenatores, vt liberè dominarentur, veneno è medio ſuſtulerunt. Auguſtus Cæſarionem Cæſaris patris ex Cleopatra filium è medio ſuſtulit, quo ſolus imperaret. Aratus Dux Sicyonius cùm multos tyrannos ſua virtute ſuſtuliſſet, Philippo iuniori Macedoniæ regi cœpit eſſe formidoloſus, propterea veneno lento ac ſenſim dato ab eo potionatus eſt. Alexander Macedo ab Iola prægustatore Antipatri ad regnum aſpirantis filio, veneno potus eſt. Philopœmenes magnus Græciæ imperator, cùm apud Meſſenios in domicilium ſubterraneum neque auras, neque lucem exteriùs excipiens fuiſſet impactus, hauſto ibidem veneno periit, venenum porrigente Dinocrate Meſſeniorum Duce, parta de illo victoria. Henricus ex Lucemburgo Imperator poſt Albertum à Clemente Pontifice deſignatus, opera Roberti Siciliæ Regis veneno periit. Ladiſlaus Rex Apu-

De ea monſtroſa immanitate, in quam inciditur poſt victoriam.

INTER monſtroſas etiam immanitates, eam enumerant, in quam inciditur poſt victoriam. copiis enim hoſtium aut fugatis, aut cæſis, quid efferatius eſſe poteſt quàm volutare iacentium corpora, & ſi quos ſpirantes inuenias, in eos rurſum manu ſæuire? Quod factitatum ab Hannibale poſt cladem illam Cannenſem ſunt qui tradant. Quid ab humana ratione magis alienum quàm poſt victoriam in mortuos ſæuire. Odio Ciceronis vſque adeo exarſit Antonius, vt mortui caput in menſa apponi voluerit, pérque diem illud aſpexerit, quo vſque tali ſpectaculo animum exatiaſſet. Sylla rerum potitus corpus Marij iam defuncti reuellit, atque diſiecit, quapropter talionem formidans corpora cremari inſtituit. Achilles Hectorem Patrocli ſibi cariſſimi interfectorem occidit, occiſum ter circum Troiæ muros raptauit curru. Qúmque inſtar frendentis belluæ immanitatem expleuiſſet, Priamo patri venale cadauer expoſuit. Quanto & homine & imperatore rerum humanarum memore dignius eſſet, id & curare, & permittere poſt illatam calamitatem, cadauera vti ſepeliantur, quam ad rem induciæ concedi ſolent, ac ſiquibus vulneratis ac malè cæſis relicta vitæ ſpes eſt, eis medicorum operam ſubminiſtrare, quamquam hoſtibus. Nam & in victos, proſtratóſque, quóſque iure belli captiuos habere licet, humanitas exuenda non eſt, nec tela in captiuos, verùm in acie ſtantes exercenda. Graſſatorum enim eſt, ac ſicariorum & eorum quidem truculentiſſimorum, poſt ſpoliatos viatores, eoſdem obtruncare, videlicèt ne cognoſcantur, ſtrenui verò militis id nullo modo. Excuſantur autem qui in ipſo prælio intérque conſerendas manus, cæſo aduerſario caput auellunt. Militari enim ex inſtituto & lege eſt, cùm ſint militibus præmia cæſi hoſtis propoſita. hoc pacto auulſi à ceruice capitis oſtentatio, vt ſit rei ſtrenuè geſtæ teſtimonium, non eſt inhumana. Quid inſuper immanius eſſe poterit, quàm poſt victoriam vrbes, populóſque diripere. præcipuam

Digitized by Google

enim ad omnem immanitatem res hæc materiam exhibet: nam in polluendis templis, in violandis ſacris, in corrumpendis tum puellis, tum pueris impuberibus, in cædendis ſenibus, ſexúque imbecillis, aditus ad omne immanitatis genus paratur. Ad hæc quid truculentius, immanius, prophanius, ac ab humana ratione magis remotum eſſe poteſt, quàm vaſtare agros, deſolare regiones ac populos, vrbes incendere, ciues ad internecionem penitus ducere, ſexúſque omnes imbelles funditus euertere. Qualis autem ea ruina ſit (vetuſtiora vt omittantur) non multis antè annis Carolus docuit Burgundiorum Princeps in Lige vrbe opulentiſſima, cui ſimilis eſt ea Capuæ deuaſtatio, quæ paucis antè diebus facta eſt, & illa Romæ deſolatio quæ temporibus his emerſit: in quibus (vt breuibus vtar) nihil niſi inhumanum ſpectatum eſt. Omnibus autem iis monſtroſior ea immanitas eſt, qua vtuntur milites hodie, qui in vrbibus hoſpitantur. hæc enim aut ſimilis nunquam ab hiſtoricis eſt tradita. Amicè enim à ciuibus recipiuntur, vt autem hoſtes acerrimi omnia agunt. Spretis enim mandatis ducum, ſub quibus militant, in omnem immanitatis exuperantiam furere videntur: omni enim ſæuitiæ genere ac calamitatis adhibito, nullo pietati, nullo miſericordiæ, nullo denique religioni deorúmque aris ac precibus hominum relicto loco, vrbes omnes (à quibus amicè recipiuntur) vt hoſtes prophaniſſimi petunt.

De ea monſtroſa immanitate, quæ proditio eſt.

INTER monſtroſas immanitates etiam proditionem arbitrãtur eſſe addendam, nec iniuria quidẽ, nam quid hoc ipſo aut ſcelere ſceleratius, aut execramine execrabilius? Quid immanius quàm fidem fallere, iuſiurandum, ac Deos ipſos venales habere. Ludouicus Maria qui poſt turpiſſimam illam fugam, vocatus à nobilitate ac popularibus Mediolanum eiectis inde Gallis ſe receperat, cùm maximam Heluetiorum manum ac Brigantum ad ſtipendia conduxiſſet, confligendúmque Gallico cum exercitu eſſet, inter ipſas acies ac tubarum penè cantus ab Heluetiis ipſis captus eſt,

pecuniáque accepta Ludouico Regi Galliarum per turpiſſimam proditionem venundatus traditur. Itaque auaritia ipſa non modò (vt Saluſtius ait) corpus animúmque virilem effœminat, verùm etiam & efferat, & ad monſtroſam immanitatem impellit. Cùm Alfonſus, & Antonius Caldora collatis ſignis inter ſe dimicarent, atque vtrinque ſummis pugnaretur viribus, Paulus Sangrius, qui in exercitu Antonij princeps eſſet auctoritatibus, ac viribus, verſis in Antonium haſtis ac gladiis, ad Alfonſi partes tranſiit cum maxima etiam parte copiarum. quo facto, Antonij exercitu ſuperato, ille captus eſt, caſtráque eius direpta. Quid igitur aut ſol ipſe vidit hoc indignius, aut res humanæ infidelius? Quæ res, licèt immanitas dicenda non eſſet, quòd inter feras nullus ſit proditioni locus, cùm ſcelus hoc ſolius ſit hominis, quippe cui ſoli fides inſit iuriſque iurandi religio, tamen monſtroſam immanitatem proditionem appellarem, quòd ſit ſcelus ſupra ferina ſcelera, & crimen ſuper humana crimina.

De ea monſtroſa immanitate, in quam incidunt prætores, & aliquando magni principes.

HIS adhuc monſtroſis immanitatibus eam adiungunt, in quam prætores incidunt, qui puniendis criminibus præſunt, & aliquãdo magni principes. nam cùm aliud vincere ſit, atque vlciſci, aliud punire atque ſuppliciis afficere, illúdq; ſit bellũ, atque inimicitias exercentis, hoc verò iudicis, ac ciuilibus inſtitutis ſeruandis præpoſiti, iudices interdum quoſdam videmus, qui non voluptatem modò capiant è ſuppliciis, verùm quo puniſſe gloriari poſſint quamplurimos, noua & inſueta torquendi genera adinueniant, quibus non modò quæ facta, verùm etiam quæ infecta extorqueant. Quo immanitatis genere in vniuerſa Italia horribilis habitus eſt Nicolaus Porcinarius Aquilanus. nec minor illo erat Bernardinus Amelianus. Itaque & iudices ipſi facilè ab ſeueritate ad immanitatem tranſeunt, vt hac ratione (cùm ſint adminiſtrandæ iuſtitiæ præpoſiti) efficiantur vel maximè iniuſti: vel (vt propria magis appellatione loquar) ſummè imma-

Digitized by Google

nes. in ſummis enim ſuppliciis vix iniuſtum aliquid quod non ſit idem immane, dùm ſit id tamen voluntarium ac cum voluptate, & geſtientia. Ferdinandus primus Neapolitanorum Rex, qui ceruum, aprúmve, aut capream occidiſſent furtimve, palámve, alios remo addixit, alios manibus mutilauit, alios ſuſpendio affecit, agros quoque ſerendos interdixit dominis, legendas aut glandes, aut poma, quæ ſeruari quidem volebat in eſcam feris ad venationis ſuæ vſum, ſecus qui feciſſet, in eum non aliter ſæuitum, quàm ſi perduellionis eſſet reus. Quæ res licèt immanitas dicenda non eſſet, cùm inter feras nullus ſit præfecturæ locus, cùm ſolius hominis ſit punire atque afficere ſuppliciis, tamen talem puniendi viam monſtroſam immanitatem dico, quod ſit execramen ſupra ferina execramina, & ſcelus (vt dixi) ſupra humana ſcelera.

De ea monſtroſa immanitate, in quam incidunt leges.

HAc inſuper eadem monſtroſa immanitate leges quædam etiam videri poſſunt & ipſæ immanes: Quibus condendis, non id mihi videtur fuiſſe conſilium conditoribus, vt ab homine digníſque homine moribus diſcederent per crudelitatem, verùm vt ciues deterrerent pœnis immaniter propoſitis. Qualis lex illa Semiramidis, quæ cum filio vt concuberet, pro lege poſuit matres in viros filios poſſe ducere. Qualis etiam lex illa duodecim tabularum, qua licitum erat creditori pro debita pecunia membrum ſibi capere ex corpore debitoris, vtputa centenis pro ſextertiis, aut manum, aut pedem. Florentinus Magiſtratus eum ciuem, qui impotenter vim, iniuriámque pro libidine in ciuem exerceat, nec commonitus temperet, decreto publico Grandem ſtatuit, id autem eſt quaſi tyrannum, aut hoſtem publicum decernere: vt liceat cuiuis inuentum illum, aut ante ſolis exortum per vrbem incedentem, aut poſt occaſum impunè occidere. Excuſatur tamen lex hæc propter ſtudium quod in eo populo fuit quondam æquabilitatis tuendæ, ſeruandæque inter ciues communitatis.

Digitized by Google

De ea monſtroſa immanitate, in quam incidunt qui iniurias vlciſcuntur.

MONSTROSIS etiam iis immanitatibus, eam nemo non addere poterit, in quam incidunt qui iniurias vlciſcuntur. Et (vt vetuſtiores omittantur) qualis hæc fiat, Corradus Trincius, qui Fulgineæ in Vmbria imperitauit, cæſo Nicolao eius fratre à præfecto arcis Nucerinæ ob adulterij ſuſpicionem, nobis exponit. nam præfectum ipſum ita expugnare aggreſſus eſt, vt ille amiſſa tandem omni ſpe euadendi, interfectis priùs vxore ac liberis ſeſe è ſumma turri deiecerit, ne viuus in Corradi poteſtatem perueniret. itaque Corradus deceptus opportunitate in viuum illum ſæuiendi, quotquot familiares, cognatos, amicos, natos, quíque cum illo conſuetudinem exercuiſſent aliquam, captos, cruciatóſque ad excarnificationem ad vltimum comminui in fruſta, exenteratíque imperauit, ac per ſentes maximéque frequentium viarum ſepes ac margines eorum viſcera, inteſtináque ſuſpendi, ac paſſim diſpergi. vt neque aut vindictam appellare hanc poſſis, aut punitionem. Stephanûs Matrus graſſator Olibanenſis, cùm inimicum occideret, in macello cadauer in fruſta diſſectum vendi iuſſit, voluítque vt ciues coquerent, & comederent, ſecus qui feciſſet, in eum non aliter ſæuiebat, quàm ſi perduellionis ſibi reus fuiſſet. nam magnus graſſator Centurio erat. Neronianis enim illis fidiculis, quæ dictu erant horribiles hæ prophanitates ſimiles ſunt. Et illis Syllæ, qui Romam, & vniuerſæ Italiæ partes ciuilis ſanguinis fluminibus inundauit. Quæ itaque belluæ feritas his immanitatibus maior, aut truculentior eſſe poterit?

De cauſis, quibus incidimus in prophanitates ipſas.

SVNT autem immanitatum & ſimpliciter, & monſtroſarum cauſæ plurimæ, quas ſi vellem ad amuſſim explicare, ad immenſum iret oratio: illud tamen pro comperto habeas nullum eſſe immanitatis genus, quod non ſit ob

iræ ac vindictæ ſitientiſſimam rabiem. ira enim vehementior (vbi fuerit) præcipitem ita agere hominem conſueuit, vt eum in ſui ipſius obliuionem inducat. Aut ob dominandi libidinem, ſuſpicio enim ac conſcientia illa maximè tetra, ac deteſtabilis Tyrannos inducit ad noua atque inaudita ſupplicia excogitanda pro incutiendis terroribus; quin etiam, vt non rarò in filios parentes, ipſique in parentes liberi pergraſſentur teterrimis quibuſque maleficiis ac pœnis. Aut ob ſpoliandi cupiditatem, auaritia enim vt plurimorum eſt vitiorum fomes, ſic etiam & immanitatis, præſertim (vt diximus) vbi fuerit ambitioni coniuncta. Aut ob graſſandi voluptatem, excarnificandique oblectamentum, geſtientiam, atque ingluuiem. Voluit Nero occiſæ matris corpus & inſpicere, & contrectare nudum, tum hoc membrum laudauit, tum illud vituperauit, quin exorta interim ſiti, poculum ſibi afferri iuſſit, videlicet matris ipſius manibus parentaturus. Caius ante eum Cæſar curiam ingredientem Senatorem graphiis primò confoſſum, pòſt etiam dilaceratum, inde in membra & artus ac viſcera diſcerptum per vrbis vicos trahi iuſſit, denique ante ſe collecta ea congeri, quo & animus cum primis, & oculi exatiarentur aſpectu tam fœdo, ac voluptate tam nefaria & perdita: item & Papinium conſularis viri filium, & Baſſum quæſtorem ſuum, procuratoriſque ſui filium, alióſque item tum Senatores, tum equites Romanos eodem ſimul die, & flagellis cæcidit, & torſit, non quæſtionis, ſed (vt Seneca tradit) animi tantùm ac voluptatis gratia. Aut ob tyrannicam animi impotentiam. Tyrannica enim animi impotentia, elatióque illa, per quam omnia ſibi licita eſſe perſuadent, (Caligula dictitante quæcumque libent eadem cuncta licere heroibus) eò trahit, vt diis ſe dum aſſimiles videri volunt, feris ipſis tetriores efficiantur. Refert Seneca Darium regem parantem expeditionem aduerſum Scythas, rogatum ab Artabazo nobili admodum ſene, vt è tribus liberis, quos Rex ipſe ſecum duceret, vnum ei in ætatis ſuæ ingraueſcentis iam ſolatium relinqueret, ac tamquam ſenectutis baculum, reſpondiſſe plus ſe quàm ille rogaſſet, præſtiturum, tréſque eos vnà ſtatim ad

patrem remiſſurum, confeſtímque occidi eos ſimul iuſſiſſe, atque ante patris conſpectum cruentatos abiici. Cambyſen quoque idem auctor refert admonitum à Traheaſpe, qui erat illi maximè fidus, & carus, vt in potu eſſet abſtinentior, quòd ebrietas in regibus maximè notabilis eſſet, reſpondiſſe non mentem modò poſt vinum ſibi, verùm etiam & oculos & manus in officio eſſe, idque breui ſe comprobaturum, cúmque liberaliùs quàm vnquam antea poculis indulſiſſet, iuſſiſſe filium eius vltra limen progredi, ibidémque conſiſtere, alleuata ſupra caput ſiniſtra, eueſtigióque contento arcu cor illius medium ſagitta fixiſſe, quod ſe transfixurum antea dixerat, conuerſúmque ad patrem dixiſſe, & quid certam ipſe videretur habere manum? Alexander Macedo, cùm eſſet correptus à Caliſthene, eum interimere fecit. hæc igitur portenta de ſe gignit animorum impotentia cognatáque è cælitibus ipſis poteſtas. Aut propter ebrietatem: quantus enim ex ebrietate, quæque crapulæ dicuntur, fomes accedat immanitati (vt barbaros prætereamus reges) teſtis eſt Alexander, qui educatum vnà ſecum à puero Clitum, ſibique etiam maximè carum, inter epulas manu ſua transfoderit, ac Sinon, & Lyſimacum leoni obiici iuſſerit, ſibi perquàm etiam familiarem. verùm immanitas, quæ ex ebrietate proficiſcitur, ægritudinalis videtur. nam ebrietas furori eſt perquàm ſimilis: tametſi ille è morbis gignitur, deterrimóque naturæ habitu, hæc autem ex animi corruptione, deprauatáque voluntate, immanitas verò ipſa (niſi voluntaria fuerit) deſinat eſſe immanitas.

De temporibus quibus prophani fuerunt atque immanes.

ET licèt eadem ætas quæ ſanctos heroëſque tulerit, tulerit & immanes, atque prophanos. (nam quibus temporibus Herculem heroëm finxit gentilitas, eiſdem Diomedem atque Buſyridem, & Mezentium figurauit, & quibus temporibus diſcipuli Domini, eiſdem & Nerones fuerunt) tamen quibuſdam temporibus ſunt immanes atque prophani, quibus non ſunt ſancti, atque heroës, veluti noſtris temporibus. Priuati enim milites qui temporibus noſtris in Italia

bella gerunt, omnes ferè immanes ſunt. non enim eorum aliquis eſt, qui à ſua barbarica immanitate atque prophanitate degenerat. nullus enim eſt, qui in Deum credit, nullus pietatem fatetur, nullus metuit Deum, nullus religionem colit. Omnes putant terroris ac metus gratia religionem à ſapientibus inſtitutam eſſe, quo ſe homines imperiti à peccatis abſtinerent, veram autem religionem nemo eorum eſt, qui meditatur. Sunt inter eos Mezentij qui (vt Virgilius inquit) corpora mortua viuis iungebant, componentes manibus manus, atque oribus ora (tormenti genus) & ſanie, tabóque fluentes complexu in miſero, longa ſic morte necabant. Sunt & Syllæ, qui Romam & vniuerſas Italiæ partes humani ſanguinis fluminibus inundare fecerunt. Sunt etiam inter eos Scythæ, qui exenteratis animalibus viuos homines includebant, eminentibus ſolis capitibus, vt cibo capto diutiùs languerent, viuerént que, donec putrefactis animalibus excreſcerent vermes, à quibus conſumerentur. Sunt etiam Herodes, qui multa puerorum millia occidi iuſſerunt, vt authorem noſtræ ſalutis interciperent. Sunt & Ecelini, qui circa Taruiſium & Euganeis cùm exercuiſſent tyrannidem, caſtrabant pueros, ſtupro viciabant virgines, matronis adimebant mammas, prægnantium ſecabant vteros, partus extractos in ignem mittebant. etiam Ecelinus biſſena Patauinorum millia ſub ſuo vexillo merentia ad vnum interfecit, audita Patauij defectione. Sunt & Diomedes atque Buſyrides, qui equos humana carne paſcebant. Sunt Alexandri Phæræi, qui viuos homines obuerſis in ſe faciebus ſepeliebant, alios vrſorum pellibus inuolutos dabant conficiendos venatoribus, & feris confodiendos. Sunt inter eos Tamburlani, qui nihil habebant iucundius, quàm animi feritatem humano cruore oblectare: cuidam roganti cur in omnes vſque adeo ſæuirent, toruo aſpectu, retortiſque oculis fertur reſpondiſſe, An tu nos homines putas, & non Dei iram potiùs ad hominum perniciem in terris agentes. Nec deſunt qui inter eos latrones, & ſacrilegi ſunt, profectò alio immanitatis genere circa liberalitatem vtentes. non enim Promethei Deucalionis patris, & Iapeti filij deſunt, qui poſt factos homines Mineruæ auxilio aſcen-

ſcenderunt in cœlum, & ignem ferula de curru ſolis ſurripuerunt, quem hominibus indicauerunt. Nec Caci Vulcani filij, qui boues, & armenta ſuffurabantur in Auentino monte, verſiſque veſtigiis per caudam trahebant in ſuam ſpeluncam, vt furtum non agnoſceretur. Nec Brenni qui Apollinis Delphici templum inuaſerunt: nec Spartaci, qui collecta fugitiuorum ac perditorum hominum manu, bellum Romanis intulerunt. Nec deſunt Argiui, è quibus propter furacitatis infamiam adagium venit, Argiui fures. Nec Eurybatæ, nec Attabi, & Numenij, nec Arſaces latronum ductores, ne Baliſtæ, nec Harpali, qui auctore Tullio illudebant diis. nec Sambici, qui Dianæ templum expoliarunt in Elide. Nec deſunt piratæ vt Baſilij, qui per æquor noua furta perduunt. Nec Cepali, nec Icariones, nec alij innumeri, qui vniuerſum mare quotidie inſiſtunt. Et ne te diutiùs morer, id volo vt memoriæ mandes, nullum eſſe inter hos priuatos milites, qui noſtris temporibus bella gerunt, qui non prophanus, atque immanis ſit. Ab iis verò ad Italos hoc immanitatis genus (conuerſatione diu videlicèt cum huiuſmodi barbaris militibus) migrauit adeò, vt nullus Italorum militum ſit, qui non immanitatis, atque prophanitatis ſcelere ſit corruptus. Nec aliam ob cauſam (vt arbitror) niſi quia nec iuſtitiam colunt, nec Deum agnoſcunt, nec numina metuunt, nec mandatis principum parent.

Quòd Deus immanes atque prophanos non diu dominari patiatur.

NON ſum neſcius, mi Hieronyme, nec Tyrannides, nec regna, nec reſpublicas, nec Ariſtocratias, nec Oligarchias, nec Timocratias, nec Democratias, nec denique imperia aliqua perpetua eſſe, quanto minus qui dominantur. Peruetus enim eſt Aſſyrij regni memoria, fuitque idem magnum, & diuturnum, occidit propterea nihilominus. Et quo magis noſtræ infirmitatis admonemur, vix tanta quæſitum fuit indole, quanta eſt poſtremò deſidia euerſum. Pari neceſſitate excidit & Medorum imperium. hi

enim poſt Aſſyrios in Aſia ſunt rerum potiti. Sic Perſæ, Macedones, ſic in Græcia Athenienſes, Lacedæmonij, Thebani imperare deſierunt, quorum opes eadem vix non ſuſtulit ſolùm ſed vrbium etiam, quas illi habuerunt, aboleuit cadauera. Excidit & Carthago Romani imperij æmula triplici bello victa. Nec Roma, quæ Carthaginem vicit, extra humanitatis fuit aleam. Sed quæ cæterarum gentium victrix fuit, à Gothis demum victa eſt, direptáque, & incenſa. Id tamen quod vobis ſum probaturus, eſt immanes atque prophanos, qui ſacra temerant, quíque ſacrilegia committunt, qui etiam numina non metuunt, Deum non pati diu dominari, ſed cito turpiſſimo mortis genere interimere, vt iis opituletur, quos iniuria vexarunt. Creditur enim (vt Ariſtoteles inquit ſecundo Rhetoricorum libro) Deus iniuria vexatis opitulari. Quod verò ita ſit, Cambyſes Perſarum Rex, omnium religionum perſecutor, templorum atque ſacrorum euerſor inſatiabilis, nobis oſtendit. hic enim poſt tot tantáſque prophanitates ex equo proſiliens elapſo ſponte ſua gladio è vagina femur ſibi ipſi tranſegit, ex quo vulnere paulo pòſt magno cum dolore interiit. Xerxes Darij filius antequam nauali prælio cum Græcis congrederetur, quatuor militum millia ad diripiendum Delphici Apollinis templum miſerat, vt numina etiam bello ſuperare poſſe crederetur, non multo pòſt ipſe primò in Thermopylis à Leonida Spartanorum rege ſuperatur, deinde à Themiſtocle duce vincitur: poſtremò Mardonio præfecto relicto amiſſa claſſe in regnum vna nauicula ſe recepit, & cùm ob ignauiam ac vecordiam contemptui, neglectuique ſuis omnibus eſſet, ab Arthabano ſuo præfecto trucidatur. Milites verò omnes, qui templum euerterunt, ad vnúmque inbribus, procellis, fulminibúſque deleti ſunt, vt vix nuntius tantæ cladis euaſerit. Brennus Gallorum dux, cùm templum Delphici Apollinis aggredi conaretur, ſuo exercitu tãdem proſtrato, terræmotúque, grandinibus, imbribus, ac tempeſtate cónſumpto, ipſe tanti ſceleris dux, ſe ipſum pugione traiecit. Onomacus cùm noctu theſauros eiuſdem templi conaretur effodere, repente maximè terræmotu perterritus è templo euolauit. Antiochus Rex cùm noctur-

num exercitum ad diripiendum Dodonei Iouis templum duxiſſet, multis finitimis concurrentibus lapidibus obrutus eſt, & omnis eius exercitus trucidatus. Et, vt ad milites veniam, qui ſuperioribus annis in Italia bella geſſerunt, Alemani, qui ſub Bultino, & Leuthare Francorum ducibus contra Romanum imperium militarunt, poſtquam per impietatem templa diripuerunt ſimul & deformarunt, ſacráque ex auro vaſa, ad peragendam rem diuinam parata, precioſámque cæteram ſupellectilem ſuſtulerunt, & cruore templa fœdarunt, cùm non malefactis exatiarentur, non longè pòſt diuina ira quæ ob tanta ſcelera in Deo accreuit, partim bello, partim morbo interiere, ita vt eorum nemo quippiam ſit ex priſtina rapiendi ſpe conſecutus. Franci etiam ſub Leuthare, & Bultino in Italia bella geſſerunt cum Gothis aduerſus Iuſtiniani milites, quorum præfectus erat Narſes, poſt tot rapinas, furta, graſſationes, incendia, virginum violationes, vrbium direptiones, templorum euerſiones, atque ſacrilegia, poſt tot tantáſque iniurias, quas viris Italis, atque ingenuis mulieribus intulerunt, ſtatim vlciſcente Deo partim morbo, partim bellis omnes periere. Leuthares enim demens factus, & in apertam rabiem verſus, vt amentes ſolent, eò iam miſer veſaniæ venerat, vt vel propria membra deſæuiendo guſtaret, brachiis ſiquidem (vbi iam mordaciùs inhæſiſſet, dentibus carne dilacerata, in feræ beſtiæ morem) veſcebatur, defluentémque lingebat cruorem, ſic demum ſuo ſanguine paulatim deperdito, miſerrimè prope Venetias ex humanis exceſſit: cæteri verò qui ſub eo militabant paſſim magis ac magis deſæuiente malo, tandem vniuerſi interiere. Bultinus verò eius frater Francorum etiam præfectus pugnans cum Narſete Iuſtiniani præfecto prope Caſilinum cum vniuerſo exercitu ad internecionem occubuit, ita vt Francorum nemo ſe ad proprios lares receperit præter homines quinque, inter quos fuerunt eruli duo qui à Narſete defecerant. Quo igitur pacto non perſpicuum fuerit luiſſe hos ſcelerum pœnas? Poſſem & eiuſmodi alias innumeras militum temeritates, & iniuſtitiæ origines recenſere: & quomodo hæc auctoribus ipſis plurimum offecerint, ſed ne potiùs hiſtoricus quàm philoſophus videar,

Digitized by Google

bona fronte prætermitto. Illud tamen ex his, & aliis ſimilibus colligere volo, iniuſtitiam, atque erga Deum impietatem haudquaquam prodeſſe poſſe, iis profectò, qui bella gerunt. patriæ verò opem ferre, ac patrias leges tueri, háſque deuaſtantibus ſe minus permittere, ſed enixiùs eos impugnare, æquum proculdubio eſſe & generoſum. Nam qui lucri, & auaritiæ bellantur gratia, odiíque nulla ratione ſubnixi (cùm nullum criminandi ius habeant) ſi velint in aliena irrumpere, & eos inceſſere, qui iniuriæ nihil intulerint, profecto inſolentes ſunt, & plane inſaniunt, neque quid ius, fáſque ſit, norunt, nec magni id faciunt, ſi maleficis ſit infenſus Deus. quo fit, vt acriora his inferantur ſupplicia, & ad inſanabilem calamitatem, qui prauè geſſerint recidant, & tempus ad breue felices exiſtimentur.

Qui duces metu Dei exercitus immaniter gubernarunt.

FVERVNT verò ex ducibus nonnulli qui metuentes Deum, atque religionem colentes, exercitus ſuos immaniter gubernarunt. & (vt vetuſtiores omittamus) ſunt ex iunioribus Alfonſus Calabriæ Dux Ferdinandi primi Regis filius, Antonius Pantadera, Nicolaus Fortibrachius, & Riccius Monteclarius: è quibus Alfonſus pro racemo, ficúque inuitis dominis, ſubtractis, militem trunco vel arbuſculæ proximæ cuique ſuſpendi confeſtim iubebat, nec aderat miſericordiam implorantibus locus. Nicolaus verò penè lateri ſuo coniunctum vbique, mutum quendam hominem ſecum ducebat, oneratum funibus ac capiſtris, vt quem ſuſpendio deſtinaſſet ob furtum, aut aliud crimen, factum illum obuiam nutu indicabat, conuerſúſque ipſe poſt ad mutum, proclinato in vncum digito naſum ſibi contingebat, quo ſigno accepto, confeſtim mutus iniecto in illum capiſtro, eum proximo cuique vel trunco vel arbuſculæ ſuſpendebat: indicabatúrque ignauus dies, qui ſine ſuſpendio præteriiſſet. Antonius qui in Pannonia hoc eſt Hungaria diutiùs exercuiſſet militiam, Pannonio incinctus gladio, vbi quem vel ob furtum, aut aliud ſcelus perditurus erat, illum ex improuiſo, eodem ſtricto adoriebatur. Erátque illi ludus

quaſi quidam necare milites delinquentes, in quo ſeſe penè quotidianus exercebat. At Riccius adhibebat etiam comitatem, quem enim militem propter ſcelera, aut iniurias aliis illatas, decreuiſſet enecare, blandè admodum ſalutatum inuitabat ad pocula, percontabatúrque quot ſecum aut placentulæ buccellas, aut ſorbitiones aſſumturus eſſet, repentéque in iis nugis, totidem illum vulneribus ad terram dabat. Immanitatibus itaque his exercitus perterriti ad nutum obediebant illis. Hactenus de prophanitate & ſanctitate.

Niphani xxi. Octobris.

AVGVSTINI NIPHI SVESSANI

OPVSCVLORVM MORALIVM PARS QVINTA,

DE MISERICORDIA.

AD VIRVM RELIGIOSVM HIERONYMVM SERIPANDVM.

Præfatio, atque Stoicorum opinio de miſericordia ad Hieronymum Seripandum.

ENVNTIATVM eſt mihi, Seripande cariſſime, obiacturas, calamitatéſque, quibus ciues Sueſſani, & nos potiſſimùm, Hiſpanorum militum incurſione nunc conflictamur, non modò te dolere, verùm etiam ſumma (vt virum bonum decet) miſericordia affici, & vſque adeo profectò, vt non ipſe ſed tu conſolandus ſis: vt ergo te vnà nobiſcum conſolemur, de miſericordia libellum tibi mitto, vbi diſputatum inuenies, decétne ſapientem miſereri, an non? Nam Stoici quorum ſummus fautor Seneca eſt, tradunt inter animi vicia miſericordiam eſſe connumerandam. vnde Seneca vicium animi (inquit) eſt miſericordia, nec miſerebitur ſapiens, ſed ſuccurret. quam partem Cicero in ter-

Digitized by Google

tio Tuſculanarum Q. confirmat cùm inquit, Si ſapiens in ægritudinem cadere poſſet, & in miſericordiam poſſet, & in inuidentiã. Eſt autem Stoic. argumentum validum. Nam ſi miſericordia eſt animi ægritudo ob alienorũ malorum ſpeciem, aut triſtitia ex alienis malis, miſericordia inſapienti viro cadere non poterit, vt nec ægritudo. tranquilla enim eius mens eſt, nec quicquam incidere poteſt, quod illam obducat. nihilque æquè hominem quàm magnus animus decet. Non poteſt autem magnus eſſe idem, ſi metus, & mœror contundit, ſi mentem obducit, & contrahit. hoc ſapienti ne in ſuis quidem accidet calamitatibus, ſed omnem fortunæ iram reuerberabit, & ante ſe franget, eandem ſemper faciem ſeruabit placidam, & inconeuſſam, quod facere non poſſet, ſi triſtitiam reciperet. Adde quòd ſapiens & prouidet, & in expedito conſilium habet. Nunquam autem liquidum ſyncerúmque ex turpido conſilium venit. triſtitia enim inhabilis eſt ad deſpiciendas res, vtilia excogitanda, periculoſa vitanda, æqua æſtimanda. ergo non miſeretur, quia & ſine miſeria animi non fit. cætera omnia quæque miſerentur, volo facere libens, vt alius nemo faciet, ſuccurret alienis lacrymis, non accedet, dabit manum naufrago, exuli hoſpitium, egenti ſtipem, non hanc contumelioſam, quam pars maior horum, qui ſe miſericordes vereri volunt, abiicit, & faſtidit quos adiuuat, cõtingitque vt ab his timet. ſi vt homo homini ex communi dabit, dabit & donabit lachrymis maternis filium, & catenas ſolui iubebit & ludo eximet, & cadauer etiam noxiũ ſepeliet, & faciet iſta tranquilla mente, vultu ſuo: Ergo non miſerebitur ſapiens ſed ſuccurret, ſed proderit in commune auxilium natus, ac publicum bonum, ex quo dabit cuique partem, etiam ad calamitoſos pro portione improbandos & emendandos bonitatem ſuam permittet, afflictis verò, & fortiùs laborantibus multo libentiùs ſubueniet, quoties poterit, fortunæ intercidet. Hæc ſunt, quæ Seneca adducit, per quæ demonſtrat primò miſericordiam in ſapienti viro non cadere, vt qui putet illum nulla animi commotione teneri, cùm ei ſatis ſit culpa vacare, iniquum aſſerens ſapientem alienam culpam luere, vel alieno incommodo torqueri, cùm ne ſuo quidem aliqua ex

Digitized by Google

parte moueatur. deinde quia principale in virtute ipſa eſt electio, (vt Peripateticorum princeps etiam Ariſtoteles ſcribit) electio autem appetitus eſt eius, quod priùs in conſilio habitum eſt. tunc argumentatur ſecundò Seneca: quod impedit electionem & conſilium, neque virtus eſt, neque in ſapienti ipſo cadere poteſt. ſed miſericordia impedit conſilium, & electionem, vt Seneca demonſtrauit, & Saluſtius aſſerit cùm inquit, Omnes homines qui de rebus dubiis conſulant, ab ira & miſericordia vacuos eſſe decet, non enim animus facilè verum prouidet, vbi iſta afficiunt miſericordia, igitur non eſt virtus. Inſuper argumentantur alij ex Stoicis: miſericordia non eſt virtus intellectualis, cùm ad virtutem appetitiuam attineat. nec eſt virtus moralis, cùm ſit affectus. Igitur cùm non ſit virtus, in viro ſapienti cadere nequaquam poterit. Adde quòd contrarium miſericordiæ laudatur, (quæ Græcè dicitur Nemeſis, Latinè indignatio) quod Ariſtoteles demonſtrauit libro Rhetoricorum ſecundo: igitur miſericordia vituperatur. quare in ſapienti viro nequaquam cadere poterit. Hæc ſunt per quæ Stoici (quorum Seneca fautor eſt) miſericordiam à ſapienti viro ſuſtulerunt: & (vt breuibus dixerim) potiſſima huius rei cauſa eſt, quia in ſapienti viro nec dolor, nec triſtitia cadere poteſt, nec ſuorum, nec alienorum malorum. Caderet autem dolor atque triſtitia ſi in eo caderet miſericordia.

Argumenta aduerſus Stoicos, quibus probatur in viro ſapienti miſericordiam cadere.

SED contra Stoicorum opinionem eſt Cicero primò, qui in oratione pro Ligario in laudem Cæſaris miſericordiam inter virtutes enumerauit, cùm dixerit, Nulla de tuis virtutibus plurimis, nec gratior, nec admirabilior miſericordia eſt. Præterea inhumanum quidem eſſe videtur in aduerſis amicorum, ac neceſſariorum caſibus non aliqua miſericordia moueri, etſi hi caſus ad nos nihil pertinere videantur. Natura ſiquidem id nobis præſcribit. cernimus enim bruta animalia non mediocriter commoueri cùm intuentur aliquod ſui generis verberibus, aut aliquo dolore affectum. Sic

etiam

Digitized by Google

etiam exhorrent cadauera animalium ſui generis, quaſi interitum illorum aliqua miſericordia proſequantur. Inſuper id quod Stoici aſſerunt, cùm dixerint dolorem triſtitiámque in viro ſapienti non cadere, & propter id nec miſericordiam, falſum eſt, atque rationi diſſonum. Nam (vt Ariſtoteles probauit ſecundo & tertio Ethicorum) qui ob mala, quæ ſibi vel propinquis contingunt, nimis dolent, atque triſtantur, molles ſunt qui nullo pacto duri, atque inſenſitiui. quare qui dolent, atque triſtantur propter illa quibus oportet, & ratione qua oportet, & non magis quàm oportet, & temporibus, & locis quibus oportet, & propter perſonas quibus decet, hi ſapientes ſunt, atque ſumma virtute præditi. Quod ſi ita eſt, cur dolor, atque triſtitia modicè atque temperatè in ſapiente cadere non poterit? potiſſimum cùm huiuſmodi mediocritas inter virtutes collocetur. His accedunt etiam veteres Academici (qui Platonem philoſophorum ſummum authorem habent) aſſerentes ſapientem ipſum miſericordia commoueri, non tamen miſerabiliter, aut muliebriter, ſed vt decet virum temperantem, ac prudentem, & cum maximè, quem humana tangunt. quin etiam quibuſcumque rebus poterit miſericors, ab iniuria prohibebit, illatámque & propulſabit, atque vlciſcetur, & hoc quidem optimi viri officium erit. In quibus verò id facere non poterit, æqui bonique atque clementis munere fungetur, aderit conſilio, opitulabitur, hortabitur, atque adiuuabit. Quare rectè Græci miſericordiam ipſam ἐλεημοσύνην appellant, quòd amoris, ac beniuolentiæ indicium ſit. æquum enim eſt ſic in aduerſis amicorum rebus angi, vt in proſperis lætari, verus ſiquidem amicus vtriuſque fortunæ ſe participẽ eſſe putat. Sunt etiam huic rei teſtes Athenienſes, qui miſericordiam non modò pro virtute habuerunt, verùm etiã pro numine coluerunt, eidémque templum, & aram erexerunt. quanti etiam facienda ſit in principe miſericordia, docuit Cicero, cùm pro Rege Deiotaro diceret his verbis, Non debeo Cai Cæſar (quod fieri ſolet in tantis periculis) tentare, quo modo miſericordiam tuam commouere poſſim, nihil opus eſt. occurrere enim ſolet ipſa ſupplicibus & calamitoſis, nullius oratione euocata. Philippus quoque Macedo dicere ſolebat oportere Regem me-

Digitized by Google

miniſſe ſe hominem eſſe, & per miſericordiam ſe ſimilem Deo fieri. Titus Veſpaſiani filius (cùm poſt patrem imperaret) duos patricij generis iuuenes conuinctos in affectione imperij miſericordia motus liberauit, & ad alterius matrem quæ ruri pro mœrore diuerſabatur properantes nuntios miſit, qui anxiæ fœminæ annunciarent filium ſaluum eſſe. Huius principis mores tantùm ad promerendum omnium gratiam valuerunt, vt amor atque delitiæ humani generis diceretur. Antoninus Cæſar cognomento Pius miſericordia plurimum præſtitit, vt ſolus omnium Cæſarum ſine ciuili ſanguine regnauerit. Dromecheres Getarum Rex Lyſimacum hoſtem bello captum incredibili miſericordia dimiſit illæſum. Quòd autem miſericordia laudabilis ſit, teſtes ſunt non modò viri probi, Reges, ac Cæſares, verùm etiam Deus ipſe, qui apud omnes vt miſericors colitur, atque veneratur. non enim ſupplices ad Deum gentes omnes confugerent niſi eum miſericordem putarent. Quòd ſi in viris bonis, & Principibus laude dignis, atque in ipſo Deo miſericordia laudatur, cur Stoici dixerunt in ſapiente viro miſericordiam non cadere? profecto id ridiculum eſſe nemo dubitare debet.

Definitio miſericordiæ apud Lactantium, & confutatio.

SED vt huiuſmodi quæſitum dilucidetur, tollatúrque omnis ſcrupulus, opus eſt definitiones miſericordiæ aſſignare, eligeréque eam, quæ propoſito noſtro vtilis habetur. Et primò ab ea nobis incipiendum eſt, quam tradit Lactantius, vir profecto non contemnendus, qui ita dicit: Dixi quid debeatur Deo, dicam nunc quid homini tribuendum ſit: quanquam id ipſum quod homini tribueris, Deo tribuitur, quia homo Dei ſimulacrum eſt. Sed tamen primum officium iuſtitiæ eſt coniungi cum Deo, ſecundum cum homine. Sed illud primum religio dicitur, hoc ſecundum miſericordia, vel humanitas nominatur, quæ virtus propria eſt iuſtorum, & cultorum Dei, quòd ea ſola vitæ communis in ſe contineat rationem. Deus enim qui cæteris animalibus ſapientiam non dedit, naturalibus ea

Digitized by Google

munimentis ab incurſu, & periculo tutiora generauit. hominem verò, quia nudum fragilémque formauit, vt eum ſapientia potiùs inſtrueret, dedit ei præter cætera hunc pietatis affectum, vt homo hominem tueatur, diligat, foueat, contráque omnia pericula & accipiat & præſtet auxilium: per quæ innuit Lactantius miſericordiam eſſe iuſtitiæ officium, per quod homo hominem tueatur, diligat, foueat, contráque omnia pericula & accipiat & præſtet auxilium. Sed pace tanti viri dixerim, hæc quæ dicit de miſericordia, potiùs de humanitate vera ſunt, quæ eſt hominum vinculum, quod qui diſruperit, nefarius, & parricida exiſtimandus eſt. differt autem non parum miſericordia ab humanitate, vt in libro de optimo principe declarauimus.

Definitio Miſericordiæ aſſignata à Seneca, & à Cicerone, & illius confutatio.

ANNÆVS verò Seneca libro ſecundo de Clementia ad Neronem, ita diffinit, Miſericordia eſt ægritudo animi ob alienorum malorum ſpeciem, aut triſtitia ex alienis malis concepta, quæ accidere immerentibus credit. Cicero verò non valde procul ab hac definitione dicit miſericordiam eſſe ægritudinem ex alterius rebus aduerſis ſuſceptam, quæ tibi non nocent. & intellexerunt Cicero, & Seneca per ægritudinem, dolorem vel triſtitiam, quam aliquis ſumit propter alterius mala. Sed ſi hæc definitio ſit de miſericordia, quæ accipitur pro affectu, manca eſt, atque mutilata, non enim ex hac habemus quorum malorum ſit dolor miſericordia. cùm enim multiplicia ſint bona, ita & mala multiplicia ſunt, & cùm non explicetur quorum malorum miſericordia ſit dolor, non eſt perfecta definitio. Deinde cùm is, qui mala patitur, poſſit eſſe dignus iis malis, quæ patitur, & non dignus, per definitionem non habetur quo modo miſericordia ſit dolor, vtrum eius, qui dignè patitur. Poſtremò ex hac diffinitione non habetur cauſa propter quam dolet miſericors, quæ ex diffinitione haberi debet.

Digitized by Google

De multiplici miſericordiæ acceptione ſecundum Peripateticos, & de verâ miſericordiæ definitione.

SED vt miſericordiæ definitio perſpicua ſit, illud primò à nobis ſumendum eſt, miſericordiam non vno modo accipi, nam cùm omnis miſericordia dolorem de aliena miſeria importet, hic autem dolor ſignificare poſſit vna ratione motum appetitus ſenſitiui, quo in modo affectus eſt, & non virtus. de qua Ariſtoteles ſecundo Rhetoricorum libro diſſerit: alia ratione motus appetitus rationalis, per quem alicui diſplicet malum alterius. Hinc fit vt duplex ſit miſericordia, altera quæ attinet ad intellectum, altera quæ attinet ad appetitum ſenſitiuum. Quæ ad intellectum attinet, cùm fuerit ratione regulata, erit virtus: cùm verò fuerit præter rationem appetitum ſenſualem ſequens, eſt vitium. de hac virtute cùm loqueretur Ariſtoteles ſecundo & tertio Ethicorum, aſſignat extrema, & medium. Nam qui propter ſua vel aliorum malà nimis dolent, eos Ariſtoteles vocat molles atque effœminatos, qui verò nullo pacto mouentur, eos vocat duros, vel inſenſibiles: medios autem miſericordes. Miſericordes enim (licèt non ſic Ariſt. eos vocauerit) ſunt qui vt oportet, & quantum oportet, & tempore, & loco, quibus oportet, & reſpectu hominũ, quorum oportet, dolent. Quæ verò attinet ad appetitũ ſenſitiuum (licèt ſit affectus) multiplex eſt apud auctores. nam altera eſt compaſſio, vt iam dixerim ex memoria præteriti doloris proficiſcens, vel noſtri vel alterius cuiuſque, cum quadam ſuaui delectatione, nam poſtquam dolorem, laborem, vel periculum ſuperauimus, ſecura recordatio voluptatem affert, quod Maro pollicetur cùm inquit, Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit, & tritum eſt illud ex Euripide, Dulce eſt meminiſſe malorum. ſic igitur iucunda eſt miſericordia in præteritis aliorum caſibus, vt Epaminondas apud Mantineam demonſtrauit, qui tunc iuſſit auelli ſpiculum, poſtquam ei percunctanti dictum eſt clypeum eſſe ſaluum, vt etiam in vulneris dolore æquo animo cum laude moreretur. Altera eſt cui ἔλεος apud Græcos eſt nomen, quæ mæſtior, miſerabiliórque eſſe

Digitized by Google

videtur, & à mollicie olei nomen ducit: hæc affectus eſt, quæ minus redderet temperantem virum, & à principis grauitate longè aliena eſt. hanc quoque veteres, qui caſtigatiùs locuti ſunt, miſerationem appellarunt, licèt alterum pro altero auctores ſemper vſurpant. Tertia verò eſt, de qua Ariſtoteles ſecundo Rhetoricorum libro locutus eſt, quam Græci ἐλεημοσύνη appellant, & hanc Ariſtot. ſic diffinit quòd ſit dolor quidã ex apparenti malo corruptiuo, ac dolorem inferente, in eo qui non eſt dignus pati, quod ipſe putabit poſſe pati vel ſuorum aliquem, idque ſic, vt propinquum videatur. qua ratione Ariſtot. autumat tria eſſe de miſericordiæ ratione, ex parte quidem miſerantis, dolorem, ſeu compaſſionem, ex parte verò eius cuius miſeretur, indignitatem, debet enim indignus eſſe, vt id malum patiatur. ex parte denique mali quod patitur, qualitatem mali, nam malum quod patitur, corruptiuum eſſe oportet, ac dolorem inferens, & quidem tale, quod qui miſeretur putet vel ipſe ſe, vel ſuorum aliquem poſſe pati, & quidem propè. Miſerationem verò, vel commiſerationem arbitrantur auctores eſſe miſericordiæ ſignificationem, qua ex alicuius infelicitate mouetur, cùm ſcilicet vel aſpectu alicuius, vel oratione, vel etiam cogitatione adducimur, vt eius miſereamur. Liuius libro primo, Agmen migrantium impleuerat vias, & conſpectus aliorum mutua commiſeratione integrabat lachrymas. Differt autem hæc commiſeratio, ſiue miſeratio à miſericordia, quòd miſericordia viri fortis ſit, miſeratio autem molliotis: ſed quouis modo fuerit, (vt morales philoſophi tradunt) miſericordia quæ attinet ad appetitum ſenſitiuum, quoties motu rationis regulatur, non ſolùm laudatur, ſed virtus eſt: igitur miſericordia ſiue ad intellectum, ſiue ad appetitum ſenſualem attineat, poteſt eſſe virtus, & vitium: virtus quidem quo poteſt eſſe mediocritas, vitium verò quatenus poteſt eſſe extremum ſecundum exceſſum, vel defectum.

Digitized by Google

Dilutiones argumentorum Stoicorum.

EX iis quæ dicta ſunt facile eſt diluere argumenta Stoicorum. Primum enim diluitur, quoniam licèt dolor ſine rationis freno non cadat in ſapiente, dolor tamen rationis freno moderatus in ſapiente & poteſt cadere, & cadit. Diluitur quoque ſecundum, nam miſericordia (vt rationis freno regulatur) nec electionem impedit nec conſilium, & propterea quod Saluſtius dixerat de miſericordia intelligitur, quæ affectus eſt nullo rationis freno detentus. Tertium etiam diluitur, quòd ſit intellectualis virtus, quatenus eſt motus mentis freno rationis regulatus, & virtus moralis, quatenus eſt motus ſenſualis appetitus ratione ſuperioris partis optimè affectus. De contrario verò miſericordiæ dicendum. miſericordiæ quatenus eſt quædam forma, opponi inuidiam, & nemeſim, id eſt indignationem, aliter atque aliter: (vt Ariſtoteles ſecundo Rhetoricorum tradit) nam miſericordiæ quidem opponitur inuidia ratione habita ad obiectum, quippe cùm inuidus doleat ob proximi bonum, miſericors verò triſtetur ob mala quæ proximo contingunt, hac ratione (vt rectè Ariſtoteles aſſerit) nec inuidus eſt miſericors, nec contrà. ratione verò habita ad modum triſtandi, indignatio miſericordiæ aduerſatur, quoniam indignans triſtatur propter bona quæ aliquis indignè habet. miſericors autem propter mala quæ aliquis indignè patitur. Ecce quòd ex parte modi hæc contraria ſint. Ex his perſpicuum crudelitatem non miſericordiæ opponi, ſed clementiæ, quæ valde differt ab ipſa miſericordia. quo verò modo miſericordia virtus eſt quædam inter exceſſum atque defectum, & contraria vtrique extrēmo, patet.

De miſericordibus atque miſeratoribus, & de malis quæ miſericordiam efficiunt in nobis.

EX iis, quæ dicta ſunt, colligitur quis miſerator ſit: eſt itaque miſerator ſiue miſericors quicunque huiuſmo-

Digitized by Google

di eſt, vt putare poſſit, aut ſe, aut ſuorum aliquem malum quicquam eſſe habiturum, vel propè pati poſſe: malum dico quale definiendo diximus ſcilicet corporis corruptiuum, vel menti dolorificum, aut idem, aut illi ſimile: ſunt autem hæc (vt paucis abſoluam) quæcumque ex iis, quæ dolorem inferunt, corruptiua ſunt & quæcunque poſſunt interimere, ſimiliter ea omnia, quorum fortuna eſt cauſa, ſi magnitudinem habeant, vt ſunt mortes, verbera, corporis afflictiones, ſenectus, morbi, atque ciborum inopia. mala verò, quorum fortuna eſt domina, multa ſunt, primum quidem eſt nullos aut quàm pauciſſimos amicos habere. Gellius verò nullos habere inimicos miſerabile arbitratur eſſe. Deinde diuelli à ſociis atque ab amicis. Tertium turpem eſſe, imbecillem, & mancum atque mutilatum, deinde & ſi vnde oportebat bonum quippiam contigiſſe, inde malum acciderit. Poſtea ſi ſæpius id accidat. Inſuper ſi cùm iam paſſus eſt, bonum quoddam collatum eſt, vt quæ Dyophiti à rege miſſa ſunt, quæ ipſo iam mortuo delata ſunt. Ad hæc ſi nullum bonum contigerit, aut ſi contigerit, nulla fruitio fit. Poſſunt his addi furta, rapinæ, dehonorationes, & id genus. hæc enim ſunt, quæ miſericordiam afferunt.

De iis qui nullo pacto miſerentur.

POST hæc facilè poterimus exponere eos, qui nulla miſericordia commouentur, nam qui omnino perditi, ſpéque omni deſtituti ſunt, nullo pacto miſerentur, ſpe enim deſtituti, vltimáque iam paſſi nihil ampliùs ſe paſſuros arbitrantur. Deinde qui valde timent, non miſerentur, quia perterriti propria perturbatione mouentur, ac dolent. Præterea qui ira, vel fiducia, vel in fortitudinis affectu ſunt, non miſerentur. cauſa autem, quia non faciunt de futuro rationem, occupati enim iræ, vel fiduciæ, vel fortitudinis affectu futura non ſpectant, quare nec compatiuntur. Ad hæc qui in contumeliandi affectu verſantur, non miſerentur, nam hi quoque nihil ſe pati poſſe arbitrantur. Demum qui fœlices ſunt, aut ſe fœlices eſſe pu-

Digitized by Google

tant, non miſerentur, nam hi ſunt, qui bona omnia ſibi adeſſe opinantur, nihil mali profectò ſe pati poſſe exiſtimant qui bona omnia ſibi adeſſe opinantur, quare nec pati poſſe exiſtimabunt.

De hominibus miſerabilibus.

SVPEREST modò agere de hominibus miſerabilibus, miſerabiles enim dicuntur, qui miſeratione digni ſunt, id eſt per quos alij miſericordia commouentur. Sed qui miſerabiles ſint, exponamus. Sunt itaque miſerabiles primò noti, qui enim nobis non patent, non ſunt nobis miſerabiles. non enim miſeremur Æthiopum, vel antipodum, ſed ciuium, vel amicorum, qui nobis noti ſunt, modò tamen non ſint nobis propinqui, aut noſtri, quales ſunt filij vel parentes, vel tales id genus. nam erga hos ſic ſe habent homines quemadmodum etiam erga ſe ipſos, & propterea ad hos non compaſſio, ſed paſſio eſt, compatimur enim ex aliis mente quatenus alienam miſeriam apprehendimus, vt poſſibilem eſſe noſtram, & ſic condolendo miſeremur. Ex noſtris verò nobiſque coniunctis patimur re, quatenus caſus eſt in noſtris: ex illis enim patimur, quo ipſa mente imaginamur id nobis accidere poſſe. ex noſtris verò patimur quo caſus tangit nos, noſtróſque ipſos. Propterea Ameſis cùm ad mortem vidiſſet filium ſuum duci, dixit hoc terribilem dolorem in re afferre, cùm verò vidiſſet amicum, effudit id eſſe miſerabile, compaſſionémque inferens. Nec miſerabiles ſunt, cùm terribile fuerit propè, cùm enim fuerit procul vnuſquiſque putat ipſum euitare poſſe. Deinde ſimiles ſimilibus miſerabiles ſunt, vt qui vel ætate, vel moribus, vel habitu, vel dignitate, vel genere, ſimiles ſunt. quod enim his, ſibi quoque futurum maximè videtur, vt ſenex ſeni miſerabilis habetur, princeps principi, & propinquus ei qui ſui generis eſt. oportet igitur generatim ſumere ea mala, quæ in aliis fiunt, cùm timeant ſibi ipſis accidere poſſe, in miſerationem compelli, mente enim hæc ſibi, vel ſuis poſſe accidere cogitantes, compatiuntur, veluti qui ſunt in ſomniis. hæc autem maximè ad miſericordiam mouent, cùm præ

oculis

Digitized by Google

oculis fiunt, aut re, aut ſignis. re quidem cùm videlicet oculis cernuntur. Iccirco quæ mille annis antea fuerunt, vel futura ſunt, etiam ſi timeantur, vel memoriæ habeantur, aut omnino non miſerentur, aut non ſimiliter. Signis verò cùm fiant per ſigna præſentia, atque præ oculis, verbi cauſa, per motus corporis, per voces, veſtes, aliáque ſigna, modò verba actiones conſequantur. per hæc enim fit vt præ oculis malum videatur, ſiue ſit præteritum, ſiue futurum. veſte quidem quoniam veſtis ſignum eſt eorum, qui paſſi ſunt, vt in morte Cæſaris dictatoris factum eſt. voce verò ac verbis, vt quæ dixerunt, cùm iam morerentur, ac maximè ſi in magno animo in his temporibus fuerunt. Aliis autem ſignis, vt vulnera, & ligna, & flagella, & cætera, quibus paſſi ſunt. nam hæc omnia (quoniam propinquiora videntur, ac ante oculos calamitates ponunt, ſimúlque paſſionis indignos fuiſſe oſtendunt) ad miſericordiam mouent.

De cauſis quæ mouent nos ad miſericordiam.

SVPEREST modò, vt exponamus cauſas, quæ nos ad miſericordiam mouent: repetamus tamen primò, & dicamus miſericordiam eſſe alienæ miſeriæ in noſtro corde compaſſionem, qua vtique ſi poſſemus, ſubuenire compellimur. & quoniam miſeria, cuius eſt compaſſio fœlicitati opponitur, fit vt miſeria non inſit alicui niſi propter mala, veluti contrà fœlicitas ineſt propter bona. mala autem trifariam ſunt, aut quæ aduerſantur appetitui naturali, vt ea mala, quæ corrumpunt, & dolorem corporeum inferunt. hæc autem ideo aduerſantur appetitui naturali, quia tollunt ipſum eſſe, quod naturali appetitu omnes cupiunt. aut quæ aduerſantur electioni, veluti ſunt mala, quorum fortuna eſt cauſa, ceu cùm aliquod malum euenit, vnde ſperabatur bonum. hæc autem ideo contra electionē ſunt, quia horum contraria volumus atque eligimus. aut quæ vniuerſæ voluntati contraria ſunt, vt ſi aliquis ſemper ſectetur bona, & ſemper ei mala eueniant. hac ratione Ariſtoteles aſſerit ſecundo Rhetoricorum libro, maximè miſericordiam eſſe, quoties mala quis patietur indignè. Ergo cauſæ, quæ nos ad miſericor-

Digitized by Google

diam mouent, ſunt mala, aut quæ aduerſantur naturali appetitui, aut quæ aduerſantur electioni, aut quæ aduerſantur vniuerſæ voluntati: propter hæc enim dolemus, atque compatimur, in quantum imaginamur alienam miſeriam, quæ ſit propter mala, fieri poſſe noſtram. Quibus perſpicuum eſt ſemper rationem miſerendi eſſe defectum, aut quatenus defectum alterius reputamus noſtrum, propter amoris vnionem, aut quatenus poſſibile eſt nos eiuſmodi mala ſimiliter pati.

De operibus miſericordiæ.

EX his quæ diximus perſpicuum, opera miſericordiæ, quæ viri ſanctiſſimi ſeptem eſſe tradunt, conſona valde eis eſſe, quæ philoſophi de miſericordia ſcribunt. ſatis enim, vt mihi videtur, conuenire poſſunt, nam ſi miſericordia eſt compaſſio quædam eorum malorum, quæ indignè aliquis patitur, ad miſericordiam attinebit conſulere imperitis, corrigere delinquentes, conſolari triſtes, remittere iniurias, ferre eos qui moleſtiam inferunt, & pro inimicis Deum orare. hæc enim ſunt, quæ ab ipſa compaſſione proficiſcuntur erga eos, qui hæc ſpiritualia mala patiuntur, quæ multo maiora ſunt quàm corporalia.

Concluſio, & Conſolatio.

DEBES igitur noſtri miſereri, Hieronyme mi: primò quia homo, & miſericors es, qui putare potes te, aut tuorum aliquem hæc mala (quæ nos à militibus Hiſpanis patimur) pati poſſe, & eo quidem propè, quo mala noſtra præ oculis ſunt tibi. Deinde, quia mala quæ nobis inferunt, mortes ſunt, vulnera, verbera, afflictiones, morbi, rapinæ, ciborum atque alimentorum inopia. Inſuper, quia nos ab amicis, qui poſſent prodeſſe, diuellimur. Miſereri ergo noſtri debes, quia hæc quæ patimur, miſericordia ſumma digna ſunt. Poſtea miſereri noſtri tibi opus eſt, quoniam nos tibi noti ſumus: non enim Æthiopes, aut Antipodes, quorum ad te nulla notitia peruenit. Sum etiam tibi perſi-

Digitized by Google

milis, nam ego philoſophus, tu quoque: inſuper ego, & tu ſtudiis eiſdem ſemper delectati ſumus. Reſtat igitur tandem, vt te mi Hieronyme vnà mecum conſoler. non enim te conſolabor, quia (vt Stoici dicunt) in viro ſapienti non cadit dolor, nec miſericordia. declarauimus enim virum ſapientem miſereri, atque doleri oportere, cùm cauſæ doloris vrgent. nec quia tempus dolorem lenit, tu verò tempore maior es: nec propter exempla eorum virorum, qui magna cùm paſſi ſint, dolore tamen non nimio ſunt affecti. nec quia (cùm verſemur ſub fortuna) opus eſt ſub fortuna pati. nec quia tu maior es brutis animalibus, & bruta animalia non pluribus vno die triſtantur, ob filiorum mortem. Inſuper nec te conſolabor, quia (vt Seneca inquit) non eſt naturale luctibus frangi, nec quia magis fœminas quàm viros, magis barbaros quàm placidos eruditæque gentis homines, magis indoctos quàm doctos caſus vulnerat atque dilacerat. Te igitur vnà mecum conſolabor, quia ſumus homines & ratione fungentes. quia enim ſumus homines, ſcimus nos natos eſſe paſſibiles: qui autem paſſibiles naſcuntur, & nunquam patiuntur, fruſtrà huiuſmodi naſcuntur. Inſuper quia homines ſumus, ea conditione nati ſumus, vt patiamur, quæ hominis ſunt, mortes, vulnera, verbera, morbos, inopiam, cæteráque quæ in hominibus contingunt. Præterea quia homines ſumus, non quemadmodum dij ſuper cœlum, & fortunam verſamur, ſed omnibus quæ fortuna, ac fatum afferunt, ſubeſſe oportet. Quia verò ratione fungimur, ſcimus non eſſe nobis dolendum pluſquàm deceat ſapientem virum, nónque plus miſerendum, ſed quantum oportet, & ea ratione, vt decet: molles enim ac mulieres, barbari, atque indoctæ gentes plus dolent, atque miſerentur quàm oportet: duri verò, & qui ſenſu aut mente carent, nec miſerentur, nec dolent. ſapientes ergo quantum decet, dolent atque miſerentur, conuertúntque omnia aduerſa in ſuam virtutem, vt mare amnes, omnes riuóſque in ſuum ſaporem: aduerſarum enim rerum impetus viri fortis non vertit animum, ſed experitur. quippe cùm maneat ſemper eodem in ſtatu, & quicquid euenit, in ſuum colorem trahat: eſt enim omnibus externis potentior. Nec hoc dico,

Digitized by Google

quia non ſentit (vt Stoici putant) ſed quia illa vincit contra aduerſa attollitur ea putans exercitationes virtutis eſſe. marcet ſine aduerſario virtus. Apparet enim tunc quanta ſit, quantúmque valeat, polleátque, cùm quid poſſit patientia, oſtendit. Paternum Deus habet aduerſus ſapientes viros animum, & illos fortiùs amat, quos operibus, doloribus ac damnis exagitat. ſpectat Deus magnos viros cum aliqua calamitate colluctantes, & eo potiſſimum gaudet. Si enim nobis interdum voluptati eſt, vt adoleſcens conſtantis animi irruentem feram venabulo excipiat, Leonis incurſum interdum perferat, cur Deo voluptati non erit ſpectaculum gratius, quod cum fortuna facit ſapiens? Non video in terris quid habeat Deus pulchrius ſi conuertere animum velit, quàm vt ſpectet Catonem iam partibus non ſemel fractis, ſtantem nihilominus inter ruinas publicas rectum: aut Socratem, qui iam morti proximus erat, conſolari vxorem. Perſuadebo deinde tibi ne vnquam boni viri pluſquam deceat miſerearis, ſiquidem vir bonus licèt miſer dici poſſit, nunquam tamen miſer eſſe poteſt. nam (vt Demetrius dicebat) nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil vnquam aliquid euenit aduerſi. Experitur fortuna ignem in Mutio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, venenum in Socrate, quos nemo exiſtimabit infelices. Hæc pro communi conſolatione dicta ſufficiant, quæ ſi rudi ſermone ineptóque calamo ſcripta ſunt, tumultus militaris fecit. eſt enim tanta horum militum iniquitas, ac feritas, vt vix ſcribendi occaſionem dederit. Vale. Sueſſæ M. D. XXXIII. die v. Julij.

Digitized by Google

AVGVSTINI NIPHI SVESSANI

OPVSCVLORVM MORALIVM PARS SEXTA ET VLTIMA,

DE PVLCHRO ET AMORE.

Pompeius Cardinalis Columna S. R. E. Vicecancell. Auguſtino Nipho S. P. D.

OPVS tuum de Pulchro, & Amore, Niphe philoſophorum præclariſſime, dum omni accuratione perlegi, maxima me hercule lætitia affecit. Nobis enim nihil iucundius, poſteris nihil conducibilius, tibi verò nihil glorioſius accidere potuiſſe facilè exiſtimabam. His medius fidius rationibus argutiſſimis, ac perſpicuis argumentationibus diuinum, & humanum pulchrum ratiocinaris, & ad præclariſſimas demum Heroinas, Ioannámque Aragoniam refers, vt nulla prorſus ambiguitas relinquatur, quin in Diuis pulchrum, & in hominibus principem locum obtineat. Tametſi rariſſima ſint huiuſmodi in hominibus exem-

pla: non enim vulgo ſpecioſiſſima quæque exponit natura, noſtro tamen æuo parens officioſa, ac liberalis, veluti diuinitatis æmula, vt perfectum, admirandúmque aliquid, Diíſque immortalibus quàm ſimillimum gentibus proferret, Ioannam Aragoniam Columnam procreauit, atque ab incunabulis ad hanc vſque ætatem, in qua eſt florentiſſima, per omnes pulchritudinis, & venuſtatis numeros prouexit, vt facilè principem locum inter formoſiſſimas vindicarit. Animum præterea ſingularibus & dotibus & virtutibus inſigniuit corpúſque tam rara, támque eleganti, aut diuina potiùs compoſitione cum honeſtate coniunxit, vt in ea præter immortalitatem nihil deſiderari poſſe videatur: ea eſt frontis, oríſque ſerenitas, is candor, is oculorum ſplendor, ac rutilans iubar, ea denique totius corporis ſpecies grata, Venus, vt vel ipſi mortui inuitentur, alliciantúrque ad amorem, atque ad abſoluti pulchri ſpeculationem trahantur, tanta mox ſanctitate, morúmque ſuauitate, comitate, eloquentiáque cæteras antecellit, vt nata omnibus ad virtutem, honeſtatémque comparandam veluti ſpeculum, ſidúſque fulgentiſſimum meritò cenſeatur. Fateor igitur nos naturæ ob hoc potiſſimum munus plurimum debere: verumenimuerò tibi non minùs, Niphe ſapientiſſime, quando ea, quæ ab ipſa natura nobis caduca, atque inania conceſſa ſunt, tu ſempiterna & ferè diuina reddis, ac exhibes. O præclarum pulchritudinis interpretem! O inauditam, ac propè diuinam ſapientiam! nam quod olim nec magnis quidem philoſophis erat perueſtigatum, id nobis, poſteriſque

ita per te declaratum eſt, vt abſoluti, veriſque pulchri cognitione ne ruſtici quidem ignorent. Vocabat Socrates excellentem venuſtatem, nempe quia animum afficeret, parui temporis Tyrannidem, Plato naturæ priuilegium, Theophraſtus tacitam deceptionem, Theocritus eburneum detrimentum, Carneades regnum ſolicitum, diuinæ veræque pulchritudinis prorſus expertes. Quanto meliùs, atque elegantiùs tu, qui libidinibus, atque illuſionibus exploſis ac fugatis, diuinæ religionis, cuius dictis, & factis ſtudioſiſſimus vindex, ac defenſor acerrimus ſemper extitiſti, non fucatam illam, notham, atque inanem, ſed veram, ſed legitimam, ſed ſempiternam, & quam niſi ſolo virtutis tramite aſſequi non poſſumus, pulchritudinem exhibes, amplectendámque proponis. Perge igitur, tuiſque iſtis fulgentiſſimis armis truculentiſſimos veritatis hoſtes fuga, funde, atque è medio tolle. Vale.

ILLVSTRISSIMÆ

IOANNÆ ARAGONIÆ

TAGLIACOCII PRINCIPI,

AVGVSTINVS NIPHVS.

COGITANTI *mihi, Joanna Illuſtriſſima, quo munere ex officina mea te viſitare poſſem, liber in duos diſſectus, & in eum, qui de Pulchro, & in eum qui de Amore eſt, in mentem venit, quo te & honorare, & venerari admodum poſſe cenſui. Nam quanquam diuinus ille Plato de his accuratè ſcribit, eo tamen rem hanc aggreſſus ſum, quòd in libri principio, medio, ac fine tua pulchritudo ſemper præ manibus occurrerit: qua ſola inſpecta, atque ad amuſſim explicata, liber non modò pulcher, verumetiam admiratione dignus redditur. Et licèt vires meæ longè minores in ſcribendo ſint, quàm quæ pares laudes venuſtatis tuæ proſequantur, attamen quod ſtylus dicendo noſter non aſſequetur, tua palàm pulchritudo præſeferendo præſtabit, librúmque ita faciet illuſtrem, vt facilè ſperem ſupra omnes, qui circunferuntur, vſque ad ſydera aduolaturum. Vale.*

AVGV-

Digitized by Google

AVGVSTINI NIPHI SVESSANI

OPVSCVLORVM MORALIVM PARTIS SEXTÆ LIBER I.

DE PVLCHRO.

Quomodo Prothagoras è rerum ipſa natura Pulchrum ſuſtulerit.

Capvt Primvm.

QVONIAM, vt ſuperiùs propoſuimus, ſermo nobis de Pulchro, & Amore futurus eſt, neceſſarium erit primò diſputare, ſitne Pulchrum in rerum ipſa natura, an non ſit. hæc enim earum quæſtionum prima eſt, quæ in ſcientificis quæruntur. Prothagoras ſophiſta, qui Deos aut negauit, aut in dubium reuocauit, è medio ſuſtulit ipſum Pulchrum: quod Ariſtoteles vir ſummo ingenio præditus primo Ethicorum probauit, cùm inquit, Honeſta autem, & iuſta, de quibus ciuilis conſiderat, tantam varietatem & differentiam habent, vt lege tantùm eſſe videantur, & non natura. Vbi verbum honeſta Græcè χαλὰ dicuntur. Et Plato in Hippia primo, & Sympoſio, & Phædro per χαλὰ pulchra intelligit. Quare ſi pulchra varietatem, & diſcrepantiam habent vſque adeò, vt lege tantùm, & non natura eſſe videantur, fit vt pulchrum ſimpliciter non ſit in rerum ipſa natura, ſed vel ſolùm ratione habita ad ipſos amantes, vt id pulchrum di-

Digitized by Google

catur, quo amans frui deſiderat, id verò turpe, quo amans nequaquam frui diſcupiat. Præterea Ariſtoteles ſummus philoſophorum vbique pulchra ad cupiditates noſtras retulit. At cupiditates noſtræ nec omnes eædem ſunt, nec ad eandem rem referuntur. Quare nihil erit pulchrum, quod ad alium atque alium amantem non ſit modò pulchrum, modò turpe: ceu cibus, qui ſano quidem corpori dulcis, affecto verò amarus eſt.

Opinio Stoicorum de pulchro.

CAPVT II.

STOICI verò omnes pulchrum è rerum ipſa natura ſuſtulerunt præter ſapientiam, in qua ſolùm ineſſe pulchritudinem aſſeuerant: ſapientiam autem hanc Stoicam Plato, cuius in libris cùm multa in vtranque partem diſſerantur, nihil certi elicitur, ſummi boni fulgentiſſimum ſplendorem credidit eſſe, quem Plotinus blandam apparentiam definit. Arithmetici, qui eam numero ternario aſſimilarunt, primum impar eſſe autumant. Dionyſius Areopagita, qui non minus erat Platonicus, quàm Theologus, per Stoicam illam ſapientiam, animam mundi interpretatur. hæc quia prima cauſa eſt, particeps mundi pulchritudo eſt, qua vniuerſum ipſum pulchrum eſt. Socrates autem in fine libri de pulchro, per ſapientiam intellexit pulchritudinem animi, quæ morum eſt ipſa concinnitas, ad quam impetrandam Deos immortales eſſe orandos docet.

Quæ de puellà pulchra Lucianus.

CAPVT III.

LVCIANVS verò in eo dialogo, quem de libro ſcripſit, poſt multa, quæ de pulchro diſputauit, tandem concludit, puellam nullam eſſe, aut fuiſſe, quæ ſe pulchram eſſe non deſideret, ac colat. Sed quæ abſolutè, omníque ex parte pulchra ſit, nuſquam gentium inuentam eſſe, & ſi qua pul-

Digitized by Google

chritudinem aſſecuta fuerit, ſaltem eam, quam natura afferre, aut concedere poteſt, ab hominibus honoratam, à Diis verò adamatam fuiſſe. qua opinione Charidemus eſſe videtur, cùm affirmet imperfectum, ac mutilatum eſſe pulchrum, quod corporea natura cernitur. Nam (vt Tyrius Maximus ſcribit) Achilles, qui ab omnibus pulcher, ac formoſus exiſtimatus eſt, non fuit ſimpliciter, omníque ex parte pulcher. Sed propterea (vt inquit) pulcher dici poterat, quia cum forma virtutem coniunxerat. Rem verò hanc Zeuxis pictor demonſtrauit, qui cùm rogatu Crotoniatum Helenam effingere decreuiſſet, antequam eam depinxiſſet, multarum virginum Crotoniatum, & quidem pulcherrimarum partes perſpiciendo imitatus eſt, vt ex ſingulis vniuerſam Helenæ pulchritudinem colligeret: per quæ indicauit corpoream pulchritudinem in nulla puellarum omni ex parte perfectam eſſe. Lucianus etiam cùm ſtatuam omnium pulcherrimam effingere eniteretur, ſtatuas diuerſorum artificum excellentiores, atque pulchriores perpenſitauit, vt ex omnibus inſpectis vnam omnium pulcherrimam perficeret: quibus etiam demonſtrauit, nullam eſſe in natura corporea pulchritudinem, quæ omni ex parte eſſet abſoluta.

Pulchrum eſſe in rerum natura.

CAPVT IV.

QVOD autem pulchrum ipſum ſit in rerum natura, Socrates apud Platonem in Hippia maiore argumentatur: primò iuſtitia, iuſti ſunt quicunque iuſti ſunt: & ſapientia, Sapientes quicunque ſapientes ſunt: & bono ſimiliter, Bona omnia quæ bona ſunt. At iuſtitiam, ſapientiam, & bonum ſecundum ſe eſſe oportet. nam ſi ipſa non eſſent, alia per illa nunquam talia fierent. Quare cùm pulchra omnia ipſo pulchro ſint pulchra, fit vt ipſum pulchrum ſit, quo pulchra eſſe fateamur. Præterea ſi vera eſt topica illa regula, qua Ariſtoteles in libris de Cœlo vſus eſt, ſi alterum contrariorum eſt in rerum natura, alterum etiam eſſe opor-

Digitized by Google

tet: cùm turpe eſſe in rerum natura nemo ſit qui dubitet, ſit vt pulchrum, quod eſt turpi contrarium, etiam in rerum ipſa natura ſit habendum. Ad hæc amor eſt, ergo & pulchrum ſit oportet. Amorem eſſe amantes omnes confitentur: at cùm amor, vt definit Plato, nihil aliud ſit, quàm deſiderium fruendi pulchri, ſit vt etiam ipſum pulchrum ſit, quo frui amantes deſiderant.

Quòd ſimpliciter pulchrum ſit in rerum natura, ex illuſtr. Ioannæ pulchritudine hîc probatur.

CAPVT V.

QVOD autem omni ex parte, ac ſimpliciter in rerum ipſa natura pulchrum ſit, argumento nobis eſt illuſtriſſima Ioanna, quæ tum animo, tum corpore omni ex parte pulchra eſt. Animo quidem, eſt enim ea Heroines morum præſtantia, ac ſuauitas (quæ animi ipſa eſt quidem pulchritudo) vt non humano, ſed diuino ſemine nata eſſe cenſeatur. Corpore verò, quandoquidem forma, quæ corporis eſt pulchritudo, eſt tanta, vt nec Zeuxis, cùm Helenæ ſpeciem effingere decreuiſſet, apud Crotoniatas tot puellarum partes, vt vnam Helenæ effigiem deſcriberet perquiſiuiſſet, ſola illius inſpecta, ac perueſtigata excellentia. Nam mediocri ſtatura, erecta, ac gratioſa membris quadam admirabili ratione formatis ornatur: cuius habitudo nec pinguis, nec oſſea, ſed ſucculenta: colore non pallido, ſed ad rubrum, albúmque vergente: capillis oblongis, aureíſque: auribus paruis, ac rotundis ad os commenſuratis: ſemicircularibus ſuperciliis ſuffuſcis, quorum pili breues ſunt, nec denſitudine horrentes: cæſiis ocellis cunctis ſtellis lucidioribus, qui charites, atque hilaritatem omni ex parte perflant: ſubnigris palpebris, quarum pili non prolixi, ſed decenti ratione compoſiti ſunt. Naſo perpendiculariter à ſuperciliorum intercapedine ducto, mediocri magnitudine, atque æquali decorato. Vallecula, quæ inter naſum, & os eſt interpoſita, diuina quadam proportione formata eſt, ore ad paruitatem verſo, ſemper dulce quoddam ſubridente, baſiola turma-

Digitized by Google

tim aduolantia longè magis ad ſe trahente, quàm magnes ferrum aduocet, atque rapiat, cuius craſſiuſcula labella mellea ac corallina ſunt. Dentes quoque parui, perpoliti, eburnei, ac decenter contexti: anhelitu, qui ex eo exhalat, admirabilem odoris ſuauitatem redolente: voce, quæ non hominem, ſed Deam ſonat: mento conualle quadam admodum interſecto: maxillis niueo roſeóque colore affectis: facie vniuerſa, quæ ad rotunditatem tendens virilem vultum refert: recto, ac procero collo, albo, atque perpleno, inter humeros illuſtri quadam ratione collocato: pectore amplo, planóque, vbi os nullum cernitur, in quo mamillæ rotundæ decenti menſura correſpondentes ſuauiſſimo fragrantes odore perſicis pomis perſimiles redolent. Craſſiuſcula admodum manu, ſilueſtri parte niuea, domeſtica verò eburnea, quæ facie ipſa non eſt oblongior, cuius pleniuſculi digiti, rotundíque, non breues ſunt: vngues ſubincurui atque pertenues, colore perquàm ſuaui, thorace pyri euerſi formam ſubeunte, ſed preſſa, cuius videlicet conus ad ſectum tranſuerſum paruus, atque ſphæricus, baſis ad colli radicem longitudine ac planitie excellenti proportione formatis collocantur. Ventre ſub pectore decenti, & latere, cui ſecretiora correſpondeant: amplis, atque perrotundis coxendicibus, coxa ad tibiam, & tibia ad brachium ſeſquialtera proportione ſe habente: humeris diuina ratione ad cæteras corporis partes commenſuratis: pedibus modicis, digitorum admirabili compoſitione ſtructis: cuius ſymmetria, ac pulchritudo tanta eſt, vt non iniuria inter cœlicolas collocari digna ſit. Quòd ſi morum concinnitas, forma, atque gratia tanta eſt, non modò in rerum natura ſimpliciter pulchrum, verùm etiam nihil præter hominem pulchrum dicendum eſt. Igitur pulchrum eſſe in rerum natura ſupponendum eſt, deinde differendum quid ipſum pulchrum ſit, ac quale, in quóve ſit.

Virginem pulchram non eſſe ipſum pulchrum, aduerſus Hippiam.

CAPVT VI.

HIPPIAS itaque ipſum pulchrum virginem eſſe dixit, quæ conſenſu omnium pulchra eſt, argumento fortaſſe, quoniam hæc eſt, quæ mouet amantes, hæc inſuper cuius fruendæ amor deſiderium eſt. quam definitionem Socrates confutauit. Primò, quia oratio quippiam pulchrum eſt, quæ tamen virgine ipſa pulchra non eſt pulchra. Deinde pulchra equa eſt (quam in oraculo Deus ipſe laudauit) quæ tamen virgine pulchra non eſt pulchra. Inſuper lyra pulchra pulchrum quid eſt, olla pulchra vas pulchrum. Simia Heracliti pulchra, & cætera id genus, quæ tamen pulchra non ſunt virgine ipſa pulchra. Poſtremò virgo ſi cum feris comparetur, pulchra, ſi cum Diis, deformis cenſenda eſt. Quare non magis pulchra, quàm turpis eſſe videtur. Virgo itaque pulchra ipſum pulchrum non erit, quo cætera pulchra fiunt.

Aurum non eſſe ipſum pulchrum etiam aduerſus Hippiam, & Pindarum.

CAPVT VII.

DEINDE Hippias aliud quoddam ſimiliter è ſingulis pulchris non commune reſpondet, aurum videlicet dicens ipſum pulchrum, quo omnia pulchra fiunt. cui Pindarus aſtipulatur. quod eodem libro reſpuit Socrates: primò quoniam aurum quibuſcunque conuenit, pulchra illa efficit: alia verò quibus non conuenit, deformat. Ergo non ſimpliciter pulchrum facit, ſed cùm decet. Quocirca non ſui magis, quàm alterius ratione res ornat: deinde nec aurum ſolum eſt, quo cuncta ornantur, ſed argentum quoque, & ebur, cæteráque huiuſmodi.

Digitized by Google

Pulchrum ipſum non eſſe corpore bene valere, diuitem eſſe, ac honoratum, ſenem mori, ſepeliri à filiis, ſepeliſſe parentes.

CAPVT VIII.

TERTIO loco Hippias aliud quoddam infert, quod etiam proprium eſt potiùs, quàm commune: cùm dicit pulchrum eſſe corpore bene valere, diuitem eſſe, ac honoratum, ſenem mori, ſepeliri à filiis, ſepeliſſe parentes: ſic enim pulchrum idem erit, quod felicem, ac beatum eſſe. quod eo primò refellit Socrates, quoniam non res omnes præter hominem hoc ipſo pulchræ redduntur: deinde hoc inter homines fortè pulchrum, inter Deos autem, Deorúmque filios turpe eſt, vbi parentes non moriuntur, nec ſenium vllum eſt.

Decorum non eſſe pulchri definitionem.

CAPVT IX.

ALII verò propter hæc pulchrum definientes, decorum pulchrum eſſe tradunt. Quod etiam Socrates refellit: & primò quidem, quoniam decorum incorporeum eſt magis, pluribúſque commune. At definitio cum re, cuius eſt definitio, conuertitur. Deinde definitio genere conſtat, ac differentia. At decorum connexio non eſt ex genere, atque differentia. Poſtea decoro, aut quæ ſunt pulchra videntur ſolùm pulchra, aut videntur & ſunt: ſi videntur ſolùm, deceptio quædam circa pulchrum, potiùs quàm ipſum pulchrum decorum eſt. Hoc autem ideo falſum eſt, quoniam vera pulchritudo pulchra eſſe facit, quemadmodum vera magnitudo magna, etiam ſi non videantur. At ſi decoro pulchra videntur, & ſunt ipſum decorum, quoties eſſe dat, pulchra videri quoque pariter largietur. Quare quæcunque pulchra ſunt, vt ſunt, ita omnibus apparerent. Hoc autem falſum eſſe contentiones de rebus pulchris, atque controuerſiæ nobis oſtendunt.

Digitized by Google

Vtile non eſſe pulchri definitionem.

Capvt X.

SOcrates etiam vtile dicit definitionem pulchri, quod falſum eſſe eiſdem argumentis conſtat: primò quia vtile incorporeum quiddam eſt, multiſque commune: deinde definitio genere conſtat, ac differentia, quæ in ipſo vtili non habentur: poſtea vtile, & decens idem eſt, ſed decens non eſt pulchrum, quare nec vtile. Poſtremò vtile eſt, quod potentiam ad aliquid faciendum habet: ſed mala vt plurimùm facimus, quare vtile vt plurimùm malum infert. At pulchrum nunquam eſt mali cauſa. Non ergo pulchrum vtile ſimpliciter erit.

Pulchri definitionem non eſſe id quod ad bonum confert.

Capvt XI.

QVoniam id, ex quo malum manat, non eſt pulchrum: ideo (vt Socrates inquit) aliqui opinati ſunt, quod ad bonum confert, eſſe pulchri definitionem. Sed aduerſus hos Socrates ſic argumentatur. Quod ad bonum confert conducibile eſt, conducibile verò bonum efficit. Quare quod ad bonum confert, bonum efficit, aliud eſt ab eo quod efficitur. Quapropter aliud conducibile, aliud bonum. Conducibile, & pulchrum idem. Ergo pulchrum, & bonum aliud. Neque pulchrum igitur bonum, neque bonum pulchrum, quod prorſus abſurdum eſt.

Proculi ſententia de pulchro.

Capvt XII.

PRoculus verò inter Platonicos non contemnendus, in eo libro, quem de Amore, & Pulchro ſcripſit, tradit bonum, iuſtum, pulchrum idem eſſe: bonum enim vbi creat, vbi

pro cuiuſque merito perficit iuſtum, vbi autem allicit pulchrum. Quare pulchrum id eſſe concludit, cuius allicere proprium eſt. Hac ratione Deum ipſum centrum vnum omnium eſſe conſtituit, circa quod quatuor pulchri circ ulos reuoluit, mentem, animam, naturam, materiam: mentem quidem ſtabilem, animam per ſe mobilem, naturam mobilem in alio & non ab alio, materiam verò mobilem in alio & ab alio circulum ducens: eſt enim Deus circulorum pulchritudinis centrum, quia eſt ipſa pulchritudo, quæ ſibi, ac aliis eſt pulchritudo. Deus enim cùm ſit ipſa pulchritudo, quæ ſimpliciter pulchritudo eſt ſibi, vt punctum indiuiſibile eſt habendum. Quo verò menti, animæ, naturæ, atque materiæ pulchritudinem affert, vt centrum, è quo mens, anima, natura, atque materia procedentes in idem redire nituntur, ſéque vndique pro virili in illud circunferunt: quare & circulorum rationem ſubeunt.

De pulchritudinibus rerum pulchrarum ſecundum Iamblicum.

CAPVT XIII.

IAMBLICVS verò in Platonica familia illuſtris, pulchritudinem aſſerit eſſe actum boni: bonum enim ipſam ſupereminentem Dei exiſtentiam conſtituit, pulchritudinem verò actum, ſiue radium, qui inde prouenien per omnia diſcurrit, primò quidem in angelicam mentem, deinde in animam totius, cæteróſque animos, poſtea in naturam, poſtremò in corporum materiam. quo verò modo radius res huiuſmodi penetrando eas pulchras reddat, Iamblicus exponit. dicit enim angelicam mentem idearum ordine decorare, animam, animóſque rationum ſerie complere, naturam ſeminibus fulcire, materiam denique formis exornare. Vnde quemadmodum ſolis radius vnus corpora quatuor, ignem, aërem, aquam, terrámque illuſtrat: ſic vnus Dei radius mentem, animam, naturam, materiámque illuminat: & quemadmodum in his quatuor elementis, quicunque lumen inſpicit, ſolis ipſius aſpicit radium,

ee

per quem ad ſupernam ſolis lucem intuendam conuertitur, ita quiſquis decorum in quatuor iſtis mente, anima, natura, materiáque contemplatur, Dei fulgorem, Deúmque ipſum intuetur. Hinc dixerunt pulchritudinem nihil aliud eſſe, quàm ſplendorem diuini vultus: hic enim cùm penetrat in angelos exemplaria atque ideas, in animos rationes atque notiones, in orbium materiam imagines, in naturam ſemina, in corporeorum corruptibilium ſubiectum formas deſignat, quibus ea omnia pulchra reddit. penetrat autem radius huiuſmodi obſcurè quidem in rerum corruptibilium ſubiectum, minus obſcurè in naturam, clarè verò in orbium materiam, clariùs in animos, in angelorum denique mentes clariſſimè.

Quæ Platonici de aliis pulchritudinibus, & de multiplici pulchri opinione.

Capvt XIV.

Nec ſolùm has, quas diximus pulchritudines dicunt Platonici, ſed etiam morum concinnitatem, corporis formam, & vocum conſonantiam pulchritudines eſſe aſſerunt: nec has duntaxat, quæ ad res animatas attinent, ſed vel plurimas alias rerum inanimatarum claritudines pulchritudines eſſe contendunt, in ædificiis, in ſtatuis, in montibus, in planis, in carminibus, in orationibus, & in cæteris id genus, hæc enim aliquando turpia, aliquando pulchra inueniuntur. Grata enim pulchra, non grata verò turpia eſſe aſſerunt. Præterea quæ horum animam ad ſui fruitionem rapiunt, pulchra habentur: quæ verò non rapiunt, turpia. Nec deſunt aliæ de ipſo pulchro rationes: nam Socrates pulchrum excellentem animi venuſtatem, atque animi tyrannidem, Platò aliquando naturæ priuilegium, Theophraſtus tacitam deceptionem, Theocritus eburneum detrimentum, Carneades regnum ſollicitum, & alij aliter ipſum pulchrum eſſe tradiderunt.

Digitized by Google

Rationem pulchritudinis non eſſe corpus ſecundum Platonicos.

Capvt XV.

SI igitur morum concinnitas, figura, & vox, pulchritudines ſint, erit protritum ipſam pulchritudinis rationem corpus eſſe non poſſe. nam ſi animi virtus pulchritudo eſt, cùm hæc incorporea ſint, pulchritudinis ratio non erit corpus. Præterea quamuis corpora quædam ſpecioſa dicamus, non tamen ſunt ex ipſa ſui natura ſpecioſa: ſiquidem corpus hominis vnum, atque idem hodie formoſum, cras autem caſu aliquo fœdans deforme cernitur, quaſi aliud ſit eſſe corpus, aliud eſſe formoſum.

Rationem pulchritudinis non eſſe quantitatem ſecundum Platonicos.

Capvt XVI.

NEc pulchritudinis ratio eſt quantitas, quandoquidem grandia nonnulla, atque item breuia, quædam formoſa videntur, ac ſæpe magna deformia, parua formoſa, & contrà parua turpia, magna gratiſſima: nonnunquam etiam accidit, vt ſimilis ſit in magnis quibuſdam, & paruis corporibus pulchritudo. Si itaque ſtante ſæpenumero eadem quantitate caſu quodam pulchritudo mutatur, & mutata aliquando quantitate permanet pulchritudo, ac ſimilis in magnis, paruíſque videtur, certè duo hæc, pulchritudo, & quantitas omnino debent eſſe diuerſa.

Digitized by Google

Pulchritudinem non eſſe ſpeciem incorpoream, quæ à re, quæ placet, multiplicatur in anima amantis.

Capvt XVII.

FICINVS vir doctiſſimus, non diſcernens inter id, quo (vt ita loquar) & id quod, ſpeciem rei quæ à re proficiſcitur ad ipſam animam, aſſerit eſſe pulchritudinem. Quod quidem falſum eſt, quoniam pulchritudo non eſſet realis (vt philoſophorum verbis vtar) ſed intentionalis. At intentionale ſimulacrum non placet, ſed eſt, quo placet animæ id, cuius eſt ſimulachrum. Præterea ſpecies rei pulchræ repræſentat animæ aliquid, aut pulchritudinem, & ita circa ſpeciem pulchri intentionalem eſt in re pulchra pulchritudo ipſa realis, & hanc quærunt viri doctiſſimi: aut repræſentat turpitudinem, quod nequaquam eſt dicendum: non enim imago ei reſponderet, cuius eſt imago.

Quomodo pulchritudo ſit corporea, quomodóve ſit incorporea.

Capvt XVIII.

SED quoniam Plato pulchritudinem in corpoream, ac ſpiritualem eſſe autumat, ideo quónam modo corporea, quóve incorporea, ac ſpiritalis ſit, exponamus. Supponit enim ipſe pulchritudinem, aut gratiam eſſe omnino, aut non ſine gratia, qua res pulchra amantibus grata eſt. At gratia in corpore pulchro partem non habet, in qua certa, ac conſtituta ratione ſit, ita vt in nulla alia corporis parte habeatur: tenet enim gratia in aliquibus puellis vocem, atque dicendi ſuauitatem, in aliquibus oculos, in aliis os, manus, inceſſum, maxillam, & ne ſingula perſequar, nullam habet corporis partem definitam, ſed eam, qua animum amantis rapit ad ſui fruitionem. Verùm quoniam amantis anima interdum à manu, nonnunquam ab oculis, aliquando ab ore rapitur, fit vt gratia nulla in corporis parte ſit, ſed vel in ſingulis, quo ſingulæ amantum animas rapere poſſunt

Digitized by Google

aliquando. In Leſbia gratia fuit in ocellis, ocellis enim cepit Catullum. Simili ratione in Laura, nam Laura ſuis oculis animum mouit Petrarchæ. In Fuluia verò, quæ tua aulica eſt, Ioanna illuſtris, gratia fuit tum in oculis, tum in dicendi ſuauitate. his enim, vt ingenuè fatear, me & cepit, & mihi me rapuit. Cùm igitur gratia circa initia motus nullum conſtitutum corporis membrum habeat, fit vt rectè Plato eam incorpoream, ac ſpiritalem eſſe arbitretur, quòd nec corpus, nec aliquam corporis partem, niſi pro affectu amantis teneat. Eſt verò corporea, quoniam poſt animi raptum vniuerſum corpus gratioſum, ac gratum redditur amanti. Quare fit, vt gratia vniuerſum amatæ corpus occupet. Quod autem vniuerſum corpus occupat, corporeum eſt, atque corpori ipſi coëxtenſum. Itaque poſt animi raptum gratia, quæ pulchritudo eſt, corporea eſt cenſenda: fuit enim gratia circa motus initia in Fuluia incorporea, quoniam non totum corpus occupabat. Poſtquam verò me cepit, ac rapuit, corporea facta eſt, ac vniuerſo corpori coëxtenſa, quoniam mihi totum corpus gratioſum atque gratum redditum eſt, nihilque in eo eſt quin mihi iucundum ſit. In te autem ſola, Ioanna illuſtris, gratia, ac pulchritudo corporea ſimul, atque incorporea eſt: incorporea quidem, quoniam nulla in parte determinata eſt, quin in alia eſſe poſſit, quippe cùm ſingulæ amantum animas & rapere, & capere poſſint: corporea verò, cùm diuinum corpus tuum gratum, atque pergratioſum ſit omnibus, nihilque in eo non laudabile perſpiciatur.

Pulchritudinem non eſſe certam membrorum proportionem, atque commenſum cum quadam colorum ſuauitate, ſecundum Platonicos.

Capvt XIX.

Svnt autem nonnulli, qui certam membrorum omnium portionem, ſiue (vt eorum verbis vtar) commenſurationem, & proportionem cum quadam colorum ſuauitate, eſſe pulchritudinem opinentur. quorum opinionem propter-

ea non admittunt Platonici, quia cùm huiuſmodi partium diſpoſitio in ſolis ſit rebus compoſitis, nulla eſſent ſimplicia pulchra: nunc autem puros colores, lumina, vocem vnam, fulgorem auri, & argenti candorem, ſcientiam, animam, quæ omnia ſimplicia ſunt, pulchra vocamus: nóſque iſta mirificè, tanquam re vera ſint pulchra, delectant. Præterea proportio illa cuncta includit corporis propoſiti membra: neque eſt in ſingulis, ſed in cunctis. Singula itaque membra per ſe pulchra non erunt: ex ſingulis autem particulis totius compoſiti proportio naſcitur: vnde nonnihil ſequitur abſurdi, vt quæ ſuapte natura pulchra non ſunt, pulchritudinem pariant. Sæpenumero etiam accidit, vt manente eadem membrorum proportione, atque menſura, corpus æquè vt anteà non placeat. Eadem porrò hodie, quæ anno ſuperiore corporis figura eſt, atque membrorum commenſuratio: pulchritudo verò non eadem, cùm non eodem modo animam rapiat ad ſui fruitionem: nihil tardiùs quàm figura, nihil citiùs ſeneſcit quàm pulchritudo: ex quo liquidò conſtat, non idem eſſe pulchritudinem, & figuram. Sæpe quoque videmus rectiorem in vna quadam puella, quàm in alia diſpoſitionem partium menſurámque membrorum. Alia tamen neſcimus: qua de cauſa nobis formoſior iudicata amatur ardentiùs. quo ſatis admoneri videmur, vt aliud quiddam formoſitatem, quàm diſpoſitionem partium cenſeamus. eadem nos ratio admonet, ne formam ſuſpicemur eſſe colorum ſuauitatem: plerunque enim color in ſeniore clarior, in iuniore gratioſior eſt: & in æqualibus fit nonnunquam, vt quæ colore ſuperat alteram, pulchritudine tamen ab illa ſuperetur. Simili ratione mixtionem ex figura, coloribúſque pulchritudinem eſſe negant: ſic enim neque ſcientiæ, neque voces, quæ colore, & figura carent, neque colores, & lumina, quæ certam nullam figuram habent, pulchra eſſent.

Digitized by Google

Quæ ſit pulchri definitio, ſecundum Platonem, & Socratem.

CAPVT XX.

HIS diſputatis, quæ circa ſingula corporea per ſenſum & opinionem Hippias adducebat, pulchritudinem Plato eſſe inquit gratiam quandam, quæ animam per mentem, viſum, & auditum mouet, hoc eſt allicit, & rapit ad ſui fruitionem. Quæ definitio partim ex Hippia maiore, partim ex Phædro, & Sympoſio colligitur. Qua ratione Socrates rectè dixit, pulchritudinem eſſe gratiam quandam, qua res ipſæ ſiue animatæ, ſiue inanimatæ, ſimplices, ſiue compoſitæ, per mentem, viſum, & auditum, animæ placent, aut gratæ ſunt. Quòd autem pulchritudo gratia ſit, quæ animam mouet, hoc eſt allicit, & rapit ad ſui fruitionem, nullo alio argumento Socrates probauit, niſi ſola obſeruatione: quia amantium animas videmus moueri, allici, atque rapi, à gratia rei amatæ. Quod profectò non eſſet, niſi gratia eſſet pulchritudo, quæ animum mouet, allicit, atque rapit ad ſui fruitionem. Non ab ratione itaque Menander Platonicus aſſeruit pulchritudinem corporis eſſe gratiam quandam, quæ influxu ſuæ ideæ in ipſo refulget. hæc enim eſt, quæ amantium animas mouet, allicit, atque rapit ad ſui fruitionem.

Per quæ pulchritudo, quæ gratia eſt, animam rapiat ad ſui fruitionem ſecundum Platonicos.

CAPVT XXI.

SED quoniam non poteſt pulchritudo rapere animam ad ſui fruitionem, niſi perueniat ad eam, nec peruenire poteſt ad eam, niſi per aliqua deferatur: ideo quæ illa ſint, quibus pulchritudo gratiáque ipſa ad animam deferatur, Socrates exponit. ſunt enim in raptu huiuſmodi duo motus. alter & primus in cognoſcendo, & hoc motu res

ipſæ pulchræ deferuntur ad animam. alter verò, & ſecundus in amando, & hoc motu anima mouetur ad res pulchras. non poteſt autem motus hic ſecundus eſſe, niſi primus præceſſerit: non enim poſſumus incognita amare. Socrates itaque probauit primò gratiam, quæ pulchritudo eſt, mouere animam non ſolis ſenſibus, quoniam menti non conueniret: at conſtat pulchrum animam mouere, ac allicere etiam per mentem. Ad hæc nec per ſolam mentem, quia tunc per oculos, atque aures gratia ad animam non deferretur, & ſi per mentem, atque ſenſus, non per ſenſus omnes: non enim per tangendi, atque guſtandi, olfaciendíque facultates pulchritudo, gratiáque ipſa defertur ad animam: per hos enim anima pulchritudinem non cognoſcit. Quare per hos pulchritudo nequaquam ad animam peruenire videtur: & ſi per viſum, & auditum, non ſemper per hos ſimul. Sed interdum pulchritudo fertur per viſum ſolum, vt quæ cœli pulchritudo eſt: interdum per auditum ſolum, vt quæ vocum gratia eſt: aliquando per vtrumque, vt quæ puellæ forma: nonnunquam verò per mentem, viſum, & auditum, his enim tribus aliquando puellæ gratia vehitur ad animas amantium: nam puellæ gratia, quæ in vocibus eſt, per auditum, quæ verò in forma, per viſum, quæ denique in morum concinnitate, per mentem ad animas deferuntur. Quare concludit Socrates gratiam, quæ pulchritudo eſt, tribus animæ viribus vehi, à tribúſque obiectis oriri. Vires quibus vehitur ſunt viſus, auditus, atque mens: obiecta autem, è quibus oritur, ſunt viſile, auditile, & intellectile: huius rei cauſam adducit ex eo, quia voluptates harum trium virium pulchræ ſunt, pulchræ verò, quia cæterarum optimæ, optimæ verò, quia innoxiæ, faciles, ſpiritales, lucentes, atque maximè vitales. Quia igitur viſile, auditile, & intellectile longè magis, quàm cæterarum potentiarum animæ obiecta voluptifica ſunt, fit vt gratia quæ pulchritudo eſt, ſolùm per viſum, auditum, ac mentem animam moueat, ac rapiat, ſolúmque in harum trium virium obiectis pulchrum ſit. Hæc Socrates. Ex quibus conſtat animam rapi ad fruitionem pulchri, non ad eam, quæ fit per omnes ſenſus: cùm enim pulchritudo per omnes ſenſus

non

Digitized by Google

non vehatur ad animam, animam rapere non poterit ad eam fruitionem, quæ fit per omnes, ſed ſolùm ad eam, quæ fit per tot per quot ad animam delata eſt gratia ipſa. Vnde ſi per ſolum viſum pulchritudo delata eſt, ſolùm ad eam fruitionem rapiet, quæ viſu perficitur: ſi verò per ſolum auditum, etiam ſimili ratione ad eam fruitionem rapietur, quæ ſolo auditu adimpletur: ſicque eadem ratione in cæteris dicendum. Sunt igitur tres motus. Primus eſt inuectio, qua pulchri ſpecies defertur ad animam. Deinde eſt raptus, quo anima poſt pulchri cognitionem rapitur ad fruitionem eius. Poſtremò eſt fruitio, quæ niſi per omnes eos ſenſus fiat, per quos pulchri ſpecies vecta eſt, non erit perfecta.

De triplici Amore, triplicique raptu, ſecundum Platonicos.

CAPVT XXII.

HINC triplex (vt Platonici aſſerunt) ſubrepit Amor: aut enim ad contemplatiuam, aut actiuam, aut voluptariam vitam prompti, & procliues geniti educatiuè ſumus. Si ad contemplatiuam, ſtatim à formæ corporalis aſpectu ad ſpiritalis, atque diuinæ conſiderationem erigimur. Si ad voluptariam, ſubitò à viſu ad tangendi concupiſcentiam deſcendimus. Sin autem ad actiuam, atque moralem, in ſola illa videndi, atque conuerſandi oblectatione perſeueramus. Illi tam ingenioſi ſunt, vt altiſſimè prouehantur: iſti tam hebetes, vt ad infima deprimantur: hi denique tanquam medij in media regione. Amor itaque omnis incipit ab aſpectu. Sed contemplatiui hominis amor ab aſpectu aſcendit in mentem. Voluptarij ab aſpectu deſcendit in tactum. Actiui verò atque moralis remanet in aſpectu. Tribus his amoribus tria nomina tribuerunt: nam contemplatiui hominis amor, diuinus, actiui humanus, voluptarij ferinus cognominatur. Triplex etiam pulchrum, intellectuale, animale, & corporeum. Pulchrum intellectuale per mentem animam rapit ad ſui fruitionem ſolam, animale autem per viſum ſolum, vel auditum tantùm,

Digitized by Google

vel vtrumque, corporeum per omnes ſenſus, quibus pulchritudo ipſa deferri ad animam poteſt. Triplex igitur raptus. Nam raptus, quo anima rapitur per mentem ſolam à pulchro intellectuali, diuinus eſt. Quo verò rapitur à pulchro per viſum, vel auditum, vel vtrunque, eſt humanus. At raptus, quo anima rapitur à pulchro per omnes ſenſus, potiſſimum per tactum, ferinus eſt. Hæc de Platonicorum decretis.

De origine gratiæ, quæ pulchritudo eſt ſecundum Socratem.

CAPVT XXIII.

QVONIAM verò gratia, quæ pulchritudo eſt, non in omni pulchro æqualis eſt, nec in omni amante eadem, de origine gratiæ diſſerendum, ſecundum Platonicos. Socrates itaque pro conſtanti ſumit in rebus ipſis ſummi boni ſplendorem diffuſum eſſe, in his tamen potiſſimum, quæ oculis, auribus, mentéque percipiuntur: per hæc enim ad ipſum bonum viſum, auditum, atque mentem conuertit, vt ſit ipſa pulchritudo veluti circulus quidam diuinæ lucis à bono manans, in bono reſidens, per bonum, & ad bonum, ſempiternè refluens. Si igitur quæris, quid ipſum bonum: reſpondet Socrates, ipſum vnum rerum omnium principium. Si quæris rurſum, quid actus purus: reſpondet eſſe actum, qui cuncta ſequentia viuificat. Si deinde quæris, quid ipſum pulchrum: reſpondet eſſe viuificum actum, qui è primo bonorum fonte effluit. Si poſtremò quæris, quo ordine cuncta decorat, ac pulchra reddit: reſpondet, eum primò mentem angelicam decorare idearum ordine: deinde animos rationum ſerie, numeroſiſque diſcurſibus: poſtea naturas ſeminibus: poſtremò materiam formis. A qua ſententia non abhorret Ariſtoteles de Cœlo libro primo. Sempiternitas, inquit, eſt à ſemper eſſe ſumens denominationem, immortalis ſanè, atque diuina, vnde & aliis eſſe, & viuere communicatum eſt, his clarius, his verò obſcurius: nec eſſe huiuſmodi vna ratione in omnibus eſt: nam vt eſt actus omnium omnia robo-

rans, bonum eſt: vt viuificat, lenit, mulcet, ac excitat, pulchrum: vt in cognoſcente potentia eam applicat, cognitio: verùm præterea vt bonum eſt, procreat, regit, & complet: vt pulchrum autem, illuminat, gratiámque infundit. Quibus exploratis, patet gratiam originem habere ab eo ſiue ſplendore, ſiue eſſe, quod à diuina ipſa natura rebus non omnibus eodem modo communicatur: vel dilucidiùs dici poteſt, gratiam ex parte rerum, quæ animam mouent, & alliciunt, eſſe ſplendorem ipſum non eadem ratione à diuina natura rebus pulchris diffuſum.

De præparatione, qua præparantur omnia ad gratiam diuinúmque fulgorem excipiendum.

CAPVT XXIV.

SED cùm gratia, vel fulgor huiuſmodi in materiam non priùs, quàm aptiſſimè ſit præparata, deſcendat: non enim fulgor hic eodem modo rebus communicatus eſt: ideo pro ſuſcipienda gratia, atque fulgore, oportet, vt res non eodem modo præparentur: nam corporum præparatio tribus conſtat, ordine, modo, ſpecie: ordo partium interualla, modus quantitatem, ſpecies lineamenta, coloréſque ſignificat. Ad pulchritudinem præterea ſuam accipiendam voces fermè ſimiliter diſponuntur: ordo namque earum eſt à graui voce ad acutam aſcenſus, atque inde deſcenſus: modus, debita per tertias, quartas, quintas, & ſextas voces, tonos item, & ſemitonos progreſſio: ſpecies canora, claræ vocis intenſio. His etiam tribus, ceu quibuſdam elementis corpora ex multis compoſita & arbores, & animalia ad ſuſcipiendam pulchritudinem diſponuntur. Simili ratione elementa quatuor, lapides, atque metalla his tribus ad ſuſcipiendam pulchritudinem aptantur. Simili profectò pacto, & officia, & diſciplinæ: animus verò eo potiſſimum ad illam eſt natura ſua commodatus, quòd & ſpiritalis ſit, & quaſi ſpeculum Deo proximum, in quo (vt ſuperiùs diximus) diuini vultus elucet imago. Igitur quemadmodum auro, vt appareat ſpecioſum, nihil prorſus addendum, ſed

Digitized by Google

terræ ſordes, ſi quæ inhæſerint, ſecernendæ, ita nullis adiunctionibus indiget animus, vt formoſus appareat, ſed deponenda corporis cura, & ſolicitudo tam anxia cupiditatis, & timoris perturbatio depellenda: confeſtim enim naturalis animi ſpecies emicabit, mens verò per æternum in ipſum bonum, intuitum. Cæterùm ne longiùs digrediatur oratio, ex ſuperioribus breuiter concludamus, ſecundum Platonicos (vt multis verbis deduxit Socrates) pulchritudinem eſſe gratiam quandam viuacem, & ſpiritalem, Dei radio illuſtrante, angelo primo infuſam, inde animis hominum, poſtremò corporum figuris, & vocibus cæteriſque rebus, quæ pulchræ cenſentur, quæque per rationem, viſum, auditum animos noſtros mouent, atque delectant: delectando autem rapiunt, rapiendo verò ardenti amore inflammant. Hæc ex Socrate, cæteriſque Platonicis.

Qualia ſint hæc, quæ de pulchro Platonici dixerunt.

Capvt XXV.

ET licèt quæ de pulchro Platonici tradunt, ſatis ornatè atque compoſitè dixerint, multa tamen eorum potiùs Rhetorica, quàm vera videntur. Primum enim falſum eſt, cùm dixerunt eſſe res pulchras, quæ nec ſunt corpora, nec in corporibus virtutes, vel accidentia diuinæ ſubſtantiæ, quales ſunt Deus, Angelus, & Animus, quæ ſunt prorſus à corporibus abiunctæ. Quónam modo pulchræ, aut turpes eſſe poterunt, ſi non rapiant animos noſtros ad amorem? Quòd autem animos noſtros ad amorem non rapiant, eo perſpicuum, quia amor affectus eſt, vt Ariſtoteles ſcribit libro Rhetoricorum ſecundo, appetitus ſenſitiui: cuius duæ ſunt partes, iraſcibilis videlicet, & concupiſcibilis: ea autem, quæ animos noſtros rapiunt ad amorem, qui eſt affectus appetitus ſenſitiui, oportet vt ſint ſenſibilia: non enim vt ſuperiùs diximus, rapere poſſunt appetitum ſenſitiuum, niſi ſenſus ipſos priùs pulſauerint. Quare quæ prorſus inſenſibilia ſunt, animos noſtros ad amorem rapere non poterunt, non igitur erunt pulchra. Tales profectò ſunt diui-

næ illæ ſubſtantiæ, non enim ſenſibus ſubiacent. Quòd ſi ſenſibus noſtris non ſubiaceant, eas pulchras Peripatetici nequaquam dicent. Si verò Platonici velint eas animos noſtros rapere ad amorem, non ad eum qui eſt affectus ſenſitiui, ſed intellectiui appetitus, qui dicitur voluntas, concedent Peripatetici. Verùm, vt amor æquiuocè dicitur de amore, qui eſt affectus appetitus ſenſitiui, & de amore, qui eſt affectus appetitus intellectiui: ita quoque pulchrum æquiuocè dicetur de ſenſibus, & inſenſibilibus pulchris, ita vt quemadmodum amor eſt propriè is, qui eſt affectus ſenſitiui appetitus, qui verò intellectiui, metaphoricè: ita pulchrum propriè erit, quod ſenſibus ſubiacet, quod verò eſt inſenſibile, metaphoricè. Præterea nihil vniuocum commune eſt rebus omnibus, vt Platonici, & Peripatetici tradiderunt. Non ergo poteſt pulchrum eadem ratione, ac vniuoca omnibus rebus ineſſe. Erunt igitur quædam pulchra propriè, quædam (vt ita dixerim) per metaphoram: pulchra propriè, non niſi ea, quæ animos noſtros ad amorem rapiunt, qui eſt appetitus ſenſitiui affectus: per metaphoram autem omnia, quæ animos noſtros mouent ad amorem, qui eſt intellectiui appetitus affectio. Eſt enim hic amor (vt ita loquar) metaphoricus, ille verò proprius. Quare res omnino à materia, corporeáque natura abiunctæ propria ratione pulchræ eſſe non poterunt: ad amorem enim proprium nequaquam rapiunt, nec alliciunt. Deinde inſufficienter Socrates præparationes tradidit: non enim ſolùm corpus diuinum ſplendorem ſuſcipit, quo pulchrum reddatur, ſed eius animus: oportet ergo ſaltem duas eſſe præparationes: alteram animi, qua animus diuinum ſplendorem ſuſcipit: alteram autem corporis: præparationem animi non videtur perfectè expoſuiſſe. Poſtremò ex his, quæ Socrates affert, non eſt exploratum, quæ ſit ad gratiam præparatio ex parte amantium: poteſt enim idem pulchrum eadem præparatione affectum non omnibus amantibus eodem modo gratum eſſe. Quare oportet in nobis quandam præparationem inuenire, qua diſponimur ad amandum magis hanc puellam, quàm illam. Socrates autem non explanauit. Eſt etiam non parua quæſtio, vtrum per ſolos vi-

Digitized by Google

ſum & auditum, pulchra rapiant animos noſtros ad ſui amorem. Pulchritudo enim, quæ gratia eſt, non ſolùm in viſilibus auditilibúſque videtur ineſſe, verùm etiam in olfactilibus, tactilibus atque guſtatilibus: ſunt enim olfactilia, tactilia, atque guſtatilia nonnulla nobis gratiora, quædam verò minus grata. Quod eſſe non poſſet, niſi aliquid pulchri in ipſis conciperetur, quo iucundiora redduntur. Quod autem ita ſit, ipſa cuiuſque cupiditas indicat, quæ expletur nunquam, niſi eam rem adepta, quam adipiſci enitebatur: nempe fames, atque ſitis cibo, potúque ſedantur: amor autem nullo vnquam corporis aſpectu impletur, niſi amplexus tactilis interueniat. Quare pulchrum non ſolis viſu, & auditu animos noſtros mouebit, ſed iis omnibus ſenſibus, quibus pulchri ſpecies trahi poteſt ad animos.

Quòd nulla res ſimplex ſit pulchra.

Capvt XXVI.

QVoniam, vt Homerus inquit, quoties plures res diuerſæ, atque difformes, ac diſſimilares ad vnius compoſiti conſtitutionem concurrunt, poſſunt concorditer, ac ſecundum quandam proportionis rationem, & præter concordem proportionis rationem conuenire: hinc fit, vt in ſolis rebus compoſitis pulchritudo, vel turpitudo ſit ſecundum Homerum: pulchritudo quidem, quando diſſimilaribus rei compoſitæ partibus proportionis ratio, ac concordia ineſt: quippe cùm pulchritudo ſit aliud nihil, niſi talium partium concordia, Plotinúſque affirmat pulchritudinem nihil aliud eſſe, quàm ex plurium concinnitate coorientem gratiam: cui contraria eſt turpitudo, quando eis diſcordia, atque incommenſuratæ proportionis ratio ineſt: nam turpitudo eſt aliud nihil quàm partium totius incongruentia. Hinc illud Ouidij rectè infertur, pulchritudinem eſſe quandam partium diſſimilarium, ac difformium conuenientiam, ac gratam compoſitionem. Quòd ſi pulchrum omne ſit compoſitum, fit vt nec Deus ſit aut pulcher, aut

pulchritudo ipſa: quippe cùm pulchrum, pulchritudóque ipſa nonnihil imperfectionis habeat, fit etiam, vt angelica natura pulchra eſſe nequeat, cùm careat partibus, in quibus pulchritudo conſtat. Sed tam Deus, quàm angelus bonus eſt, pulchritudo enim in eis bonitas eſt: & ſi occurres his, quoniam animus pulcher eſt, qui eſt ſimplex, dicas cum Plotino, in animo pulchritudinem eſſe gratiam, quæ cooritur ex plurium ſpecierum pudicitiæ atque pudoris concinnitate: plures enim ſpecies eſſe pudicitiæ, atque pudoris nemo dubitat: fit inſuper, vt cœlum ipſum non ſit pulchrum, vt dicemus, ſed vel ornatum: nam licèt conſtet ſtellis, quia tamen ſtellæ partes ſunt conformes ac ſphæricæ omnes, & ſimilares, eiuſdémque naturæ, nequaquam pulchrum eſſe poteſt: fit adhuc, vt nec mundus pulcher ſit habendus, quandoquidem licèt conſtet cœlis ac elementis, quæ diſſimilares partes videntur, omnes tamen ſunt conformes, atque ſphæricæ: vbi enim nulla eſt in figuris partium diſſimilitudo, pulchritudo eſſe non poterit: quanto verò minus elementum eſſe poteſt pulchrum, cùm figuris atque naturis partium ſit vniforme, atque ſimilare? Inſuper nec poterit eſſe res inanimata, pulchra, artificiaria quidem, non vt ſtatua, vel templum, ſiquidem è partibus proportionis ratio non ineſt, niſi in comparatione ad rem animatam, vel naturalem. Quare erit pulchra per comparationem. Quod autem comparatione pulchrum eſt, non eſt natura pulchrum. Eadem ratione nec oratio rhetorica, nec magiſtratus pulcher eſt, nec id genus, quippè cùm & partium ratio rebus artificiariis non inſit, niſi per ſimilitudinem ad rem aliquam naturalem, cuius ſimilitudine res ipſa artificiaria ſtruitur, naturalis verò minimè, quandoquidem in nulla rerum naturalium inanimatarum eſſe poteſt tanta partium aut diſſimilitudo, aut difformitas, vt in eis grata compoſitio cernatur. Quare fit vt aurum non ſit pulchrum, nec metallorum vllum, ſed vel iucundum, quando in partibus eorum nec difformitas, nec diſſimilitudo perſpicitur, vt inter eas proportionis ratio, quæ pulchritudo eſt, colligi poſſit: animata verò minimè, niſi homo, vt dicemus: vegetabilia non, quoniam partes, etſi diuerſæ videantur, non
Digitized by Google

adeo diſſimilares, ac diſformes, vt annotari poſſit proportionis ratio: animalia verò muta nequaquam: nam licèt partes habeant diſſimilares, atque diſformes, partes verò & ad ſe, & ad totum ſunt, vt ita dixerim, in aliquote, cùm nulla quotieſuis ſumpta reddat ipſum totum. Verùm de his alibi.

Pulchra, quæ propria ratione pulchra ſunt, ſecundum Peripateticos, non eſſe in rebus, niſi quæ ſenſibus obiiciuntur.

CAPVT XXVII.

EX his quæ diximus facilè perſpicuum eſt, non eſſe pulchra propria, ac vniuoca ratione, niſi quæ ſenſibus ſubiiciuntur: & licèt hoc ex his, quæ diximus pateat, quoniam non niſi in rebus compoſitis pulchritudo cernitur, quæ ſenſilia ſunt: cauſa tamen eſt quia pulchrum amore definitur: quod enim non rapit animos ad amorem, non eſt pulchrum. Quod autem rapit ad amorem, oportet vt priùs delatum ſit ad animos per ſenſus: quippe cùm amor ſit affectus appetitus ſenſitiui. Sequitur enim amor rei ſenſum, quemadmodum vmbra corpus: & voluntas rei intellectionem. Quæ ſenſus aufugiunt, ſi rapiunt voluntatem, ſunt bona, veluti quæ rapiunt intellectum, ſunt vera. Igitur in ſolis ſenſilibus pulchritudo quærenda eſt, in rebus verò inſenſilibus, vt diximus, bonitas.

Pulchrum, quod propriè pulchrum eſt, non eſſe niſi in rebus, quæ ſolis humanis ſenſibus offeruntur.

CAPVT XXVIII.

SED in quibus ſenſilibus pulchrum ipſum, quod propriè pulchrum dicitur, inueniatur, non eſt facile definire. Verùm ſi quæ Auerroës inquit ea in paraphraſe, quam in libris de ſenſu, & ſenſili ſcripſit, vera ſunt, non erit difficile

ficile rem propoſitam determinare: dicit enim ſic, Proprietas autem comprehenſionis horum ſenſuum in animalibus non eſt eadem. Homo enim comprehendit rerum differentias, peculiaritatéſque earum proprias, quæ in re ipſa ſenſili ſunt, quemadmodum medulla in fructu: muta verò animalia ea comprehendunt, quæ extrinſecus ſunt, quæque ſunt vti fructuum cortices: cuius rei ſignum affert, quoniam non ea ratione muta ipſa animalia à ſenſibilibus mouentur, qua homines: homines enim cantibus, harmonicíſque ſonis mouentur, quibus non alliciuntur belluæ. Inſuper homines figuris, linearum, colorúmque rationibus rapiuntur, in quibus pulchrum ipſum conſiſtit, quibus muta ipſa animalia nequaquam mouentur. Similiter & de cæteris ſenſilibus diſcurrit. Quæ ratio docet, res pulchras nec dici, nec haberi pulchras, niſi ad humanos ſenſus referantur. Ariſtoteles etiam in libris de anima, rem hanc clariſſima ratione probauit: nam ſenſus, qui hominibus ſunt tributi, partim ob neceſſitatem, partim ob voluptatem conceduntur: mutis autem animalibus ſolùm ob neceſſitatem, vt per eos cibos cognoſcant, atque diſcernant, & à nocumentis præcaueant, & vt ad generationem pateant: hominibus autem vltra neceſſitatem ad ſcientiarum inuentiones, & vſum, & ad voluptates ſunt accommodati. Hac ratione homines in ſenſibilibus ipſis non ſolùm colores, ſonos, odores, tactilia, ac guſtatilia, ſed etiam gratias, & pulchritudines, quæ in his continentur, agnoſcit.

Deſiderium animalium mutorum, quo mouentur ad venerem, non eſſe amorem.

CAPVT XXIX.

CVM ex iis pateat, muta ipſa animalia non moueri à pulchris, fit vt deſiderium, quo feruntur ad venerem, non amor propria ratione ſit dicendus. Eſt enim amor, vt Platonem nunc ſequamur in Sympoſio, deſiderium fruendæ pulchritudinis. Sed cùm muta ipſa animalia in rebus ſenſilibus, corporeíſque pulchritudinem non agnoſcant,

Digitized by Google

ipſis deſiderium non inerit fruendæ pulchritudinis, quare nec amor. Inerit itaque impetus quidam appetitiuus vtendi, quo compelluntur quaſi à natura ad generandum, qui dicatur ferina appetitio. Verùm Virgilij liber Georgicon inquit,

Omne adeo genus in terris, hominúmque, ferarúmque,
Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres
In furias, ignémque ruunt, amor omnibus idem.

Sed vtrum amor omnibus idem, poſteriùs differendum.

De motu, quo pulchrum mouet animos noſtros.

Capvt XXX.

QVONIAM, vt Socrates dixit, pulchrum eſt gratia quæ mouet animam, ideo primò exponamus, quam animæ partem mouet, deinde quis motus ſit, & tertiò quid amor propriè à Peripateticis definiatur. Eſt itaque anima humana tripartita: nam eſt ea animæ pars, quæ dicitur intellectus, ſiue mens: eſt & ea quæ Græcè διάνοια, Latinè rationalis, cuius appetitus voluntas eſt. Tertia verò ſenſoria quæ cupit, atque concupiſcit, cuius vis appetendi eſt ſenſitiuus appetitus. Pulchrum igitur mouet animam noſtram non eodem modo: nam per ſe primò mouet ſenſoriam, cuius vis appetendi eſt appetitus ſenſitiuus. deinde rationalem, cuius vis appetendi eſt voluntas. Vtrum verò moueat mentem, poſteriùs diſquiretur. Non tamen has animæ partes ſimili ratione pulchrum mouet: ſenſualem enim partem neceſſitate rapit, partem verò rationalem mouet, aut inclinando, aut alliciendo, aut perſuadendo, in quo motu vinci, & vincere deſiderium poteſt. Sed quis motus hic ſit, declaremus: cùm enim ſenſiles res animam moueant, aut mouent inclinando ſolùm ad fruitionem ſenſualem, & motus hic non amor eſt propria ratione, ſed appetitio dicatur ſenſitiua: hunc in modum ornamentum cœli, ſtatuæ, & cætera, quæ vel viſum, vel auditum delectant, mouent animam noſtram ad ſui ſolam ſenſualem fruitionem: ſi verò mouent inclinando, & alliciendo, non autem rapien-

do, licèt amor iſte apud Platonicos moralis dicatur, non autem apud Peripateticos propriè amor eſt, cùm non ſit cum appetitu Veneris, dicatur tamen de licentia cupiditas. ſi autem mouent inclinando, alliciendo, & animum noſtrum rapiendo, quando motus huiuſmodi fuerit cum triſtitia quadam, atque cupiditate eius, quo caremus, ac cupimus ad noſtri conſeruationem, hic non affectus amoris eſt, ſed concupiſcentia quædam, quæ ſi cibi eſt, fames dicitur, ſi verò potus, ſitis. Quando autem cum triſtitia, atque cupiditate eius, quo caremus, atque ad noſtri conſeruationem ſecundum ſpeciem deſideramus, amor eſt, qui affectus ſenſitiuus eſt in ſenſuali appetitu reſidens. Hic autem ſi fuerit cum deſiderio fœminæ pulchræ, vt in ea, & ex ea pulchrum generemus, amor eſt, qui à Poëtis dicitur Cupido, & à Peripateticis nomine generis Amor. Si autem fuerit cum deſiderio abutendæ fœminæ ſimpliciter, nulla ratione habita ad ipſum pulchrum, ſic erit amor ferinus, qui feris, quæ pulchrum ipſum non diſcernunt, accommodatur. Ex his perſpicuum eſt, quid propriè ſecundum Peripateticos ſit amor, qui dicitur apud Poëtas Cupido Veneris filius. eſt enim affectus reſidens in appetitu ſenſitiuo, quo animus noſter inclinatur, allicitur, rapitúrque ad veri pulchri ſenſualem fruitionem per omnes ſenſus, quibus pulchri ſpecies fertur ad animam, vt in eo pulchro atque ex eo pulchrum generemus ad noſtri perpetuam conſeruationem. Quæ pulchri generatio ſi eſt ſecundum leges, cupido dicitur, amor honeſtus, & fortaſſe moralis, ac legitimus, qui propriè hominis eſt, qui ſecundum leges viuit. Sin autem præter leges cupido, ipſe dicetur amor turpis, atque naturalis, ac ſpurius, qui hominis eſt, qui viuit præter leges. eſt autem vterque amor res plena ſoliciti timoris, vt Ouidius inquit,

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Verùm de Amore, Cupidine, ac Venere ſatis obiter dictum, poſteriùs ſigillatim dicemus.

Quid propriè pulchrum ſit exponitur ſecundum Peripateticos.

CAPVT XXXI.

EX iis non erit difficile deducere quid propriè pulchrum ſit. nam ſi pulchrum eſt, quod animum rapit ad cupidinem, qui amoris eſt ſpecies, nihil erit pulchrum, quod ad cupidinem non referatur, qui eſt affectus appetitus ſenſitiui. Quare cùm nec ſubſtantiæ intellectuales, nec cœlum, nec mundus, nec elementum moueat ad cupidinem, qui affectus eſt ſenſitiui appetitus, nullum horum pulchrum propria ratione dicetur. Cœlum igitur (vt Plinius inquit) eſt ſculptum, nec oratio, vel carmen erit pulchrum, ſed ornatum, vel decorum: nec officia, nec ædificia, non enim animum noſtrum trahunt ad cupidinem, qui eſt affectus appetitus ſenſitiui. Erit igitur pulchrum quod ſui gratia trahit ad cupidinem, qui eſt affectus ſenſitiui appetitus ſolicito timore plenus. Verùm de his poſtea latiùs.

Pulchrum eſſe ſolùm in genere hominum.

CAPVT XXXII.

QVIA igitur ſolus homo hominem trahit, inclinat, allicit, rapit ad cupidineam ſui fruitionem per omnes eos ſenſus, quibus defertur ſpecies pulchri ad animam: ideo fit vt ratio pulchri, pulchrúmque ipſum ſolùm in hominibus, habeatur. in cæteris autem aut non eſt ratio pulchri, vt in ſubſtantiis ſeparatis: aut ſi eſt, per æquiuocationem intelligitur: res enim quæ ſunt ſupra hominem, non pulchræ, ſed bonæ potiùs dicuntur: res verò, quæ citra, ſi pulchras ipſas velis appellare, non niſi æquiuoca quadam ratione pulchras dices, vt ſuperiùs eſt exploratum. Quare vir ſolus puellis, atque puella ſola viris pulchra propria ratione eſt aſſerenda, inter quos ſolus Amor, qui dicitur Cupido Veneris

filius eſt habendus: nam in cæteris quemadmodum non eſt cupido, ſic nulla ratio pulchra eſt cenſenda.

Quæ definitio pulchri ſecundum Peripateticos, & quotuplex pulchritudo.

CAPVT XXXIII.

EX iis patet quid pulchrum ipſum ſit ſecundum Peripateticos: eſt enim gratia quædam in aliquo viro, aut puella inuenta, quæ per omnes, vel plures ſenſus mouet animum ad cupidinem, qui amoris eſt ſpecies: gratiam autem diximus, non quam gratis damus, ſed quæ in ipſa re pulchra exiſtens eam nobis gratam reddit: eſt autem gratia aut relatio quædam rei pulchræ ad ipſum amantem, qua res pulchra grata amanti dicitur, aut diſpoſitio quædam de primo qualitatis genere, quæ non eſt in re ipſa ſtabilis, ac cum difficultate mobilis, cùm nihil citiùs ſeneſcat gratia. Diximus per omnes, aut per plures ſenſus, quoniam ſi pulchri ſpecies defertur ad animam per omnes ſenſus, etiam per omnes rapit ad cupidinem: ſi per plures, etiam ſimili ratione per plures. Ad hæc diximus in viro aliquo, aut puella, vt intelligatur in ſolis hominibus cupidinem & pulchri rationem inueniri. Sed cùm dupliciter puella amantis animum ad cupidinem rapere poſſit, aut gratia, quæ præparationem habet in morum concinnitate, aut gratia quæ præparationem habet in forma corporis: ideo duplex erit pulchritudo, altera quæ ad animum, altera quæ ad corpus ſpectat. Et quæuis harum gratia quædam eſt, qua rapimur ad amorem eius, cuius eſt pulchritudo, qui amor cupido eſt.

Digitized by Google

De corporea præparatione, quæ dicitur forma ſecundum Medicos, & de errore eorum.

CAPVT XXXIV.

SED quoniam non omnis puella eſt amanti grata, vel non æqualiter, fit vt in puellis nonnihil ſit, quo altera altera gratior reddatur. Iſtud autem ſecundum Peripateticos ex parte puellarum duplex eſſe ſupponamus: alterum ex parte animæ, & dicitur morum concinnitas: alterum ex parte corporis, & eſt forma: hæc autem à Socrate præparationes, quibus gratia rebus ineſt, dicuntur. De forma itaque medici aſſerunt eam in homine eſſe optimam conſtitutionem, quam Galenus libro 2. Technæ expoſuit. hæc autem optima conſtitutio in optima compoſitione, atque temperatione continetur. Eſt autem optima compoſitio, quæ optima membrorum formatione, debita quantitate, congruenti numero, ſitúque idoneo conſtat. Temperatio verò optima non quæ partiliter extremorum media eſt, ſed quæ conueniens inſtrumentum eſt, quo anima poteſt optimas operationes exercere. Verùm hæc medicorum expoſitio non ſatis dilucidat corpoream ipſam præparationem, quoniam non eſt omni ex parte puella pulchra, cuius vox non fuerit ſuauis, ac decora, & harmonica. at cùm de conſtitutione loquuntur, nihil de vocum præſtantia tradiderunt. Quare non ſufficienter corporis formam, quæ eſt corporea ad gratiam præparatio tradiderunt.

De numero præparationum, quæ præparant pulchrum ad gratiam.

CAPVT XXXV.

SED antequam de præparationibus dixerimus, vtile eſt pertractare quot præparationes ſunt, quæ præparant pulchrum ad gratiam, Generatim enim duæ ſunt: ex parte

Digitized by Google

animæ morum concinnitas, ex parte corporis ſpecies. Speciatim verò ex parte corporis tot ſunt, quot ſunt ſenſus, quibus ſpecies pulchri defertur ad animam. non enim ſpecies pulchritudinis, qua puella dicitur pulchra, vno ſenſu defertur ad animam, ſed viſu defertur corporea diſpoſitio, auditu verò vocum harmonia, olfactu odoris, qui membrorum eſt ſuauitas, tactu denique carnis lenitas, ac mollities: per guſtum autem nihil pulchri, quod in puella eſt, defertur ad animam, niſi guſtus coincidat cum tactu, & ſic defertur ſpecies quædam dulcis, quod in baſiis ſentit. Erunt igitur præparationes ex parte corporis quinque. Prima, cuius ſpecies per viſum defertur, deinde ea, cuius ſpecies per auditum, poſtea illa, cuius ſpecies per olfactum, quarta, cuius ſpecies ad animam ducitur per tactum, quinta, cuius ſpecies defertur per guſtum. Dicitur autem prima forma, ſecunda verò harmonia, tertia ſuauitas, quarta lenitas, quinta dulcedo. De iis igitur per ordinem diſſerendum. nam poſtquam de his ſeorſum dixerimus, de vniuerſa corporis præparatione, quæ dicitur ſpecies, erit ſufficienter exploratum.

De ea corporis præparatione, quæ dicitur forma, ſecundum Alcinoum Platonicum, déque corporis ſymmetria.

CAPVT XXXVI.

DE forma igitur quæ Alcinous Platonicus aſſeruit tractemus: tribúſque eam contineri tradit, ordine videlicet, modo, & ſpecie. Ordo, vt inquit, partium interualla, modus quantitatem, ſpecies verò lineamenta, colorémque ſignificat. In primis enim oportet, vt membra quæque corporis naturalem ordinem habeant, ſuo aures loco ſint, oculique, & nares, & cætera, ac paribus interuallis oculi naſo ſint proximi, paribus item aures vtræque diſtent ab oculis: deinde modum: non enim hæc interuallorum ad ordinem pertinens parilitas ſufficit, niſi partium modus accedat, qui mediocrem debita totius corporis proportione ſeruata, membris ſingulis tribuat magnitudinem, vt naſi tres

in longum diſpoſiti, vultus vnius impleant longitudinem, aurium vtrarumque ſemicirculi vnà coniuncti oris aperti circulum faciant, idem quoque coniunctio ſuperciliorum efficiat, longitudo naſi longitudinem labij compleat, auriſque ſimiliter, gemini oculorum orbes vnum æquent oris hiatum. Capita octo proceritatem corporis abſoluant, eandem quoque monſtret brachiorum in latus extenſio, crurúmque ſimiliter, ac pedum. Plinius autem, Varro, atque Vitruuius tradiderunt non eſſe corporis formam decentem, ni decenti quantitate corpus fuerit formatum, vt non ſit ſupra menſuram ſeptem pedum, pede exiſtente ſexdecim digitorum, habeatúrque in vmbilico humani corporis centrum, linea videlicet ab vmbilico protracta, & per digitorum, manuum, atque pedum circulum deſcribente, ſitque, vt Vitruuius inquit, faciei longitudo longitudiniſque eius, quæ totius corporis eſt pars decima, deſignata faciei longitudine à menti extremitate vſque ad punctum, quod in fronte eſt ad finem radicum capillorum, & longitudo, quæ ab eo puncto pectoris eſt, in quo collum terminatur vſque ad capitis apicem, longitudinis, quæ totius corporis eſt, pars ſit quarta, & facies, cuius tres partes ſunt æquales, & quæ à menti extremo apice ad nares deſcribitur, & quæ ab extremo narium puncto ad ſuperciliorum coniunctionem deſinit, & quæ ab ea coniunctione ad extremum frontis, in quo capilli deſinunt, deducitur. Et manus, cuius longitudo faciei longitudini æqualis eſt. Faciem mulieris laudauerunt, ſi viri faciem referat: viri autem, ſi mulieris: corpus autem, cuius digiti, qui pollex dicitur, magnitudo ſubdupla ſeſquialtera magnitudini brachij eſt, & magnitudini armi ſubtripla. Tibiæ verò magnitudo ei magnitudini, quæ brachij eſt, ſeſquialtera, & quæ colli ſimiliter ad eam, quæ tibiæ, & quæ coxæ ad eam, quæ brachij tripla. Quæ ratio docet in corpore rectè formato minimum eſſe digitum, maximum autem coxam. Præterea corporis, quod recta ratione componitur, habitudo nec carnoſa, nec oſſea eſt, ſed media admodum ſuccoſa, atque lenis, nec ad præparationem modus ſufficit, ſed neceſſaria eſt ſpecies, quæ lineamenta, coloréſque ſignificat: color enim non euſque albus ſit,

vt in pallorem vergat, ſed candiruber, vt Ariſtoteles in phyſiognoeis inquit: ſubfuſculus color (vt ita dixerim) non deformat, quo colore ipſa erat Venus, quive Naſoni non diſplicuit. Manus exteriùs candidiſſimæ, interiùs autem eburneæ: oculi nigri, quos Deam pulchri habuiſſe ferunt. oculos verò inter albos, & nigros laudauit Auicenna, ſi lucidi, immaculoſi, pleniuſculi, hilares fuerint, ſunt enim pulchri, ingenij etiam, ac fidei notæ. Homerus in Pallade laudauit grandiuſculos, albóſque oculos: Laudauerunt eam faciem, quæ ad rotundum vergit, longè magis, quàm eam, quæ in longum tendit, frontem admodum ſpatioſum, naſum paruum, atque rectum, qui à finibus ſuperciliorum ortum habet, labella quæ potiùs in craſſam ipſam mediocritatem, quàm in tenuem ſurgunt, genas carnoſas, pectus amplum, in quo vix locus oſſis patet, manus craſſiuſculas, digitorúmque nodos æquiplenos, vngues parum admodum curuos, mammas verò, quæ nec magnitudinem, nec paruitatem excedunt, ſucculentas, atque rotundas perſicorum pomorum inſtar, quæque odoris ſuauitatem redoleant. Quibus perſpicuum nullum eſſe pulchrum, quod partes non habeat plures diſtinctas, figuris difformes, naturis verò diſſimilares, ea videlicet ratione inter ſe, & ad totum ſe habentes, vt ex cuiuſuis membri quantitate totius pulchri corporis quantitas reddatur. Hac ratione Pythagoras ſupponens Herculis corpus fuiſſe pulchrum, ex illius veſtigio totius corporis quantitatem veſtigauit: erat enim commenſuratum, ſi pulchrum eſſe ſupponebatur.

Quòd nihil præter hominem ſit pulchrum.

CAPVT XXXVII.

QVONIAM verò ſunt quædam, quæ vel voluntati ſummopere placent, vt puta quæ ſimpliciter perfecta, & bona ſunt, vt diuinæ ipſæ ſubſtantiæ: vel quæ ſenſitiuo ipſi appetitui, vt quæcunque periucunda, atque voluptifica ſunt nobis, hæc nunquam vulgus pulchra dicit. Verùm, vt diximus, pulchrum natura eſt præter hominem. quando enim

Digitized by Google

in homine partes ſunt perplures, diſtinctæ, figuris diffor-mes, naturis diſſimiles, inter ſe, & ad totum proportionis rationem habentes, eius corpus pulchrum natura eſt, atque formoſum: cùm verò inter ſe, & ad totum proportionis rationem non habent, natura deforme exiſtimatur: hinc fit, vt nulla res partis expers pulchra ſit, & ſic nec Deus, nec angeli pulchri, ſed boni, atque perfecti ſunt: quippe qui iucundi voluntati ſunt. Cœlum verò non eſt pulchrum, licèt iucundum, ſculptum, & ornatum ſit: nam licèt partes habeat, diſtinctæ tamen non ſunt, nec figuris, nec naturis diſſimilares, omnes enim ſunt ſphæricæ, atque vt Ariſtoteles inquit, eiuſdem naturæ. Mundus etiam nequaquam, nam licèt partibus conſtet diſtinctis, atque naturis diſſimilaribus, ſunt tamen omnes conformes, cunctæ enim ſphæricæ ſunt. Res artificiales, licèt ſint iucundæ, atque voluptificæ, non tamen ſunt natura pulchræ: quod enim ipſum in ſe non eſt natura, nec ipſum in ſe pulchrum natura eſſe poteſt. Res minerales, licèt ſint vtiles, iucundæ, atque pergratæ, pulchræ tamen eſſe nequeunt, cùm partium diſtinctione, atque proportione vacent. Res animatæ vegeta ipſa anima non ſunt pulchræ, licèt iucundæ, vtiles & voluptificæ, partium enim diſtinctione vacant, nec in eis ex cuiuſuis membri quantitate totius redditur quantitas. Hæc enim partium ad totum rationis proportio nondum in eis comperta eſt. Muta etiam animalia pulchra non ſunt, quoniam alia carent partium differentia, ac diſtinctione, vt aquatilia, quæ monſtroſa Ariſtoteles eſſe dicit, quia partium diſtinctione vacant, atque differentia, vt inſecta, & genus anuloſorum etiam propter eandem cauſam, alia partes diſtinctas habent quidem, vt volatilia, & progreſſiua, verùm partes ad totum proportionis ratione carent: non enim ex cuiuſuis membri quantitate totius quantitas reddi poteſt. Quare fit vt in ſolis ipſis hominibus formoſi, ac deformis ratio reperta ſit.

Digitized by Google

De ea proportione, quæ eſt vocum harmonia.

CAPVT XXXVIII.

AD pulchritudinem præterea ſuam accipiendam voces fermè ſimiliter diſponuntur. Ordo enim earum à graui voce ad octauam aſcenſus, atque inde deſcenſus: modus debita per tertias, quartas, quintas, atque ſextas voces, tonos item, ac ſemitonos progreſſio: ſpecies autem canora claræ vocis intenſio. Vtrum verò muſica in puellis laudetur, Philoſophi non vna ratione definiunt. Peripatetici vituperarunt, quòd muſicæ atque pudicitiæ perrara ſit concordia. Platonici autem laudarunt, quando relaxandi gratia fit. Ego verò ingenuis puellis, quarum maior vitæ pars ocium eſt, muſicam, ociíque partem omnem concederem. Nam ſi Ariſtoteles Politicorum libro ingenuis viris, qui pro maiore parte vitæ in ocio degunt, concedit muſicam, literas, gymnica, & picturam, cur ingenuis mulieribus hæc permittenda non ſunt, cùm ocio longè laudabiliore ipſæ fruantur? Sed de his hactenus.

De ea præparatione, quæ eſt in odore ſuauitas.

CAPVT XXXIX.

AD pulchritudinem etiam ſuam ſuſcipiendam puellæ carnes, atque membra, & membrorum partes, os atque anhelitus ſuauitate odoris diſponi debent. Verùm cùm Plato nec in tactilibus, nec in guſtatilibus, nec in olfactilibus pulchri rationem conceſſerit: quoniam per viſum, vel auditum, vel mentem, vel omnia hæc, aut per plura horum, pulchri ſpeciem ad animam deferri ſolùm autumat, huiuſmodi in odoribus ſuauitates inter præparationes non enumerauit: ſed ſecundum Peripateticos dicamus, per olfactum homines in puellis gratiam, atque pulchritudinem percipere, quas non muta ipſa animalia in ſuis fœminis olfaciunt: percipiunt enim in carnibus, potiſſimùm in ore, &

Digitized by Google

anhelitu odorem, qui ſi ſuauis fuerit, eo ſumma voluptate fruuntur: deinde quis puellam omnino pulchram exiſtimabit, ſi eius caro, atque os fœtida fuerint? Quare ſi in fœtore partium turpis ratio deprehenditur, in ſuauitate ipſum pulchrum habebitur. Quòd autem ita ſit, vt diximus, puellæ ipſæ nobis argumento ſunt, quæ vt pulchriores reddantur, odoribus, vnguentis, rebúſque odoriferis ſe illinunt, quæ non facerent, niſi per hæc ſe pulchriores fieri arbitrarentur.

De ea præparatione, quæ eſt in carne lenitas.

Capvt XL.

Ad gratiam ſuam ſuſcipiendam puellæ carnes lenitate etiam affici oportet. Quis enim puellam pulchram dicet, ſi eius carnes fuerint duræ, ſi aſperæ, ſi inſuaues? Quare ſi in his turpis ratio deprehenditur, in mollitie, lenitate, & in calidorum, atque frigidorum mediocritate ratio pulchri habenda eſt: per tactum enim homines in ipſis tactilibus rationem pulchri agnoſcunt: quoniam in carne ſuauitatem, lenitatem, mollitiem, quæ muta ipſa animalia in ſuis fœminis haudquaquam percipiunt, puellæ etiam ipſæ nobis argumento ſunt, quæ lauacris carnes abſtergunt, leniunt atque lauant: quæ vt diximus, non facerent, niſi per hæc ſe pulchriores videri opinarentur, & Cygni plumis, lactéque coacto molliores, vt in Ouidio deſcribitur Galathea. Non igitur, vt Platonici, ſed vt Peripatetici dicamus, non ſolùm per viſum, vel auditum pulchri ſpeciem deferri ad animam, ſed etiam per tactum, & olfactum: ſiquidem in olfactilibus, & tactilibus ratio pulchri dignoſcitur, per guſtum verò non niſi quo ſubit tactus rationem: quo enim per baſia in labiis, lingua, atque ore dulcedinem quandam deguſtamus, etiam per guſtum ſpecies pulchri defertur. Et de præparationibus hactenus.

Quomodo de pulchro differant Peripatetici à Platonicis.

CAPVT XLI.

QVONIAM verò pulchrum (vt Socrates dixit) gratia quædam eſt, quæ animam mouet ad ſui fruitionem, fit vt pulchri genus duplex ſit ſecundum Platonicos: alterum quidem intellectuale, alterum (vt ita dixerim) animale. Eſt pulchrum intellectuale, quòd per mentem animam mouet ad ſui fruitionem intellectualem, & hoc pulchri genere Deus, Angeli, & animæ pulchræ ſunt. Eſt pulchrum animale, quod per viſum, vel auditum, vel vtrumque animam mouet ad ſui fruitionem animalem: hoc pulchri genere cœlum, ædificia, orationes, carmina, officia, diſciplinæ, cæteráque id genus pulchra ſunt: mouent enim animam noſtram per viſum, vel auditum ad ſui fruitionem, quæ viſione vel auditione, vel vtroque perficitur. Hoc quoque genere honeſtæ puellæ, quarum animi pulchritudo eſt morum concinnitas, mouent animam ad ſui ipſarum fruitionem animalem, quæ completur viſu, auditu, alloquiis, ac mutuo conuictu. Peripatetici verò addiderunt tertium genus, videlicet pulchrum corporeum, quod mouet animam per omnes, vel plures ſenſus ad ſui corpoream fruitionem, quæ amplexu ac tactu perficitur: cùm enim pulchri ſpecies (vt diximus) à tactilibus, guſtatilibus, olfactilibus, viſilibus, & auditilibus deduci poſſit ad animam per viſum, vel auditum, vel olfactum, vel tactum, aut guſtum, aut per omnes, vel plures huiuſmodi ſenſus, fit vt per hos omnes, aut plures, aut vnum animam moueat ad ſui fruitionem. quæ cùm corporea ſit, perfecta eſſe non poteſt, niſi amplexu, ac tactu expleatur. Tale autem pulchrum corporeum ſolùm in humano genere Peripatetici collocarunt. Nam quæ in genere intellectuali pulchra dicuntur, non pulchra, ſed potiùs bona ſunt cenſenda. Cætera quæ non in humano genere ſunt pulchra, ſiue corporea, ſiue incorporea, non pulchra, ſed potiùs ornata, aut ſculpta, aut decora, aut iucunda dicenda ſunt: quippe cùm pulchrum, quod propria ratione

Digitized by Google

eſt pulchrum, animos noſtros moueat per omnes, vel plures, vel vnum ſenſum ad ſui fruitionem, quæ amplexu, ac tactu completur: mouet etiam animos noſtros ad amorem cupidineum, qui affectus eſt appetitus ſenſitiui: & ideo pulchrum in humano genere ſolùm quærendum eſt, in quo vera amoris cupidinei ratio eſſe videtur: vt ſit argumentum, in quibus vera amoris cupidinei ratio eſt, in his vera ratio pulchri habenda: mouet enim pulchrum ad amorem cupidineum. At vera amoris cupidinei ratio ſolùm in hominibus eſt, quare & in hominibus ſolùm ratio veri pulchri collocanda eſt. Præterea in quibus ſolùm eſt amicitia, in his ſolùm eſt amor cupidineus, & pulchri ratio. At amicitia, vt Ariſtoteles inquit, ſolùm in hominibus eſt: non enim in Diis, aut in mutis animalibus vera amicitia eſt, nec hominis ad Deos, nec ad belluas amicitia eſſe poteſt. Quare nec amor cupidineus: cùm cupidineus amor non differat ab amicitia voluptifica, niſi quia amor cupidineus affectus, amictiia habitus eſt. Quòd ſi amor cupidineus in ſolis hominibus ſit, in eis ratio pulchri ſolùm quærenda: quippe cùm pulchrum vera ratione ſit, quod ad ſui verum moueat amorem cupidineum.

De animi pulchritudine.

CAPVT XLII.

POST hæc de animi pulchritudine diſſerendum: nam de ea pulchritudine, quæ corporis eſt, ſatis diximus. Eſt autem animi pulchritudo gratia quædam, qua puella mouet animos noſtros ad animalem ſui fruitionem. Eſt autem animalis fruitio (vt diximus) ea, quæ viſu, auditu, colloquiis, conuictu, atque conuerſatione perficitur. Et quoniam vnaquæque gratia, quæ pulchritudo eſt, præparationem habet in re ipſa pulchra, alioquin (vt diximus) non magis pulchrum, quàm turpe, animam moueret, fit, vt præparatio huius gratiæ, quæ animi eſt, nihil aliud ſit quàm motum concinnitas: hæc enim non aliter animam pulchram, ac amantibus gratam reddit, quàm forma corpus: trahit enim ad animalem ipſam fruitionem, ſicuti forma ad corporalem.

Digitized by Google

De ea præparatione, quæ eſt morum concinnitas, diuerſæ opiniones.

Capvt XLIII.

QVÆ verò ſit hæc morum concinnitas, non vna ratione cenſetur. Stoici enim animi ſapientiam eſſe autumant, quod Socrates in Phædro probauit: Plato verò in Cratylo prudentiam, in Charmide autem temperantiam affirmauit. Alij continentiam coniugalem, charitatem alij, pudorem alij, alij verò pudicitiam, animi moderationem alij, alij fidem, obſeruantiámque erga maritos, honeſtatem verò alij, non deſunt qui etiam religionem dicant, nec ab ratione profectò: ſiquidem anima quauis harum virtutum honeſtatur, ac pulchra redditur. Quare harum quæuis præparatio ad ſuſcipiendam gratiam eſſe videtur Deo.

De concinnitate morum, quæ ad ſuſcipiendam gratiam parat.

Capvt XLIV.

QVONIAM vt Ariſtoteles ſcribit octauo Ethicorum, amans ad fruendam puellam ob morum concinnitatem, interdum ex habitu, nonnunquam ex affectu mouetur, ideo duplex eſt morum concinnitas: altera, quæ facit habitum in amante, vt ex eo ad fruitionem moueatur: & hoc pacto morum concinnitas in omnibus virtutibus conſiſtit, quæ puellis, quo mulieres ſunt, competere poſſunt: ex omnibus enim virtutibus amicitia honeſti oritur, quæ habitus eſt, quo amans ipſe mouetur ad animalem fruitionem, de qua diximus. Altera verò, quæ facit, vt ex affectu amans moueatur ad puellæ fruitionem: & hæc nullam habet determinationem. In puellis enim quibuſdam eſt fides erga viros, hæc enim animum Pompeij mouit ad amorem Iuliæ. In aliis eſt ſapientia, quæ Stoicos: in aliis prudentia, quæ Cratylum, & Phædrum; in aliis temperantia, quæ

Digitized by Google

Charmidem: alios mouebat honeſtas. Quare cùm interdum virtus omnis ſeorſum, nonnunquam omnes ſimul amantes mouere, atque allicere poſſint ad fruitionem, de præparatione huiuſmodi certa regula nulla erit. Verùm quanquam nulla eſt regula, ſecundum tamen Peripateticos pudicitia, cui pudor æmulus, atque aſſecla eſt, maxima præparatio ad gratiam ſuſcipiendam videtur. Per hanc enim anima maximè pulchra, ac Diis quàm ſimillima redditur: per cæteras verò virtutes puellæ potiùs admirabiles ſe præſeferunt. Prudentia enim Xenocratam Cumeam, eloquentia atque dicendi ſuauitas Hortenſiam, liberalitas P. Buſſam Canuſinam, fides erga virum Penelopen, ac cæteræ virtutes cæteras admirabiles effecerunt. Hac fortaſſe ratione Hippias virginem, quæ omnium iudicio corpore pulchra eſt, ipſum pulchrum eſſe affirmauit: quoniam corporis virginitas ſine animi pudicitia non eſt, quæ gratiæ eſt præparatio. Quibus patet, quæ puella omni ex parte pulchra ſit. Eſt enim cuius gratia præparationem habet, & in forma corporis, & in morum concinnitate: per hæc enim duo amantium animas alliciet ad ſui fruitionem tam animalem, quàm corpoream. Inſuper etiam perſpicuum pulchram puellam animam mouere non ſemper eodem modo. Puella enim, cuius gratia præparationem habet in animi concinnitate tantùm, animam mouet ad animalem fruitionem duntaxat: cuius verò gratia præparationem habet in corporis forma, animam mouet ad corporalem fruitionem: cuius verò gratia præparationem habet in vtroque, hæc ad ſui vtramque fruitionem mouere enititur. Vtrum verò puella mouendo animam ad animalem, ac corporalem fruitionem per omnes vel plures ſenſus, moueat etiam ad intellectualem per mentem, non eſt facile definire.

Quæ Platonici de intellectuali fruitione.

CAPVT XLV.

TRADIDERVNT Platonici hominum animas creatas eſſe ante corpora, háſque in cœlo cognouiſſe Dei, atque

que

que Angelorum pulchritudines: nec ſolùm has, ſed etiam per ideas infuſas omnia ſciuiſſe: infundi verò in humanis corporibus poſtquam in eis ſit per agentia meritum, quo corpus animam meretur: oppreſſam autem corporis mole oblitam eſſe, ſed reminiſci à ſenſibilibus ſenſus, atque animam pulſantibus. Aſſerunt itaque per viſum, atque auditum magis, quàm per ſenſus alios, qui corporei ſunt, reminiſci animam paulatim, auditilibus ac viſilibus in dies magis ac magis pulſantibus eius pulchri, quod antequam ad corpus veniret nouerat: quare memoria diuini pulchri, necnon amoris concitatione circa amatoria, mouetur anima etiam ad intellectualem rei pulchræ fruitionem: eſt enim in re pulchra diuini pulchri ſimulacrum.

Quæ Peripatetici de intellectuali fruitione.

CAPVT XLV.

SEd hæc opinio falſa eſt, nec Plato ſibi conſtans: aſſerit enim in libris de legibus, hominem ex terra proditum eſſe: animam verò in Phædone ab ipſo Deo creatam, vbi non ante corpora ipſam factam eſſe probauit. Ariſtoteles etiam vbique opinionem hanc refutauit: de qua cùm multa in libris de anima dixerimus, nunc de ea ſatis. Sed videamus, vtrum dum fruimur humano pulchro per ſenſus omnes, aut plures, etiam per mentem fruamur. dicendum, neminem poſſe humano pulchro amplexu, ac contactu frui, quin animali etiam fruitione gaudeat: nemo enim ad corpoream fruitionem venire poteſt, quin ad animalem priùs veniat: quippe cùm ſemper ante corpoream ipſam fruitionem alloquia, voces hinc inde, & intuitus interueniant, in quibus, vt diximus, animalis ipſa fruitio conſiſtit. Quòd verò mentalis adhuc adſit, Ariſtoteles libro primo de partibus animalium perpulchrè dilucidauit: aſſerit enim, in omni re facta, etiam minima, repræſentari artificis pulchritudinem, quæ ars eſt, qua rem ipſam ſtruxit. eſt enim ars artificis pulchritudo, ceu forma operis. vnde inquit, Abſurdum enim nullâque ratione probandum eſt, ſi imagines quidem re-

Digitized by Google

rum naturalium non ſine delectatione propterea inſpectemus, quòd ingenium vnà contemplemur, quod illas condiderit, id eſt, artem pingendi, aut fingendi, rerum autem ipſarum naturæ ingenio, miráque ſolertia conſtitutarum contemplationem, non magis proſequamur, atque exoſculemur, modò cauſas perſpicere valeamus. Quamobrem viliorum animalium diſputationem perpenſionémque faſtidio quodam puerili ſpreuiſſe, moleſtéque tuliſſe dignum nequaquam eſt, cùm nulla res ſit naturæ, in qua non mirandum aliquid inſit: & quod Heraclitum dixiſſe ferunt ad eos, qui cùm alloqui eum vellent, quòd fortè in caſa furnaria quadam caloris gratia ſedentem vidiſſent, accedere temperarunt, ingredi enim eos fidenter iuſſit: Quoniam, inquit, hîc quoque Dij ſunt immortales. hoc idem in indaganda quoque natura animantium faciendum eſt: aggredi enim quæque ſine vllo pudore debemus, cùm in omnibus naturæ numen, & honeſtum, pulchrúmque inſit ingenium. Hæc Ariſtoteles. Si igitur, vt ipſe inquit, in omni re naturali mente cernitur ingenium, quod eſt diuinum pulchrum, quanto magis in humano ipſo pulchro, cùm eo fruimur, mente cernitur diuinum ipſum pulchrum? Hac ratione perſpicuum, corporea in ipſa fruitione pulchri eſſe ſimul tres fruitiones, mentalem, qua diuino ipſo pulchro fruimur, quod eſt in re ipſa, animalem, & corpoream. Humanum igitur pulchrum, quum animum rapit ad ſui fruitionem, ſimul ad tres ipſas fruitiones inuitat atque allicit. Quare pulchrum, quod vera ratione pulchrum eſt, definietur eſſe id, quod animam rapit ad ſui triplicem fruitionem.

Pulchrum non ſemper actu animum mouere ad ſui triplicem fruitionem.

CAPVT XLVI.

SED his, quæ diximus, occurres: nam ſunt quidam homines, quorum animus à nullo pulchro raperetur, immo nec à Venere, aut Helena: quare pulchrum non ſemper animum rapit: ſi autem animum non ſemper rapit, pul-

Digitized by Google

chrum non erit, quod ad ſui triplicem fruitionem animum mouet. Dialectici dixerunt definitiones non oportere vt rebus inſint actu, ſed aptitudine, quarum ſunt definitiones. Quare pulchrum erit, non quod actu, ſed quod aptitudine aptum eſt mouere animam ad ſui triplicem fruitionem. Licèt igitur Venus ſua pulchritudine Anaxarchi animam actu non moueret, deducto tamen omni offendiculo, atque impedimento ex parte Anaxarchi animæ, apta erit mouere. hinc Thais pulchra erat, non quia amantium animos mouebat, ſed quia vi ſuæ pulchritudinis mouere apta erat. & ſi intelligere volueris pulchrum eſſe, quod actu animos mouet, hoc intelligas impedimentis omnibus ſublatis: abſentium enim animos quibus pulchrum non eſt exploratum, non mouebit propter abſentiam, quæ vnum impedimentorum eſt: ægrotorum, atque ſemimortuorum animos minimè, alio intercedente impedimento. pulchrum igitur omnem animum ad ſe fruendum rapiet, ſi nihil prohibuerit.

Omnem hominem ſequi deſiderium fruendæ pulchritudinis.

CAPVT XLVII.

EX iis verò, quæ dicta ſunt, non eſt difficile concludere homines omnes, atque puellas ſingulas naturali quadam inclinatione ſequi pulchri fruendi deſiderium, modò mas, & fœmina animalia perfecta, ac non mutilata ſint, nec ſenio defecta. Quod ex iis patet primò, quæ Platonici tradiderunt: dixerunt enim, pulchrum alterum eſſe intellectuale, quod per mentem animam rapit: alterum animale, quod per viſum, & auditum animam mouet: & tertium ſecundum Peripateticos corporeum pulchrum eſt, quod per omnes, vel plures ſenſus animam rapit ad ſui fruitionem, quæ amplexu, ac tactu perficitur. Ex parte verò animæ, quæ rapitur, tria ſunt, mens, ſenſus ſpiritales, viſus, & auditus, & corporei ſenſus, olfactus, guſtus, ac tactus. Cùm igitur in omnibus huiuſmodi fruitionibus perfectio quædam habeatur in amantium animis, & ad omnem perfectionem

id quod perficitur naturali ſemper quadam inclinatione tendat ceu graue deorſum, & leue ſurſum, fit vt omnes homines, ſingulásque puellas, modò ſint perfectæ, ac non mutilatæ, ſequatur quaſi à natura deſiderium fruendi pulchri. Hæc ex Platonicis. Sed cùm Peripatetici nullum pulchrum, quod vera ratione pulchrum eſt, eſſe aſſerant, quod non moueat ad ſui corpoream fruitionem, quæ tactu, atque amplexu expletur: ideo dicamus, homines vna ratione conſiderari poſſe, qua viuentia ſunt, & animalia alia ratione, qua ſunt homines: ſi qua animalia ſunt conſiderentur, ſenſus à natura conſequuntur propter neceſſitatem cibi, & potus, ac generationis, quibus poſſint generare ſibi ſimilia, vt homo hominem, & animal animal: & quia homines quo animalia ſunt ſenſus habentia propter neceſſitatem in ſenſilibus ipſis, per ſenſus pulchrum non agnoſcunt, fit vt homines, quo animalia ſunt, non conſequatur natura deſiderium fruendi pulchri, ſed ferinus quidam appetitus, quo generare ſibi ſimilia appetunt. dicit enim Ariſtoteles libro de anima ſecundo, naturaliſſimum operum viuentium eſſe quæcunque perfecta, & non mutilata ſunt, nec ſponte genita generare alterum, quale eſt ipſum, quatenus quoad fieri poteſt ipſo ſemper, ac diuino eſſe participent: omnia enim illud appetunt, illiúſque cauſa omnia agunt quæcunque natura agunt: qua ratione fit, vt homines, quo animalia ſunt, nullum fruendi pulchri deſiderium natura ſequatur, ſed ferinus appetitus generandi, qui haudquaquam explebitur ſine veneris vſu. Potiùs igitur homines quo animalia ſunt, natura ſequetur appetitus vtendæ veneris, quàm fruendi pulchri, cùm ſine huiuſmodi venereo vſu generatio ſui ſimilis compleri nequeat: & quoniam homines, vt homines, cùm perfecti fuerint, ac non mutilati, per omnes aut plures ſenſus in ſenſilibus ipſis pulchrum percipiunt & eo fruuntur, fit, vt homines, atque puellæ omnes quo homines perfecti ætate, nec mutilati, aut ægroti, aut ſenes, natura ſequantur pulchri fruendi deſiderium: nam quo homines ſunt in ſenſilibus ipſis non modò neceſſitatem, ſed pulchritudinem per ſenſus cognoſcunt. Quare ſi quo ſunt animalia, eos natura ſequitur appetitio vtendi venere, in fœmi-

Digitized by Google

na ſui generis propter generationem, quo homines erunt, ſequetur natura deſiderium fruendi pulchri in puella propter voluptatem, vt ſuperiùs diximus, cupidineam legitimam, vel illegitimam: & è conuerſo puellas fruendi pulchri in viris. Itaque quemadmodum cibi concupiſcentia, vt Ariſtoteles inquit tertio Ethicorum, eſt naturalis conſequens, videlicet vniuerſam ſpeciem, atque genus. omnis enim homo ad ſubuentionem naturæ interdum ſiccum, quod eſt cibus, nonnunquam humidum, quod eſt potus, aliquando vtrumque concupiſcit: ita eos quo animalia ſunt, ad ſui ſimilis procreationem, ſuæque ſpeciei perpetuitatem appetitio vtendi venere, quo autem homines propter voluptatem ſequetur deſiderium fruendi pulchri. Vtrum verò in homine poſſit eſſe deſiderium fruendi pulchri ſine appetitu veneris, poſteriùs dicemus.

Non omnium amantium animos eiuſdem pulchri fruendi deſiderium natura ſequi.

CAPVT XLVIII.

EST tamen non parua quæſtio ex iis, quæ diximus, occurrens, Cùm deſiderium fruendi pulchri homines omnes natura ſequatur, cur non eiuſdem pulchri fruendi deſiderium omnes homines comitetur: in fruendis enim pulchris amoribúſque ipſis diſcrepantias non paruas videmus. Naſo enim Corynnam, Virgilius Galateam, Catullus Leſbiam, Propertius Cynthiam, Petrarcha Lauram, Dantes Beatricem adamauit: & quod magis admiratione dignum eſt, aliqua eſt, quæ ab vno ſummo amore diligitur, quæ tamen ab altero odio ferè habetur: cùm enim vnum ſit pulchrum, vnáque ratione deſcriptum, cur non vnum fruendi pulchri deſiderium eſt? Platonici affectus quoſdam connatos nobis eſſe tradunt, duabus de cauſis, tum quia paterni vultus nobis placet imago, tum etiam, quia hominis aptè compoſiti ſpecies, & figura cum ea humani generis ratione, quam animus noſter ab omnium authore ſuſcipit, & retinet, optimè congruit: vnde puellæ exterioris imago

Digitized by Google

per ſenſus accepta, tranſiénſque in animum, ſi hominis figuræ, quam poſſidet, animus diſſonat, è veſtigio diſplicet, & odio tanquam deformis habetur: ſi conſonat, illicò placet, & tanquam formoſa diligitur: quo fit, vt nonnulli nobis obuij continuò placeant, vel diſpliceant, nóſque affectus huiuſmodi cauſam neſciamus. Sed hæc quæ Platonici dicunt commenta videntur. nam obſeruatio docet puellam hodie amari, cras odio haberi. non eſt autem poſſibile, vt eius imago exterior hodie imagini interiori conſonet, cras diſſonet, imo eadem hora placet, ac diſplicet. Ariſtot. igitur tertio Ethicorum libro, aſſignando huius differentiæ cauſam dicit, Omnes, vt Homerus inquit, cubile cupiunt, (vbi cubile pro concubitu) non tamen idem cubile: alij enim cubile cupiunt aureis tegmentis ornatum, alij ſericis ornamentis intextum: ſimiliter omnes cibum, potúmque concupiſcunt, non tamen omnes cibum eundem, ac potum. Eſt enim duplex natura, altera ſpecifica, altera indiuidua: natura enim ſpecifica omnes conſequitur pulchri eiuſdem fruendi deſiderium ſecundum ſpeciem, omnes etiam cupiditas cibi, & potus eiuſdem ſecundum ſpeciem, ſimiliter & lectuli cupiditas: natura verò indiuidua non omnes eodem numero pulchri, vel cibi, vel lectuli fruendi deſiderium ſequetur. Nam quemadmodum alia Naſonis, alia Maronis natura eſt, ita alterius pulchri deſiderium fruendi erit Naſonis, alterius Maronis: immo quemadmodum non eſt eadem indiuidua natura mane, & veſpere, vt Ariſtoteles inquit, ſic non erit eiuſdem pulchri fruendi deſiderium mane, & veſpere. Hinc fit, vt vno tempore vnam adamemus, altero autem eandem odio proſequamur: eſt enim indiuidua ipſa natura admodum variatione infinita: ſic etiam cupiditates, deſideria, & concupiſcentiæ infinitæ. Ex his triplex pulchrum exoritur: alterum quod ex parte rei pulchrum eſt, & hoc, vt diximus, gratia eſt, quæ præparationem habet in anima morum concinnitatem, in corpore verò formam: alterum quod ex parte propriæ noſtræ cupiditatis nobis eſt pulchrum, & hoc id omne dicimus, ad cuius fruitionem natura indiuidua mouemur, quæ eſt cuique propria. Tertium pulchrum eſt, quod vtraque ex parte pulchrum eſt, &

hoc eſt id omne quod in re pulchra præparationes habet, & in nobis omnibus, vel pluribus naturalem proprietatem, qua ad illius fruitionem rapimur. Tale pulchrum dixit Hippias eſſe virginem pulchram, quando videlicet conſenſu omnium, vel plurium cenſetur pulchra. Hoc pacto, ni fallor, tu Ioanna illuſtriſſima pulchra videris: in te enim gratia duplicem præparationem habet, in animo morum concinnitatem, in corpore formam: ex parte noſtra omnium conſenſus eſt, vt in pulchritudine omnes excedas: tanta eſt enim in te gratia, vt nemo ſit, cuius anima non rapiatur ad tui diuinam fruitionem.

Quid puella ſimpliciter pulchra ſit, quæve differentia inter fruitionem, & vſum, & inter humanum, ac ferinum amorem, & quæ pulchritudo in puella magis laudetur.

Capvt XLIX.

EX iis, quæ modò diximus, non erit difficile concludere, quæ puella ſimpliciter pulchra ſit. eſt enim ea cuius gratia hominum omnium, vel plurium animas communi quodam conſenſu inſtigante ad ſui fruitionem rapit, vi ſcilicet ſuæ formæ, atque morum concinnitatis. non enim eſſe poteſt puella omni ex parte pulchra, niſi indiuiduarum idiotropiarum, quæ in nobis ſunt, communi quodam conſenſu animas omnium noſtrûm, vel plurium rapiat: niſi enim, vt diximus, indiuiduæ idiotropiæ concordi quadam ratione alicui puellæ ad deſiderium fruendi conuenerint, non poterit ex parte noſtra omnino pulchra dici. Nam ſi vnius hominis animam rapuerit, non ſimpliciter pulchra, ſed ei tantùm, cuius animam mouerit pulchra erit. Quare ſi omnium animas communi quodam conſenſu admodum alliciente, vel plurium, ſimpliciter pulchra eſt dicenda. Vi autem ſuæ formæ morúmque concinnitatis adiecimus, quoniam niſi gratia in puella vtramque præparationem habuerit, ex parte ſua ſimpliciter pulchra nunquam dici po-

erit. Diximus autem ad deſiderium ſuæ fruitionis, non autem ſui vſus. Nam licèt vſus & fruitio interdum confundantur, interdum verò vti mortalium, frui autem diuinarum rerum ſit, vt Aurelius inquit: tamen perfrui id intelligo, quod Petrus Lombardus Aurelij auctoritatibus voluit eſſe intelligendum, vt ſit frui, amori inhærere propter ſeipſum tantùm: in hoc enim tria ſunt, amantis acceptatio, in re ipſa accepta delectatio, & in huiuſmodi rei acceptæ delectatione quies. Hoc pacto homines pulchris frui videntur: eis enim fruendo, res ipſas pulchras acceptant, & in acceptationibus delectantur, & in delectationibus quieſcunt, nihil præter has deſiderantes. feræ autem non ſic ſenſibilibus frui poſſunt: quærunt enim in ipſis aliquid præter voluptificas ſenſationes, vt cibos, vel generationem ſimilis, & ideo in ſenſibilibus ipſis nec pulchra agnoſcunt, nec eis fruuntur. At vti eſt in re accepta voluptatem, & in voluptate aliquid vltrà quærere. Hac ratione, vt Platonicè loquar, differt amor, quo homo deſiderat pulchra, & ferina concupiſcentia, qua feræ fœminas concupiſcunt. Nam humanus amor eſt deſiderium fruendi pulchri propter voluptatem tantùm, ferina verò ipſa concupiſcentia propter generationem ſui ſimilis. Hinc fit, vt vſus animalium, quo fœminis vtuntur, non ſit abſque concubitu. Frui verò quo homines pulchris fruuntur, vt Platonici autumant, abſque concubitu: aut, vt breuioribus vtar, fruitio, & voluptas differunt. nam voluptas eſt perfectio operationis, fruitio verò eſt quies in ea couſque quouſque operatio illa delectat. Vti autem non differt ab ipſo frui, niſi quia communius eſt. Verùm de his diligentiùs poſtea. Erit igitur in homine duplex amor apud Platonicos: humanus, qui etiam moralis dici poteſt, quoniam in ſola illa videndi, audiendi, olfaciendi, atque tangendi oblectatione perficitur abſque veneris vſu, atque concubitu: in hac enim ſola remanet oblectatione, nec vltrà deſcendit. Et ferinus, qui vltra huiuſmodi oblectationem deſcendit in venereum ipſum vſum: quoniam non ſolùm delectationem, ſed generationem quærit homo. Primus amor actiui, atque morati hominis, ſecundus voluptarij atque ferini eſt: poteſt enim moratus homo puellæ pulchritudine per

ſenſus

ſenſus omnes frui, nihil vltra fruitionem, atque oblectationem quærendo, quemadmodum per viſum ſolum cœli ornamento, & per auditum vocum harmonia, nihil præter voluptatem deſiderans. Si enim vltrà deſcendit, non humanus, ſed ferinus amor erit. Vtrum verò amans puella amata frui poſſit per quinque ſenſus abſque veneris appetitu, poſteriùs diſputabimus: nunc verò hæc pro Platonicorum opinione dicta ſint. Sed quoniam in pulchra ipſa puella quæ omni ex parte pulchra cenſetur, duplex eſt præparatio diſponens ad gratiam, illa magis laudatur, quæ animos magis mouet, rapitque. Talis eſt morum concinnitas, quam Ariſtoteles ſecundo Oeconomicorum tradit, cùm inquit, Nec veſtimentorum nitor, nec excellentia formæ, nec auri magnitudo tantum valet ad mulieris laudem, quantum modeſtia in rebus, ac ſtudium honeſtè, decorè viuendi. vbi perſpicuum, eam pulchritudinem in puella eſſe magis laude dignam, quæ animi, morúmque concinnitas dicitur, quam modeſtiam, ac ſtudium honeſtè, decoréque viuendi appellauit Ariſtoteles.

Corporeas voluptates, quæ in vſu venereo ſunt, non eſſe optimas, eas verò, quæ in pulchri fruitionibus conſiſtunt, optimis aut ſimiles, aut eaſdem eſſe.

CAPVT L.

EX his, quæ dilucidauimus, perſpicuum eas voluptates, quæ corporeæ ſunt, non eſſe optimas: eas verò, quæ in pulchri fruitionibus conſiſtunt, eſſe optimas, aut optimis ſimiles: nam voluptates non vna ratione habentur: ſunt enim, vt Ariſtoteles inquit ſeptimo Ethicorum, nonnullæ incorporeæ, & de his ea voluptas eſt, in qua felicitas habetur: ſunt enim propter ſe expetendæ: non enim ob aliud quæruntur, quàm propter ſe. aliæ verò ſunt corporeæ, vt quæ in venereis, cibis, potibúſque collocantur, & hæc non propter ſe, ſed vt medelæ affectuum, paſſionúmque

Digitized by Google

quibus angimur, expetuntur: nemo enim delectabitur in cibis, aut potibus, aut venereis, niſi fame, vel ſiti aut ferina concupiſcentia laborauerit. Expetitur itaque cibus, vt medela famis: potus verò, vt medela ſitis: Venus autem vt medela ferini, quo laboramus, amoris. Fruitiones verò rerum pulchrarum, licèt primo aſpectu amorum medelæ videantur, tamen aut ſunt optimæ, aut optimis proximæ, vel ſimiles. Sunt enim ſine dolore, quemadmodum quæ optimæ: non enim dolore aliquo afficitur, qui per viſum vel auditum, vel cæteros ſenſus pulchro fruitur: qui verò cibis, potibus ac venereis vtuntur, adeo laborant interdum, vt in ſæuos morbos ſæpius incidant. Sed cur multis corporeæ ipſæ voluptates expetendæ magis ſint, non eſt parua quæſtio. Nam cùm incorporeæ ſint ſimpliciter bonæ, corporeæ autem bonæ, modo quo medelæ bonæ, videntur incorporeæ expetendæ magis. Ariſtoteles Philoſophorum monarcha libro Ethicorum ſeptimo cauſam ex eo aſſignauit: quia corporeæ voluptates pellunt dolorem, qui vehemens eſt. At medela magis expetenda eſt, quæ vehementiori morbo opitulatur. Quare cùm corporeæ ipſæ voluptates vehementiorum paſſionum medelæ ſint, fit, vt multo magis hæ voluptates, atque ardentiùs expetantur illis, quæ non vt medelæ, ſed propter ſe tantùm deſiderantur.

Non ſemper eiuſdem pulchri fruitionem nos delectare.

CAPVT LI.

CVR verò non ſemper eiuſdem pulchri fruitio nos oblectet, eodem libro Ariſtoteles Philoſophorum longè princeps cauſam ex eo tradit: quoniam noſtra natura non eſt ſimplex, nec ſemper eadem, quinimmo quæ mane eſt, altera eſt ab ea, quæ veſpere erit. Cùm verò natura multifariam varia fuerit, alia atque alia idiotropia, indiuidualique complexione afficietur. Quo fit, vt aliud, atque aliud inde deſiderium ſurgat: quippe cùm, vt ſuperiùs diximus, deſiderium pro variatione complexionis varietur, alia enim ægroti, alia ſani hominis appetitio eſt, quoniam

indiuidua complexio alia. Sed quoniam Deus ſimplex ab variatione omni penitus abiunctus eſt, fit, vt ſemper vna, atque ſimplici gaudeat voluptate, eiuſdémque pulchri fruitione: ex hac inſuper cauſa proficiſcitur, vt varietas in fruendis pulchris ſit iucundiſſima ob naturæ humanæ quandam ingenitam prauitatem. Quemadmodum enim homo ex vſu prauus prauorum mutatione gaudet, ſic humana natura, quæ ſui innata variatione praua admodum eſt, variatione eorum, quibus fruitur, gaudere videtur: ſimile ſiquidem ſimili ſemper natura delectatur: quieſcit enim in vno humana natura nunquam, quia coæua, atque naturalis eſt ei carentia: cùm enim tolli non poſſit ab humana natura carentia, in nullo quieſcere ipſa poteſt, quin ipſa ſemper careat.

Pulchri fruendi deſiderium diutiùs permanere, eo ferino amore, qui eſt vtendi.

CAPVT LII.

NEc erit ex his, quæ diximus, difficile aſſignare cauſam, cur pulchri fruendi deſiderium diutiùs permaneat eo ferino amore, qui eſt vtendi: dicimus enim in pulchro duplicem præparationem: alteram ex parte animi, & eſt morum concinnitas: alteram ex parte corporis, & eſt forma ſpectabilis. Sicut igitur amicitia, quam fouet honeſtum, maxima eſt, atque permanentior, vt inquit Ariſtoteles octauo Ethicorum: ita amor, quem ſeruat forma, quæ morum concinnitati coniungitur: hæc enim pulchritudo propter ſe expetitur. quæ verò coniungitur animi vitiis, non propter ſe, ſed ob vſum veneris, quæ cum ætate tandem pertranſit.

Digitized by Google

Amorem perfectum non eſſe plurium ſimul.

CAPVT LIII.

POTERIS etiam ex iis cauſam afferre, cur perfectus amor ardentiſſimúſque plurium eſſe nequeat. Ariſtoteles enim perfectum amorem, ac ardentem perfectæ amicitiæ comparauit. Pluribus verò eſſe amicum ſimul non datur, nec eſt bonum, quare nec plurium amantem eſſe decet. Deinde ardens amor exuperationi eſt ſimilis, exuperatio autem vni ſoli conuenit: non igitur amor, qui exceſſus eſt quidam deſiderij, plurium eſſe poterit. Poſtremò accedit, quòd plures eidem ardenter placere non facile ſit.

Amari ei puellæ iucundum eſſe, quæ amatur.

CAPVT LIV.

QVOD verò amari ei puellæ iucundum ſit, quæ amatur, ea ratione probat, quoniam cùm amatur, imaginatio fit, quòd bonum ei inſit, quod qui ſentiunt, vt Ariſtoteles inquit primo Rhetoricorum, omnes cupiunt. Præterea honorari, atque admirari iucundiſſima ſunt: cuius rei argumento nobis ſunt aſſentatores, quibus perlibenter aures præbemus: quia nos honorare, atque admirari videntur. Qui verò amant, honorant, ac admirantur. Quare fit, vt amari iucundum ſit puellis. Sunt nobis in re hac ſigno adulatores, qui nobis periucundi ſunt, quoniam amare videntur. Inſuper vnumquodque natura amat ſe, appetit enim vnumquodque ſui conſeruationem natura. At ſi puella ſui natura amat ſe, ſui etiam natura amabit cuncta, quæ eam in optimo ſtatu ſeruabunt. Talia ſunt bona, honeſta, voluptifica, atque vtilia: his enim omnibus, vel pluribus puella in optimo ſtatu ſeruatur. Quare amabit natura illos qui hæc omnia, vel plura ei volunt & ferunt. Sunt autem qui ei hæc volunt & ferunt amantes Quare puella amata ſuapte natura eos redamabit, qui eam amant, modò ex aliquo accidente contrarium non emerſerit. Verùm de his poſtea.

Digitized by Google

Puellam longè magis gaudere, quia amatur, quàm quia amat.

CAPVT LIV.

QVIBVS etiam dilucidum erit, puellam longè magis gaudere, cùm amari ſe ſenſerit, præſertim à laudatis viris, quàm cùm amat. cùm enim amari ſe nouerit, honorari quoque ab amante cenſet. At vnuſquiſque longè magis gaudet honore ſibi tributo, quàm ea honoratione, quam alteri exhibet. Quare puella omnis longè magis gaudet cùm ſenſerit ſe amari potiſſimum à viris laude dignis, quàm cùm amat.

Non poſſe puellam amari, quin amet, potiſſimùm cùm à laudatis viris ſe amari nouerit.

CAPVT LV.

INSVPER ex iis quæ diximus nemo dubitare debet, puellam amari non poſſe, quin amet, præſertim ſi à viris laudatis ſenſerit ſe amari: nec nos amare puellam poſſe, quin ab ea amemur, modò inter amatam, & amantem ſymbolum quoddam affuerit, atque ſimilitudinis ratio: Nam vt eodem libro Ariſtoteles inquit, amare eſt aut honorem exhibere, aut non abſque honoratione: non enim eſſe poteſt quiſpiam amans, quin puellæ amatæ honores exhibeat. Quare ſicuti puella honore ſibi tributo gaudet, præſertim à viris laudatis, propterea quia confirmare opinionem eam cognoſcit, quam de ſe affectat: ita quoque amore quo ab eis diligi ſe ſentit. Quare cùm ipſa amore ſibi exhibito gaudet, amante etiam gaudere neceſſe eſt. At gaudium amor quidam eſt. Non igitur amari poterit, quin amet, præſertim cùm à laudatis viris ſe amari ſenſerit. Præterea vnuſquiſque naturali deſiderio ſeipſum amat, vt diximus: nam deſiderio naturali vnuſquiſque appetit ſui ipſius conſeruationem, & ſibi ipſi bonum. Quòd ſi omnes naturali deſiderio

ſeipſos amant, eos etiam amare cogimur, qui nos amant, & bonum volunt, modò crediderimus ab illis & voluptatem, & honorem nos reportare poſſe: à multis enim puellæ amantur, è quibus qui honores, vel voluptatem ſe reportare poſſe non exiſtimant, eos nequaquam redamant. Hinc patet fieri non poſſe nos amare, quin amemur: ſi enim aſſentatores amamus, qui amare nos ſimulant (eſt enim aſſentator amicus fictus) neceſſariò eos amare compellemur, quos verè nos amare crediderimus. Sicuti enim naturale eſt, vnumquemque ſeipſum amare: ſic nobis naturale erit, eos omnes amare, è quibus & amari, & voluptatem, aut honorem reportare putauerimus. Quod ſi occurret, puellas nonnullas aliquãdo eos odio perſequi, à quibus amantur: facilè dicemus, puellas per ſe amari non poſſe, quin redamẽt: ex accidente tamen poſſunt eos odio perſequi, à quibus amantur: vt puta, cùm ſenſerint ſe ab eis iniuriam magis aut dolorem, quàm honorem vel voluptatem reportare. Aut meliùs dicendum, fieri non poſſe, vt puellæ non redament, cùm amari ſe ab amantibus omnino arbitrentur, amore (vt ita dixerim) naturali, aut concupiſcentiæ, amore autem iudicij vel beneuolentiæ redamare non cogentur. Eſt autem amor concupiſcentiæ affectus appetitus ſenſitiui. Amor autem beneuolentiæ eſt iudicium quoddam ſequens electionem, quo alicui bona volumus.

Deſiderétne puella deformis amari magis, an pulchra.

CAPVT LVI.

INTER amatorias quæſtiones illa primò quæri ſolet, Cùm puellæ omnes, cùm amantur, redamare coguntur, vtrum puella deformis amari magis quàm pulchra deſideret. Eſt enim quæſtio pro vtraque parte ambigua: nam cùm deſiderium à carentia proficiſcatur, & deformis minus amari quàm pulchra ſoleat, videtur amandi ab amantibus deſiderio longè magis, quàm pulchra affici, quæ à pluribus, & ſæpius amatur. Deinde Deus, & natura nihil fruſtra facit. Quare ſicuti fruſtra eſſet calceus, quo nullus pes calciaretur,

Digitized by Google

fruſtra quoque erit puellæ pulchritudo, quæ facta eſt vt ametur, ſi à pluribus, & ſæpiùs non ametur. Quare natura inſtituente pulchra longè magis appetit, quàm deformis amari. Fortaſſe cùm triplex amor ſit: & naturalis, qui eſt inclinatio quædam, qua imperfectum tendit in ſui perfectionem: & animalis, quem concupiſcentiæ dicunt: & beneuolentiæ, qui naſcitur ab electione. Deformis amore natiuo amari magis, quàm pulchra deſiderare videtur, quippe cùm ex tali amore tendat in ſui perfectionem: eſt enim ob deformitatem imperfecta, quare & longè magis, quàm pulchra perfectionem deſiderans. Pulchra verò amore concupiſcentiæ longè magis, quàm deformis: habet enim pulchritudinem ſibi à natura tributam propter concupiſcentiam. Appetitu verò beneuolentiæ interdum deformis, nonnunquam pulchra amari magis deſiderat, quatenus nunc hæc, nunc verò illa meliùs, vel peiùs aſſueſcere à cunabulis per pædagogos aſſueuit.

Sitne pulchra natura continentior quàm turpis.

CAPVT LVII.

DVBITARVNT etiam, ſitne pulchra natura continentior, an turpis. Dixerunt nonnulli, qui Platonem ſectantur, à Deo eſſe in puellis pulchrum: pulchri autem centrum bonitas, ac virtus eſt, quippe cùm pulchrum Plato circulo ſimile eſſe aſſerat, cuius centrum, vt diximus, bonitas eſt, & probitas. Deinde turpe plerumque improbitas comitatur, ergo pulchrum probitas. Phyſionomi enim tradunt in contorto corpore perrarò rectam animam habitare poſſe, quare in pulchro, rectóque plerumque rectam, probámque. Huic rei aſtipulantur arbores, quare florum pulchritudo teſtatur fructuum bonitatem: in mutis quoque animalibus cernimus ea, quæ pulchra ſunt plerumque bona eſſe: quæ verò deformia, mala, vt in equis, canibus, auibus, cæteríſque id genus. Poſtea in rebus ferè omnibus quæ ſunt natura, videmus eas, quæ pulchræ ſunt, bonas eſſe, vt cœlum, quia pulchrum eſt, bonum cenſetur. Cur igitur homo

Digitized by Google

ſi pulcher fuerit, non erit probus? eſt enim homo mundus paruus. nec ſolùm in rebus naturalibus, ſed in arte confectis idem cernitur. Nauis enim, quæ pulchra eſt, bona cenſetur, domus, ſtatua, & cætera id genus ſimiliter. Qua ratione fit, vt puellæ quò pulchriores, eò probiores cenſendæ ſint. Quòd ſi Poëtæ ſcribant raram eſſe concordiam formæ, atque pudicitiæ, vt Iuuenalis, & Ouidius tradiderunt: fortaſſe hoc non natura, ſed educatione fit, aut accidente, vt paupertate, amantium frequentia, ac continua vexatione: inſuper & locorum opportunitate, & id genus. & licèt pulchritudinis amore & concupiſcentiæ puella pulchra amari magis, quàm turpis deſideret, vi autem naturæ, quæ complexio eſt, temperantior, continentior, atque moratior eſt.

Aſpectum eſſe amantibus amabiliſſimum.

Capvt LVIII.

QVod verò amantibus videre puellas, quas amant, amabiliſſimum ſit, ex eo probauit Ariſtoteles omnium philoſophorum magiſter libro Ethicorum nono, quoniam per ſenſum viſum maximè eſt atque oritur amor: gignitur enim amor ex pulchro agnito, cùm ſit aliud nihil, vt ſæpè diximus, quàm deſiderium fruendi pulchri: quare quemadmodum amici in mutuo conuictu potiſſimum gaudent, ita quoque amantes in mutuo aſpectu: vnde & primo libro de partibus animalium aſſerit ita eſſe de puellis, vt de ſuperis ipſis, ac diuinis ſubſtantiis: nam quemadmodum cùm ſuperas illas ſubſtantias attingimus, licèt eas leuiter attingamus, ob eius tamen cognoſcendi generis excellentiam ampliùs oblectamur, quàm cùm nobis iuncta omnia tenemus: ita cùm quamlibet partem, minimámq; noſtrarum puellæ deliciarum viderimus, gratius erit, ac iucundius, quàm ſi perſpexerimus cæterorum hominum membra tota: per quæ declarauit nihil eſſe amantibus gratius aſpectu, præſertim cùm mutuus fuerit.

Amo-

Digitized by Google

Amorem non ſemper à viſu oriri.

Capvt LIX.

MAona addubitatio eſt, poſsítne quis amore capi ab ea puella quam nec viderat, nec loqui audierat. Philoſtratus in ſuis Heroibus aſſerit, Poëtas velle amorem primùm à puellæ viſu proficiſci, ſeruari verò pòſt illius idolum ab ea animæ virtute, quam philoſophi memoriam vocant, per imaginationem autem ſæpe reuideri, atque recognoſci, & ex ea recognita angi, affligi, noctu, diúque vexari. Sunt tamen exempla huic opinioni contraria, præſertim Aurelio aſſerente, inuiſa atque inaudita amari, atque diligi poſſe, incognita verò haudquaquam. Achilles enim, vt quidam aiunt, qui Troiæ aderat, & Helena, quæ in Ægypto manebat, abſque mutuo aſpectu ſe perditè adamarunt; ſola enim hinc inde narratione audita ſe inuicem deperierunt. Non multis annis ante nos Rudelſus Blaiæ dominus Comitiſſam, quæ Tripoli imperitabat, ſuæ pulchritudinis fama per eos peregrinos delata, qui ex Antiochia redibant, ſummopere deperiuit: qui illius amore exardens in Tripolim adnauigauit, vt eius, quam audierat, pulchritudine frueretur. captus verò in itinere à ſæua ægritudine cùm tandem ad eam perueniſſet Deo gratias agens, quòd tantum numen videre ſibi conceſſiſſet, in illius puellæ brachiis non abſque animi vtriuſque mœrore è vita exceſſit. Nec ab ratione eſt, quod hi opinantur: ſi enim amor deſiderium fruendi pulchri eſt, & poteſt quis inuiſum pulchrum deſiderare, vt eo fruatur, fit, vt inuiſa, atque inaudita interdum vi famæ amentur. Ariſtoteles etiam Ethicorum octauo aſſerit, poſſe nonnunquam inter aliquos, qui ſeſe nunquam viderint, mutuam eſſe beneuolentiam, licèt non amicitiam, quare & mutuus amor. Hunc in modum, vt quidam volunt, Paris claſſem inſtruxit, Spartámque viſendæ Helenæ pulchritudinis cauſa appulit. Verùm ſi res hæc ita eſt, amor, qui poſt aſpectum naſcitur, longè feruentior eſſe ſolet eo, qui fama duntaxat exoritur, modò præ-

Digitized by Google

ſentia famam non minuat, & gratia, quæ ex viſa pulchritudine proficiſcitur, non occurſet.

De ætate pulchritudinis.

CAPVT LX.

QVÆ verò ætas pulchritudini magis idonea ſit, nondum exploratum eſt. Hippias viridem iuuentam autumat, cùm virginem pulchrum ipſum eſſe affirmarit: cui & Ariſtoteles fauere videtur in flore ætatis pulchritudinem pullulare aſſerens. Verùm omnis ætas pulchritudini apta eſt, ſi mulier mulieribus comparetur, quæ ſuæ ætatis ſunt. Non deſunt, qui arbitrantur, gratiam, quæ ex pulchro exoritur, iuuentæ maximopere idoneam eſſe, morum verò concinnitatem, quæ eſt animi pulchritudo, ipſi ſenectæ conuenire. Aut fortaſſe pulchritudini, quæ animi concinnitas eſt, vt diximus, omnis ætas idonea eſt, etſi gratioſior ei ſit iuuenta: formæ autem ſola viridis ætas, quod Hippias & Ariſtoteles probarunt.

Quòd qui amore alicuius exardet, ſemper ſit in eo.

CAPVT LXI.

QVONIAM autem altera voluptas cùm in exceſſu fuerit, alteram prohibet, (qui enim fiſtulis delectantur, nequeunt mentem ſermonibus adhibere, ſi quempiam audierint modulantem, magis modulatione gaudentes, quàm operatione præſenti) hoc idem, vt Ariſtoteles decimo Ethicorum inquit, & in cæteris vſu venit, cùm circa duo ſimul quiſpiam operatur: operatio enim iucundior alteram excludit, & quæ maiore voluptate præcellit, longè magis prohibet, atque remittit alteram, atque adeo, vt neque operetur per illam. Quocirca cùm vehementer aliqua re gaudemus, non valde aliud agimus, & alia facimus, cùm parum nobis alia placent. Quare & in affectibus simili ratione, qui amat vix aliud facere poterit, amore, qui eſt

pulchri fruendi deſiderium, cætera prohibente, atque excludente, vt ſit verum illud Poëtæ,

Et ſi quid faciam nunc quoque quæris, amo.

In animalibus mutis eam fœminam, quæ vnius animalis animam rapit ad ſui vſum, omnes, quæ in eodem genere ſunt, rapere, non ita in hominibus eandem puellam.

CAPVT LXII.

NON erit autem difficile declarare, cur in multis animalibus ea fœmina, quæ vnius animalis animam rapit ad ſui vſum, omnium in eodem genere animas rapiat: non ita in hominibus eadem puella: nam cuique animali propria voluptas eſt, ſicut & opus, vt decimo Ethicorum Ariſtoteles ſapientum magiſter tradit. Alia namque equi voluptas eſt, alia canis, alia hominis, quemadmodum & Heraclitus dicit, Aſinum ſtramina magis optare, quàm aurum. Aſinis enim pabulum auro iucundius eſt. Variant autem non parum in hominibus, eadem enim alios dolore afficiunt, alios delectant. hoc & in dulcibus accidit: non enim eadem dulcia febricitanti, atque ſano videntur. Huius rei cauſa eſt, quoniam voluptates aliorum animalium naturalem inclinationem ſequuntur, quæ in eadem ſpecie bona eſt: hominum verò voluptates, rationem, quæ non ad vnum determinatur: & per rationem intelligendum eſt, ſiue veram, ſiue hallucinatam, quod Horatius non ignorauit, cùm dixit Nec velle cuiquam eſſe vnum, nec votum, quippe cùm hominum ſpecies ſint mille, & vſus earum diſcolor. Cùm igitur in mutis ipſis animalibus nulla ſit ratio nec vera, nec hallucinata, ſed appetitio eadem, ceu anima eadem, ſit, vt in ipſis ea fœmina, quæ vnius animalis animam rapit ad ſui vſum, omnium animas rapiat: ſecus in hominibus, vbi rationes ſaltem hallucinatæ variant.

Perfectam pulchræ puellæ fruitionem abſque tactu, guſtu, atque olfactu non eſſe.

CAPVT LXIII.

QVONIAM fruitio pulchri eſt finis amoris humani, cùm amor humanus, vt ſuperiùs diximus, fruendi pulchri deſiderium ſit: ideo addubitatum eſt, ſitne perfecta pulchræ puellæ fruitio, abſque tactu, guſtu, & olfactu, an imperfecta. Plato aſſerit per tres animæ partes pulchrum animos rapere, per viſum videlicet, aut per auditum, aut per mentem, aut per has omnes, vel plures. Quare propter hæc perfectam eſſe pulchræ puellæ fruitionem non dubitat ſine tactu, olfactu, & guſtu, cùm nec in tactilibus, nec in olfactilibus, nec in guſtatilibus pulchri ratio ſpectetur: quam partem diuinus ille Thomas Latij decus in his commentariis, quæ in libro Ethicorum ſcripſit, probauit ex eo, quia finis amoris eſt in his habendus, in quibus eſt initium, amórque ipſe. At conſtat amoris initium, amorémque ipſum in viſibilibus, atque auditilibus, & intellectualibus eſſe: fit, vt in his finis ſit habendus, quæ eſt pulchri fruitio. Nos verò arbitramur pulchræ puellæ fruitionem, cui nihil humani deſiderij deeſt, quo humanum deſiderium eſt, perfectam eſſe non poſſe, niſi anima quæ rapta eſt ab ipſius puellæ pulchritudine, in qua omnis præparatio ad gratiam ſuſcipiendam eſt, per eos omnes ſenſus ea fruatur, per quos omnis præparatio agnoſcitur. & quoniam, vt diximus ſuperiùs, per olfactum, guſtum & tactum in ea cognoſcit rationes pulchri: per olfactum enim ſuauitas in odore: per guſtum autem dulcedo in labellis, lingua & ore: per tactum verò lenitas carnis percipitur, quas muta animalia in ſuis fœminis nequaquam ſentiunt. Præterea, vt ſuperiùs diximus, ſine his nulla puella omni ex parte pulchra eſt cenſenda. quis enim iudicabit eam pulchram omni ex parte, ſi eius caro inſuauis, ſi dura, ſi aſpera ſit? inſuper ſi caro, & os fœtorē exhalarint, ſi os, lingua, labella inſipida fuerint? Quare cùm in his turpis ratio habeatur, cur in ſuauitate, mollitie, leni-

Digitized by Google

tate, & partium odore atque dulcedine pulchrum habendum non eſt? Quòd autẽ ita ſit, puellæ ipſæ nobis ſigno ſunt, quæ vt pulchriores reddantur, odoribus, vnguentis rebúſque odoriferis ſe illinunt, lauacris quoque quæ carnes abſtergunt, ſe lauant ac leniunt, labella, os, linguam dulci ſapore afficiunt. Diximus, cui nihil deeſt, quo humanum deſiderium eſt: quoniam quo amor ferinus eſt, niſi ad vſum veneris defluat, quieſcit nunquã: quo verò amor humanus eſt, ac humanum moraléque & rationale pulchri fruendi deſideriũ non vltro proficiſcitur, niſi quouſque homini ſeruet ſui propriam rationem, at cùm in vſum venerit, in ferinam labitur voluptatem. In quibus verò anima ſolùm per viſum percipit pulchrum, vt in ædificiis, ſtatuis, cæteríſque id genus, in his fruitio per ſolum viſum perfecta omni ex parte eſſe poterit. Simili modo in quibus per auditum, vt in vocibus, orationibus, cæteríſque talibus, ſolùm per auditum. Sed quoniam in puella pulchrum anima percipit per viſum, auditum, olfactum, ac tactum ſolo guſtu excepto, ſi fuerit ipſa ſimpliciter, omníque ex parte pulchra, per quæ ferina anima in nulla ſuarum fœminarum percipere poteſt, fit, vt rapiatur ad fruendam puellam per omnes huiuſmodi ſenſus. Quare perfecta pulchri fruitio, quod per huiuſmodi ſenſus omnes animam rapit, abſque tactu, & olfactu non eſt, nec eſſe poterit. Vtrum verò fruitio pulchri eſſe poſſit, & amor ſine appetitu veneris, poſtea diſſerendum.

De pudore, in quo animi pulchritudo pro magna ſui parte habetur in puellis, quæ omnino atque ſimpliciter pulchræ ſunt.

CAPVT LXIV.

QVONIAM, vt diximus, gratiæ quæ pulchritudo eſt, præparationem potiſſimam habet in morum concinnitate, cuius vna pars eſt pudor, ideò de pudore diſſerendum, quippe cùm ſapientes de ea varia ſentiant. Academici tradiderunt, pudorem moderatorem eſſe optimum cupiditatum, ne audeat quiſpiam cuiquam aut dicto proteruo, aut facto im-

probo nocere: hæc namque perfacilis ratio eſt conciliandæ hominum gratiæ, & promerendi amoris. Stoici verò, vt Gellius inquit, pudorem ignominiæ metum eſſe definierunt: & primas quidem ætates valde addecet, optimæque indolis ſignum præbet: intimo enim ſanguini animus reuerentia quadam affectus mergitur, & faciem rubore perfundit. His adoleſcentibus Cato maior ſe delectari aiebat, qui minima quæque errata metuentes etiam in rectè factis erubeſcerent, non autem illis, qui palleſcerent: illud quidem ingenui pudoris indicium eſſe, hoc autem impudentiæ aut vecordiæ. Idem ſentire viſus eſt Diogenes Cynicus: nam cùm adoleſcentem quendam alloqueretur, cernerétque eum rubore perfuſum, Confide ait, color enim iſte virtutis eſt index. Pythias Ariſtotelis filia rogata quem pulcherrimum iudicaret colorem pro facie ornanda, Qui, inquit, ex pudore oritur. Hunc affectum quidam caſtigatiùs loquentes verecundiam appellant, vt ambiguitatem verborum fugiant, & pro virtute ſemper eam ponunt, cùm pudor etiam in malefactis quandoque dicatur. Verecundia autem recti honeſtíque rationem habet. Alij verò pudorem à verecundia ſic ſeparant, vt pudor ſit rei turpiter actæ, verecundia etiam rectè facti atque honeſti. Sed Ariſtoteles quarto Ethicorum libro verecundiam ait timorem quendam eſſe dedecoris: hanc fieri aſſerit propè ſimiliter, ac timorem in rebus grauibus: nam qui verecundantur, erubeſcunt: qui verò mortem timent, palleſcunt: quod cùm vtrumque ad corpus accommodetur, fit, vt vtrumque magis ad affectum, quàm ad habitum videatur pertinere. Non autem ad quamuis ætatem is affectus, ſed ad iuuenilem accommodatur: putamus enim eos qui huius ætatis ſunt, verecundos eſſe oportere, vt cùm non ſine perturbatione viuant, multúmque ob hoc peccent, à verecundia prohibeantur delinquere. Quare iuuenes verecundi laude digni ſunt. Sed nemo ex eo ſeniorem hominē laudabit, quia eſt verecundus: nihil enim eorum ipſum oportere cenſemus agere, pro quibus emergere verecundia ſolet. neque enim homini probo verecundia competit: quippe cùm pro rebus improbis fiat, non ſunt res tales agendæ. Alij tradunt verecundiam eſſe ingenuum quendam pudo-

Digitized by Google

rem, quo perciti etiam recta & honeſta agere erubeſcimus. & licèt pudor ac verecundia ſimilitudine quadam teneri videantur, aliquantulum tamen inter ſe differunt: eſt enim pudor timor quidam iuſtæ reprehenſionis, verecundia autem aſpectum honeſti viri, vel coniunctæ multitudinis, in rectis etiam actionibus veretur: proinde cuſtos decori eſſe videtur, atque honeſti conſilij mater. Nam qui bene agere ſtudet, nihil magis veretur, quàm ne quid indecorè agat. Iccirco verecundia artifex effectríxque diligentiæ eſſe dicitur: non enim tantum nequid peccet cauet, ſed vt honeſtè decoréque agat omni ſtudio, omníque diligentia nititur. Protagoras apud Platonem ait mortalibus, qui vt ferarum vires vitarent, vrbes condere atque in vnum conuenire cœperant, Iouem Mercurium miſiſſe cum iuſtitia & pudore: rogatus verò à Mercurio num eſſet vtrumque hominibus omnibus traditurus, Omnibus, inquit, omnes ſiquidem horum participes eſſe debent. Multa ſunt exempla Romanorum, aliarúmque gentium, quibus manifeſtè patet, pudorem res profligatas reſtituiſſe, & proſtratos exercitus ad victoriam erexiſſe, atque horrenda multa prohibuiſſe. Iulij Cæſaris exercitum ad Cordubam contra Pompeium iuniorem perterrefactum iam & de fuga magis quàm de pugna meditantem pudor reſtituit, cùm milites omnes audiuiſſent Cæſarem exclamantem, Hic dies mihi finis vitæ erit, & militiæ veſtræ vltimus: quibus dictis clypeum obuij militis arripuit, ſolúſque hoſtes inuaſit locóque pepulit, ac perturbauit, & ducenta circiter tela in ſe miſſa partim audacter euitauit, partim ſcuto excepit: quo pudore accenſi ac perciti milites, tanto impetu in hoſtem feruntur, vt Pompeium cum vniuerſo exercitu in fugam compulerint, ducéſque eius capta Corduba in quam confugerant, magna ex parte cæſi ſunt, & eorum capita ad Cæſarem perlata: ipſe autem Pompeius inter dumos ac vepres latitans deprehenſus, cæſúſque eſt: caput quoque eius ad Cæſarem perlatum: quod quidem honeſtè ſepeliri iuſſit. Bellum igitur formidoloſum admodum pudoris virtute profligatum ac confectum eſt, & integram victoriam Cæſari præbuit. Perſæ mulieres, quibus ob pudorem nec vomere coram alio, nec vri-

nam facere licebat, fugientibus filiis, pudenda illis nuda oſtenderunt, atque, Vultis, dixerunt, huc repetere fugientes? eáque re permoti pudentéſque reuerſi hoſtes fugarunt. Socrates cùm quendam audiſſet, illoto ore loquentem, caput ſibi chlamyde adoperuiſſe fertur, donec ille peroraſſet. vt ſit pudor verborum optimus moderator, vt neque dicamus quæ turpia dictu ſunt, neque eadem, ſi ab alio dicta fuerint, libenter audiamus. Quare vera eſt ſententia Valerij, aſſerentis verecundiam eſſe omnis honeſti conſilij parentem, ſolemnium officiorum tutelam, innocentiæ magiſtram, charam proximis, acceptam alienis, omni tempore, omni loco fauorabilem præ ſe ferentem vultum.

Exempla mulierum, quæ ob pudorem celebres habitæ ſunt.

CAPVT LXV.

NEc deſunt exempla præſtantiſſimarum mulierum, quæ ob pudoris pulchritudinem celeberrimæ habitæ ſunt. Mileſiæ virgines, cùm ſine vlla euidenti cauſa voluntariam mortem ſubirent, plurimæque ſuſpendio vitam finirent, nullo potuerunt remedio à propoſito diſcedere: decreuerunt tandem Mileſij, vt virgines quæ ſuſpenſis corporibus demortuæ forent, hæ omnes nudæ cum eodem laqueo efferrentur præcinctæ: poſt id decretum pudore ſolo deterritas deinde abſtinuiſſe aiunt. Coluiſſe ſe pudorem non ſine magna laude oſtendit Panthei Lacedæmonij vxor: nam virum ſecuta in Ægyptum, quò is cum Cleomene ſe receperat, poſt viri mortem cùm Ptolemæus ipſam quoque cum cæteris Lacedæmoniis, quæ illic erant, occidi iuſſiſſet, priùs quàm occideretur, veſtem diligenter pedibus obuoluit omnémque aliam corporis partem texit, nudo iugulo relicto, vt honeſtè cadens pudorem, quem per omnem vitam ſeruauerat, inuiolatum relinqueret. Olympia quoque Alexandri Magni mater, cùm eam Caſſander interimi iuſſiſſet, diligenter cauit, ne cadens in morte aliquam corporis partem detegeret, quæ celanda pro matronali pudore videretur.

Virgo

Digitized by Google

Virgo quædam Ægyptia Alexandrina, cùm aſpectu decoro eſſet, veteri tumulo ſe incluſit, illicque 12. continuos egit annos, per paruum foramen cibo, cæteriſque neceſſariis acceptis: rogata autem quamobrem his tenebris ſe damnaſſet, reſpondit cognouiſſe ſe ſui amore iuuenem exarſiſſe, & ne ei vltrà, aut alteri huiuſmodi flammis animum incenderet, tumuli carcerem pro remedio delegiſſe: quæ tanto Spurinæ pudorem, de quo apud Valerium, ſuperauit, quanto ipſius ſexus fragilior erat. Non minus cuſtodiendi pudoris ſtudioſam Martia quoque Varronis filia ſe oſtendit: nam cùm virginitatis candorem illæſum ſeruaret, & ſcalpendi, pingendíque ars inſignis haberetur: quia ea ætate ſtatuæ, imaginéſque plerumque nudæ fingebantur, ipſa præ pudore ne in viris pudenda exprimeret, aut ob id imperfectum opus relinqueret, effingenda virili figura ſemper abſtinuit.

De pudicitia, in qua etiam animi pulchritudo in puellis pro magna ſui parte habetur.

CAPVT LXVI.

NVNC de pudicitia, in qua ſumma mulierum gratia, atque pulchritudo reſidet, diſſerendum. Nam ſunt qui pudorem à pudicitia ſic ſecernant, quòd ille verborum, hæc autem actionum ſit: & ad hanc ſententiam verba illa Ciceronis interpretantur, cùm in Antonium ait, Tu quidem pudorem cum pudicitia ſimul amiſiſti. Alij tradunt pudicitiam eſſe caſtitatis ſpeciem, quæ ſolùm ab iniuria turpium libidinum vendicet: quod Mantuana Camœna docuit, cùm ait, Caſta pudicitiam ſeruat domus. quaſi dicat, caſtigata incorruptáque domus etiam pudicitiam ſeruat. Verùm quicquid de pudicitia ipſa tradatur, ea tamen virtus eſt, quæ vera ornamenta fœminarum facit, quæque nullo auro, nullis gemmis aut margaritis comparari poteſt. Maleolentis cœni putor nullo odore vincitur: nec vnguento indigent qui per ſeſe bene olent. Atqui quandoquidem non omnia in optima etiã fœmina eſſe poſſunt, pudicitia ſola eſt quæ ſuppeditat quæcunque deſunt: hæc dotis inopiam

auget, deformitatem non modò ornat, verùm ad pulchritudinis ſpeciem redigit, ignobilitatem illuſtrat, & denique omnia implet quæ aliqua ex parte deeſſe poſſent. Pudicitia gratam parentibus maioribúſque matronam facit, quarum ſanguinem nullo adulterio vitiatum ſuſpicatur: hæc eandem liberis commendatiſſimam reddit, quibus nec de matre vnquam erubeſcendum eſt, nec de patre ambigendum: hæc denique efficit, vt neque iurgia, neque aduerſam auditionem formident. Hinc illud Xenocratis rectè fertur elementum, puellarum proprium eſſe pudicitiam, non aliter, quàm piſcibus aquam, etiam auibus aërem. Pudicitiam vitæ præferendam, non modò Romani, & Græci, ſed & barbari etiam in ſeruitute conſtituti cenſuerunt. Mithridates Ponti Rex ingenti prælio ſuperatus à Romanis Pompeio Duce, cùm in regni penetralia confugeret, adultam filiam Dripentinam nomine morbi aſperitate vexatam Menophilo eunucho reliquit, in caſtello Gynorio optimè munito: is virginem omni remediorum cura priſtinæ valetudini reſtitutam, patri tutiſſimè ſeruabat: verùm cùm à Mallio Priſco, Imperatorum legato, caſtellum obſideri cerneret, & defenſores deditionem meditari, veritus ne puella captiua virginitatem hoſti proſtituere cogeretur, eam gladio interemit: quo quidem ex vulnere auulſo ſeipſum transfodit, ne minus diligens cuſtos creditæ ſibi pudicitiæ videretur. Nec idem eſt virginitas, & pudicitia. nam mulieres, quæ virum habent, pudicæ eſſe poſſunt, non autem ſemper virgines. Iulia Firma patritia Sueſſana, vt in epitaphio legitur, pudica dicebatur: quia poſt mortem viri caſta ſeruauit thorum viro. Cicero obiurgantibus quòd ſexagenarius Popiliam virginem duxiſſet, cras mulier erit inquit.

Exempla mulierum, quæ ob pudicitiæ pulchritudinem, ſummis laudibus monumentis traditæ ſunt.

Capvt LXVII.

Sed poſt hæc afferamus exempla excellentiſſimarum mulierum, quæ ob pudicitiæ pulchritudinem ſummis

Digitized by Google

laudibus ſunt honeſtatæ. Teutonicorum coniuges Marium victorem orarunt, vt ab. eo virginibus Veſtalibus dono mitterentur, affirmantes æquè ſe, atque illas virilis concubitus expertes futuras: eáque re non impetrata laqueis ſibi nocte proxima ſpiritum eripuerunt. Exercitu, & copiis Gallogræcorum Cn. Manilio Cos. in Olympo monte ex parte deletis, ex parte captis, Orgiagontis Reguli vxor miræ pulchritudinis à Centurione, cui cuſtodienda tradita erat, ſtuprum pati coacta, poſtquam ventum eſt in eum locum, in quem Conſulis iuſſu Centurio miſſo nuntio neceſſarios mulieris pretium quo eam redimerent afferre iuſſerat, aurum expendente Centurione, & in eius pondus animo, oculíſque intento, Gallogræcis lingua ſuæ gentis imperauit, vt eum occiderent: interfecti deinde caput manibus retinens ad coniugem venit, abiectóque ante pedes eius, & iniuriæ, & vltionis ſuæ ordinem expoſuit. Huius fœminæ quid aliud quiſquam, quàm corpus in poteſtatem hoſtium veniſſe dicat? namque animus neque vinci, neque pudicitia capi potuit. Græca fœmina nomine Hippo cùm hoſtium claſſe eſſet excepta, in mare ſe, vt pudicitiam morte tueretur, abiecit: cuius corpus Erithreo littori appulſum proxima vndis humus ſepulturæ mandatum ad hoc tempus tumulo contegit: ſanctitatis verò gloriam æternæ traditam memoriæ Græcia laudibus ſuis celebrando quotidie florentiorem effecit. Non minus Ciane Syracuſana virgo violatam ab ebrio patre pudicitiam vlta eſt. Etenim ex ea re cùm graui peſte Syracuſæ laborarent, oraculáque reſpondiſſent, de ſcelerato ſacrificandum eſſe: cùm nemo intelligeret ad quem ea res pertineret, Ciane parentem capillis apprehenſum ad aram traxit, illicque manu ſua eum pro victima mactauit, atque ſuper occiſi corpus ſe quoque interemit. Medulina virgo Romana in bacchanalibus ab ebrio patre obſcuro in loco vim paſſa, vt ſtupri autorem agnoſceret, digito eius anullum detraxit, quem aliquandiu ſeruauit, quoad maiuſcula facta ex anuli ſigno patrem iniuriæ autorem cognouit. Itaque tunc denuo deprehenſum ebrium capite ſertis, vt erat, redimito ad aram Fulguris traxit, atque illic multis conſperſum lachrymis, tanquam pudicitiæ ſuæ

Digitized by Google

violatorem ſacrificauit. Sophronia Romana matrona nobilitate inſigni, cùm eam à Maxentio miſſi viri expectarent, ipſa vna tantùm comitata ancilla cubiculum ſuum ingreſſa eſt, vbi poſteaquam longiore oratione ſe Deo excuſauit, ſi ante ſtatutam diem vitam relinqueret, cultello ſibiipſi mortem conſciuit: Lucretiæ Romanæ in eo anteferenda, quòd ipſa ne vel corpus, vel animum, quæ duo inſigni pudicitiæ candore fulgebant, labe aliqua inficeret, manum ſibi iniecit: illa vt læſum iam pudorem excuſaret, ſanguinem cum vita effundere voluit. Captis, euerſiſque à Nicatore Thebis, is in Thebanæ virginis flammas incidit, & muneris loco, quòd ab eo diligeretur, accepturam arbitratus, tamen diu rogando cùm nihil profeciſſet, virgo imminere vim verita cùm in partem feceſſiſſet, aliud à ſe agi velle fingens, mortem manu ſua ſibi conſciuit. Hoc idem quinquaginta quoque Spartanæ virgines fecerunt: nam cùm ad Meſſeniorum vrbem ſacrorum cauſa profectæ eſſent, ſicuti ex fœdere promiſſum erat, Meſſenij iuuenes in venerem eas ſolicitabant, quorum vim vt effugerent incolumi pudicitiæ vitam poſtponentes mortem oppetierunt. Inſigne quoque pudicitiæ exemplum illud fuit, quod duæ Leutris Sedaſio patre in Bœotia ortæ virgines ediderunt: nam cùm abſenti patre duos iuuenes pro veteri hoſpitio domi excepiſſent, ab iis vim paſſæ eodem ferro die poſtera ambæ concordes, cùm prima eo vſa, alteri eius vſum conceſſiſſet, ſe interemerunt, hoc teſtimonio declarantes, etſi corporibus vis allata erat, animos tamen culpæ inſontes manſiſſe. Phithomena Alexandrina virgo, quæ Romani ciuis ſerua, ab eo & propter formam & propter virtutem vehementer diligebatur, & cùm diu promiſſis, miniſque fruſtra oppugnaſſet: dominus tandem amore in odium conuerſo, ad iudices eam ceu Chriſtianam detulit. Cùm autem propter hoc puella de ſententia non moueretur, feruenti pici immerſa hoc tormento vitam agere, quàm pudicitiam violare maluit. pudicitiam profectò mirandam. Non minus indignabundam Anaſtaſia ſe, ne ſuam macularet pudicitiam, oſtendit: nam cùm eam Theodora Auguſta ſuſpicata à Iuſtiniano Auguſto viro ſuo diligi, acerbo verbo carpſiſſet, vt verò experimento

declararet, ſe ea in re Iuſtiniano non reſpondere, Alexandriam profugit, atque illic inter ſacras virgines latuit, vbi poſtea Theodoræ audita morte, cùm ſe impenſiùs, quàm antea à Iuſtiniano Theodoræ iugo liberato diligi audiret, verita ne tandem vis inferretur, eum declinauit amorem, quem permultæ magno ſtudio ſequi voluiſſent. Itaque viriles amicta veſtes, ad extrema Ægypti deſerta aufugit, vbi Anaſtaſij, tanquam vir eſſet nomine ſumpto, diu auſterè, ac ſanctè vixit. Cùm Attilla Hunnorum Rex Aquileiam vrbem oppugnaret, Dugna in ea vrbe nobilitate atque pudicitia inſignis, quæ barbaros iam vrbem irrumpere videbat, quos acceperat in diripiendis vrbibus crudeliter, auaréque rem gerere, neque à mulierum pudicitia iniuriam abſtinere, ne eam vim incurreret, cùm domum in amnis ripa poſitam haberet, à feneſtris in eum ſe præcipitem miſit.

Exempla mulierum, quæ ob excellentiam formæ celeberrima fama claræ fuerunt.

CAPVT LXVIII.

FVERVNT etiam ob formam mulieres ſumma celebritate claræ, quarum aliquæ à Diis, nonnullæ ab hominibus ſunt adamatæ. Ariadne filia Minois forma fuit elegante, quam propterea Bacchus duxit in vxorem, eiúſque coronam ſtellis ornatam in aſtra retulit. Antiopa filia Nyctei, & vxor Lyci Regis Thebarum ſpecioſiſſima propter formam à Ioue adamata eſt, ex qua Zetum, & Amphionem ſuſcepit. Æginam quoque Æſopi, Regis Bœotiæ, filiam ob excellentem pulchritudinem adamauit Iupiter, iacuítque cum ea in ſpecie ignis. Briſeis formoſa adeo fuit, vt Achilles eius amore conflagrauerit, eámque quamuis ancillam plus quàm puellas omnes adamauerit. Cænis puella Theſſala Theſſalidum virgo pulcherrima à Neptuno compreſſa eſt. Cydippe ab Acontio ob præſtantiam formæ adamata eſt. Cynthiam adamauit Propertius, quam ſecundam poſt Helenam canit. Deianira Herculis vxor, vt Ouidius inquit,

Quondam pulcherrima virgo,
Multorúmque fuit ſpes inuidioſa procorum.

Deiphile Tydei vxor nulli fuit formæ lauc ſecunda. Eurydice Orphei vxor, *Puellas*

Tam viſa eſt ſuperare pares cæleſtibus aulis,
Quàm iucunda Venus dominas ſupereminet mes.

Galatheam adamauit Virgilius, cuius pulcl itudo fuit admirabilis. Fuit tam elegans, & concinna Hi odamiæ pulchritudo, vt ad impetrandas eius nuptias cel bratá ſint certamina procorum: in quibus cùm victor et ſiſſet Pelops, puellam duxit vxorem. Hiera fuit vxor Telep i, mulier omnium (quas Protheſilaus vidit) maxima, atc æ pulcherrima. Lauiniæ forma fuit origo belli inter Ænea n & Turnum, quorum vterque eam ſibi vxorem dari volebat Leſbiam adamauit Catullus, quæ cùm pulcherrima tota e at,

Tum omnibus vna omnes ſurripuit Veneres.
Lycorym Gallus, cui pulchritudine nulla
Præferri potuit.

Lamia autore Plutarcho puella fuit ſpecioſiſſima à Demetrio adamata, quæ & tibiis optimè ceciniſſe dicitur: hæc primò canendi, modulandíque ſuauitate gratiam ſibi apud omnes comparauit. Maia Atlantis filia forma ſorores ſuas ſuperauit, ob quam Iupiter cum ea concubuit. Omphale Regina Lydorum fuit facie adeo præſtanti, vt ei ſe ſubmiſerit Hercules. Panthea vxor fuit Abradatæ viri nobilis apud Perſas, quam Cyrus expugnatis Aſſyriorum caſtris duxerat captiuam. Abradata autem abſente, & apud Bactrianos legatum agente Araſpæ Medo ſeruanda tradita eſt, qui apud Cyrum affirmauit nondum eſſe ortam, aut omnino inuentam tota Aſia pulchriorem. Fuit etiam in Semiramide eximia pulcritudo, & facies imperio digna. Siſigambis vxor Darij nulli ſuæ ætatis fœminæ pulchritudine ceſſit, teſte Curtio, quam tamen victo Dario Alexander non ſolùm non violauit, ſed etiam ſummam adhibuit curam, ne quis captiuo corpori illuderet. Tyro puella Salomei filia ob formam à Neptuno adamata eſt. Violantilla Stellæ Poëtæ vxor nulli puellæ pulchritudine ceſſit. Fuerunt & aliæ ferè innumeræ, vt Paſiphaë, Berenice, Hermione, Penelope, Diadamia, Herſilia vxor Romuli, Ero, Virginia, Anaxarete, Antigone, Arachne, Arethuſa, Arſinoë, Polyxena

Digitized by Google

Pelagia, Lycaſte, Iocaſta, Hecuba, Caſſandra, Heſperiæ, Cleopatra, Cælia, Ilia, Heroinæ, & aliæ propè infinitæ, quarum aliæ ſola corporis pulchritudine, aliæ verò non ſola corporis forma, ſed etiam morum concinnitate ab hiſtoricis ſunt decantatæ. Helenæ forma Poëtis omnibus cantatiſſima, laudem meruiſſet maximam, niſi ea Troiæ ruinam, bellique decennalis cauſam attuliſſet. At nemo eſt, cui non ſit odio, quum tantæ cladis, & calamitatis venit in mentem. Magnus Alexander totius propè Orientis victor, & Imperator Roxanam Satrapis barbari filiam matrimonio ſibi iunxit ob ſolam eius pulchritudinem. Quæ verò ob pulchritudinem ardentiſſimo amore fuerunt adamatæ tum à Diis, tum ab hominibus, innumeræ ſunt, ex quibus nonnullas celebriores iterum annotabimus, vt ſciant homines formam non minus claras efficere puellas, quàm ornamenta, diuitias & genus. Fuit itaque Daphne Penei fluminis filia Phœbi amaſia, Gnoſia Ariadna Bacchi, Sappho Phaonis, Hebe iuuentutis Dea Herculis, Syrinx nympha Panos, Ero Leandri, Phyllis filia Lycurgi, Regis Thracum Demophoontis, Iphis Patrocli, Similax Croci, Glycera Pauſiæ Sicyonij pictoris, Campaſpe Alexãdri, quam Alexander ipſe muneri dedit Apelli pictori, Philace Stratoclis, Echo Narciſſi, Flora Dea florum Zephiri, Acme Septimij, Auſilena Quinti, Andromeda Perſei, Leſbia vt diximus, Catulli, Quintilia Calui Licinij, Lyde Callimachi, Batthis Philetæ, Beatrix Dantis Aligerij, Laura Petrarchæ, Licinia Horatij, Stella Platonis, vt Plutarchus autor eſt: Violantilla, vt diximus, Stellæ Poëtæ, Leucadia Terentij Varronis Atacini, Dælia Sulpitia Nemeſis, Neæra Tibulli, Cynthia, vt diximus, Propertij, Melenis Domitij, Pamphila Valerij Æditui, Chryſis Q. Trabeæ Comœdiographi, Martia Hortenſij, Terentia Tullij, Calphurnia Plinij, Pudentilla Apuleij, Ruſticana Symmachi, Corynna Naſonis, Ceſennia Getulici, Argentaria Lucani, Lamia Demetrij, Phryne Timothei, Flora Pompeij, Aſpaſia Periclis, Rodope Pſamnitici, & Antonij Cleopatra. Sunt & aliæ apud Tenedum, Troianis adiacentem inſulam, quas eſſe omnium quotquot ſunt mulieres ſpecioſiſſimas in Aſiæ Periplo, ſcribit Nymphodorus. inſuper & aliæ olim,

Digitized by Google

& tunc, quarum forma celeberrima fuit, quas breuitatis cauſa prætermiſimus. Non autem tu illuſtris Ioanna prætereunda es: non enim ſolùm inter has connumerari mereris, ſed omnibus anteponi: quandoquidem non modò corporis forma, verumetiam pudore, pudicitiáve omnes exuperas. Qua ratione fit, vt ſola noſtro æuo felix ſis habenda, quippe cùm felicitatis partes in puellis ipſis, vt rectè Ariſtoteles probauit, duæ tantùm ſint, pudicitia, cuius comes eſt pudor, & forma, quibus tu ſuper omnes emicas: nec ab ratione ita eſſe, illuſtriſſima Victoria Columna Piſcarienſium Marchio, mulierum decus, iubárque ſplendidiſſimum probauit. Nam ob corporis formam puella cum iis amantibus omnibus pugnat, ac acerrimè contendit, qui eam ardenter deperientes, poſſidere enituntur: ob pudicitiam autem, pudorémve, & ſe ipſam, & eos exuperat, qui eam in ſui votum, iuriſdictionémque adiicere contendunt: non enim aduerſus pudicas amatoria tela valent. Quam rem Lucianus non ignorauit, nam cùm quæreretur ab eo, cur Muſæ ab amoris ſagittis impenetrabiles ſunt, reſpondit, quoniam pudicitia, pudoréve ſunt munitæ, armatæque. Es igitur feliciſſima, cùm felicius, ac beatius poſſit eſſe nihil, quàm acerrimè certare, atque hoſtes vincere, cuius rei ſigno nobis ſunt honores, qui victoribus exhibentur, vt triumphi, laureæ, coronæ, anuli, & cætera id genus.

Exempla eorum virorum, qui propter formam celeberrimam à prioribus ſpecie præſignes habiti ſunt.

Capvt LXIX.

POst hæc de iis viris, qui à prioribus habiti ſunt forma præſignes, quorum aliquos Poëtæ fabulati ſunt, & propterea habent allegoriam. Verùm quia exempla hæc amoris vim atque imperium exprimunt, vehementiùs ſi tanquam hiſtoria geſta narrentur, quàm ſi per allegoriam dicta putentur: ideo de eis exempla afferamus, ac ſi hiſtorica ſint. Itaque forma in primis apud Græcos viſenda, & amabili, vt auctor

autor eſt Plato, fuiſſe Alcibiadem ferunt: apud Romanos verò Scipionem. Demetrium cognomento Poliorcetem, boni quoque huius plurimum vendicaſſe ſibi. Alexandrum fuiſſe formoſum traditur, ſed apragmones, cæterùm & formidabile quiddam formæ inerat eius. Hominum quoque pulcherrimum fuiſſe prædicant Phaona, quem inter lactucas occultarat Venus: ſunt qui probant portitorem fuiſſe hunc, eóque ſe fouiſſe artificio: ad hunc tranſmiſſura Venus cùm appuliſſet quandoque, grate excepta ab eo eſt, etiamſi quænam foret prorſus inſcio: tranſportata verò quò vellet, dicta homini alabaſtrum vnguenti obtulit: quo is cùm ſe oleuiſſet, omnium euaſit formoſiſſimus, atque eo nomine à Mitylenæorum mulieribus ardenter appetebatur: vnde factum, vt adulter demum deprehenſus iugularetur. amatum à Sappho ſciunt omnes, quæ Poëtria fuit Scamandronymi filia, cuius ſapientiam admirarentur etiam Plato, & Ariſtoteles. Fuit & in Leſbo Sappho altera, verùm meretrix, haud Poëtria. Alexim formoſum fuiſſe tradit Virgilius, quem deperiſſe Corydonem paſtorem tradit, Adonim Myrrhæ filium ob excellentiam formæ Venus ardenter dilexit. Auentinum Hercule pulchriorem fuiſſe ſcribit Virgilius. Aſturem etiam formoſiſſimum fuiſſe idem Virgilius narrat. Atim puerum Phrygium à Cybele ob formæ præſtantiam adamatum eſſe omnes aſſerunt. Antinoo Bithynico mira pulchritudine adoleſcenti tanta támque elegans fuit forma, vt Adrianus Imperator, à quo adamabatur, templum ei apud Mantineam conſtituerit, & ciuitatem apud Nilum, eiúſque imaginem fecerit inſculpi Numenis. Achantus puer ſpecioſiſſimus fuit, qui ob inuidiam tantæ formæ in florem ſui nominis à Diis conuerſus eſt. Amaracum in herbam odoriferam mutatum eſſe ob formæ elegantiam omnes fatentur. Aſterius Veneris filius forma fuit inſignis, ſed omnium amores reſpuens. Alſum Gygari Danorum Regis filium tam excellentis formæ ac cæſariæ extitiſſe ſcribit Saxo Grammaticus, vt argenteis nitere crinibus putaretur. Batyllus cùm eſſet formæ elegantiſſimæ, ab Anacreonte ardenter adamatus eſt. Diadumenus Auguſti fuit prægustator, puer adeo ſpecioſus, vt in formæ certa-

mine (quod fiebat Elidi) meruerit palmam. Democles puer Athenienſis fuit adeo ſpecioſus, vt ex pulchritudine ſua pulcher Democles ab omnibus vocaretur: cui (quod paucis admodum formoſis contigit) tanta extitit pudicitiæ cura, vt ad declinandam vim Demetrij, à quo petebatur ad ſtuprum, ſe in plenum feruentis aquæ lebetem (cùm effugere non poſſet) coniecerit. Euryalum ob præſtantiam formæ adamauit Niſus, Endymionem verò ob eandem cauſam Luna. Galetes adoleſcens forma ſpecioſa decentíque fuit, & Ptolemæo Regi vſqueadeo gratioſus, vt Rex ipſe quibuſdam, qui ad ſupplicium trahebantur, eiuſdem patrocinio pepercerit. Hippolytus Theſei filius adeò ſpecioſus fuit, vt adamaretur à nouerca. Hylas propter formæ elegantiam ardenter ab Hercule diligitur, quem poſtea ob eandem cauſam nymphæ rapuerunt. Celebratur etiam ob excellentiam gratiæ Hyas Atlantis ex Æthra filius. Hippoclides Tiſandri filius diuitiis atque forma ab Athenienſibus præcipuus habitus eſt. Iulus Æneæ filius ex Creuſa ob formæ præſtantiam à Virgilio celebratur. Iuuencius tantæ pulchritudinis fuit, vt eum Catullus ardentiſſimè deperiret. Lauzus Mezentij filius tantæ pulchritudinis fuit, vt ab omnibus diceretur pulcherrimus. Lygdus etiam à prioribus forma habitus eſt præſtantiſſima. Leander puer ex Abydo (qui Ero puellam adamauit, & ab ea redamatus eſt) multis laudibus ob formæ excellentiam commendatur. Ligurinus ob pulchritudinis magnitudinem ab Horatio ardenter diligitur, quemadmodum Marathus à Tibullo. Magnes Smyrnæus adoleſcens omnium ſui ſæculi pulcherrimus, cunctíſque propterea gratiſſimus, ſed maximè Gygi Lydorum Regi: quod ferentes ægrè parentes, capillos ei totonderunt, vt aliquid de pulchritudine minueretur: indignatus verò Gyges bella mouit in Magneſios. Narciſſus filius fuit Cephiſi, & Lyriopes à multis nymphis ob pulchritudinem adamatus: cuius deſiderio cùm nymphæ ipſæ intabeſcerent, mutatus eſt in florem ſui nominis. Niſus Megarenſium Rex ob pulchritudinem capillos aureos habuiſſe fertur. Non fama minore Nirei forma celebratur ab Homero, Horatio, Ouidio, Propertio, & ab aliis, nec pulchritudo Nearchi ab Hora-

tio. Paris quoque præ formæ elegantia à prioribus habitus inſignis. Phædrus Elienſis Socrati, Platoníque familiaris à domino lenone (dictu infandum) ob excellentem formam coactus eſt ſe proſtituere, ſuóque corpore quæſtum facere. Parthenopæum Meleagri, & Atalantæ filium, vel (vt aliis placet) Martis, & Menalippes forma fuiſſe liberali, ſcribit Statius, quemadmodum Serranum ſcribit Virgilius. Spurina fuit forma egregius adoleſcens, qui cùm fœminas viróſque ad libidinem decoro aſpectu ſolo prouocaret, pulchritudinem oris ſponte vulneribus deformauit. Turnum quoque à forma pleriſque in locis commendat Virgilius. Sunt etiam alij permulti pueri, in quibus elegans fuiſſe pulchritudo memoratur. Verùm hos in exemplo volumus eſſe inductos, vt intelligatur non minimam partem felicitatis humanæ eſſe pulchritudinem: quandoquidem & à poëtis, & ab hiſtoricis non minore diligentia pulchri, quàm qui animi concinnitate honeſtantur, in memoriam ſeruantur. Poſt hæc de amore per ſe diſſerendum eſt: nam quæ de eo hucuſque diximus, obiter ea ratione diximus, quà de pulchro ipſo pertractauimus: non enim de pulchro quiſpiam dicere poterit, niſi de ipſo amore dixerit: quippe cùm amor, & pulchrum, vt inquit Socrates, correlatiua ſint, quorum eadem eſt ſcientia. Quare de amore diſſerendum nunc per ſe: nam & de pulchro diximus, licèt nonnulla obiter de ipſo ſint adhuc dicenda.

Digitized by Google

AVGVSTINI NIPHI SVESSANI OPVSCVLORVM MORALIVM PARTIS SEXTÆ LIBER SECVNDVS, *DE AMORE.*

Auctores qui de amore dixerunt.

CAPVT I.

QVONIAM nemo poteſt difficilia peragrare, niſi aliquo, vel aliquibus, aſſumptis quaſi ducibus: ideo nos auctores qui de amore ſcripſerũt primò explicare debemus, vt intelligant qui hunc commentariolum legent, me tam arduam rem non eſſe aggreſſum ſine bonis ducibus. Scripſerunt itaque de amore Plato in Sympoſio, & apud Platonem in eo libro Phædrus, Pauſanias, Eryximachus medicus, Ariſtophanes, Agatho, poſtremò Socrates à Diotima fatidica edoctus, quæ harum rerum, atque aliarum multarum perita fuit. Verùm quæ viri hi dixerunt, valde pauca ſunt, potiùs rhetorica, atque fabuloſa. ea enim quæ Socrates dicit in ſua oratione, licèt vera ſint, tamen pauciſſima. Scripſerunt etiam de amore, & pulchro aliæ mulieres, vt Adraſtia, Aſpaſia, & Sappho: ſed poſt hos Ariſtoteles, qui ſub nomine amicitiæ de ipſo amore diligentiſſimè egit. differt enim amor ab amicitia in paucis, vt poſtea dicemus. Quædam etiam de amore ſcri-

Digitized by Google

pſerunt Plotinus, Porphyrius, Iamblicus, Proculus, aliíque Platonici. Ficinus verò amplificans ea, quæ Plato de amore tradidit, partim allegorizando, partim addendo multa de amore non imperitè compilauit: poëtæ autem & Græci & Latini ferè omnes etiam vulgares de amore cecinerunt: eſt enim quaſi omnium poëmatum materia, potiſſimùm tragicorum, atque comicorum: epopeici enim res geſtas heroum magis, non tamen amatoria omnia prætereundo cantant. Verùm temporibus noſtris Marius Æquicola Oliuetanus amiciſſimus noſter meo iudicio fertiliſſimè de amore ſcripſit, & licèt vulgari, atque materno ſermone, tamen nihil intentatum præteriit. & quoniam amor aliquando in aliquibus adeo accreuit, vt tranſierit in morbum, hac ratione de amore medici pertractauerunt, vt Auicenna libro tertio, cùm egit de Hiliſce: Rhaſes etiam libro, qui omnium morborum ab eo continens dicitur, diligenter diſſeruit, de quo etiam medici iuniores cæteri tradiderunt. Dicamus igitur & nos, primò tamen quæ alij aſſeruerunt, breuibus pertranſeuntes, vt in omnibus peripateticum dogma imitari enitamur.

Opinio Orphei de amore, & eorum qui eum ſequuntur.

CAPVT II.

ORPHEVS itaque in Argonautica, cùm de rerum principiis coram Chirone, Heroibúſque cantaret, Mercurij Triſmegiſti theologiam ſecutus, Amorem magnum Deum eſſe, & apud Deos, hominéſque mirandum, cùm propter alia multa, tum maximè propter eius originem narrauit, eúmque antiquiſſimum aſſerens: quippe cùm chaos ante mundum poſuerit, & Saturnum, Iouem, cæteróſque deos, Amorem in ipſius chaos ſinu locauit: & amorem tandem definiens, eum eſſe dixit principium, quo chaos ornamentum appetit: cùm enim chaos informe quippiam ſit, κοσμὸν, hoc eſt, ornamentum deſiderat. Quare deſiderium, quo chaos pulchritudinem appetit, amor eſſe videtur. Hanc opinionem Heſiodus in Theogonia, & in

Digitized by Google

libro de natura Parmenides Pythagoreus, & Acriſileus Poëta ſecuti ſunt, quinimo Poëtæ fermè omnes amorem eſſe Deum cecinerunt. Plato autem in Sympoſio, licèt in collaudatione amoris opinionem hanc ſectari videatur, tamen in libri perſecutione rem hanc refutauit.

Refutatio, & interpretatio illius opinionis.

Capvt III.

Socrates igitur apud Platonem poſitionem hanc refellit: primò, quia amor iuuenis maximè omnium Deorum ſit: cuius ipſe euidens argumentum præbet, cùm ſenectutem fugiat, velocem videlicet, quæ citiùs quàm oportet aduentat, eámque amor natura odit, fugítque. Iuuenibus verò ſe miſcet: ſcitè quidem veteri prouerbio fertur, ſimile ſimili ſemper hærere. Deinde tener amor eſt, neque enim per terram, & ſaxa vadit, quæ aſpera ſunt, ſed molliſſimis omnium rebus ſe infigit, atque permanet: in animis quippe hominum ſedem ſuam locat: neque tamen in quibuſlibet animis, nam ſi durum animi offenderit habitum, aufugit: ſin autem mitem, mollémque, inhabitat. cùm itaque molliſſimarum rerum molliſſimas ſemper partes pedibus, totóque tangat, tenerrimum eſſe amorem neceſſe eſt. Quapropter & iuuenis eſt, & tener præ cæteris amor. Hæc Agatho aduerſus eam opinionem. Socrates verò etiam eis occurrit: primò, quia amor eſt appetitus pulchri, atque boni: igitur amor caret bonis atque pulchris. eſt enim omnis appetitus eorum, quæ non habemus. & ſi eſt eorum, quæ habemus, erit eorum modo, quo illa non habemus, vt poſteriùs diſſerendum. quod autem caret pulchritudine, atque bonitate, in ſe non erit bonum, neque pulchrum. Quare amor nec bonus erit, nec pulcher: non ergo erit Deorum aliquis, quippe cùm Dij omnes & pulchri ſint, & boni. Deinceps amor medium quippiam inter turpe & pulchrum, inter bonum & malum, inter mortale & æternum, vti Socrates ab ipſa Diotima edoctus longis verbis dilucidauit.

Digitized by Google

Dij autem omnes ſunt & boni, & pulchri, & æterni. Amor igitur non eſt inter Deos collocandus. Et licèt hæc argumenta partim rhetorica, partim vera ſint, tamen hoc ex iis volumus eſſe pertritum, amorem non eſſe Deum, niſi per amorem priſci illi voluiſſent allegoricè ſignificare eam inter patrem & filium connexionem, (vt ita dixerim) quam in diuinis ſanctiſſimi Doctores eſſe aſſerunt, appellantes patrem vnitatem, æqualitatem filium, connexionem Spiritum ſanctum, qui amor cùm ſit naturalis, alterum cum altero connectit, ſimilitudine videlicèt naturæ quæ in eis eſt eadem: hoc tamen, licèt verum ſit, illos arbitratos eſſe non affirmo, cùm illi alieni ſint à noſtra religione: rectiùs autem opinor eos per amorem intellexiſſe eam primæ materiæ affectionem, qua ipſa imperfecta, ac informis in ſe exiſtens, perfectionem, ac formam appetit: & quoniam forma apud priſcos materiæ pulchritudo dicebatur, appetitus materiæ, quo forma appetitur, amor appellabatur: de huiuſmodi itaque amore locutus eſt Orpheus, atque cæteri qui Orpheum imitati ſunt, per chaos informem materiam intelligens, in qua omnes formæ potentia quadam confuſa continentur: & per amorem, qui in ſinu ipſius chaos ante cuncta habetur, materiæ appetitum, qui vel eſt priuatio ipſa, vel non ſine priuatione, qua videlicet appetit formas omnes. nec hoc pacto ſolum amorem intellexerunt, ſed fortaſſe affectionem omnem cuiuſcunque imperfecti, atque informis, qua appetit ſuam perfectionem, hoc eſt ſuam pulchritudinem. in hunc enim modum deſiderium hominum quo ſcire deſiderant, amor etiam nuncupatur: anima enim hominis imperfecta per ipſum ſcire apta eſt perfici: eadem ratione graue appetit deorſum ferri, & leue ſurſum, viſus videre, & auditus audire, & vt breuibus dicam, appetitus omnis, quo informe, atque imperfectum appetit ſuam perfectionem, quæ ſua eſt pulchritudo, amor conſueuit dici: qua ratione fit, vt illud Dantis poëtæ veriſſimum ſit, nec creatorem, nec creatam rem vllam eſſe abſque amore. Verùm licèt hæc poſſent hoc pacto allegoricè interpretari, de huiuſmodi amore nobis non eſt ſermo: de eo enim amore nobis ſermo eſt, qui Cupido Veneris filius,

atque Erus à poëtis dicitur, cuius gemellus eſt Anterus, vt poſtea diſputabimus.

Opinio Hierothei de amore.

CAPVT IV.

HIEROTHEVS autem dixit amorem eſſe inſitiuam quamdam virtutem, quæ ſuperiora quidem ad inferiorum prouidentiam mouet, æqualia rurſum ad ſocialem ſui inuicem communionem conciliat, ac poſtremò inferiora quæque admonet, vt ad priora, ſublimioráque conuertantur.

Confutatio & interpretatio huius opinionis.

CAPVT V.

SED hæc poſitio, niſi interpretetur, non eſt clara: non enim apparet, quis amor ille ſit, qui hæc, quæ Hierotheus eum facere narrat, faciat. Deinde licèt aliquis amor eſſet, qui illa faceret, nos principaliter non de eo loquimur, ſed de Cupidine, qui eſt Veneris filius: & propterea nonnulli Hierotheum de eo amore locutum eſſe affirmant, qui in diuinis tertia perſona eſt, quam catholici Spiritum ſanctum vocant, vt Dionyſius expoſuit. Spiritus ſanctus enim amor eſt, qui virtus quædam naturalis eſt connectens, vt diximus, patrem cum filio, qui ſunt eiuſdem naturæ, quæque ſuperiora ad inferiorum prouidentiam mouet, æqualia rurſum ad ſocialem ſui inuicem communionem conciliat, & poſtremò inferiora quæque admonet, vt ad potiora, ſublimioráque conuertantur. Spiritum ſanctum enim hæc omnia facere Dionyſius declarauit. Dantes quoque poëta aſſerit Spiritum ſanctum eum amorem eſſe, qui cum ſumma ſapientia, ac diuina poteſtate infernum ſtruxit. Aſij verò de anima mundi hæc eſſe dicta contendunt: hæc enim ſuperiora corpora, quæ cæleſtia ſunt, ad inferiorum prouidentiam mouet, æqualia ad ſocialem ſui inuicem communionem

con-

conciliat, & tandem inferiora quæque admonet, vt ad potiora, ſublimioráque conuertantur. Sed ſiue hoc modo, ſiue aliter hæc opinio interpretetur, nulla eſt nobis cura, quandoquidem de huiuſmodi amore non eſt futurus noſter ſermo.

Opinio Lucretij de amore.

Capvt VI.

Lvcretivs verò Epicureus ex parte amantis quidem amorem aſſerit deſiderium eſſe, quo amans ſe totum in amatam transferre deſiderat: cùm enim genitale ſemen à toto corpore defluat, ſolo huius iactu, vel tactu totum corpus tradere ſe poſſe confidit. ex parte verò amatæ amorem eſſe autumat deſiderium, quo amata totum amantem capere deſiderat: quam definitionem Arthemiſia Mauſolei Regis Cariæ vxor oſtendit, quæ, vt dicemus, ſupra affectionis humanæ fidem virum ſuum adamaſſe fertur, eiúſque defuncti corpus redegiſſe in puluerem, & aquæ inditum ebibiſſe.

Refutatio, & opinionis interpretatio.

Capvt VII.

Sed pace tanti viri dixerim, ſi amor eſt deſiderium tranſlationis amantis in amatam, vel hæc tranſlatio interdum futura eſt hoc pacto, vt amans ipſe transferatur in amatam, ceu Meduſa in ſaxum: aut per ſimilitudinem, quatenus ſemen maris proiicitur in vterum, in quo fieret generatio rei ſimilis ipſi ſemen proiicienti. Primo modo fabuloſum eſt, & nec fuit nec erit vnquam. Quare deſiderium erit fruſtra. Sin autem Lucretius intelligit ſecundo modo, ſic amor erit deſiderium vtendæ fœminæ, vt in ea, & ex ea amans generet ſibi ſimile, & hoc pacto amor erit feris, non autem hominibus accommodatus: animalia enim muta deſiderant vti fœminis ſui generis, vt in eis, & ex eis ſibi ſimilia generent. At talis amor non Cupido eſt, quem Poëtæ Veneris filium eſſe tradunt, ſed ferina concupiſcentia, de qua poſteriùs loquemur.

Digitized by Google

Opinio Socratis de amore.

CAPVT VIII.

SOCRATES verò apud Platonem in Sympoſio, primò concludit amorem eſſe in genere relatiuorum: quoniam amor alicuius eſt amor: deinde accepit amantem, qui amat, illud ipſum appetere, cuius eſt amor: hoc enim ex eo patet, quia amor appetitus eſt quidam, quare amans idipſum appetit, cuius amor eſt. Ad hæc ſumit amantem, qui amat, & appetit id cuius eſt amor, atque appetitus, non apud ſe habere: nam appetitus eſt ratione carentiæ: qui enim amat id appetit, quo indiget. Sed occurres: nam dum quis eſt ſanus, vult eſſe ſanus, & dum eſt diues, eſſe diues: quare quæ habet vult, & cupit. Socrates reſpondit, eum qui diuitias, ſanitatem, & robur habet in præſenti, velit nolit habet, & hac ratione dicitur non velle: non enim dum habet, habere cupit: illud tamen dici poteſt velle, & cupere pro tempore futuro, indeficientérque: quippe cùm velit ac cupiat, ea non defutura eſſe. Quare qui amat, habere poteſt id, quod amat, quoniam id amat, & vult, vt non deſit in futurum: veluti qui caret vxore, antequam eam habeat, poſſidere deſiderat, cupit, & amat, poſtquam verò habuerit, non ampliùs amat, appetit, ac habere deſiderat, ſed amat, appetit, & vult, ne illa deſit in futurum. Patet igitur primò amorem eſſe aliquorum, deinde illorum potiſſimum, quibus indigemus, & non habemus. Quòd ſi amor aliquorum ſit, cùm amor turpium eſſe nequeat, hæc enim fugit amans, atque odio habet: quare eſt deſiderium pulchrorum: & cùm amor deſiderium ſit pulchrorum, amor non habebit pulchritudinem, eò quia deſiderium eſt eorum, quæ non habet: & cùm detur medium inter turpe & pulchrum, vt Diotima demonſtrauit, & inter bonum, & malum, ceu inter ſcientiam, & ignorantiam, media eſt recta opinio, fit vt amor medium ſit inter bonum, & malum, inter turpe, & pulchrum: quippe cùm deſiderium eorum ſit, quæ non habet. eadem ratione amorem medium eſſe affirmat inter mortale,

Digitized by Google

& æternum, & propterea magnum eſſe Dæmonem autumat, quia omnis natura dæmonum inter mortales & deos eſt media. Hæc Socrates de amore.

Refutatio opinionis huius.

Capvt IX.

SEd hæc quæ Socrates dixit, niſi interpretentur, videntur abſurda. primò quidem, quia ſi amor ſit pulchri deſiderium, hoc non videtur ob aliud, niſi quia amans non habet pulchritudinem, & ea indiget, vt Socrates etiam fatetur. Quod autem pulchritudinem habet, & eam habere deſiderat, aliquando fiet pulchrum. Quare amor erit deſiderium, quo aliquando amans fiet pulcher: hoc autem abſurdum eſt, non enim amans conſecutione fructus amoris pulchrior fit quàm priùs erat, nec pulcher, ſi antea erat turpis. Deinde ſi amor eſt pulchri deſiderium, amans ſemper carebit pulchritudine. At in amante requiritur pulchritudo, vt ab amata redametur: non enim poteſt redamari qui aliqua ratione pulcher non eſt: amor enim fugit turpia: quare amans ſemper ab amata fugietur. Ad hæc non videtur amor medium inter æternum, & mortale: immo ſi id verum eſt, quod Poëtæ tradunt, amorem omnia vincere, & amorem morte ſolui, cùm dicunt,

Omnia vincit amor, ſoluuntur & omnia morte:

amor per mortem amantis ſimpliciter diſſoluetur. Quare non poteſt medium eſſe inter mortale, & immortale. Poſtremò ſi amor eſt priuatio in eo ſubiecto, quod aptum eſt habere pulchritudinem, amor videtur malum, & turpe, quando, vt Ariſtoteles autumat, priuatio coordinatur cum malis & turpibus, potiùs quàm cum bonis, & pulchris. Quare niſi hæc Socratica opinio interpretetur, primo aſpectu omnibus abſurda videbitur.

Digitized by Google

Opinio Eryximachi de amore.

CAPVT X.

ERYXIMACHVS autem Medicus in omni compoſito, quod ex contrariis conſtat, duplicem amorem poſuit. alterum, quo contraria quadam mutua concordia ſe afficiendo, ad temperationem, atque mediocritatem in compoſito ſe reducunt, & huiuſmodi concordiam bonum amorem appellat: diſcurrit autem in omnibus compoſitis, quæ ex contrariis conſtant, quo modo hic amor reperitur, veluti in harmonia, & rhythmis, in orationibus, in magiſtratibus, in ædificiis, in artificialibus, in cæleſtibus, in anni temporibus, atque in cæteris omnibus, in quibus contraria ad compoſitionem veniunt. alterum verò, quo contraria in ipſis compoſitis malè concordant, veluti in ægrotis corporibus humores, & hic amor malus dicitur. Differt autem hæc poſitio parum, aut nihil ab illa Empedoclis: Empedocles enim amorem, & odium rerum principia eſſe affirmat, quòd omnia compoſita amore componentium conſtent, odio verò diſſoluantur: hæc autem ait omnia compoſita, quæ ex contrariis fiunt, bono amore conſtare, quum contraria ad temperationem reducuntur: malo verò, cùm ad intemperationem.

Refutatio opinionis huius.

CAPVT XI.

SED pace tanti viri dixerim, hæc quia medicus erat, medicè dicta ſunt. Verùm nos non de huiuſmodi amore loquimur, ſed de eo, quo amantes dicimur. Conſtat autem per huiuſmodi amores medicinales nos amantes non vocari, ſed vel ſani, vel ægroti. Deinde huiuſmodi amores tam rebus animatis, quàm rebus inanimatis inſunt. Amor autem, de quo loquimur, ſolùm hominum eſt. Poſtremò amor huiuſmodi relatio quædam eſt naturalis eorum, quæ in

compoſito miſcentur. At amor, de quo loquimur, eorum eſt, qui ſe amant, aut oderunt. Vnde & Plato, & Socrates huic amori non adhæſerunt.

Opinio Virgilij de Amore.

CAPVT XII.

ALII verò vnum amorem communem hominibus, atque feris eſſe tradunt, vt Virgilius inquit: qua ratione fit, vt amor nihil aliud ſit, quàm deſiderium vtendæ fœminæ ſui generis per omnes eos ſenſus, per quos ſpecies illius defertur ad animam imaginariam, potiſſimum per amplexum tactus: nam quemadmodum fames, atque ſitis nulla alia re ſedantur, niſi cibo, atque potu: ſic amor nec aſpectu, nec auditu, ſed amplexu, tactu, at vſu Veneris miteſcit. quod Diogenes Cynicus non minus verè, quàm facetè ſignificauit, cùm dixit, Vtinam poſſem ita à fame conquieſcere fricato ventre, quemadmodum fricata virga ab amore.

Refutatio huius opinionis.

CAPVT XIII.

SED huiuſmodi opinio ferina omni ex parte videtur. nam licèt homines appetant vti fœminis propriæ ſpeciei, vt animalia muta, propter generationem: tamen ſi debent dici amantes, aliquid vltrà deſiderare coguntur. Turpe quidem illud non eſt, quoniam hoc fugiunt, ſpernunt, atque omnino abhorrent: natura enim humana abhorret turpe, ceu malum. Ergo illud vltrà, quod in vſu fœminarum deſiderant, erit ipſum pulchrum, quod in ſenſibilibus ipſis rebus, potiſſimúmque in fœminis ſolus homo, vt ſuperiùs probauimus, cognoſcit. Quare ſi homo erit amans, oportebit, vt deſideret frui, aut vti pulchra fœmina ſuæ ſpeciei, vt in ea, & ex ea pulchrum ſibi ſimile generet: & hic amor cupido eſt, qui ſolis hominibus proprius eſt: non enim

muta ipſa animalia cupidineo amore afficiuntur erga fœminas ſuæ ſpeciei, cùm in illis non agnoſcant pulchrum ipſum, ſed ferina quadam concupiſcentia rapiuntur ad eas, vt generent ſibi ſimilia in illis, & ex illis, vt poſteriùs docebimus. Præterea ſi amor hominis erga fœminas ſuæ ſpeciei nihil aliud eſt, quàm deſiderium vtendæ fœminæ ſolùm, nullo pacto pulchro in ea inſpecto, tunc non tot de laudibus pulchritudinis in puellis amatis noctu diéque excantarent, nec magis alteram quàm alteram ardenter deperirent, cùm omnes in ſexu ſint æquales, nec tot rixæ, contentiones, ac diſcrepantiæ cum riualibus emergerent. Fit igitur, vt amor ſit deſiderium vtendæ, vel fruendæ fœminæ, aliquo altero ſuprà inſpecto in vna, & non in altera.

Opinio quorundam Platonicorum de amore.

CAPVT XIV.

PLATONICI itaque definientes amorem, dixerunt eſſe deſiderium fruendæ pulchritudinis per viſum, aut auditum, aut per mentem, aut per hæc omnia, vel horum plura. Vnde Ficinus triplicem amorem diſtinxit: nam aut ad contemplatiuam, aut actiuam, aut voluptuoſam vitam prompti, & procliues generati, educatíve ſumus: ſi ad contemplatiuam, ſtatim à formæ corporalis aſpectu ad ſpiritalis, atque diuinæ conſiderationem erigimur: ſi ad voluptuoſam, ſubitò à viſu ad tangendi concupiſcentiam deſcendimus: ſi ad actiuam, atque moralem, in ſola illa videndi, atque conuerſandi oblectatione perſeueramus. Illi tam ingenioſi ſunt, vt altiſſimè prouehantur: iſti tam hebetes, vt ad infima deprimantur. hi tanquam medij in media remanent regione. Amor itaque omnis incipit ab aſpectu, ſed contemplatiui hominis amor ab aſpectu aſcendit in mentem, voluptuoſi ab aſpectu deſcendit in tactum, actiui remanet in aſpectu. Illius amor ad ſupremum Dæmonem magis, quàm ad infimum ſe conuertit: iſtius ad infimum potiùs, quàm ad ſupremum deflectitur: huius ab vtroque interuallis diſtat æqualibus. Tres iſti amores tria nomina ſortiuntur, Con-

Digitized by Google

templatiui hominis amor diuinus, Actiui humanus, Voluptuoſi ferinus cognominantur. Hæc Platonici.

Refutatio huius opinionis.

Capvt XV.

SED hæc opinio (pace tantorum virorum dixerim) multifariam abſurda eſt. primò quia dato, quòd hic moralis amor medius ſit, poſſibile non videtur deſiderium fruendæ pulchritudinis per ſolum viſum, vel auditum, vel vtrumque, ſed per omnes: nam per quot ſenſus pulchri ſpecies ad imaginariam animam fertur, per tot amor deſiderium fruendæ pulchritudinis eſſe debet. ſed per omnes ſenſus pulchri ſpecies ad imaginariam ipſam animam defertur. quòd enim per auditum, ſatis ſuperiùs expoſuimus: defertur enim per auditum ea pulchritudo, quæ eſt in amatæ puellæ vocibus, atque elocutione: in hac enim ſola nonnunquam gratia collocatur, qua anima rapitur ad eius amorem. quòd verò per viſum, olfactum, guſtum, & tactum, licèt ſuperiùs ſatis diligenter fuerit exploratum, Ouidius cùm Galatheæ pulchritudinem deſcriberet, nobis ſignificauit dicens,

Candidior folio niuei Galathea liguſtri,
Floridior prato, longa procerior alno,
Splendidior vitro, tenero laſciuior hædo,
Lenior aſſiduo detritis æquore conchis,
Solibus hybernis, æſtiua gratior vmbra,
Nobilior pomis, platano conſpectior alta,
Lucidior glacie, matura dulcior vua,
Mollior & cygni plumis, & lacte coacto,
Et ſi non fugias, riguo formoſior horto.

in quibus pulchritudinem tetigit ex guſtatilibus, quum dixit, Tenero laſciuior hœdo, & cùm dixit, Matura dulcior vua. & ex tactilibus, cùm inquit, Lenior aſſiduo detritis æquore conchis. & cùm ait, Mollior & cygni plumis, & lacte coacto. & ex olfactilibus, quum dixit, Nobilior pomis, ſcilicet odoris ſuauitate. & etiam cùm inquit, Riguo formoſior horto. Quòd verò pulchritudinem ex viſibilibus teti-

Digitized by Google

gerit legenti verba perſpicuum eſt. Quare ſi per omnes ſenſus pulchri ſpecies defertur ad animam imaginariam, amor eſſe non poteſt, niſi deſiderium fruendæ pulchritudinis per omnes eos ſenſus, per quos pulchri ſpecies ad animam defertur. Experientia etiam docet, quòd aliquando per ſolum tactum deferatur pulchri ſpecies ad animam: nam puellæ in omnibus deformes, ac turpes: quia tamen in tactus lenitate, mollitie, ac ſuauitate exiſtimantur excellere, ad amorem ardentem nonnunquam homines rapiunt. Sacerdos quidam conciuis noſter, cùm puellam omnifariam deformem, atque turpem deperiret, interrogatus cur eam ita ardenter amaret, reſpondit, quia ſuauitate, atque mollitie lenitatéque tactus cunctas excellit. Ecce enim cùm in ſolis tactilibus cerneret pulchritudinem, amor erat deſiderium fruendæ pulchritudinis, propterea quia ſpecies pulchri per tactum ferebatur ad animam. Præterea plures ſunt amores, quàm tres, in homine ipſo, ſecundùm Platonicorum ſcholas: primus quidem intellectiuus, qui deſiderium eſt fruendæ pulchritudinis, quæ eſt in rebus intelligibilibus: eſt & ſenſitiuus, qui eſt triplex: nam ſi eſt deſiderium fruendæ pulchritudinis per viſum atque auditum duntaxat, amor eſt intentionalis: hoc enim intentionaliter deſideramus frui pulchritudine, quæ eſt tum in vocibus, atque ſonis, tum in viſilibus, atque aſpectibus: & dicitur intentionalis, quoniam intentionali quadam ſenſitiua fruitione per viſum, vel auditum duntaxat expletur: forma enim corporea per viſum, vocum autem conſonantia per auditum fruimur. Si autem eſt deſiderium fruendæ pulchritudinis per ſenſus ipſos corporeos, per olfactum, guſtum, & tactum, qui ſenſus ſunt magis corporei, & quidem ſine appetitu veneris, ſic eſt tertius amor: differt autem hic amor ab illo, quippe cùm ille ſola intentionali fruitione adimpletur per viſum, & auditum, hic verò reali, quia eſt per tactum, olfactúmque, atque guſtum qui corporei magis ſunt. At ſi eſt deſiderium fruendæ pulchritudinis per omnes ſenſus, per appetitum veneris, vt pulchrum generet in pulchro, vel ex pulchro, ſic eſt quartus amor, & hic differt à cæteris: non enim huiuſmodi amor expletur ſine vſu veneris, cæteri verò, ſi ſunt poſſibiles, ſine

vſu

Digitized by Google

vſu veneris perfici poſſunt: & quoniam hi quatuor amores pertinent ad hominem, omnes humani dici poſſunt. Quare non rectè Ficinus autumat, quum aſſerit quartum amorem ferinum eſſe: quartus enim amor cupidineus eſt, qui in animalibus mutis non accidit, quippe cùm illa deſiderent vti fœmina propriæ ſpeciei nulla ratione habita ad pulchrum, ſed ſolùm vt in ea ſibi ſimile generent. At cupidineus amor primò, principalitérque deſiderium eſt fruendæ, atque vtendæ pulchritudinis in pulchra fœmina, vt pulchrum in ea, & ex ea generetur. De hoc quarto amore Poëtæ omnes amatoria ſcribentes locuti ſunt, quem Cupidinem Veneris fuiſſe filium fingunt. Hic amor vſque adeo interdum in aliquibus increuit, vt tranſierit in eum morbum, quem cordis inſaniam medici appellant, qua affligi ij ſolent, qui perditè amant.

Vtrum poſſit eſſe humanus aliquis amor abſque tranſitu in cupidinem, hîc diſputatur.

Capvt XVI.

QVOD intellectiuus amor, qui ad hominem ſpectat, abſolui poſſit à cupidine, nemo eſt qui dubitet: nam experientia ipſa hoc docet in ſanctis, heroicíſque viris, in quibus animus ſolùm ad diuina bona raptus eſt. Quòd verò aliquis ſenſitiuus abſolui etiam poſſit, vt intentionalis amor, quo frui cœlorum ornatu per viſum, ſonorum harmonia per auditum deſideramus, demonſtratur: per hunc enim rapi poſſumus ad deſiderium fruendi multorum, ab omni amore cupidineo abſoluti. Sed vtrum intentionalis amor, quo per viſum, atque auditum pulchritudine frui deſideramus in puella pulchra, aut in pulchro iuuene, poſſit abſolui ab appetitu veneris, cupidineóque amore, hoc eſt quæſtione dignum: nemo enim frui poſſe videtur ipſa humana pulchritudine per omnes, aut aliquos humanos ſenſus, qui eiuſdem vtendæ deſiderio non afficiatur. Quare nec amor fruendi pulchri humani eſſe poterit abſque deſiderio veneris, cupidineóque amore. Ficinus id fieri poſſe in contem-

Digitized by Google

platiuis hominibus, quinetiam in moralibus apertè fatetur, qui vel ex humano amore aſcendunt ad mentem, vel in morali ipſo amore perſiſtunt. Viri enim heroici, atque ſancti, qui appetitum ſenſitiuum recta admodum ratione moderantur, per viſum, atque auditum humano pulchro, & in puellis, & pueris frui poſſunt abſque deſiderio vtendi: non enim eorum appetitus recta ratione regularetur, niſi altero ſine alterius deſiderio frui poſſent. Idem quoque teſtantur Socrates, & Anaxarchus, qui rationis moderamine affecti non ſemel humano pulchro fruentes veneris deſiderio nequaquam viſi ſunt affici. Xenocrates dimiſit Phrinen à lecto abire, & quidem intactam, qua & viſu & auditu per noctem fruitus eſt, quod non ob aliud feciſſe videtur, niſi quia appetitum ratione compreſſit. Inſuper pater modeſtus, ac temperans per omnes videlicet ſenſus, ſaltem per viſum, & auditum filiæ pulchritudine frui poteſt, abſque eiuſdem vtendæ libidine. Quòd ſi pater hoc facere poteſt, cur heroicus vir, atque ſanctus, qui cuncta rationis moderatione agit, ĭdem facere non poterit? In meipſo expertus ſum multis diebus in Fuluia aulica tua, Ioanna illuſtriſſima, vidiſſe pulchritudinem in moribus, & audiſſe gratiam in elocutione, quibus non deſcendi in cupidineum ipſum amorem. Sed pace tantorum virorum dixerim, non arbitror fieri poſſe, vt pater pulchritudine in filiis, aut viri heroici, ſanctíque, aut Philoſophi in puellis, puerísque fruantur ſine veneris appetitu, ſi fruitio, vt ſuperiùs diximus, ſit quies in voluptifico, iucundóque, quouſque videre, atque audire id delectat, & eius abſentia fuerit dolorifica: cùm enim aliquis quieſcit in aliquo pulchro iucundo, ſibique voluptifico, cuius poſtea abſentia dolet, triſtatúrque, hic in cupidineum ipſum amorem prolapſus eſt: ergo impoſſibile videtur, vt quis in puellis puerísque pulchritudine fruatur ſine veneris appetitu: quanto minus id fieri poterit, ſi per corporeos ipſos ſenſus fruitio fiat, vt per guſtum, qui baſiis, per olfactum, qui odore, per tactum, qui lenitate perficitur? Fauent huic veritati viri ſanctiſſimi, vt Hieronymus, quum inquit, Fœminam quam vides bene conuerſantem, mente dilige, non corporali frequentia, quia initium libidinis in

Digitized by Google

viſitatione mulierum eſt, & mundus cum mulieribus non meliùs quàm fugiendo vincitur, quia cùm cæteris vitiis & morbis quis poſſet repugnando reſiſtere, huic tamen non poteſt niſi per fugam. Inſuper & alibi inquit, Si mulier potuit vincere eum qui iam erat in paradiſo, non eſt mirum, ſi eos impediat, qui nondum ad paradiſum peruenerunt. Præterea ait, Solus cum ſola non ſedeas in ſecreto abſque arbitro, & teſte. Et iterum, Nec ſub eodem tecto cum muliere manſeris, nec in præterita caſtitate confidas, quia nec tu Sampſone fortior, nec Salomone ſapientior. Et propterea concludit, Omnes virgines Chriſti, & puellas aut æqualiter dilige, aut æqualiter ignora. Diuus verò Aurelius etiam inquit, Sermo breuis, & rigidus cum mulieribus habendus. Bernardus etiam vir omni ſanctitate præclarus, Quotidie, inquit, conuerſaris cum muliere, & continens vis putari? Eſto quòd ſis, maculam tamen ſuſpicionis portas, ſcandalum mihi es. Quibus perſpicuum eſt, fieri non poſſe, vt aliquis in puellis, pueriſque pulchro per omnes, vel aliquos ſenſus fruatur, qui ad cupidinem ſæuum non rapiatur: nec fieri poſſe, vt aliquis pulchram amet puellam, in quo deſiderium non vltra aſpectum, auditúmve diffundatur: oculi namque cùm puellæ pulchræ occurrerint, eam mox amant, adamatam verò deſiderant, deſideratam ſperant, ſperatam poſſidere enituntur: hic enim ordo in amoribus ſemper fuit. Sed dices, vt Horatius putat, hæc quæ dicta ſunt vera eſſe de iuuenibus: nam ſenes ſemimortui, qui ſexaginta annos peragrarunt, amare poſſunt ſine appetitu veneris: propterea Horatius affirmat ſe zelotypia eius viri non affici, cuius ætas octo luſtra adimpleuerit: ſunt enim hi ſemimortui, qui nulla cupidinea libidine vexantur: propterea nonnulli in amore ſenes venire poſſe vſque ad baſia aſſerunt: contra quos Hieronymus vir caſtiſſimus inquit, Licèt horum corpora ſint mortua, dico tibi: quoniam Diabolus viuit, cuius flatus prunas extinctas ardere facit. Quare licèt huiuſmodi ſenes in amoris fructum numquam peruenire poſſent naturæ imbecillitate, tamen mente ad eam ſæpe compelluntur. Occurrunt & alij: nam cùm triplex ſit amicitia, triplex erit amor. Quare cùm amicitia officioſa eſſe poſſit inter aliquos,

Digitized by Google

ſiue voluptifica, atque omnis alia amicitia, cur amor honeſtus, atque officioſus propter virtutes, quæ ſunt in pueris, puellíſve ipſis pulchris eſſe non poterit abſque appetitu veneris? Diuinus ille Aurelius reſpondit, cùm inquit, Nec tamen, quia ſanctiores fuerint, ideo minus cauendæ, quo enim ſanctiores fuerint, eo magis alliciunt, & ſub prætextu blandi ſermonis immiſcet ſe viſcus impiiſſimæ libidinis, crede mihi. Quare licèt officioſa amicitia eſſe poſſit inter aliquos, non tamen, niſi illi fuerint æquales ætate, ſexu atque moribus ſimiles, vt poſtea differendum eſt: ſi enim alter fuerit ætate prouectior, alter autem pulcher puer, aut pulchra puella, ſtatim cupidine irretietur prouectior. Sed iterum obiicies, nónne vir contemplatiuus videre, & audire poteſt pulchrum in puellis, puerísque ipſis ſine appetitu veneris? Diximus hoc fieri poſſe, verùm nullus frui pulchro in his poteſt, niſi appetitu veneris, ſi fruitio ſit quies in voluptifico, iucundóque ſibi, eouſque, quouſque id videre, atque audire delectat, & eius abſentia fuerit dolorifica: nam vt diximus, ſi quis quieſcit in aliquo pulchro iucundo, ſibíque voluptifico, cuius poſtea abſentia dolet, atque triſtatur: hic in cupidineum amorem prolapſus habetur. Hoc pacto nec pater filiis pulchris, nec ſanctus puellis frui poterit ſine veneris deſiderio, niſi forraſſe diuino miraculo id fieret. Poſt hæc de amore, atque cupidine ipſo differendum ſecundum Peripateticos.

De amabilibus.

CAPVT XVII.

QVONIAM amor, vt dixit Socrates, relatiuum quippiam eſt, & quidem ipſorum amabilium, ideo oportet de amabilibus differere, quorum amor relatiuum, vel relatio eſt. Eſt igitur amabile triplex: cùm enim non omni quoduis amatur, ſed ipſum amabile: hoc autem aut ſimpliciter bonum, aut iucundum ſiue delectabile, quódque voluptas etiam dicitur, & tertium eſt, aut vtile: dicitur autem id vtile per quod efficitur bonum, vel voluptas. Quare ip-

Digitized by Google

ſum ſimpliciter bonum, atque voluptas, ſiue iucundum, amabilia ſunt, vt finis: ipſum verò vtile, vt ducens, aut ſeruans fidem. Libro verò primo Rhetoricorum Ariſtoteles dicit id eſſe ſimpliciter bonum, cuius gratia alia, quæ ad ipſum ducunt, appetimus: & ſic felicitas, atque felicitatis partes ſunt ſimpliciter bona, ceu virtus, diuitiæ, robur, ſanitas, & pulchritudo. Hac eadem ratione voluptas, ſiue ipſum iucundum dicitur ſimpliciter bonum: ſunt igitur duo per ſe bona, vt quæ ſunt honeſta, & quæ ſunt voluptates: hæc enim ambo per ſe expetuntur: bonum verò vtile definiens, inquit, id eſſe bonum vtile, quod per ſe, atque ſimpliciter bonum aut ſeruat, aut efficit, aut ſic antecedit, vt ipſo poſito ipſum ſimpliciter bonum eſſe ſequatur, aut quod arcet, ac corrumpit horum bonorum contraria, è quibus ſimpliciter illa bona extingui poſſent. De his Ariſtoteles ſatis in libro primo Rhetoricorum, & octauo Ethicorum. Sed occurres, vtrum homines ament id quod eſt ſimpliciter bonum, an id quod ſibiipſis bonum. Ariſtoteles reſpondit, id vnumquemque amare, quod bonum eſt ſibi: quippe cùm quælibet potentia feratur in obiectum (vt ita dixerim) ſibi proportionatum atque idoneum, accommodatúmque, ceu viſus cuiuſque id videt, quod ſibi idoneum viſibile eſt, atque accommodatum: nec oportet, vt amans id amet, quod re vera eſt ſibi bonum, ſed quod appetit ſibi tale: ſiquidem appetitus non fertur in aliquid, niſi id priùs apprehenſum, atque apparens fuerit: hoc enim amabitur, ac ſi ſit ſibi bonum.

De differentia amoris & amicitiæ.

Capvt XVIII.

His diſtinctis oportet priùs de amoris, amicitiæque differentiis diſſerere: nam poſtea facilè de cupidine erit pertractatio. Differt igitur amor primò ab amicitia quia amor ſimplex eſſe poteſt in ſola amatione conſiſtens. At amicitia ſemper componitur ex amatione, & redamatione. amamus enim inanimata, quorum non eſt amicitia, non

enim ab eis redamari poſſumus. Deinde amor fuſior eſt ipſa amicitia, propter eandem cauſam: amamus enim inanimata vegetabilia, necnon & muta animalia, cum quibus non habemus amicitiam. Præterea amor appetitus eſt ſenſitiuus, amicitia autem non omnis, ſed voluptifica tantùm. Rurſum in amicitia, qui ſe amant, neceſſe eſt vt ſe agnoſcant. Amor eſſe poteſt inter eos, qui nec ſe viderunt, nec audierunt, nec aliquo ſenſu ſe agnouerunt: non enim eſſe poteſt amicitia inter aliquos, niſi vt Ariſtoteles inquit, inter eos ſit beneuolentia non latens: multi enim beneuoli erga illos ſunt, quos nunquam viderunt, quòd eos viros aut mulieres bonos, vel vtiles, vel voluptificos eſſe putant: atque fieri poteſt, vt illorum etiam quiſpiam ſimiliter erga hos afficiatur. Erunt igitur hi mutuò ſibi beneuoli, amici verò haudquaquam. Ad hæc amicitia ſi inter aliquos naſci debet, longo tempore opus eſt, vt qui amicè ſe amant, ac mutuò, longo tempore ſe cognoſcant tales, quales ſunt, qui huiuſmodi amicitia ſunt digni. ſecundum enim prouerbium, non fit, vt mutuò ſe cognoſcant, priuſquam ſimul conſumant ſalis modium. Eſt & alia ratio: quoniam amicitia habitus eſt, qui fieri non poteſt, niſi ex pluribus, ac pluribus actibus amoris, longo videlicet temporum interuallo mutuò collatis. Inſuper non oportet, vt alter alterum ſibi in amicum acceptet, niſi alter alteri appareat mutuò amandus, & ita eſſe mutuò credatur. At vt hoc fiat, non paruo opus eſt tempore: amor autem quandoque vnius ad alterum ſubitò fit, potiſſimum iuuenis ad iuuenem: iuuenum enim amor ob voluptatem conſtat: amant enim ſe amore affectus, aut (vt ita dixerim) concupiſcentiæ potius quàm amicitiæ, ſiue beneuolentiæ, & id maximè ſequuntur, quod ſibi mutuò eſt iucundum, atque præſens. Verùm quum mutatur ætas, alia fiunt & ipſa iucunda. Quocirca citò mutuò ſeſe amant, citóque ab amore deſiſtunt, eodem die propoſitum ſæpe mutantes. Verùm de his poſtea.

De amoris nomine, déque amicitiæ nomenclatura.

CAPVT XIX.

QVONIAM amor, & amicitia non ſolùm re differunt, vt dictum eſt, ſed nomine, ideo de nominibus dicamus. Amor itaque, qui pro deſiderio cuiuſuis boni, quouis modo boni accipitur, Græcè dicitur ἔρος per o micron, ἔρως verò per o mega, cupido, qui eſt amor voluptuarius, quanquam apud alios ἔρος per o micron, amor honeſti dicitur, ἔρως autem per o mega cupido. amor verò pro appetitu, deſiderióque cuiuſcunque boni ὄρεξις, apud aliquos φιλὸς: At amicitia φιλία, & confinia vocabula, vt ſunt ὀργυηςήρια, ξενία, προξενία quæ ratio docet, quemadmodum apud Græcos & vocabula, & affectus differunt, ita apud Latinos differre, eadem pol vim obtinebit ἀντερὸς καὶ ἀντήριος, nempe amatio, & redamatio, honeſta, & voluptuaria. ἀντὶ enim interdum pro mutuo, atque æquali reciprocóque accipitur: nam vt Seneca inquit, Venus duorum Cupidinum, qui gemelli ſunt, mater fingitur. de his Poëtæ diuerſa fabulantur. Pauſanias enim in Atticis fabulatur Athenis aram dicatam eiſe Anteroti: & fuit in cauſa, quoniam Meles Athenienſis parui faciendo Timagoram, præcepit ei, vt ab altiſſimo monte ſe præcipitem daret, quo executo mandato cùm Meles eum mortuum inſpexiſſet, in dolorem tantum deuenit, vt ſe ab eodem loco præcipitaret: quam ob cauſam incolæ in honorem Anterotis aram conſtituerunt, quoniam Timagoræ iniuriam vltus eſt. Themiſtius verò vir doctiſſimus fabulam fingit, quia eſt Philoſophus, cuius eſt, vt Ariſtoteles inquit in Rhetoricis, conficere fabulas, & illius interpretationem ſubſcribit, quum inquit, Temporibus, quibus Venus Cupidinem genuit, puer ille longè pulchrior ipſa matre omnibus videbatur, verùm proceritas illius haudquaquam increſcebat pro ratione formæ: hanc rem & Venus & pueri, nutricéſque permoleſtè ferentes, Themidis oraculum (non enim pro eo tempore in Delphis Apollo reſpondebat) ſupplices orarunt, vt remedium,

Digitized by Google

nunquam etiam amor in ſcriptura pro bona voluntate accipitur: qua ratione fit, vt amor, qui Græcè aut ἔρως aut ὄρεξις dicitur, nomen commune ſit omnibus appetitionibus accommodatum apud Latinos autores tam natiuis, naturalibúſque, quàm voluntariis, atque intellectiuis: hinc ſpecies plures fuerunt, videlicèt amicitia, beneuolentia, dilectio, ſodalitas, hoſpitalitas, cupido, charitas, libido, ſiue ferina concupiſcentia, necnon & cupiditas: omnes enim ſub amore, tanquam ſub genere continentur. Quo verò modo amor & amicitia differant, ſuperiùs diximus. nam amicitia non dicitur vnius ad alterum, niſi fuerit inter eos mutua beneuolentia, & non latens, & tam diu conſtans, vt in habitum tranſierit. At amor eſſe poteſt vnius ad alterum abſque mutua beneuolentia, & latens, & non diu conſtans, vt habitus. Amor etiam, & beneuolentia differunt: nam beneuolentia animi deſiderium eſt, quo quis alteri bona vult, atque benefacere appetit, quæ Græcè dicitur εὔνοια: at amor, atque cupido eſſe poteſt ſine appetitu bene volendi, atque bene faciendi, vt diximus ſuperiùs. Catullus enim poſtquam Leſbia nupta eſſet, eam plus amabat, quoniam maiore fruendi deſiderio afficiebatur: nitimur enim in vetitum: minus autem ei bene volebat, quod quomodo eſſe poſſit, poſteriùs diſſerendum. Præterea ex amore naſcitur beneuolentia: nam, vt Cicero inquit, amor, ex quo amicitia nominata eſt, princeps eſt ad beneuolentiam coniungendam. Amor inſuper, & dilectio differunt: nam apud M. Tullium amare maioris vis eſt, quàm diligere: apud tamen Terentium contrarium legitur, & hoc modo vtuntur catholici: dicimus enim patrem filios diligere, nos diligere Deum ex toto corde noſtro. Sunt qui dilectionem ad voluntatem, amorem ad appetitum ſenſitiuum referunt. Differunt quoque amor, & cupido: nam amor ſingulari numero plerumque honeſtus eſt, vt amor fraternus, amor patris ad filium, vt apud Ciceronem legitur: cupido verò deſiderium eſt fruendi pulchro per omnes ſenſus in homine, quibus pulchri ſpecies defertur ad animæ partem imaginatiam propter voluptatem, quæ ſentitur in Venere, vt poſtea diſputabimus. Cupido hoc pacto Græcè dicitur ἔρως, cuius frater

Digitized by Google

gemellus αὐτέρως etiam, vt diximus, appellatur. Hic Cupido poteſt eſſe moralis, ſi deſiderium fuerit generandi pulchrum in pulchro, non præter legem. Laſciuus verò, atque malus, ſpuriúſque, ſi fuerit propter voluptatem, quæ ſentitur in Venere tantùm, & præter legem, vel propter generationem pulchri in pulchro, etiam præter legem. Dicitur etiam cupido hoc pacto amores plurali numero: amores enim Cupidines gemellos Veneris filios propter cauſam, quam diximus priùs, veteres dixerunt. Amor etiam, & charitas differunt: primò quidem quòd amor genus, ſpecies autem charitas ſit: nam ille ad omnes res, hæc ad hominem tantùm pertinet. Deinde, vt Cicero inquit, homines quum ob Deum, & patriam mouentur, charitate moueri dicimus: quum autem ob fratres, coniuges, filios, atque amicos honeſtos, & ob honeſta ipſa, amore. Bernardus vir omni ſanctitate inſignis, eo libello, quem de amore Dei ſcripſit, aſſerit voluntatem in amore, amorem verò in charitate, charitatẽ denique in ſapiẽtia creſcere: quòd charitas nihil aliud ſit, quàm Dei illuminatus amor, quem nec Ariſtot. nec Plato, nec alius philoſophus de Deo habuit, qui ſolo naturali lumine fuerit illuminatus. Verùm de his poſteriùs diſſerendum. Differunt autem amor, & ferina concupiſcentia: nam ferina concupiſcentia deſiderium eſt in animalibus mutis vtendi fœminis ſuæ ſpeciei, vt in eis, ex eis, ſibi ſimilia generẽt. At amor genus eſt ad omne deſiderium cuiuſcunque rei, quæ apperenti eſt aut videtur bona, & hoc Virgilius affirmat, vt ſuperiùs retulimus. Amor etiam, & cupiditas differunt: cupere enim eorum eſt, quæ in ſpecie ſunt, & hoc pacto ea cupiditas, quæ cibi eſt, fames, quæ verò potus, ſitis appellatur: quæ autem veneris, ſi cuius rei fuerit non additur, libido dicitur: eſt enim libido cupiditas, quæ non expletur, niſi per obſcœnas corporis partes. apud alios verò libido accipitur pro ipſo coitu, qui non expletur, niſi per obſcœnas, vt diximus, corporis partes: nos verò de licentia appetitum coëundi libidinem volumus appellari. amor autem, vt diximus, genus eſt, cùm ſit deſiderium cuiuſcunque boni. Quæres autem, vtrum qui optat amat? ſi enim optamus quæ non ſperamus, qui optat non amabit, cùm amare ſit eorum,

quæ ſperamus. fortaſſe dicendum, amorem eſſe poſſe eorum, quæ non ſperamus, ſed non diu durantem: vel dicendum, amorem quum generatim intelligitur pro deſiderio cuiuſcunque rei bonæ, quouis modo optare erit amoris ſpecies.

De Veneris nomenclaturis.

CAPVT XX.

POSTHÆC de Venere, Veneriſque nomenclaturis dicendum: nec omnia, quæ de Venere Poëtæ fingunt, proſequi volo, proficiſceretur enim oratio noſtra ad immenſum, ſed ſolùm quæ ad noſtrum propoſitum faciunt, ea breuibus aſſumere enitar. Venerem igitur nonnulli in generandi potentiam, nonnulli verò in genitalis ſeminis emiſſionem retulerunt. Seneca Venerem pro ipſa ſeminis genitalis emiſſione intelligit vbique: Platonici verò pro generandi potentia. Et licèt Plato, Platonicique ipſi in re hac haudquaquam ſibi conſtent, tamen breuibus reſumam quæ veriora videntur eis. Dicamus igitur vnam Venerem diuinam eſſe, quæ eſt in Deo, alteram cœleſtem, quæ eſt in cœlo, tertiam humanam, quæ eſt potentia in humana anima: ſunt qui & quartam addunt in mundana anima. quæ in Deo Venus eſt, ſi in eſſentiam Dei referatur, Saturnum, ſi in vitam, Iouem, ſi in ipſam Dei intelligentiam, Venerem vocant. & ſicuti in Deo multiuoca eſt Venus, ita in ipſa mundi anima: nam vt ſuperna percipit, Saturnus, vt cœlorum motricem habet potentiam, Iupiter, vt verò inferiora generat, Venus nuncupatur. Inſuper vt hæ Veneres multiuocæ, ita cœleſtis ſtella, quæ ſub Sole, & ſupra Mercurium eſt, multiuoca reperitur, nam cùm ante Solem graditur, φωσφόρος Græcè, Latinè lucifer, cùm autem ſubſequitur, ἕσπερος, Latinè veſper, ac veſperugo dicitur: ſunt qui eam Dianam, vt Lucianus affirmat, Virgilius, & Pacuuius iubar appellant. Humana verò Venus duplex eſt. altera vis intelligendi eſt, quæ mens, ſiue intellectus eſt, quo & diuina, & omnia intellectilia intelligere poſſumus; huius ſemen eſt ſpecies rei, quæ intelligitur, & fortaſſe phantaſma apud

Digitized by Google

Auerroëm. altera eſt facultas generandi, quæ adhuc duplex eſt, ſicut duplex eſt ſemen, vt Plato inquit in Sympoſio: eſt enim ſemen corporeum, quo cùm implentur homines, cupiunt aut illud emittere in humano pulchro, vt generent pulchrum in pulchro, & hoc modo viri appetunt, cupiunt enim ſemen emittere in vterum pulchræ fœminæ, vt in ea pulchrum efficiant: aut illud recipere ab humano pulchro, vt ex illo in ſe pulchrum concipiant, & hoc pacto mulieres appetunt: appetunt enim recipere ſemen à viris, vt ex eis concipiant pulchrum in ſe ipſis. Eſt inſuper aliud ſemen, vt ita dixerim, animaſticum, & hoc virtutum, atque morum concinnitas, ac cumulus eſt, quo cùm quis fuerit plenus, deſiderat emittere ipſum in alterius viri animam, vt generet in ea pulchrum, cùm ipſa ſit & pulchra. qua ratione fit, vt ſit multiplex amor, quemadmodum multiplex eſt ſemen, & multiplex Venus. nam appetitus intelligendi, quo frui deſideramus, natura intelligere, ac frui intelligibilibus pulchris, amor eſt intellectiuus: amor verò, quo deſideramus emittere ſemen animaſticum, eſt amor modeſtus, atque moralis, qui ſi habitu fuerit firmus, mutuus, & non latens, in amicitiam officioſam tranſit. Quòd denique deſideramus genitale corporeúmque ſemen emittere, amor eſt cupidineus, qui etiam ſi inter ſexu diſſimiles mutuus, non latens habitúſque firmatus fuerit, ſpecies voluptuoſæ eſt, modeſta quidem, atque moralis, ſi fuerit ſecundum leges, ſin autem præter leges, amor eſt voluptarius. Sunt qui, vt Plato inquit, duplicem Venerem diſtinguunt etiam in maſculam & fœminam. Eſt Venus maſcula potentia, qua quis poteſt & appetit ſemen genitale emittere aut in pueros, aut in fœminas non per locum idoneum: nam quemadmodum duplex amor eſt, alter erga pulchrum in pueris, alter erga pulchrum in puellis: ita duplex eſt potentia emittendi ſemen: altera qua quis natura appetit, & poteſt ipſum emittere in pueros, hæc maſcula Venus appellatur: altera qua quis natura poteſt, appetítque emittere in fœminas pulchras per debitum, idoneúmque locum, & hæc dicitur Venus fœmina: nam ſi per locum non idoneum in fœminas emittere deſideraret, fortaſſe hic adhuc

Digitized by Google

maſcula Venere afficeretur. Fabuloſa verò, quæ Poëtæ de Venere narrant, breuitatis cauſa prætermittimus. Illud autem non eſt prætereundum, per Venerem nos in libro noſtro plerumque intelligere ſeminis emiſſionem, qua ſemen emittitur, aut voluptatis, aut generandi cauſa: vel ſemen ipſum emiſſum, quod in fœminas, puerósque perficitur delectandi gratia. Cùm igitur Poëtæ fabulantur Venerem natam eſſe ex Ioue, atque Dione, quæ vna eſt ex Oceani nymphis, è qua Venus dicitur Dionea, volunt dicere ſemen fieri à cœlo, cœlíque potentia, qua ſphæræ perpetua rotantur vertigine: per Iouem enim aut cœlum, aut cœli potentiam intelligunt: & ex humiditate, quæ excrementum eſt vltimæ concoctionis. hæc enim humiditas materia ſeminis eſt, quæ in ſemen genitale conuertitur virtute teſticulorum, quemadmodum in hac vi mamillarum ſanguis ipſe mutatur. Venus igitur ex Ioue, & Dione hoc pacto genita cenſenda eſt. Dioni enim Græcè, Latinè humidum eſt apud nonnullos, & hac ratione mater Veneris fingitur, quatenus ſemen ipſum emiſſum, quod Venus eſt, ab humiditate proficiſcitur: in Ioue enim vis calida eſt, & humida, vnde vita, & alimentũ Dioni certè patronymicum eſt, à Ioue nempe Iouis filia.

De diuiſione amoris, déque Cupidinis nomenclaturis.

CAPVT XXI.

CVM verò amor diſtingui poſſit, non ſolùm propter obiecta, quæ ſunt ipſa amabilia, ſed propter virtutes, potentias ac ſubiecta, è quibus, & in quibus conſiſtit: ideo dicamus multiplicem eſſe amorem: qui quia eſt in ipſo Deo, diuinus dicatur: alius eſt angelicus, quia in angelis eſt: alius eſt hominis, qui propterea dici poteſt humanus: alius eſt naturæ, qui & naturalis propter eandem cauſam appellatur. Humanus amor multiplex eſt: eſt enim aut hominis ad hominem, & hic eſt multiplex, quia aut eſt inter maſculos, qui ſexu ſunt conſimiles, ceu inter Patroclum, & Achillem: aut inter fœminas, veluti inter Lædam, atque Maiam, quæ etiam ſexu conueniunt: aut tertiò eſt inter maſculum, & fœ-

minam, qualis inter Orpheum, & Eurydicen, itémque inter Alceſten & Admetum, qui ſexu diſcrepant: aut quartò eſt ſui ad ſe, & hic amor apud Græcos φιλαυτία dicitur, hoc eſt amor ſui: aut eſt hominis ad res, quæ non ſunt homines, & hic eſt multiplex: quoniam aut eſt hominis ad res naturales, quæ citra humanam naturam collocantur, vt eſt hominis ad res inanimatas, artificiales, vel naturales: aut ad res animatas, cœleſtes videlicet, vel ad animalia, aut ad plantas, ſtirpéſque: aut eſt ad res quæ ſunt ſupra homines, vt vel ad Deum, vel ad angelos. Amor verò, qui naſcitur ex Venere, hoc eſt, à plenitudine ſeminis genitalis, cupido eſt. Et cùm Venus ſit duplex, maſcula videlicet quæ ſemen eſt inclinans animum ad amandos pueros: & fœmina quæ ſemen eſt, quo animus rapitur ad amorem puellarum: iccirco Cupido geminus eſt, alter cinædicus, qui erga pueros verſatur, alter muliebris, qui erga mulieres animum rapit. Dicitur autem cupido, Græcè ἔρως, cuius gemellus ἀντέρως appellatur: quia, vt ſuperiùs diximus, perfectus cupido componi debet ex amatione atque redamatione.

De deſiderio.

CAPVT XXII.

ET quoniam deſiderium ponitur in definitione amoris, vt genus, conſequens eſt dicere de deſiderio: primo enim aſpectu deſiderium, cupiditas, & appetitus eadem videntur eſſe. Aurelius verò aſſerit amorem eſſe extenſionem quandam, qua voluntas extenditur ad quamuis rem appetibilem, cùm primùm nobis obiicitur: eſt enim amor, vt inquit, ea prima mutatio, quam in mente factam eſſe percipimus ab ipſo mouente appetibili, cùm primùm nobis occurrit: quæ, vt dicunt, quamprimùm accidit, non eſt in poteſtate noſtra: eo enim ipſo quo nobis ipſa contingit, rapit nos ad amandum rem, quæ primò mouit. Aut dicamus amorem eſſe (vt ita dixerim) placentiam primam, qua cùm amabile, appetibiléque nobis primò occurrit, placet, ac delectat. Deſiderium verò eſt motus factus in anima, & ge-

nitus ab ea placentia, quam amorem eſſe diximus, & à Græcis, vt Plato inquit, dicitur ἵμερος: eo enim anima quaſi vi quadam trahitur, rapitur, ac mouetur in rem amabilem, atq; appetibilem. Dicitur etiam πόθος, quòd ſit rei appetibilis, amabiliſque, quę abeſt, alibíque eſt. Marcus verò Cicero amorem eſſe affirmat appetitum earum rerum, quas habemus, poſſidemúſque, ac habuimus, poſſedimúſve, quáſque vlteriùs poſſidere, atque habere cupimus, aut ex æquo, aut magis in futurum: deſiderium verò earum rerum, quas nec habuimus, nec poſſedimus. apud verò Iuuenalem deſiderium pro vehementi amore accipitur, quum dixit,

Cur deſiderio Dibulæ Sertorius ardet.

Apud alios pro nimia cupiditate videndi eum, qui abeſt, & propriè de rebus gratis, optatis, aut amiſſis dicitur: hinc dicimus poſt pugnam deſiderari milites, qui perierunt. Alij verò aſſerunt deſiderium eſſe poſt amorem in rebus, quæ præterierunt, ac poſſeſſæ ſunt: in rebus verò futuris deſiderium prius amore. Sed quod ab omnibus ferè aſſeritur, potiſſimum ab Ariſtotele tertio Ethicorum, eſt quòd quemadmodum graue euſque mouętur, quouſque in centrum, & leue quouſque in cœli concauum peruenerit, alioquin quieſcet nunquam: ita quoque appetitus noſter ab appetitione quieſcet nunquam priùs quàm in idipſum peruenerit, quod à principio appetebat, modò ratio, quæ noſtri appetitus, vt Ariſtoteles inquit, pædagogus eſt, eum non moderetur. Amatorius itaque motus, quo appetitus in amabile proficiſcitur, primò ab amore incipit, è quo in deſiderium, niſi ratione moderetur, aduolat, in ſpem verò procedit: demùm poſt hæc tandem in voluptifico ipſo amabili, quod à principio amare cœpit, quieſcet eouſque, quouſque ab eo voluptate afficietur. Sed occurres, Nam deſiderium in amoris definitione vt genus collocatur. Ergo deſiderium ipſo amore eſt vniuerſalius, atque fuſius. Sed propterea dicendum eos, qui amorem per deſiderium definierunt, vt Platonici, non amorem pro appetitu cuiuſcunque boni accepiſſe: ſic enim eſt ipſo deſiderio fuſius, ac vniuerſalius: ſed pro deſiderio pulchri: & hoc pacto ſicut pulchrum eſt in ipſo amabili preſſius: ſic amor eſt ipſo deſiderio minus communis: hac

Digitized by Google

enim ratione amor ſolius pulchri eſſe videtur, at deſiderium etiam omnium amabilium. Amabile autem pulchro ipſo fuſius, ac vniuerſalius eſſe, nemo eſt qui dubitet.

De proprio obiecto amoris, amicitiæque voluptificæ.

Capvt XXIII.

QVONIAM iucundum, ſiue voluptificum eſt bonum per ſe, quod per ſe, vt ſuperiùs diximus, eſt amabile, vt finis: bona verò, quæ nos inducunt in fruitionem eius, ſunt bona vtilia, hinc enim ortus eſt amor voluptarius, qui nihil aliud eſt quàm deſiderium fruendi voluptifico. Hic autem amor ſi inter eos homines fuerit, qui ſibiipſis ſunt mutuò voluptifici, atque iucundi, non latens, atque ex pluribus actibus voluptificis vt habitus permanens, proculdubio, vt Ariſtoteles aſſerit, erit voluptaria ipſa amicitia: qua ratione euenit, vt amoris voluptarij voluptariæque amicitiæ, proprium obiectum ſit ipſum iucundum, quod voluptificum etiam appellatur, quòd voluptatem ferat amantibus, qui mutuò ſe amant, aut ipſi deſideranti, qui voluptatem deſiderat. Vnde quemadmodum amoris, amicitiæque officioſæ bonum honeſtum eſt proprium obiectum, amoris verò, atque amicitiæ ab ipſo iucundo atque vtili proficiſcentis, bonum iucundum atque vtile eſt: per hæc enim bona diſtinguuntur affectus & habitus huiuſmodi: & cùm affectus naſci poſſit vno ex actu, qui circa proprium obiectum verſatur, habitus verò non niſi ex pluribus, atque plerumque circa illud idem verſantibus, fit, vt amor voluptarius amicitiáque voluptifica generetur ab ipſo iucundo, voluptificóque, tanquam ex proprio, peculiariue obiecto, circa quod vnus, aut plures actus verſantur eorum, qui circa ipſum propriè ſunt apti fieri.

Digitized by Google

Quomodo pulchrum ei ſit amabile, atque iucundum, cui videtur pulchrum, & cur.

CAPVT XXIV.

QVONIAM pulchrum ea ratione ad amantem ſe habet, qua & ipſum bonum ad appetentem: nam qua ratione id quod eſt, vt Ariſtoteles inquit, aut apparet bonum appetenti, mox ab eo natura quaſi compellente expetitur: ita quoque pulchrum ipſum, quo amanti pulchrum eſt, aut apparet, mox ab eo lege quadam naturæ compulſu amatur. Non igitur ab ratione, pulchritudo mirè afficit vnumquemque, potiſſimum eum, cui offertur, aut videtur pulchritudo. Sed vndénam iſtud fiat, licèt ex his, quæ nunc diximus ſatis perſpicuum ſit, tamen nonnulli cauſam afferunt: quoniam ducimur, vt venereæ affectioni deſeruire formam exactiorem opinemur. Sed reprehendunt cauſam hanc Platonici, nam quanquam plerique in eam fœditatem feruntur præcipites, vt Euripidem arbitrantur collapſum eſſe, plerique tamen à pulchro ipſo rapi videntur, qui haudquaquam in eam fœditatem collabuntur: propterea cauſam ex ipſa noſtra anima accipiunt: nam cùm anima ſit id, quod naturaliter eſt, ac propè, & ſecundum eſſentiam in rerum ordine præſtantiſſima, ac pulcherrima, quandocunque cognatum ſibi quiddam, cognatique veſtigium, quale ipſum pulchrum eſt, aſpexerit, congratulatur, & ſtupet: refertur enim in ſeipſam, ſuíque, atque ſuorum recordatur. Deinde anima rationalis proximè pendet ex mente diuina, è qua pulchritudinis ideam ſibi impreſſam ſeruat intus, cui quod congruit tanquam ſibi, patríque cognatum libenter amplectitur: congruit autem ea in corporibus forma, quæ ad ipſam ideæ normam examuſſim compoſita eſt. Non mirum igitur ſit, ſi eo anima, cùm ſibi occurrerit, congratuletur, & ſtupeat. Ad hæc quod diuinæ pulchritudinis imaginem fert, ipſum ſuapte natura amabile eſt, primóque aſpectu ad ſe animos mouens, quemadmodum & ipſa diuina pulchritudo ſuapte natura à cunctis

amatur, qui eam ſpectant. At quòd externa pulchritudo diuinæ pulchritudinis imaginem referat, nemo eſt, qui dubitat. Sed pace tantorum virorum dixerim, hæ rationes rhetoricæ, non autem veræ videntur quidem, quoniam ea conceſſa oportet fateri, animam pulchrum quippiam eſſe natura, quod falſum eſſe ſuperiùs ex eo probauimus, quoniam pulchritudo, vt Plotinus etiam fatetur, nitor quidam eſt, qui ex harmonica partium membrorúmque compoſitione reſultat. At cùm in anima nulla ſit membrorum compoſitio, nullus poterit compoſitionis nitor eſſe, neque pulchritudo. Deinde anima non modò pulchri aſpectu congratulatur, ſed cuiuſque intellectilis intuitu, cùm ſit vt tabula raſa, quæ apta eſt omni pictura congaudere. Magis igitur quia turpis eſt, congratulatur pulchro, cùm omne imperfectum, quod perfici aptum eſt, eo congaudeat, quo perficitur: animam autem eſſe imperfectam, atque admodum turpem, declarat is intellectus, qui, vt Ariſtoteles inquit, eſt potentia omnia quod ab omnibus, quæ intelligi poſſunt, aptus, idoneúſque ſit perfici. Qua ratione euenit, vt anima potiùs pulchro gratuletur, quia turpis ipſa eſt, quàm quia pulchra. Quod etiam ſecundo loco induxerunt, longè magis rhetoricum eſt, tum quia Deus ipſe cùm omni compoſitione careat, vacétque, pulchritudine etiam vacet neceſſe eſt, cùm hæc ſit aliud nihil, quàm quidam harmoniacæ compoſitionis nitor, vt diximus, ex Homero, atque Plotino. Quòd ſi Deus pulcher vulgò dicatur, non niſi quia bonus, bonitáſque ipſa eſt, intelligitur: nihil enim aliud in Deo pulchritudo eſt, quàm bonitas, vt ſit quaſi pulcher per æquiuocationem quandam, ad modum, quo eum fortem, & iracundum dicunt: tamen etiam quia dato, quòd pulcher, bonúſque ſit Deus, animam ſeruare imaginem intra ſe diuinæ pulchritudinis, improbant Peripatetici, cùm ſit anima à principio quemadmodum abraſa ipſa tabella, in qua figura omnino nulla depicta eſt. Deinde ſi pulchritudinis ideam intra ſe ſeruaret, omne pulchrum cùm ei occurreret, ex æquo gratioſum eſſet: quippe cùm omne pulchrum ideæ illi ex æquo cognatum eſſe videatur. Quod tertio loco acceperunt, non minus cæteris rhetoricum videtur: tum quia

Digitized by Google

ſupponunt in Deo pulchritudinem, quæ ſi eadem ratione intelligitur, qua in corporibus eſt, haudquaquam vera eſt: tum quia ſi pulchritudinem velint intelligere bonitatem, ipſúmque in ſe bonum, non ſolùm pulchra externa diuinæ bonitatis imaginem, ac ſimilitudinem referunt, ſed omnes res, quæ ſunt ab ipſo Deo, cùm omnes ſint bonæ. Quare non magis anima congauderet pulchris, quàm cæteris bonis. Ariſtoteles igitur decimo libro Ethicorum aliam cauſam præbet ex maiore ſenſuum vigore circa pulchra, maioréque conuenientia: videmus enim palam tum viſionem, auditionémque, atque cæterorum ſenſuum operationes eſſe iucundiores, atque gratioſiores, cùm ſenſus ipſi maximè vigent in ſuis virtutibus, maximéque cum ſuis obiectis conueniunt. Et quoniam longè magis ſenſus ipſi vigent, cùm pulchra ipſa ſenſerint, longéque magis cum eis conueniunt, quàm cum cæteris, quæ aut ſunt turpia, aut pulchritudine vacant, fit, vt pulchrorum ſenſationes iucundiſſimæ nobis ſint, atque gratioſiſſimæ. Cùm autem ita fuerit, perſpicuum erit pulchra rapere animum ad ſui fruitionem, atque ad deſiderium eorum fruendorum: ſi enim animum rapuerit ad ea ſentienda propter voluptatem, etiam eum commouebit ad fruenda, cùm fruitio, vt ſuperiùs diximus, ſit aliud nihil, quàm quies in eo iucundo ſenſili, nobiſque voluptifico, cuius abſentia fuerit dolorifica: quietem dico eouſque quouſque ea ſentire delectat.

De amata puella, amatóque puero.

CAPVT XXV.

QVONIAM, vt ſuperiùs diximus, humani ſenſus in corporeis ipſis ſenſibilibus, compoſitiſque rebus pulchritudines perpendunt, quas muta animalia ſuis ſenſibus nequaquam ſentiunt, cùm pulchritudo, vt Plotinus inquit, nihil aliud omnino ſit, quàm ex plurium congruitate, venuſtatéque cooriens gratia: fit, vt hanc in corporibus noſtris ſi viſu perpendas, coloribus, lineiſque mira coaleſcentibus congruitate decus gratiſſimum requiras, ſi auribus, au-

Digitized by Google

ditúque, vocum modulata conſonantia eam audias, ſi olfactu, odoratúque eam olfacias odorabilium eorum, quæ è nobis ipſis exhalant, ſuauitate, ſi guſtu linguæ baſiiſque oris, atque labiorum, eam dulcedine deguſtes, ſin autem tactu, eam lenitate, mollitiéque tangas, eorum videlicet, quæ in carnibus tactilia ſunt, atque in membris, per quæ expletur libido. At ſi in animo perpendas, morum concinnitate eam requiras. Quibus perſpicuum quid amata, aut amatus ſit: eſt enim amata ea puella, quam vi pulchritudinis, quæ animi & corporis eſt, omnibus ſenſibus frui deſideramus, quibus in ea vniuerſam animi, atque corporis pulchritudinem perpendimus. Et quoniam amans ad amatam refertur, fit, vt is ſit amans, cuius animus rapitur ad deſiderium fruendi huiuſmodi puella, quæ ſibi per omnes ſenſus gratioſa aut eſt, aut videtur: non enim refert, ſit gratioſa, aut non, modò amanti, vt diximus, videatur, atque appareat.

De voluptario amore.

CAPVT XXVI.

SED cùm voluptarius amor ex eo oriatur, quod eſt, aut nobis videtur, voluptifico: quemadmodum amor officioſus, ex eo, quod eſt, aut nobis videtur, modeſto: & amor perſpicuus ex eo, quod eſt, aut nobis videtur fructuoſo, fit, vt voluptarius amor deſiderium ſit fruendæ voluptatis, ceu officioſus fruendæ modeſtiæ, & proficuus fruendæ vtilitatis. Hic autem amor ſi inter eos eſt, qui ſibi iucundi, mutuóque voluptifici ſunt, non latens, atque ex mutuis voluptarius actibus inter eos cadentibus in habitum diu firmatus, atque ferè immobilis, amicitia voluptaria à Peripateticorum principe dicta eſt. Hinc fit, vt voluptarius amor duplex ſit habendus: alter, qui eſt affectus, quo videlicet appetitus ſenſitiuus compellitur deſiderio fruendæ voluptatis: alter qui eſt amicitiæ, quoties habitu voluptatum, quibus mutuò aliqui fruiti ſunt, mutuò ſe amant.

Digitized by Google

De voluptatis nomenclaturis.

Capvt XXVII.

ET cùm amoris, amantiúmque fidem præſertim cupidinis voluptatem eſſe exiſtiment, non ab ratione quædam de ipſa voluptate tractemus, & primò de nomenclaturis: nam & apud Græcos eſt multiuoca, quemadmodum apud Latinos, vnde quemadmodum apud Latinos nonnunquam dulcedo, ſiue lætitia, ſic apud Græcos χαιροσύνη, ſiue χαρμοσύνη dicta eſt: & apud nos nonnunquam gaudium, ſic apud eos χαρμόν. apud tamen Platonem hæc aliqua ratione differunt: quippe qui menti lætitiam aſcripſit, quam Democritus euthymiam dixit, & gaudium, voluptatem autem ſenſibus mancipauit: & licèt gaudium, atque lætitiam menti attribuerit, hæc tamen diſcerniculo quodam diſpeſcuit, quòd cum laude ſemper ſit gaudium, at in vitium quandoque labatur lætitia: eſt enim hæc animi elatio quædam boni cuiuſpiam præſentia, quæ ſi moderationis menſus, limitéſve tranſiliat, reprehenſionis morſum non euadit, repreſſa verò, ac ſuis metita modulis, laude non vacat: gaudium autem eſſe iucunditatem ſancit, quæ de contemplatione, aut virtutis cuiuſpiam maieſtate profluat. Cicero tamen aſſerit hæc duo poſſe vnà voce dici voluptatem: nam voluptas licèt ſenſibus propriè adſcribatur, transferri tamen poteſt etiam ad eas, quæ mentis ſunt, quippe cùm nullo, vt inquit, verbo propriore ἡδονὴ dici poſſit Latinè. Dicitur etiam Euthymia, quæ animi eſt iucunditas perquàm ſuauis: vnde perexigua exiliat differentia, vt iucunditas menti quidem, & corpori ſit communis, ſuauitas verò ſolius ſit corporis, ſi à ſuauis deducatur. Et licèt tam apud Græcos, quàm apud Latinos aliis multis nominibus voluptas appelletur, his in præſentia erimus contenti. Verùm quia voluptas nihil aliud eſt, quàm doloris vacuitas, omnis voluptas communi nomine dici poteſt indolentia, aut, vt Sidonius inquit, indoloria, quaſi non dolor, quòd qui ea potitur, non doleat. Et quoniam de voluptate ferè omnes,

qui de morali philoſophia ſcripſerunt, plurima dicunt; nos Ariſtotelem imitabimur, qui quàm cæteri neruoſiùs, ac veriùs de ea ſcripſit. cogimur verò de ipſa dicere: nam cùm vulgares voluptates, quas omnes fatentur, ſint tres, & quæ in potu & quæ in eſu, & quæ in venereis deſiderantur, amantes, qui amore cupidineo conflictantur, ea quæ in venereis deſiderant, cupidinearum vigiliarum finem quaſi laborum tantorum mercedem conſtituunt. Quare cùm de ipſo cupidine futurus ſit nobis ſermo, de voluptate eſt diſſerendum.

Omnes appetere voluptatem natura.

CAPVT XXVIII.

QVONPAM ſcientificarum quæſtionum prima, vt Ariſtoteles inquit, eſt, vtrum res ſit: ſi probabimus omnes voluptatem appetere, exploratum erit primò voluptatem eſſe, deinde quòd ſit bonum quippiam. Quare voluptatem omnes natura appetere, primò nobis probandum. Hoc itaque Eudoxus, qui philoſophus fuit modeſtiſſimus, vt Ariſtoteles teſtatur, argumento perſuaſit: quoniam vniuerſa ipſam affectant, & quæ rationem habent, & quæ expertia ſunt eiuſdem. Ariſtoteles verò quòd ſit noſtro generi naturalis, familiariſque: cuius rei nobis argumento ſunt pædagogi, qui pueros voluptate, atque dolore erudiunt: pueri enim metu doloris à rebus turpibus abſtinent, voluptatis autem amore honeſtis ſtudent: hæc enim non faciunt ratione, quum nondum ad eius vſum peruenerint, ſed à natura edocti. Idem & alia ratione Ariſtoteles monet: nam & qui mente carent, & qui prudentiam habent, & qui praui ſunt, eam affectant: quod eſſe non poſſet, niſi omnes natura compulſi illam affectarent, quæ eſt omnibus communis quaſi eadem. Idem inſuper Ariſtoteles demonſtrauit ex naturali viuendi deſiderio: cùm enim omnes natura viuere deſiderent, etiam id natura concupient, quod eſt viuendi perfectio: hoc autem voluptas eſt, atque delectatio, quæ omnem, vt inquit Ariſtoteles, operationem perfecit. Sunt

Digitized by

qui alio argumento idem probarunt: nam, vt experientia docet, philautia, hoc eſt, amor noſtri omnium deſideriorum cauſa eſt. Sed deſideriorum, cupiditatúmque omnium voluptas finis eſt: non enim ceſſant quouſque ad quietem perueniant, quæ voluptas eſt. Sed cunctis inſita eſt natura ipſa philautia: omnes enim natura ſe amant. fit, vt omnibus voluptatis deſiderium connatum ſit. hæc enim ratio efficax eſſet, niſi ſupponeret omnium deſideriorum cauſam eſſe philautiam: quod eſt res diſputatione digna, de qua poſteriùs nobis ſermo eſt.

Voluptatem eſſe bonum ſecundum Eudoxum.

CAPVT XXIX.

QVOD autem voluptas bonum ſit, ex his, quæ modò diximus, Eudoxus probauit. eſt enim ipſa appetibile quippiam, quare & bonum: omne enim quod expetitur, eſt, aut videtur appetenti bonum: non enim refert: quippe cùm multa videantur appetentibus ipſis bona, vt febricitantibus nimius aquæ potus, quæ non ſunt ſemper bona. Quare ſequitur, vt voluptas, quia expetitur, aut ſit bona, aut appetentibus videatur ſaltem bona. Deinde idem probauit, quoniam dolor eſt malus, cùm eum omnes fugiant, etſi nonnulli ipſum ferant deſiderio maioris voluptatis, vt Cicero inquit. Quare voluptas, quæ dolori contraria eſt, & appetitus, eſt quippiam bonum. Diodorus verò ideo voluptatem eſſe bonum aſſerit, quia indolentiam finem noſtrarum operationum probauit. Ariſtippus, qui ſic vixit, vt nihil inter eum, pecudéſque diſtaret, niſi vnum, quòd loquebatur, voluptatem eſſe bonum ex eo probauit, quòd viuendi, atque generandi cauſa omnibus ſit data.

Digitized by Google

Eudoxi opinio de voluptate, & Epicuri.

CAPVT XXX.

NEc ſolum bonum, ſed ſummum omnium bonorum Eudoxus aſſeruit: primò quia eſt per ſe eligibilis: omnes enim voluptatem eligunt propter ſe, & cætera propter voluptatem: neminem enim interrogas, cuiúſnam gratia capiat voluptatem, propterea quia per ſeipſam voluptas expetibilis eſt: quod autem per ſe eligitur, videtur per ſe, ſimpliciterque bonum: deinde quia ſi cuilibet bono additur, illud reddit magis bonum, veluti cùm iuſtus actionibus, temperatíſque adderetur: iuſta enim actio cùm fuerit, cum voluptate eligibilior eſt. Quare cùm voluptas omnium actionum bonitatem augeat, ipſa erit ſimpliciter, ac per ſe bonum quippiam, & ſummum bonum. Hanc opinionem Epicurus philoſophus ſecutus eſt, qui poſt Ariſtotelem Epicureorum ſectam condidit, non quia veri aliquid afferat, ſed quia multos ad populare nomen voluptas inuitat: nemo enim non in vitia pronus eſt: vt enim ad ſe multitudinem contrahat, appoſita ſingulis quibuſque moribus loquitur: nam deſidioſum vetat literas diſcere, auarum populari largitione liberat, ignauum prohibet accedere ad rem publicam, pigrum exercere, timidum militare, irreligioſus auditur Deos nihil curare, inhumanus & ſuis commodis ſeruiens iubetur nihil cuiquam tribuere, omnia ſui cauſa facere ſapientem, fugienti turbam ſolitudo laudatur, qui nimium parcus eſt diſcit aqua & polenta vitam poſſe tolerare, qui odit vxorem huic enumerantur cœlibatus bona, habenti malos liberos orbitas prædicatur, aduerſus impios parentes nullum eſſe vinculum naturæ, impatienti ac delicato dolorem eſſe omnium malorum maximum dicitur, forti etiam in tormentis beatum eſſe ſapientem, qui claritati ac potentiæ ſtudet, huic præcipitur Reges colere, qui moleſtiam ferre non poteſt, huic regiam fugere. Ita homo aſtutus ex variis, diuerſíſque modis circulum cogit, &, vt breuibus dicam, viuere pro naturæ inclinatione ſummum

bo-

Digitized by Google

bonum cuique appellat: quam etiam opinionem & Zeno, & Diogenes, & Archidemus, & Cleantes probarunt, aſſerentes hominis finem eſſe aliud nihil, quàm rationi obedire, quæ ea eligit, quæ naturæ cuiuſque conueniunt: nam ſi ſimpliciter malum eſt, quod contra naturam ſit, videbitur ſimpliciter bonum, quod eſt ſecundum naturam. Sed Ariſtoteles cum Platone de his rationibus diligenter diſputat; quod cùm ſit prolixum, bona fronte prætermittimus.

Quòd non omnis voluptas in ſe bonum, nec per ſe, ſimpliciterque bonum ſit.

Caput XXXI.

Ariſtoteles philoſophorum princeps opinionem hanc reprobat: & primò probauit non omnem voluptatem eſſe in ſe bonam, licèt alicui videretur bona: Deinde quòd dato quòd voluptas quippiam bonum ſit, nulla eſt ſimpliciter, ac per ſe bonum. Quòd non omnis voluptas ſit bonum, argumento nobis eſt amicus, qui ab adulatore diuerſus eſt: nam amicus ad bonum, adulator autem ad voluptatem congreditur: & tamen amicus laudatur, adulator autem vituperatur: quod non eſſet, ſi voluptas ſemper eſſet bonum. Deinde ſi voluptas eſſet ſemper bonum, quouis modo eſſet eligenda. At nemo eligeret toto ſuæ vitæ tempore mentem habens, aut puerorum vitam, quæ ab omnibus putatur maximè voluptuoſa, aut eorum, qui turpiſſima ſemper agendo nullum vnquam ſuſceperunt dolorem. Poſtremò multa ſunt, quibus homo ſummo ſtudio incumberet, etiam ſi ipſis nihil voluptatis fuerit permiſtum: eligeret enim vnuſquiſque videre, recordari, ſcire, atque virtutes accipere, etiam ſi nulla prorſus ab ipſis prouentura eſſet voluptas. Ex his & aliis Ariſtoteles concludit primò, non omnem voluptatem eſſe bonum: immo ſunt quædam prophanæ, atque ferinæ, vt concumbere cum maſculis: in hac enim actione apud quoſdam, apud quos non erat penitus lege cautum, ſumma voluptas habebatur, ceu apud Gallos, Lacedæmones, Athenienſes, Cretenſes, & nonnun-

ſſ

quam apud Romanos, ſi Ariſtoteli, Euſebio, atque Straboni eſt credendum, & filios comedere, vt de quadam muliere narrant, quam ferunt prægnantium viſcera reſcindere, puerósque comedere, & quod dicitur de quibuſdam efferatis gentibus circa Pontum, alios crudis delectari, alios humanis carnibus, alios tradere natos ad inuicem, vt in conuiuiis comedantur. Sunt & aliæ naturales neceſſariæ, quæ vt medelæ ſunt dolorum, ceu potus ſitienti, & famelico cibus. Aliæ naturales non neceſſariæ, quæ accidunt circa cibos, potúſque pretioſos. Sunt & aliæ nec naturales, nec neceſſariæ, quales ſunt erigere ſtatuam, vel id tale agere. Sunt inſuper & aliæ puræ, integræque, quales ſunt in diuinis operationes intellectus, atque voluptatis. Sunt & aliæ per ſe bonæ, ſed nonnihil malè habentes, vt intellectiones, & contemplationes hominis: hæ enim bonæ ſunt, ſed quia ad eas concurrit corpus, nonnihil doloris habent. Inſuper concludit, dato quòd omnes eſſent bonæ, non eſſe ſimpliciter, ac per ſe bonas, ſed ratione operationum, quas perficiunt.

Voluptatem non eſſe motum aduerſus Platonem.

CAPVT XXXII.

SED vtrum voluptas ſit motus, aut forma, quæ per motum acquiritur, eſt non parua digladiatio. Plato enim voluptatem rem eſſe aſſerit, quæ motu fit, aduerſus quem Ariſtoteles accipit, quòd ſint nonnullæ res, quæ requirunt certum, ſtatutúmque tempus, ſi debent generari, vt de homine perſpicuum: requiritur enim tempus ad hoc, vt hominis generatio in ſpecie perficiatur, quoniam motu fit, atque variis generationibus. at voluptas in ſua ſpecie perfici poteſt ſubitò: nam vt viſio quouis in tempore perfecta eſt, nihil enim ipſi deeſt, quod poſtea factum illius ſpeciem perficiat, tali perſimilis eſt & ipſa voluptas: eſt enim quoddam totum: nec vllo tempore voluptatem capere quis poteſt, quæ ſi maiore tempore fiat, illius ſpecies perficiatur. Sed quid Ariſtoteles velit, non eſt perſpicuum: nam fatentur

omnes voluptatem in aliquibus eſſe maiorem, in aliquibus minorem: quod autem eſt tale, eſt aut motus, aut per motum fit: propterea dicamus bifariam eſſe generationem, alteram cuiuſdam compoſiti, quod pro ſui generatione in ſpecie perfecta indiget multorum diſſimilarium generationibus, qualis eſt ædificatio, quæ nunquam dicitur in ſua ſpecie perfecta, niſi multorum diſſimilarium, ex quibus ipſum ædificatum conſtat, generationes expleantur: compoſitio enim lapidum diuerſa eſt ab erectione columnæ, & hæc rurſus à templi conſtructione. Quare templi generatio eſt perfecta, nullius enim ad propoſitum indiget rei: fundamentorum autem, & laquearium imperfecta, eſt enim vtraque pars. Eſt & alia generatio alicuius, cui pro ſui generatione perfecta in ſpecie plurium diſſimilarium generationibus non opus eſt, veluti generatio viſionis, & luminis, & cæterorum id genus. Hæc generatio cùm non requirat pluriũ diſſimilarium generationes, vt in ſua ſpecie perficiatur, dicitur fieri abſque motu: eo enim ipſo, quod illius aliquid eſt, in ſpecie ſua eſt perfecta: non enim requirit ad perficiendam ſpeciem pluriũ diſſimilarium generationes. Sed quoniam hæc ſunt obſcura, noſtrum inſtitutum ſuperegredientia, reſeruetur in aliud tempus.

De perfecta, & optima operatione.

CAPVT XXXIII.

QVONIAM quid voluptas ſit, nequit exponi, niſi quid optima operatio cuiuſque explicetur, ideo dicamus in omni operatione duo eſſe perneceſſaria: alterum potentiam, quaſi principium agendi, aut patiendi: alterum obiectum, è quo vel potentia patitur, vel in quod, vt in materiam agit, ceu in ipſa ſenſatione potentia eſt ſenſus, qui vel patitur, vel agit: obiectum eſt ſenſile, è quo patitur, aut in quod agit. Erit igitur perfecta, optimáque operatio, cùm tam potẽtia, quàm obiectum fuerint optima diſpoſitione affecta, ita vt nihil deſideretur, nec ex parte potentiæ, nec ex parte obiecti, vt operatio fiat. Talis eſt viſio pulchri: ex parte enim viſus, quæ videndi potentia eſt, nihil vlterius expetitur: ex parte verò

obiecti, minimè, cùm pulchrum inter viſilia ſit optimum: qua ratione fit, vt viſio pulchri perfecta ſit. Nec intelligas perfecta, quòd alterius obiecti comparatione perfectior eſſe nequeat. Sed perfectam optimámque Ariſtoteles intelligit ratione habita ad huiuſmodi potentiam, atque obiectum: operationes enim comparatione potentiarum, atque obiectorum poſſunt omnes perfectæ eſſe: at ſi inter ſe comparentur, altera erit altera perfectior: ſunt enim omnes ſenſationes æquales, æquæve perfectæ ſi ad potentias, obiectáque bene affecta referantur. Verùm ſi inter ſe, ipſum videre fortaſſe ipſo olfacere perfectius eſt.

Voluptatem eſſe perfectionem operationis, qua operatio perfecta dicitur.

CAPVT XXXIV.

QVONIAM autem eadem operatio eſt perfecta, atque voluptifica: nec voluptifica, niſi fuerit perfecta: nec contrà perfecta, niſi & voluptifica fuerit: iure voluptas nihil aliud erit, niſi operationis perfectio: obſeruatio enim docet in ipſis operationibus, quæ ad potentias cognoſcendi pertinent, tum operationem eſſe voluptificam, quum fuerit perfecta, & inter huiuſmodi operationes ea maximè voluptifica, quæ eſt perfectiſſima: eſt autem perfectiſſima ea, quæ cùm ſit ſenſus, vel intellectus, fuerit potentiæ optimè affectæ & comparatione optimi obiecti inter ea, quæ attinent ad potentiam, cuius eſt operatio. Quare ſi perfecta operatio eſt voluptifica, & perfectior magis voluptifica, & perfectiſſima maximè voluptifica: operatio nimirùm ea ratione, qua perfecta erit, & voluptifica: hoc autem eſſe non poteſt, niſi voluptas perfectio ſit operationis.

Digitized by Google

Voluptatem perficere operationem non ea ratione, qua principia agendi, atque patiendi perficiunt.

CAPVT XXXV.

VERVM cùm multa ſint, quæ operationem ipſam reddunt perfectam, & agens, vel obiectum, & forma, ceu eius operationis, quæ eſt conualeſcere: quæritur quonam modo voluptas operationem ipſam perficiat: medicus enim eam operationem, quæ eſt conualeſcere, vt agens perficit: ſanitas verò, vt forma. Quare eodem modo obiectum operationem perficit per modum agentis, delectatio verò per modum formæ: at ſenſus bene affectus eo modo, quo mouens ab altero motum perficere operationem dicitur. Quo fit, vt voluptas ſit forma operationis, non tamen ea ratione vt habitus, qui intrinſecus aduenit, ſed vt pullulans quidam finis, perinde atque pulchritudo in ætatis flore. Erit itaque voluptas operationis forma non attinens (vt ita dixerim) ad eius eſſentiam, ſed quaſi ſuperueniens, modo quo pulchritudo iuuenibus ſuperuenit: nam quemadmodum pulchritudo iuuenibus ſuperuenit, quo bonam eorum diſpoſitionem conſequitur, quæ iuuentutis principia ſunt, ita eo perfectio aduenit operationi, quo ſequitur bonam diſpoſitionem eorum quæ operationis principia ſunt. Erit igitur voluptas, vt breuibus concludam, forma operationi extrinſecus accedens.

Voluptatem non eſſe perpetuam, atque continuam in nobis.

CAPVT XXXVI.

SED quæſtione dignum eſt cùm voluptas ſit perfectio, atque forma operationis, cur non perpetua, atque continua eſt, ſed tandem vertitur in faſtidium. Dicamus igitur eouſque operationem voluptificam eſſe, quouſque potentia & obiectum bene affecta manent: cùm enim ſint ſimilia, & eodem modo inuicem ſe habent actiuum, atque paſſiuum,

Digitized by Google

idem quoque fieri natura ſolet. Quare nullus continuò in voluptate eſt aut dolore, cùm humana non poſſint continuò operari: defatigantur enim in operationibus, quas voluptas, vt diximus, ſequitur: ſumus enim corpore paſſibiles, qui facilè è prioribus affectionibus in nouas mutamur: defatigatis autem principiis, ex quibus operatio proficiſcitur, & in contrariam affectionem conuerſis, operatio in dolorem, atque faſtidium mutatur. Quare cùm humana operatio perpetua, continuáque eſſe nequeat, & voluptas, vt diximus, operationem conſequatur, quemadmodum nulla humanarum operationum eſt perpetua, continuáque, ita fiet, vt nec voluptas perpetuò afficiat. Hinc emergit quæſtio, vtrum ob voluptatem viuere expetamus, an voluptatem ob vitam. Ariſtoteles hanc quæſtionem miſſam facit, & nec ab ratione, quoniam viuere, & voluptas adeo permiſta, coniunctáque videntur, vt alterum nec eſſe ſine altero poſſit, nec expeti, ſicut nemo viſum ſine oculo, aut oculum ſine viſu expetere, deſideraréque poteſt. Quare quemadmodum propter oculum viſum, & propter viſum oculum, ita quoque & viuere propter voluptatem, & contrà voluptatem propter viuere expetimus. Inſuper ex his, quæ diximus, perſpicuum eſt, voluptatem aliqua ratione ab ipſo frui differre. Eſt voluptas operationis perfectio, frui autem eſt quieſcere in huiuſmodi voluptifica operatione eouſque, quouſque operatio delectat.

Quòd voluptates ſpécie differant, aut genere pro operationum differentiis.

CAPVT XXXVII.

NON eſſe voluptates omnes eiuſdem ſpeciei, non erit difficile deducere ex his, quæ diximus: nam ea, quæ ſpecie differunt, à diuerſis etiam, quæ ſpecie differunt, perfici putamus, quod quidem de eſſentialibus perfectionibus nemo dubitat. Quòd verò ita ſit de perfectionibus, quæ ſuperueniunt, modò propriæ ſint, perſpicuum fiet ex his, quæ natura ſunt, & quæ ab arte conficiuntur: ex his quidem,

Digitized by Google

quæ ſunt natura: nam in animalibus perfectio perpenditur in perſpicacia ſenſus, & qualitate motus, in arboribus, in fœcunditate: ex his verò, quæ arte conficiuntur: quippe cùm picturæ perfectio ſit in colorum, linearúmque diſtinctione, ſtatuæ in bene repræſentandis iis, quorum ſunt ſtatuæ, domus in bene ſeruandis eis, qui eas habitant, vaſis in bene capiendo. Quare & operationes differentes ſpecie à differentibus ſpecie perficientur. Qua ratione fit, quia operationes mentis ab operationibus ſenſus differunt, & quæ ſenſus ſunt, etiam inter ſe, vt voluptates, quæ ipſas perficiunt, etiam differant: huius verò rei nobis ſigno eſt voluptas extranea, quæ impedit operationem, propria verò eam auget, & quæ iucundior eſt, eam, quæ eſt minus iucunda: quod non eſſet, ſi voluptates omnes eiuſdem ſpeciei eſſent. quòd verò extranea voluptas operationem prohibeat, cui non eſt propria, neque peculiaris, qui fiſtulis delectantur, declarant, qui mentem nequeunt ſermonibus adhibere, ſi quempiam audierint modulantem, magis nimirum modulandi arte, quàm operatione præſenti gaudentes. Voluptas igitur ea, quæ à modulandi facultate prodit operationem corrumpit, quæ circa ſermones eſt: hoc idem & in cæteris vſu venit quando ſimul circa duo operatur quiſpiam: iucundioris enim voluptas eam operationem excludit, quæ minus eſt iucunda, & ſi multo voluptas præcellat, magis adeo extrudet, vt nihil per eam operetur: ex quo fit, vt quoties vehementer aliqua re gaudemus, non ferè alia agamus, cùm parum nobis alia placeant, veluti illi, qui in theatro comedunt, tunc maximè hoc faciunt, cùm inepti ſunt pugiles. Quare cùm propria voluptas exactas operationes reddat, & diuturniores, ac meliores efficiat, aliena verò extenuet, atque corrumpat, manifeſtum erit eas multum inter ſe diſtare.

Digitized by Google

Voluptatum aliquas eſſe probas, eligibiléſque, nonnullas autem improbas, atque fugiendas.

CAPVT XXXVIII.

EX iis, quæ paulo antè diximus, non erit obſcurum deducere, voluptatum aliquas eſſe probas, eligibiléſque, nonnullas autem improbas, atque fugiendas: nam cùm operationes probitate differant, atque improbitate, & aliæ quidem ſint expetendæ, aliæ fugiendæ, aliæ verò neutræ, ſimiliter ſe habent & voluptates: quippe cùm cuique operationi propria quædam voluptas ſit, fit, vt quæ ſtudioſæ operationis propria eſt, ea & proba, quæ verò prauæ, ea improba ſit. Deinde ſicuti cupiditates rerum honeſtarum, laudabiles, turpium verò vituperabiles: ita quoque & magis voluptates erunt nonnullæ laudabiles, quæ propriæ ſunt operationibus laudabilibus: aliæ vituperabiles, quæ vituperabilibus peculiares erunt: quippe cùm longè magis voluptates, quàm cupiditates operationibus ſint propriæ. Nam cupiditates tempore, atque natura ſunt ſeiunctæ, voluptates autem coniunctæ operationibus, atque adeo indiſtinctæ, vt contentio ſit, ſi idem ſit operatio, & voluptas, non tamen ſunt eædem operationibus: non enim poteſt eſſe voluptas, niſi in operatione ſenſus, vel intellectus: quæ enim cognitione vacant, voluptate haudquaquam afficiuntur: nec tamen voluptas idem eſt operationi intellectus, aut ſenſus, quando voluptas magis ad appetitiuam attinet potentiam. Quare vt operationes ſunt diuerſæ, ſic & voluptates. Qua ratione fit, vt non rectè dicant aliqui voluptates ipſas ſecundum ſe eſſe bonas, atque malas, ſed potiùs quia conſequuntur operationes probas, aut improbas, dicendæ probæ ſunt, aut improbæ. Eudoxus itaque, & Epicurus, & Ariſtippus, & cæteri, qui hos ſequuntur, non rectè opinantur: cùm dicunt voluptatem eſſe ſummum bonum, cùm ipſa in ſe nec bonum ſit, nec malum. Plato etiam cùm dixit omnem voluptatem eſſe malum, non bene ſentit, tum quia aliquæ ſunt bonæ, ſaltem quatenus operationes probas ſectantur, tum vel maximè, quia voluptas in ſe nulla proba eſt, aut improba.

De

Digitized by

De differentia voluptatum in ſe.

Capvt XXXIX.

QVONIAM, vt diximus, voluptates vno modo differunt propter operationes, quarum ſunt propriæ perfectiones, alio autem penes ſeipſas: ideo dicamus voluptatum differentiam penes ipſas eſſe, quoniam nonnullæ puræ ſunt, aliæ impuræ. Dicuntur puræ, quum dolori, qui eis contrarius eſt, nulla ratione permiſtæ videntur, tales ſunt Dei, & intelligentiarum voluptates: hæ enim operationes conſequuntur tales, in quibus principia nunquam defatigantur, & propterea continuæ, atque perpetuæ ſunt: impuræ verò, quibus nonnihil doloris permiſtum eſt, quales ſunt humanæ: & harum puriores ſunt, quæ mentis operationes ſequuntur: ſi enim corpore vel corporeis non egerent, quæ defatigantur, dubio procul puræ eſſent omnino: ſunt tamen cæteris puriores, quia corporeis non indigent principiis, niſi per accidens: minus autem puræ ſunt, quæ ad ſenſus attinent, cæteris tamen purior eſt, quæ eſt viſus: in ſe enim viſio cæteris ſenſationibus eſt ſpiritalis magis, quòd minus de diſpoſitione materiæ in ſe habeat: inſuper ex parte principiorum, quibus perficitur: nam obiectum eſt viſile, quod per lumen in ſpiritali eſſe conſtituitur: medium verò eſt aër, qui ſola ab ipſo viſili ſpiritali mutatione afficitur: tactiua autem cæteris eſt materialior, tum quia obiecta conditionibus materiæ magis participant, tum etiam vel maximè, quòd medium corporea, atque materiali mutatione ab ipſo tactili alteratur: intermediæ verò ſunt inter has etiam mediæ: quæ enim ad rationem tangendi magis accedunt, ſunt materialiores, quæ autem ad rationem videndi, ſpiritales magis: guſtus enim voluptas eſt materialis magis, olfactus, & auditus magis ſpiritalis. Hæc de voluptatum differentia penes operationes: penes autem ſubiecta, quippe cùm alia ſit voluptas equi, alia canis, alia hominis: quoniam & horum operationes quas comitantur, ſunt aliæ. Vnde veluti Heraclitus inquit, Aſinum ſtramina magis optare, quàm aurum: a-

ſino enim pabulum auro iucundius eſt. Nec modò in ſubiectis alterius ſpeciei differunt ſpecie voluptates, verùm etiam in hominibus, qui eiuſdem ſpeciei ſunt: non enim eadem dulcia febricitanti, atque ſano videntur: nec calidum idem infirmo eſt voluptificum, atque ei, qui optimam habitudinem habet. Simili ratione & in cæteris. Quare licèt rationi conſentaneum ſit, vt voluptates ſpecie non differant in his, quæ eiuſdem ſpeciei ſunt, tamen in hominibus, qui non differunt ſpecie, voluptates ſpecie differre experientia demonſtrat: cauſa eſt, vt Ariſtoteles inquit, quoniam in cæteris animalibus operationes, atque voluptates ſequuntur naturam, quæ in animalibus eiuſdem ſpeciei eſt vna ſpecie. In hominibus autem imitantur rationem ſaltem hallucinatam, quæ in omnibus hominibus non eſt ſpecie eadem: hallucinata enim ipſa ratio in febricitante, ſpecie differt ab ea ratione, quæ eſt in ſanis: ideo non oportet, vt febricitantis, atque ſani eadem ſpecie voluptas ſit.

Quòd vera voluptas ſit hominum officioſorum.

Capvt XL.

Qvibvs non erit obſcurum officioſorum hominum voluptatem veram eſſe, cęterorum autem, qui vitiorum habitu animum affecerunt, eſſe hallucinatam: quod Ariſtoteles omni virtute præclarus probauit ex eo, quia viri officioſi ſanis hominibus, vitio autem affecti infirmis comparantur. Quare quemadmodum vera voluptas in guſtatilibus ea eſt, quæ ſanorum eſt, quæ verò infirmorum hallucinata: quippe cùm illi bene, hi verò prauè affecti ſint: eadem ratione euenit, vt ea vera voluptas ſit, quæ officioſi hominis eſt, quæ autem vitiis affecti, non vera, ſed, vt ita dixerim, hallucinata: eritque hominum officioſorum ea adhuc verior, quæ operationem potiorem imitatur ex eis, quæ ſunt hominum officioſorum: ſunt enim viri officioſi operationes diuerſæ, quarum altera altera eſt officioſior. Quare ea voluptas, quæ operationem officioſiorem imitabitur, erit cæteris earum quæ ſunt hominis officioſi

Digitized by Google

verior. Quòd ſi voluptas viri officioſi ſit vera, flagitioſorum autem hallucinata, fit vt vir officioſus ſit, vt index voluptatum, ceu guſtus ſani hominis, voluptatum, quæ ad guſtum attinent: erit profecto vir officioſus index, quatenus voluptas erit proba, quam ipſe probam eſſe iudicabit, improbam, quam improbam, & eligibilem, quam ipſe eligibilem, fugiendam autem, quam fugiendam cenſebit: probata enim ſunt, quæ omnibus, vel pluribus videntur, & horum his, qui ſunt ſapientiores, & ſapientiorum his, vel maximè, qui ſunt præcipui: eſt enim ſapientia menſura, qua res humanæ omnes iudicantur, ſapiens verò iudex. Errauit igitur Epicurus, qui omnem voluptatem bonam, probámque fatetur: non enim proba voluptas eſt non diſcere literas, quia hæc cenſetur voluptas à deſidioſo: nec auaritia, quia placet auaro: nec fugere à Rep. quia ignauo: nec vacare ab exercitio, quia pigro: nec imbellem eſſe, quia timido: nec Deos nihil curare, quia voluptificum videtur irreligioſo: nam id cenſendum eſt eſſe voluptificum, vt dixit Ariſtoteles, quod videtur viro ſapienti voluptificum, cuius ratio eſt pura, non autem hallucinata, atque corrupta.

De venerea voluptate, & quale bonum ſit.

CAPVT XLI.

QVONIAM venerea voluptas eſt finis cupidinis, de quo nobis ſermo eſt: nam cupido deſiderium eſt fruendæ in amata pulchritudinis, atque in eadem venere voluptatis vtendæ: hac ratione de venerea voluptate diſſerendum. Ariſtippus itaque corpoream voluptatem ſummum bonum exiſtimauit, & inter corporeas voluptates veneream. Vnde cùm quæreretur ab hominibus, quid ſibi velint, cùm fœminas tam rabidè conſectantur, vt vix diuelli queant, cibos etiam, potúſque negligant, aut alios mares violenter abigant, aut ne victi quidem abſiſtant, ſed à fortioribus ſæpe contriti eo magis inſectentur: Cur nec imbres, nec frigora pertimeſcant, laborem ſuſcipiant, periculum non recuſent. Quid aliud, vt inquit Ariſtippus, reſpondebunt? ni-

ſi ſummum bonum eſſe corpoream voluptatem? potiſſimum veneream, eámque ſe appetere, vt ſuauiſſimo ſenſu afficiantur, eámque eſſe tanti, vt aſſequendi cauſa nec laborem vllum, nec vulnera, nec mortem ipſam recuſandam putent. Cyrenaici quoque cùm hanc opinionem ſectentur, virtutem ipſam ex eo eſſe laudandam aiunt, quòd ſit effigies quædam venereæ voluptatis. Æquicola verò amicus noſter argumentatur: cuius voluptatis fruendæ deſiderium eſt maius, voluptas maior eſſe videtur: deſiderium enim noſtrum videtur menſura eius, quod deſideramus. quòd autem voluptatis venereæ deſiderium ſit cæteris maius, ex eo probat, quòd omnia cæterarum rerum deſideria, vt cibi, & potus poſtergentur pro aſſequenda venereæ voluptatis cupiditate. Teſtantur huic rei labores, imbres, frigora, æſtus, pericula, vulnera, mortes, quas ſubeunt amantes, vt huiuſmodi fructum, qui ſuorum deſideriorum eſt finis, aſſequantur. Sed quomodo venerea voluptas eſſe poteſt ſummum bonum, cùm ſit & communis cum belluis, & honeſti vim non habeat, & ſatietatem afferat, & nimia noceat, & proceſſu minuatur ætatis, & multis non contingat? Deinde ſi ſapiens, qui, vt diximus, voluptatum probatum improbarúmque iudex eſt, eam, quæ venerea eſt, improbam exiſtimat, niſi ratione, quæ ſenſualis appetitus pædagogus eſt, vt Ariſtoteles inquit, moderetur, quonam modo quippiam bonum, vel ſummum bonum dicere poterimus. Ad hæc quónam modo poteſt venerea voluptas bonum quippiam, aut ſummum bonum exiſtimari, cui ſemper pudor comes eſt? non pudet iraſci, nec gaudere, nec triſtari palàm, coire verò genitalibus patentibus vnumquenque pudet, oculos quorumcunque erubeſcendo deuitat, atque ſpectantium multitudinem perturbat. Quando igitur venereus actus cum eis mulieribus non committitur, quas habere ſupra facultates noſtras eſt, nec ſanitatem turbat, nec præter rationem, atque legem fit, tunc voluptas proba, bonáque cenſetur, quæ talem actum ſequitur: nam à ſapientibus tunc probam, bonámque voluptatem eſſe exiſtimatur, quando probam, bonámque operationem imitatur: quando autem nec cum quibus oportet, nec quan-

Digitized by Google

co, qualíve opus eſt, nec quando neceſſarius concubitus eſt, committitur, tunc turpis, improbúſque eſt, & voluptas quæ eum imitatur, ſimiliter. Quare licèt venereus actus ſemper delectet, voluptificúſque ſit, non tamen ſemper eſt probus, quemadmodum comedere, & bibere ſemper delectant, licèt non operationes probæ ſemper ſint.

Actum venereum eſſe maximè voluptificum.

CAPVT XLII.

QVOD verò venereus ipſe actus ſit maximè voluptificus, experientia ipſa demonſtrat: ſed cur tanta delectatio huic actui ſit tributa apud philoſophos naturales, & medicos magna ſemper fuit digladiatio, nec adhuc ſedata. Quidam, vt Platonici, tantam coitui voluptatem aſcripſerunt, quia ſemen genitale, cuius tranſitus per meatum virgæ voluptatem affert, deciditur à toto, nam ſi à parte ſegregaretur, vtique & in parte voluptas ſentiretur. Quare cùm à toto, vt aiunt, ſeparetur, in toto, ac ſimpliciter voluptas ſentienda eſt. Sed poſitionem hanc Ariſtoteles refutauit primò de animalium generatione, ex eo, quia ſi cauſa voluptatis huiuſmodi eſſet, quia ſemen à toto ſingulíſque à partibus deciditur, ſentiretur voluptas primò in vna parte, à qua primò deflueret, deinde in aliis conſequenter. At experientia docet, tunc fieri voluptatem, cùm genitale ſemen per meatum virgæ commeat, & non priùs. Ariſtoteles verò libro problematum cauſam aſſignauit, primò ex pruritu, ex eo, quia humiditas omnis cùm à loco ſcaturit in quo continetur, per meatus admodum anguſtos, non liberè quidem, ſed cum quadam ſuaui, atque moderata reſiſtentia, pruritum quendam efficit, qui eo maiorem voluptatem affert, quo humiditas, quæ fluxerit, ſpirituoſior, titillantior, purior, atque magis naturalis fuerit. Diximus, per anguſtos admodum meatus, quando cætera excrementa nec pruritum, nec voluptatem ſenſibilem afferunt. non enim meatus, per quos meant, anguſti, ſed ampliuſculi ſunt. Diximus, non liberè, ſiquidem ſudor nec pruritum, nec voluptatem efficit; quip-

Digitized by Google

pe cùm per poros cutis liberè ſcaturiat. Addimus, eo maiorem voluptatem facere, quo humiditas, quæ ſcaturit, ſpirituoſior, titillantior, purior, ac magis naturalis fuerit: nam qui ſcabiem vnguibus ſcalpit, pruritum ſuauem generat, quia humiditas ſcalpuritione per anguſtos cutis meatus fluit. Verùm quia huiuſmodi humiditas aut præter naturam eſt, aut in eam, quæ præter naturam eſt, apta conuerti, iccirco pruritum non eo modo iucundum, atque voluptificum efficiet, quo humiditas ſeminalis, cùm ſcaturit potiſſimùm, cùm illa, quæ ſcalpuritione defluit acuti, nec ſpirituoſa, nec pura, nec titillans ſit. At in venereo ipſo actu quæ deriuatur humiditas, & per meatus anguſtos, & non liberè, ſed quadam cum ſuaui, moderatáque reſiſtentia ſcaturit, éſtque ſpirituoſa, titillans, puriſſima, atque maximè naturalis, ideo pruritum efficit delectabilem ea voluptate, quæ eſt ſupra omnes corporeas iucunditates. Sed cùm ſeminalis ipſa humiditas è vaſis ſeminariis deriuari nequeat, niſi meatus in eorum parietibus fiant, ideo adhuc quæſtione dignum eſt, quibus è cauſis meatus huiuſmodi proficiſcantur in illorũ vaſorum parietibus, in quibus ſemen continetur, vt per eos ſeminalis ipſa humiditas ſcaturiat, modo, quo diximus. Ariſtot. autumat huiuſmodi meatus fieri à calido naturali, ac ſpiritali moto ad parietes vaſorum: calidũ enim naturale, ac ſpiritale motum ad vaſa ſeminaria, illa calefaciendo rarefacit, atque meatus efficit: mouetur autem calidum primò, quia per agitationem, atque fricationem amplificatur vſque ad ea loca, deinde à virtute expulſiua regulata ab imaginaria potentia, qua ſemen imaginamur expellere: & quod magis eſt nonnunquam ſine agitatione, ac fricatione calidum mouetur, ad vaſa ab ipſa expulſiua, quæ imaginariæ obedit ad nutum, vt in pollutionibus ipſis perſpicuum eſt, quæ fiunt in ſomno, vbi calidum nec agitatione, nec fricatione amplificatur, ſed per ſolam expulſiuam virtutem fertur ad vaſa, quæ imaginariæ obedit in ſomno ſic imaginanti. Inſuper eſt & alia cauſa: nam cùm aliqua operatio ex aliquibus principiis proficiſcitur, quæ ſunt optimè affecta, ea operatio perfecta eſt omnino, & cùm actus venereus ſit ſenſatio quædam tactiua, cuius principia ſunt, & tactus, qui in partibus eſt, per quas genitale ſemen

Digitized by Google

decurtit, quæ ſunt neruoſæ valde ad ſentiendum aptæ, modò partes illæ malis, viſcoſíſque humoribus non fuerint affectæ, quemadmodum eis accidit, quum morbo afficiuntur, quem Græci παράλυσιν dicunt, nec fuerint hebefactæ præ nimio coitus vſu, hebeſiunt enim partes illæ in viris, & in mulieribus, vt Ariſtoteles, & Auicenna dixerunt, coitus vſu prænimio: & ſemen, quod in actu venereo emittitur, eſt ſenſile, optimè affectum, vt ſentiatur: eſt enim molle, lene, ſpirituoſum, titillans, purum, ac naturale. Quare cùm & tactus ſit optimè diſpoſitus, vt ſentiat, ſemen autem, vt ſentiatur, in actu venereo erit ſenſatio ipſa valde perfecta: & cùm perfectio operationis ſit voluptas, fit, vt in actu venereo ſenſatio ſit ſummè voluptifica. Quare non ſolùm propter pruritum, ſed etiam propterea, quia ſenſatio tactiua, quæ in actu venereo eſt, perfecta, ac voluptifica videtur. Tertiam cauſam Auicenna ex diuina prouidentia nanciſcitur, aſſerens tantam delectationem ideo venereo actui eſſe tributam, vt perpetuò ſeruetur generatio, ad quam genitale ſemen eſt ab ea inſtitutum, vt videlicet propter voluptatem, quam animalia in coitu ſentiunt, ad eum pro generatione ſeruanda maximè moueantur: quippe cùm, vt Auicenna inquit, voluptas quæ ſentitur in Venere, ad eam ſæpiùs inuitet. Oportuit itaque in venereo ipſo actu ideo voluptatem maximam ſentiri, ne propter morbos, atque labores, qui propter ipſum contingunt, & propter pudorem, turpitudinémque, ab animalibus prætermitteretur, & ita generatio tandem deficeret. Quæ verò voluptas maior, vtrum in fœminis, an in maſculis, quæſtio eſt apud medicos non facilis. tamen Galenus delectationem in fœminis aſſerit eſſe maiorem pluribus modis, quoniam & emittendo, & recipiendo, emittit enim ſemen ſuum, ſuſcipit autem illud maſculi, & vtroque modo voluptate afficitur, & eo magis maſculi ſemen recipiendo, quo tale ſemen eſt ſuo ſemine concoctius, lenius, titillantius, ſpirituoſius, atque purius: in maſculis verò vno modo, ſed maiorem, quia emittendo ſemen duntaxat: eſt enim hæc emiſſio iucundior, quatenus ſemen commeat per tactum perfectiorem, qui eſt in partibus meatus maſculi, per quem tranſit: eſt enim tactus in maſcu-

Digitized by Google

lis temperatus magis, quàm in fœminis: eſt inſuper iucundior, quia ſemen viri per meatum anguſtiorem defluit, quàm cùm recipitur in fœmina. ſunt & aliæ cauſæ quas à medicis perquiras. Ex his patet animalia coitum magis, quàm cibos ſequi: nam cibis, potibúſque ſeruatur indiuiduum, coitu verò ſpecies, quæ magis à natura intenditur.

Qui ſalaciores, amantéſque magis ex ætate.

CAPVT XLIII.

PLVRES verò quæſtiones diſputantur in actu ipſo venereo, quas omnes nolo diſſerere, ſed eas duntaxat, quæ cupidini vtiles videntur. Eſt prima, qua ætate actus ipſe veneris peculiarior eſt. Peripatetici, quos Galenus imitatur, aſſerunt in pueritia, atque decrepita ætate ſemen non emitti, aut parum: in pueritia quidem propter incrementum, quia enim in pueris velox, magnúmque eſt incrementum, ſemen in nutritione non ſuperfluit: in decrepitis verò, vbi omnes virtutes ſunt ſemimortuæ, aut non fit ſemen, aut parum, quod per exercitium tabeſcit: poſt verò quartum decimum annum & in adoleſcentia, & in virilitate ſemen fit, & quidem multum: nam licèt adoleſcentia ſit adhuc incrementi ætas, tamen non eſt auctio velox, & tanta, quanta in pueris, in quibus triennalis auctio æqualis eſt ei auctioni, quæ vniuerſæ ætatis reſiduo confertur. Quia verò vt in virilitate, quæ conſiſtentiæ ætas eſt, nec incrementum, nec decrementum cernitur, in hac genitalis ſeminis generatio maior eſſe videtur, non tamen eſt, quoniam in iuuenta ob caloris exuperantiam nutrimentum fit maius adeo, vt pro auctione, & pro ſeminis generatione ſufficiat. At in ſenecta ſemen maius proditur, quàm in decrepita ætate, quia adhuc calor efferuet, licet parum admodum. Qua ratione fit, vt iuuenes ſint ſalaciores, ſeminis videlicet magnitudine, poſt hos adoleſcentes, verùm amantes magis: nam licèt ſemen non tantum excreſcat, tamen nouitate delectationis ardent venere longè magis, quàm cæteri: meatus inſuper in his anguſtiores ſunt, per quos tranſit ſemen; cùm enim tam in femellis, quàm in iuuen-

iuuenculis meatus ſint anguſtiores, humiditas cum ſuauiori reſiſtentia ſcaturit. Quare delectantur, atque reſoluuntur magis. Appetunt verò rurſus coire poſt coitum, quippe cùm ſeminalis humiditas, quæ fricatione, agitationéque eliquata mouetur, ſit pauca, & quia pauca, citò frigeſcit, & quia citò frigeſcit, inepta expulſioni redditur. Quare iterum puellæ iuuenculíque fricari deſiderant, vt expellant humiditatem, quæ dum emittitur, ſemper oboritur. Qui autem ad virilitatem peruenerunt, minus ardent iuuenibus, minúſque ſalaces ſunt: nam licèt non augeantur, tamen in eis ſemen non quantum in iuuenibus creſcit, in quibus præ nimio calore nutritio maior eſt. Senes verò, & minus amant, & minus ſalaces ſunt, ac decrepiti nulla ratione. quibus perſpicuum amantes magis eſſe pubeſcentes, in quibus Venus incipit: poſt hos iuuenes, poſt hos viros, deinde ſenes, vltimò decrepitos.

Qui ſalaciores, amantéſque magis ex temperaturis.

CAPVT XLIV.

EX temperaturis verò, quas Græci craſes dicunt, ſanguinei ſalaciores amantéſque magis ſunt, quoniam calidi, & humidi: quia enim calido abundant, facilè in eis calidum ad imaginariæ virtutis nutum ab expulſiua potentia moueri poteſt ad vaſa ſeminaria, ad quæ motum congregatur, & congregatum meatus efficit. Qua ratione fit, vt bene appetant: quia verò humidi, bene poſſunt, cùm ſemen ſit aliud nihil, quàm humiditas naturalis, quæ nutritioni ſuperfluit: melancholici verò, quia frigidi, non appetunt: emergit enim appetitus ex abundanti calido: & quia ſicci, non poſſunt, carent enim humido, quod tranſire ſolet in naturam ſeminis. Ariſtoteles autem contrarium aſſerit, verùm ad medicos te remitto. Cholerici appetunt, calido enim exuperant, quod facilè mouetur ad ſeminaria ipſa loca: non autem poſſunt, quoniam deeſt humidum, quod conuerti ſolet in ſemen. Phlegmatici poſſunt, quia abundant humido, non tamen ita, vt alij appetunt, quippe cùm ſint frigidi. Aman-

Digitized by Google

tiores cæteris, ac potentiores ſunt cholerici ſanguinei: exuperant enim calido, quo appetant, & humido aëreo, quo poſſunt. Poſt hos ſunt phlegmatici ſanguinei, qui poſſunt magis, quàm cæteri, cùm humido polleant: appetunt verò, quia calidi: non tamen magis, quàm cholerici ſanguinei, in quibus eſt duplicatum calidum.

Qui ſalaciores, libidinoſiorè ſve ex naturæ ſignis.

Capvt XLV.

SVnt inſuper nonnulla ſigna, quæ naturæ dicuntur, à Græcis dicta phyſiognomonica, quæ non à manifeſta natura, ſed ab occulta admodum ſumuntur: inter quos eos Ariſtoteles ſalaces, libidinoſóſque affirmat, quorum tibiæ graciles, atque neruoſæ natura ſunt, quos ideo ſalaces dicit, quia referuntur ad aues, quæ ſaltem tempore coitus ſunt ſalaciſſimæ: inſuper & eos, quorum naſus eſt concauus, cuius quæ ſunt ante frontem, rotunda ſunt, circunferentiáque erecta, quos tales dicit, quia referuntur ad gallos, qui ſalaciſſimi videntur. Ad hæc & eos, quorum naſus eſt ſimus: & hoc ideo, quia referuntur ad ceruos, qui tempore coitus inſani redduntur. Præterea & eos quorum oculi ſunt lucentes: hoc autem propterea, quia ad gallos, ceruóſve referuntur, qui, vt diximus, libidinoſi ſunt. Deinde, & eos, quorum tibiæ piloſæ ſunt, quod ideo ita eſſe demonſtrat, quia referuntur ad hircos, qui ſalaciſſimi ſunt. Poſtea eos etiam ſalaces libidinoſóſque affirmat libro problematum, quorum è palpebris pili cadunt, & citò calui fiunt: hi enim libidine excedentes humidum, quod ad pilorum, capillorúmque generationem conuertitur, deeſt: quare & citò calueſcunt, & pili à palbebris facilè decidunt. Sunt inſuper ſalaces, atque libidinoſi, qui corpore ſunt piloſo: hi enim & referuntur ad aues, & humido, calidóve ſuperexcedunt. Deinceps quorum oculi ſurſum ducuntur, ſunt ſalaciores, atque libidinoſi, nec iniuria, vt Ariſtoteles inquit: quia qui coëunt, ſurſum ducunt oculos. Quare qui natura ſurſum oculos ductos habent, ſunt libidinoſi: referuntur enim ad apparentem actum,

Digitized by Google

qui enim emittunt ſemen, ſic apparent. Quo fit, vt natura ſint emiſſiui, qui natura ſic apparent. Suſpirioſos etiam, quorum vultus remiſſus, atque demiſſus eſt, libidinoſos, atque ſalaces dicunt: referuntur enim ad apparentem actum: nam qui amant, ſic apparent. Poſtea hi, quorum tempora capillata ſunt, lineáque, quæ ab apice capitis deſcendit per medium vſque ad colli principium crinita, libidinoſi exiſtimantur. Menander Theophraſti auditor tradit eos, qui obtuſum viſum habent, libidinoſos eſſe, atque amatorios. Verùm cùm nec huius, nec aliorum, quæ iuniores addiderunt, ex chyromantia rationes afferantur: bona fronte prætermiſimus.

Qui ſalaciores ex anni temporibus.

Capvt XLVI.

QVONIAM verò etiam anni tempora alterant corpora noſtra, fit, vt æſtate puellæ ſint libidinoſiores, & amantiores: ſupercaleſiunt enim magis, & quaſi virtus, quæ in frigido ſubmerſa erat, calore æſtatis reſurgit. Viri autem contrà hyeme, tum quia teſtes eo tempore contractiores ſunt magis parati ad emittendum ſemen, in hyeme verò deorſum reſidentes, tum vel magis, quia frigiditate hyemis viri natura, quæ ſiccior eſt, quaſi ad temperationem reducit: quare reddetur ſalacior: quippe cùm corpora temperata ſalaciora ſunt. Mulieres etiam, & viri, qui continuis equitationibus vtuntur, ſalaciores redduntur: quoniam calidum circa vaſa ſeminaria agitatione, & motu amplificatur.

De definitionibus amoris ſecundum alios.

Capvt XLVII.

IIs viſis, ſupereſt modò quid ipſe amor ſit deſcribere: nam autores ipſum non vna ratione definierunt. Ariſtophanes, quem Lucretius ſectatur, amorem aſſerit eſſe deſi-

Digitized by Google

derium in amante, vt ſe transferat transformétve in amatam, aut in amatum. Theophraſtus autem inquit, amorem eſſe animi concupiſcentiam, quæ citò exoritur, ſerò autem tabeſcit. Plutarchus verò ait, amorem eſſe ſanguinis motum, qui paulatim vim ſumit perdurátque diu ob noſtram perſuaſionem, qua credimus nos eſſe dignos amari. M. Cicero aſſerit amorem eſſe beneuolentiam. Seneca inquit amorem eſſe mentis grandem vigorem, qui caliditate ſuauiter in eo efferuet. Stoici tradunt amorem eſſe affectionem, quæ nobis aduenit pulchri cauſa. Plato ſcripſit amorem eſſe deſiderium eius fruendi, quod animo, corporéve pulchrum eſt. nonnulli autem qui doctrina clari ſunt, deſcripſerunt amorem eſſe vinculum, quo amans deſiderat ſe amatæ coniungere. Bernardus verò inquit, eſſe voluntatem bene ordinatam, vehementémque. Hæ ſunt definitiones, quas de amore veteres tradiderunt. Iuniores verò aliter, nec tamen eodem modo omnes dixerunt. nonnulli enim amorem eſſe dicunt deſiderium fruendæ bonitatis, quod Plotinus autumat, cùm aſſerit amorem eum animi actum eſſe, quo bonum deſiderat. Alij verò tradunt amorem eſſe deſiderium fruendi, generandíque pulchrum in pulchro: quod etiam Plato fatetur in Sympoſio. Alij dixerunt amorem eſſe deſiderium cum libidine coniunctum ab odio, atque laſciuia concitatum: quam opinionem videtur ſenſiſſe Petrarcha. Eudoxus verò inquit, amorem eſſe ſanguinis commotionem appetitu veneris non occupantem, vt ira, vniuerſum corpus ſubitò, ſed paulatim ad ardorem proficiſcentem ſpe venereæ voluptatis, permanentémque poſtea ob noſtram hallucinatam perſuaſionem, qua confidimus nos eſſe amore dignos. Sunt qui amorem voluntarium motum ſcribant, animique actum, quo tendimus ad earum rerum deſiderium, ac fruitionem, quæ nos voluptate afficiunt. Sed hactenus de amoris definitionibus.

Digitized by Google

Quales hæ definitiones.

CAPVT XLVIII.

SED pace tantorum virorum dixerim, hæ definitiones inutiles ſunt. Primò quia ſi de communi amore dantur, non videntur rectè traditæ, quippe cùm amor ſit quid æquiuocum, cuius vna communis definitio tradi non poteſt. Si autem de aliqua amoris ſpecie, nulla harum definitio idonea videtur alicui ſpeciei earum, quæ ſub amore continentur. Deinde Ariſtot. amorem ad amabile refert, amabile autem non omne eſt pulchrum: bonum enim vtile amabile eſt, quod non eſt pulchrum. Præterea bonum voluptuoſum amabile eſt, quod non omne eſt pulchrum. Quare definitiones amoris aggredientes, primò quid ſit cupido dicamus.

Definitio cupidinis prima.

CAPVT XLIX.

EST itaque cupido non vna ratione deſcriptus, & propterea potiores eius definitiones neceſſe eſt aſſumere. Quare prima eſt illa Platonicorum, qua dicunt amorem eſſe deſiderium generationis, partúſque in pulchro. Hanc Diotima aſſerit, & Plato concedit: verùm ſi ita intelligatur, vt verba demonſtrant, non eſt bene aſſignata: primò quia ſi hæc definitio communis accipiatur hominibus, & animalibus mutis, non eſt verum in mutis amorem eſſe deſiderium generationis, partúſque in pulchro: non enim muta pulchrum agnoſcunt. At ſi hæc definitio propria ſit hominibus, hoc eſt data de cupidine, quæ ſolis hominibus competit, tunc ſolùm de ea cupidine eſſet vera quæ eſt maſculi ad fœminam: non enim in puellis cupido deſiderium eſt generationis, partúſque in pulchro, ſed generationis, partúſque ex pulchro. Præterea amans non ſemper deſiderat generare pulchrum in pulchro, vel ex pulchro, imo perſæpe amantes procurant abortum. Dicamus

Digitized by Google

igitur definitionem hanc, ſi de cupidine tradatur, eſſe ſic corrigendam, vt dicamus cupidinem eſſe naturale deſiderium generandi pulchrum in pulchro. Fœminæ enim generant in ſeipſis pulchrum ex pulchro: Maſculi autem in pulchro. Diximus naturale deſiderium: quoniam amor quandoque deſiderium eſt voluntarium non generandi pulchrum, ſed vtendi pulchro ad veneream voluptatem. Perſæpe enim voluntas hallucinata ratione commota appetit vti pulchro ad ſolam veneream voluptatem. Verùm ſi ad naturam inſpiciatur, cupido eſt naturale deſiderium generandi pulchrum, vel in pulchro, vel ex pulchro. Quod autem ita ſit, Plato in Sympoſio exponit ex eo, quia natura mortalis ſemper, & immortalis eſſe pro viribus nititur. Hoc autem generationem duntaxat aſſequitur, quoniam ſemper alterum iuuenem veteris loco ſubſtituit: quare commune deſiderium naturale hominibus, animalibus, & ſtirpibus eſt generare tale, quale ipſum: in hominibus autem pulchrum in pulchro, vel ex pulchro, quatenus, vt Ariſtoteles inquit, diuino, ac immortali eſſe participent: nec ſolùm in hominibus, animalibus, ac ſtirpibus priora abolentur, noua verò ſuccedunt, verùm etiam in anima id contingit. Mores enim, conſuetudines, opiniones, cupidines, voluptates, dolores, atque timores continuè permutantur, nec quicquam ex iſtis idem, ac ſimile perſeuerat, ſed vel ſemper priora ſibi noua ſubſtituunt. Hoc itaque pacto omne mortale ſeruatur: non quia ſemper omnino idem ſit, vt diuinum, ſed quia quod tabeſcit, & abit, nouum, ac ſimile ſibi relinquit: hoc remedio, vt inquit Diotima, quod mortale eſt ſiue corpus, ſeu quodlibet aliud particeps immortalitatis euadit: quod verò diuinum, & immortale, alia ratione. Quamobrem mirari non debes, ſi omnia germen ſuum chariſſimum habeant. Nam immortalitatis gratia nixus huiuſmodi atque amor cuilibet ineſt: etenim ſi gloriæ ſtudium, quod hominibus ineſt, conſiderare volueris, cernes quàm vehementer exoptent notos ſeſe omnibus exhibere, & in futurum immortalem gloriam conſequi: nam huius gratia magis, quàm filiorum, pericula ſubeunt, pecunias erogant, laboréſque nullos reſpuunt, ac ſeſe morti exponunt. An cen-

Digitized by Google

ſes Alceſten pro Admeto mori voluiſſe, aut Achillem in vltione Patrocli occumbere, aut Codrum pro filiorum regno perire, niſi immortalem memoriam, qualis apud nos extat, conſecuturos ſe præſagiſſent? hæc Plato. Rectè igitur dictum eſt, amorem eſſe naturale deſiderium generandi, ac propagandi pulchrum, aut in pulchro, aut ex pulchro, non autem voluntarium: interdum enim cupido eſt voluntarium deſiderium vtendi pulchro propter veneream voluptatem.

Deſinitio cupidinis ſecunda.

CAPVT L.

POTEST cupido etiam deſcribi, vt Eudoxus inquit, quòd ſit ſanguinis commotio propter appetitum veneris, non occupans, vt ira, vniuerſum corpus ſubitò, ſed paulatim ad ardorem, ſcilicet appetendi, proficiſcens ſpe venereæ voluptatis, permanénſque poſtea ob noſtram hallucinatam perſuaſionem, qua confidimus nos eſſe amore dignos. Poteſt enim cupido trifariam deſcribi, ceu ira, atque alius quiuis affectus, definitione quidem cauſali. Vt ita dixerim, ſicut ira eſt ebullitio ſanguinis circa cor: ſic amor eſt commotio ſanguinis. Definitione verò formali, vt dialecticorum verbis vtar: nam ſicut ira eſt appetitus vindictæ, ſic amor eſt appetitus voluptatis venereæ: ſed quoniam differt ab ira, ideo cupido cùm ſit, vt ira. Primi enim motus in noſtra poteſtate non ſunt. Verùm ira totum corpus occupat: appetitus enim vindictæ eſſe poteſt ſubitò, at fructus amoris non ſtatim, ideo paulatim in dies accreſcit ſpe, atque à ſpe ſeruatur: quoniam ſperamus amari, quam ſpem nobis ratio vera, aut hallucinata perſuadet. Quare definiri poteſt tertia definitione compoſita ex formali, & cauſali, vt Eudoxus definit, & erit definitio completa, ſi addantur ſubiectum, obiectúmque amoris, hoc pacto. Cupido eſt ſanguinis commotio circa cor: eſt enim cor ſubiectum, propter appetitum veneris cum pulchro. Eſt enim pulchrum obiectum, cuius cupido, & ad quod refertur, & cupido ratione, qua eſt commotio, non eſt deſiderium voluntarium, ſed affectus,

Digitized by Google

qui cùm ſit in ſui primordio, non eſt in poteſtate noſtra: nec occupat ſubitò totum corpus, ſed paulatim ad ardorem proficiſcens, quatenus vincitur voluntas magis in dies, ac magis ſpe venereæ voluptatis, quæ etiam creſcit quotidie: ceſſaret autem niſi ratione hallucinata moueremur ad credendum nos eſſe dignos amari.

Definitio cupidinis tertia.

CAPVT LI.

POTEST cupido etiam deſcribi, quòd ſit voluntarius motus, animíque actus, quo tendimus ad earum rerum deſiderium, ac fruitionem, quæ nos venerea voluptate afficiunt. Verùm addere oportet circa proceſſum: nam cupido circa initium eſt affectus, ſed in proceſſu videtur voluntarius motus, & animi actus: aut fortaſſe dicendum ita de amore, vt de appetitu cibi. Appetitus enim cibi, vel potus naturalis eſt, & circa talem, vt Ariſtoteles inquit, nec laus eſt, nec vituperatio: appetitus verò huius, vel illius cibi, eſt voluntarius, ſaltem circa proceſſum. Hac enim ratione nec matres, nec ſorores amamus, niſi in nobis ratio omnino ſit corrupta. Cùm dicitur, ad earum rerum deſiderium, quæ nos venerea voluptate afficiunt, intelligendum eſt ad earum rerum, ſcilicet pulchrarum: ſolæ enim res pulchræ nos voluptate afficiunt.

Quarta cupidinis definitio.

CAPVT LII.

SED veriùs cupido deſcribi poteſt, quòd ſit deſiderium coëundi cum amata, vel amato. Dico deſiderium vno modo naturale, alio modo voluntarium. Pluribus enim rationibus amans naturaliter poteſt appetere amatam. Verùm in omnibus voluntas poteſt exuperare deſiderium. Dico cum amata, nam animalia muta deſiderant coire cum fœminis ſui generis, ſed non cum eis, tanquam cum amatis: non enim cogno-

cognoſcunt pulchrum, ſed ſoli homines, ideo ſoli homines cum amatis coire deſiderant, cùm ſoli eas vt pulchras cognoſcunt, & affectant. Diximus enim ſuperiùs amatum, vel amatam eſſe, quam vi pulchritudinis, quæ animi, & corporis eſt omnibus ſenſibus frui deſideramus, quibus in ea vniuerſam animi, atque corporis pulchritudinem perpendimus. Addimus vel cum amato, quoniam cupido duplex eſt, ſicut inquit Plato, maſcula, & fœmina, ita quoque & cupido.

Vtrum cupido ſit naturalis, an voluntarius.

CAPVT III.

SED magna quæſtio eſt, ſitne cupido naturalis, an voluntarius, nam licèt pro parte quæſtio ſit ſoluta, non eſt malum iterum ipſam dilucidare. Xenophon, & Ariſtoteles diſputarunt quæſtionem, ſed quæ ſit veritas, nondum patet. Quòd enim ſit voluntarius cupido, ex eo patet, quia legibus cauetur, non autem leges cauent, quod eſt nobis naturale. Deinde non amamus matres, nec filias, nec ſorores. Amaremus autem, ſi naturalis eſſet, vt in animalibus mutis concupiſcentia. Quòd verò ſit naturalis, patet: nam vt cibi, & potus appetitus eſt naturalis, ita veneris. Ariſtoteles igitur 7. libro Ethicorum aſſerit, amorem reſpectu pulchri in vniuerſale eſſe naturalem: nam nos natura conſequitur, ſicuti appetitus cibi, vel potus: reſpectu verò pulchri in particulari eſſe voluntarium, voluntate quidem contradictionis, non autem voluntate indifferentiæ. In particulari enim licèt voluntate contradictionis (vt metaphyſicorum verbis vtar) ſumus æquales, quia ſimpliciter poſſumus amare, & poſſumus non amare, tamen æqualitate indifferentiæ, fortaſſe pulchrum quoddam in particulari ſumus magis amantes, quàm non amantes. Quia aliqua particulari atque occulta proprietate, idiotropiáque fortaſſe afficimur magis vna, quàm altera amata. Qua ratione fit, vt Cupido, qui eſt pulchri deſiderium in vniuerſali, nec lege cauetur, nec eſt contra rationem rectam. Cupido verò, qui eſt deſiderium

Digitized by Google

pulchri in particulari, cùm ſit voluntarius, ſaltem, vt ita dixerim, voluntate contradictionis, poteſt eſſe turpis, ſi fuerit præter rationem, & legem: poteſt etiam eſſe honeſtus, ſi fuerit ſecundum legem, ac rationem. Inſuper in primis motibus nequaquam cauetur, quoniam non eſt in poteſtate noſtra. poteſt enim aliqua puella animum alicuius rapere ad ſui deſiderium, cùm primò occurrit, quæ tamen in proceſſu ratione deſiderium moderando, eum non commouebit.

De Cupidinis perfecta genitura.

CAPVT LIV.

QVo verò motu in amantis animo Cupido generetur, exponamus: cùm enim per ſenſus pulchri ſpecies fertur in animam, primò videlicet in externos ſenſus, deinde in communem, qui ceu centrum, vt Ariſtoteles inquit, eſt omnium externorum, deinceps per communem in imaginariam, quam Græci phantaſiam dicunt, demùm in memoria ſeruatur, anima ipſa ingenito quodam appetitu ad amatam conuertitur, atque rapitur: conuerſa verò, ac rapta illius pulchri radio illuſtratur: ea illuſtrata, atque radij illius fulgore illuminata, appetitus, qui animæ ſenſitiuus eſt, accenditur, accenſus amatæ totus adhæret, adhærens denique in amatam transformatur. Primum amantis in amatam raptum Platonici Cupidinis ortum dicunt, illuſtrationem verò Cupidinis pabulum, appetitus incendium Cupidinis accrementum, ipſi amatæ adhærentiam Cupidinis impetum, transformationem denique Cupidinis perfectionem vocant.

De Cupidinis ortu.

CAPVT LV.

QVONIAM animæ raptus, quo ipſa primò rapitur ad deſiderium fruendæ pulchritudinis, ſecundum Platonicos eſt Cupidinis ortus: ideo de cauſis huius raptus diſ-

ſerendum. Platonici huius raptus cauſam aſſignant ex eo, primò quia cùm pulchræ puellæ ſpecies ad animam defertur, mox ipſa appetitu natiuo, qui ſenſitiuus eſt, rapitur ad eius fruitionem: nam licèt appetitus ſenſitiuus aliqua ratione differat à naturali (eſt enim appetitus ſenſitiuus animalis, naturalis verò tam animalium, quàm inanimatorum) non tamen eſt in poteſtate noſtra agnito pulchro ipſum deſiderare, vel fugere. deinde vnumquodque ſiue animal ſit, ſiue inanimatum, fertur naturali deſiderio in ſuam perfectionem: & cùm pulchri fruitio ſit animæ appetentis perfectio, anima non tantùm ſenſitiuo appetitu, verùm etiam naturali rapietur ad fruitionem pulchri. Sed iſtæ cauſæ ſi militant, ſolùm de Amore ſimpliciter, non de Cupidine militare videantur. non enim rapimur ad Cupidinem alicuius ſola ſpecie pulchritudinis illius ad animam delata: oportet enim pulchritudini gratiam permixtam eſſe, quæ propriæ, atque peculiari naturæ amantis conueniat. nec videtur cupidinea fruitio, perfectio amantis, vt dicunt: eſt enim potiùs perfectio eius, quod ex ea proditur. non ergo tanquam in amantis perfectionem, amans rapitur in fruitionem pulchri cupidineam. Sunt igitur plures cauſæ, quibus in nobis Cupido oritur, ac animus rapitur. Prima accipitur ex parte corporis, & hæc eſt lex naturalis, qua corpus ſemper naturali lege concupiſcit aduerſus animam rationalem. concupiſcit quidem naturali lege fornicationes, immunditias, atque impudicitias, cæteráſque id genus. Quando autem corpus ciborum affluentia, deliciarum mollitie, atque laſciuorum potuum luxu magis fouetur, tanto lex illa naturalis, qua corpus aduerſatur animæ, magis creſcit. Deinde altera cauſa eſt, quæ accipitur ex parte animæ. nam cùm anima illecebris, laſciuiſque meditationibus immoratur, facilè in ea Cupido exoritur, potiſſimùm ſi meditationes fuerint circa voluptates venereas. Primò quidem quia cùm ipſa venerea voluptas ſit homini natiua, veluti cibi, ac potus concupiſcentia, facilè in eam appetitus dilabitur, cùm per meditationes ei proponitur. Deinde licèt, vt Ariſtoteles inquit libro Ethicorum, iucunda in particulari ſint magis voluntaria, quàm in vniuerſali, per moram tamen cogitationum

ad ipſa particularia deſcendimus, quo fit vt tandem libido prouocetur. Vltima denique ex parte exteriorum rerum accipitur: nam cùm nobis puellæ occurrunt pulchræ, cum quibus coniuncta gratia eſt, quæ appetitui conuenit eius, cui occurrunt, ſpecie earum delata ad animam, ſenſitiuo, ac naturali deſiderio rapitur ad earum Cupidinem, potiſſimum ſi frequentia aſpectuum, colloquiorum, cæterarúmque conuerſionum interuenerit: ex his enim Cupido quaſi ignis exardeſcit. Has cauſas Seneca in Tragœdiis tetigit, cùm dixit,

Vis magna mentis, atque animi calor
Amor eſt, iuuenta gignitur luxu, & ocio.

Per luxum enim corpus fouetur, atque genitale ſemen exoritur. At cùm ſemen accreuerit, pulſando imaginatiam, ac illiciens, mouet ad Cupidinem. Per otium verò meditationes venereæ emergunt, in quibus cùm immoratur animus, rapitur ad Cupidinem. Per vim magnam mentis intellexit eam, quæ aſpectu, colloquiis, atque conuerſationibus cum puellis conſuetis, proficiſcitur.

De Cupidinis pabulo.

CAPVT LVI.

QVONIAM omne ortum ſtatim occideret, niſi aliquibus ſeruaretur, id autem, quo ſeruatur, pabulum dicitur, de Cupidinis pabulo differendum. Et cùm eiſdem ſeruetur ortum, è quibus eſt ortum, ideo Platonici Cupidinis pabulum animi illuſtrationem autumant, quia amata certior amanti facta eſt. Diximus enim Cupidinem oriri non poſſe in amantis anima, niſi humani pulchri cognitio, ſaltem imperfecta præſit. Quare ſi Cupido ſeruari debet, eiuſdem pulchri cognitionem perfectiorem, aut æqualem eſſe oportet. nam ſi Cupidinem imperfecta humani pulchri cognitio parit, perfectior autem æqualis eiuſdem pulchri cognitio Cupidinem ſeruabit. Quare per animi illuſtrationem, clariorem amatæ cognitionem intelligendum eſt, quæ ſuauibus, atque dulcibus meditationibus (vt Petrarcha inquit)

Digitized by Google

partitur. his enim in dies magis ac magis factis, amatæ pulchritudo clariùs, ac clariùs eluceſcet, quare & Cupido ſeruabitur.

De Cupidinis accremento.

CAPVT LVII.

ET cùm omnia orta ſeruentur, & ſeruata creſcant, de accremento Cupidinis diſſerendum: quod Platonici incendium eſſe tradunt. nam poſtquam amatæ puellæ pulchritudo longè magis animæ amantis illuſtrata eſt, longè magis rapit, atque conuertit. Illuſtratur autem magis, quoties gratia, quæ erat in vno amatæ puellæ membro, vt puta in oculis, aut in ore, aut in maxillis, per quam membrum amantis animum ad fruitionis amatæ puellæ deſiderium commouit, atque rapuit, per vniuerſum corpus diffuſa eſt: tunc enim nihil eſt in amatæ corpore non laudabile, tunc vniuerſum amatæ corpus, atque eius partes ſingulæ gratioſæ amanti ſunt: & quando ita fuerit, tunc erit incendium, quod eſt amoris accrementum. gratia verò per vniuerſum corpus diffunditur, cùm amantis animus, qui primò ab vnius, vel plurium membrorum gratia commotus eſt, inuenerit in amata ſpem futuri fructus, quam ſpem in aſpectu, in alloquiis, & in cæteris id genus nanciſcitur. Quare ab aſpectu, ab alloquiis, & ab aliis id genus ſpes oritur, ab orta ſpe, gratia per vniuerſum corpus diffunditur, à gratia diffuſa Cupido accreſcit. Tale autem Cupidinis accrementum Platonici incendium vocant, quòd per ipſum animus incendatur.

De animi amantis tranſmigratione.

CAPVT LVIII.

QVONIAM aucto Cupidine, non erit eius perfecta genitura, niſi animus amantis derelicto ſuo corpore, viuat in alieno: nec ſi amantis animus in amatæ corpore vi-

Digitized by Google

xerit, erit Cupidinis perfecta adhuc genitura, niſi amans vniuerſus transformetur in amatam: ideo de animi amantis tranſmigratione, quam Platonici adhærentiam vocant, diſſerendum primò, deinde de transformatione. Facto itaque incendio, quod eſt Cupidinis accrementum, anima, quæ non poteſt ſuo in corpore viuere propter ardorem, incendiúmque, in amatæ corpus migrat, in quo viuere ſtudet: nam (vt Plato inquit) amantis animus in proprio corpore mortuus, in alieno viuit: moritur enim quiſquis amat: eius enim excogitatio ſui oblita, ſemper in amata ſe verſat. Si de corpore ſuo non cogitat, nec in ipſo animus ſic affectus operatur, cùm præcipua animi operatio, ipſa cogitatio ſit. Qui in ſuo corpore non operatur, in eo non eſt, in quo erat: æqua enim inter ſe hæc duo, eſſe, & operatio ſunt: nec eſſe ſine operatione eſt, nec operatio ipſum eſſe excedit: nec operatur quiſquam vbi non eſt, & vbicunque eſt operatur: non ergo in ſuo corpore eſt amantis animus, quoniam in eo non agit. Si in ſuo corpore non eſt, nec viuit etiam in ipſo. Qui non viuit in ſuo corpore, & viuit, in alieno viuat neceſſe eſt: & quoniam in amata ſe verſat, & ſemper in ea cogitat, in amatæ corpore viuat oportet. Quare qui amat, de ſuo corpore migrat in alienum, eius videlicet, quam amat, quod Platonici adhærentiam vocant.

De transformatione amantis in amatam.

CAPVT LIX.

NEC perfecta Cupidinis genitura habenda eſt, ſi amantis animus in amatæ corpus ſolùm migrauerit relicto ſuo: ſed oportet vt ſe totum, animo videlicet & corpore transformet in amatam, ceu Meduſa in ſaxum. Cùm enim Cupido amantis animum, & corpus, atque ſingulas corporis partes tenuerit, occupaueritque, atque incendio, & ardore affecerit, mox (vt Plautus inquit) ſua efficacia amantem à ſuo naturali eſſe in amatam permutat. Quemadmodum Plato in Phædone Tyrannos in lupos mutari aſſerit, impudentes & ſegnes in aſinos, & Poëtæ Orpheum in Cygnum,

Digitized by Google

Therſiten omnium Troianorum turpiſſimum in ſimiam, Lycaonem in lupum, Hecubam rabidam in canem, Anaxaretem in ſaxum. Hoc pacto Poëtæ tradunt amantem in amatam ſe transformare: & Petrarcha ſe adulescentem in laurum virentem ſemper permutatum canit. Sed quid ſibi velit hæc transformatio, Platonici interpretantur. nam cùm amans ea vnione amatæ hæret, qua animus de ſuo migrat in eius corpus, amatæ ſpeciem ſemper in ſuo animo recipit, receptam autem memoria indiſſolubili ſeruat. Recipiendo autem, atque ſeruando ſemper, ea afficitur, modo, quo paries albedine. Quare vt paries quandiu albedinem recipit, albus eſt: ſic amans ſpecie ſuæ amatæ, quam ſemper ſeruat, adeo ea afficitur, vt dicatur puella amata, vt ſit propter id quaſi verſus in puellam amatam. Lucretius verò ſeminis genitalis intromiſſionem transformationem hanc interpretatur. Cùm enim genitale ſemen è toto amantis corpore, ſingulíſque membris decidat, ſolo huius iactu, vel tactu, aut tranſmiſſione in amatam, totum amantem in amatam tranſmutari aſſerit. Ariſtoteles verò transformationem huiuſmodi fieri affectu interpretatur libro Ethicorum 10. nam cùm amans ad amatam affectu ita ſe habet, vt ad ſe ipſum, fit vt amans ſit quaſi amata, quoniam amans ad amatam afficitur quaſi ad ſe, vt ſit affectu altera ipſa. Sed cùm amans naturæ, moribus, ac omnino vitæ amatæ ſe accommodet, non deſunt qui huiuſmodi transformationem interpretentur ſecundum accommodationem hanc, quam diximus fieri. Adeo enim amans amatæ morem gerit, vt videatur verſus in eam, quemadmodum Poëtæ aiunt hominem fieri Deum, cùm diuina, quæ Deo placent agit. Quæ cùm ita fuerint, perſpicuum tunc Cupidinis perfectam eſſe genituram, cùm amans ad huiuſmodi transformationem peruenerit.

Digitized by Google

Plato rectè zelotypum definit, quòd ſit inuidẽs, qui amatoria ſuſpicione capitur. Sed quoniam, cùm amans non redamatur, nec ſperat amari, nec cupidinis fructum colligere, nec ſibi ſimile generare, fit vt tandem amor tepeſcat, ac frigeſcat. Signa verò, quibus redamatio annotatur, ea, & tot ſunt, quibus quótve amatio cognoſcitur. Primum quidem (vt Ariſtoteles inquit libro Rhetoricorum primo) eſt recordatio: cùm enim aberit amans, & eius recordatur amata, redamationis ſignum eſt. Deinde ſi propter abſentiam triſtatur, ac dolet, erit amoris, atque redamationis ſignum certiſſimum: nec minus redamationis ſignum eſt habendum, cùm amata gaudet, lætatúrque ob amantis præſentiam. Ad hæc ſi amata ea pro amante agit, quæ pro ſe, non eſt dubium ſignum redamationis, ſed exploratiſſimum. Poſtremò ſi amata amanti condolet, ac congaudet, ſe eum redamare apertiſſima ratione demonſtrat. Veri autem amantis plurima ſunt indicia, potiſſimum ſi vni tantùm ſeruierit, & quidem ſemper: nemo enim dubitat eum amare, qui in vnius ſeruitute diutiùs perſeuerat: nam hic cætera ob amatam flocci facit: hic infelicem ſe arbitratur, ſi ad aliam, quàm ad amatam meditationem memoriámque conuertit: hic eſt qui neminem feliciorem dicit ſe, cùm amatam aut cernit, aut audit, aut tangit, aut quouis alio ſenſu fruitur: hic inſuper eſt, quòd omnia ea amat, ac procurat, quæ amatæ ſunt, aut videntur bona: hic item eſt, qui continuis laudibus amatam ad ſydera extollit: hic denique eſt, cui quæ amatæ placent, omnia placent, & quæ amatæ diſplicent, ipſe abhorret. Quare id vnum amoris veriſſimum, atque redamationis indicium eſt habendum.

De locis quibus amatio, atque redamatio ſperandæ ſunt in amantibus.

CAPVT LXI.

QVONIAM autem perfectus Cupido (vt Ariſtoteles inquit) eſſe non poteſt, niſi ex amatione, atque redamatione conſtet: ideo loca narranda ſunt, quibus in aman-

Digitized by Google

tibus amatio, atque redamatio ſperentur. Sumatur igitur primùm ab habitu ætatis: nam iuuenes facilè amant, faciléque redamant: amant enim, & citò (vt Ariſtoteles inquit) deſiſtunt, eadem die propoſitum ſæpe mutantes. hi volunt totos dies vnà verſari, ſimúlque viuere, & per iuuentam vſque ad trigeſimum annum intelligo. Cauſa autem, quia ad concupiſcendum aptiſſima ſunt, potiſſimum ea, quæ venerea videntur: nam in huiuſmodi incontinentiſſimi ſunt, quippe cùm (vt Ariſtoteles inquit) ſint ad venerem inſatiabiles. Cauſa autem, quoniam pori, per quos ſcaturit genitale ipſum ſemen, anguſtiſſimi ſunt: & quoniam tenuis, paucáque humiditas, quæ per eos defluit, citò frigeſcit, ideo expulſioni inepta redditur. Quare rurſum fricari deſiderant, vt reſiduum expellatur. Contingit enim eis, quemadmodum illis, qui ſunt in ſudore: nam dum vna ſudoris pars ſcaturit, alia generatur, & expulſioni paratur. Accidit autem hoc maximè adoleſcentibus poſt annos quatuordecim. In his enim ſemine & ſanguine menſtruo ſcaturientibus, genitalia, vuluæque labra craſſiora redduntur, atque molliora, vſque adeo, vt ferè claudantur. Hinc fit, vt pro coitu inſanæ euadant: non enim emittunt pro deſiderio, ſiue manibus, ſiue virga fricentur, propter cauſas aſſignatas: humor enim ſeminalis vi fricationum trahitur, non tamen emittitur propter meatuum anguſtiam, vt dictum eſt. Quare iuuenculæ tales potiſſimum cuſtodiantur: nam facillimè amore irretiuntur. & licèt adoleſcentes poſt annos quatuordecim facilè ad amandum, redamandúmque rapiantur, prouectiores ſtabiliores ſunt: adoleſcentes enim citò concupiſcunt, citóque ceſſant. Eſt enim eorum cupiditas quemadmodum ægrotantium ſitis, vel fames, quæ licèt acutæ ſint, pauxilla tamen re extinguuntur. Ad hæc iuuenes ſunt ambitioſæ, atque honoris cupidæ, ſed cùm in amoribus honores ſemper, & laudes amantibus exhibeantur, iccirco facilè ad cupidinem laudibus, atque honorationibus alliciuntur. Sunt inſuper iuuenes pecuniarum minimè ſtudioſæ: non enim adhuc inopiæ periculum fecerunt, vt Elogium Pittaci in Amphiaraum. Quare ad cupidinem ſolis perſuaſionibus allici poſſunt. Accedit quòd iuuenes nec mali-

Digitized by Google

cioſæ, ſed ſimplices, nec verſutæ, ſed credulæ ſint: ſimplices quidem, quoniam verſutias multas nondum inſpexerunt: credulæ verò, quoniam nondum in multis ſunt deceptæ. Quæ verò ſimplices, atque credulæ ſunt, facilè ad cupidinem deceptionibus capi potuerunt, ceu aues fiſtulis. Sunt præterea iuuenes bonæ ſpei: ſunt enim calidæ, quemadmodum qui vino pleni ſunt: vinolenti enim vino, iuuenes ſanguine: deinde nondum in multis aberrauerunt, ideo ſpe maxima viuunt. Spes enim futuri, memoria autem præteriti eſt. At iuuenibus futuri quidem multum reſtat: præteritum autem breue fuit: propterea primo die nihil meminiſſe putant, ſperare verò cuncta: quare promiſſis facilè irretiuntur. Sunt etiam iuuenes ad commiſerationem paratæ: quoniam ratiocinationis carentia probos, ac bonos omnes arbitrantur, ſua enim ſimplicitate, ac innocentia cæteros metiuntur, itaque indigna ipſos pati mox credunt: quare facilè eis perſuadere poſſumus, vt noſtrorum dolorum commiſereantur. Sunt qui mulieribus perſuadent propter hæc, vt nec ſenes, nec iuuenes redament, ſed inter hos medios. Senes quidem non, quoniam inepti ſunt rebus amatoriis: iuuenes verò minimè, ſunt enim inſtabiles, vno die amantes, alio autem amatam odio habentes, iactabundi, qui ſe iactant ea cum amatis feciſſe, quæ non ſunt adhuc excogitata: ſunt inſuper ſuſpicionibus, ac indignationibus prompti: inſuper inſatiabiles, qui vna amata non ſatiantur. vnde concludunt, ſenem eſſe amore digniorem, quàm adoleſcentem: quippe cùm in vna ſola quieſcat, ſitque ſtabilis, ac mitis, non iactabundus, non ſuſpicioſus, non indignationibus paratus. Secundus locus à genere eſt: nobiles enim ambitioſæ ſunt, atque honoris, gloriæque cupidæ: cùm enim aliquid adſit, id omne ad ſuam nobilitatem coaceruare ſolent, hanc ob cauſam ad maiorum claritatem, quæ eſt nobilitas, multos honores, cùm poſſunt, congregant: hinc nobiles ambitioſæ ſunt, hoc eſt honoris, & gloriæ percupidæ: & quoniam in amoribus honores, & laudes plerunque amatis exhibentur, fit, vt nobiles hac honorandi arte ad amandum, redamandúmque facilè commoueantur: & licèt ab illuſtri arce perſæpe fulmen ſæuum veniat, tamen

amandæ ſunt excelſæ, quippe cùm victoria humilium honorem non afferat. Præterea longè magis placet ſperare digniſſima, quàm vilia poſſidere. Hieron tyrannus Syracuſanus apud Simonidem fatetur (ſi quæ Xenophon refert, vera ſunt) ſe Dialocam longè magis, quàm alteram ardenter deperire, quòd eam non facilè poſſidere poſſet. Ad hæc viles, cùm poſſidentur, facilè veniunt in ſtomachum. Tertius locus eſt à diuitiis. Nam nec diuitiis abundans, nec pauperie laborans amandus eſt. Ille quidem, quia poteſt pecuniis multas emere, nulli amatæ fidus eſt. Præterea virum in ſumma proſperitate conſtitutum redamare periculoſum eſt: quippe cùm ille amare nequaquam poſſit ſine domeſticis teſtibus, quibus omnia aperiat neceſſe eſt. Hic autem, quoniam propter inopiam rebus amatoriis ſtudere nequit, præterea cùm egeat, neceſſitatibus amatæ, cùm oportuerit, haudquaquam ſubuenire poterit. Deinde ſi redamatur qui in extrema pauperie conſtitutus eſt, redamatio abſque nota emptionis non erit. Creditur enim diuitem pretio cogere pauperem ad amandum. Quid enim turpius, aut fœdius eſſe poteſt, quàm vendere, aut emere amorem? Adhuc in fortuna excelſa conſtitutus contumelioſus eſt, & ſuperbus quaſi omnia bona poſſideat, ſic afficitur. Cauſa verò, quia diuitiæ pretium videntur aliarum rerum, quarum dignitas æſtimatur, ac iccirco cuncta videntur emi poſſe diuitiis. Quia itaque diues rerum pretium habet, ſcilicet diuitias, arbitratur ſe habere cuncta, ideo omnia flocci facit, & amores, & amatas, cùm propter diuitias omnia poſſidere credat. Inſuper qui in ſumma fortuna eſt, non modò amatis, verumetiam principatu ſe haberi dignum putat. Quare non amat, cùm in ſua poteſtate omnia habere imaginetur. Quartus locus eſt à potentia: potentes enim quæ in principatu ſunt conſtitutæ, dignæ amore ſunt, faciléque redamantes, cùm amari ſe ſentiunt: ſunt enim potentes ambitioſæ, honoris, gloriæque cupidæ, ſunt inſuper honeſtiores, grauiores, atque moratiores: honeſtiores quidem, quoniam moderantur ſe, cùm propter honorem aliis viuant: grauiores autem, atque moratiores, quoniam honeſtas mollis, compoſitáque grauitas eſt: quòd ſi potentes aliis infe-

rant iniurias, non in paruis, ſed in magnis iniuriantur. Quare potentes digni ſunt amore, quoniam ſi amantur, ſperatur redamatio. Cùm enim ambitioſæ fuerint, propter honores amatorios coguntur redamare: & quia honeſtæ, graues, atque moratæ, non flocci faciunt eos, quos amant, nec eos, à quibus amantur. Quintus verò locus eſt à pulchritudine: qui enim animo aut corpore pulcher eſt, & iam amat, poteſt redamationem ſperare: quoniam pulchrum eſt amabile. Puella quoque pulchra amabilis eſt, & ſi amat, ſperare redamationem debet. Sextus locus eſt ab eorum gratia, quæ attinent ad nos, & hoc pacto turpes, deforméſque, ſi amauerint, ſperare poſſunt redamationem: nam poſſunt qui corpore, animóque turpes ſunt, gratiam habere in riſu. Quocirca initia allicient amatam ad redamandum, in proceſſu verò poſtquam puella commota erit, gratioſus videbitur in ſingulis: rapto enim animo, cuncta amatæ videbuntur pulchra, ac gratioſa. Diffunditur enim gratia poſt faſcinationem ad omnia, & ad ſingula, quæ circa initium non erant, niſi in vno. Hinc aliquæ redamauerunt ferrum (vt Iuuenalis inquit) quippe cùm gratia erat in eo. Aliæ virilis membri magnitudinem, vt ſalaces, ac libidinoſæ. Multæ enim dominæ in ſumma fortunæ conſtitutæ deperierunt famulos deformes, atque deiectos homines propter gratiam, quam in membro virili, vel in potentia coëundi eſſe putabant: erant enim ſalaciſſimæ, ac libidinoſiſſimæ, nec in coitu ſatiabiles. Aliæ choreas: aliqui enim ſunt, qui in choreis gratiam habent, qui ab ſuis amatis redamationem propter illas nacti ſunt. Aliæ modulationes, & cytharas, cimbalos, ſonóſque harmonicos: nonnullæ carmina, rhythmos, elocutiones, celebritatem in literis. Hunc in modum Corynna Ouidium, Leſbia Catullum, Cynthia Propertium, Galathea Virgilium, Laura Petrarcham, Dantem Beatrix, aliæque alios & poëtas, & oratores, & philoſophos, cæteróſque cuiuſuis generis literatos deperierunt: nec ſolùm propter gratiam, quæ erat in talibus, ſed propter celebritatem nominis, quam ab his ſperabant: per hanc (vt Plato inquit in Sympoſio) in futurum ſperanda eſt immortalis gloriæ conſecutio: huiu e nim gratia magis, quàm filiorum pericula ſub-

eunt homines, pecunias erogant, laboréſque nullos reſpuunt, ac denique ſeſe morti exponunt: non igitur ab ratione puellæ quandoque deſiderio immortalitatis poëtas deperierunt, licèt eſſent excelſæ, vt de Liuia Auguſti filia narrant, quæ ardenter redamauit Naſonem. Si enim Alceſtes pro Admeto, Achilles pro Patroclo, & Codrus pro filiorum regno perire voluerunt, pro immortalitate ſperanda, cur & Liuia non debeat Naſonem deperire, à quo tanta immortalitas ſcaturit in dies? Multæ enim & quidem illuſtres Laura eſſe vellent, ſi adeſſent Petrarchæ, tametſi genere, & loco humilem ortam eſſe tradant, nec alia nobilitate, niſi pulchritudine præferendam. Hinc nonnulli dixerunt eos redamandos, qui ſtudiis bonarum artium, qui literis, qui honoribus, qui virtutibus eminent: ab his enim amatæ reportabunt perpetuitatem, quod eſt redamationis præmium. Aliæ ſunt, quæ amant veſtium ſplendorem, in quibus nonnunquam tanta gratia eſt, vt deformitatem non permittat inſpici. Nonnullæ ludos gymnicos, venationes, curſus, grauitatem in inceſſu. Adulationes aliæ: nec iniuria quidem: nam adulator amicus eſt ſimulatus, qui coram laudat, ac quæ puellæ ſunt, omnia præconio extollit. Non ergo ſunt corpore, atque animo deformes, ſpe redamationis omnino deſtituendi: quippe cùm in aliis gratiam habere poſſint, qua puellæ animum faſcinando, tandem eam ad redamandum compellant. Septimus ab honoribus exhibitis: cùm enim puellæ naturali lege ſeipſas ament, coguntur etiam natura amare omnia bona, in quibus optimè viuere ſe exiſtimant. Et cùm optima vita ſit in honoribus, naturali quoque lege compelluntur amare honores, quibus in optimo ſtatu viuant: quare & eos qui honores exhibent. Honoris partes, quæ puellis exhiberi ſolent, ſunt memorationes, quæ fiunt carminibus, vel orationibus, vel id genus: templorum, & aræ conſtitutiones, in ſtatuis, vel metallis depictiones: primi conſenſus, ſepulchra, monumenta, picturæ, atque exemplaria, inclinari, genu flectere, biretum attollere, loco cedere, adorationes, & id genus. Poteſt igitur gratia, quæ eſt Cupidinis initium, eſſe in honoribus exhibitis. Quod cùm ita fuerit, redamare puella cogetur eum, qui

Digitized by Google

honores exhibet. Hunc in modum Fuluia tua aulica Ioanna magnanima nos ardenter redamat: nec ob aliam cauſam, niſi propter honores, quos à me ſibi exhiberi in dies cenſet. Octauus, ab ipſo amari: allicitur enim puella, cùm cognoſcit ſe amari: quippe cùm amari iucundum ſit: quoniam cùm amamur, imaginatio nobis fit, quòd ea bona nobis inſint, quæ ſunt amore digna, quæque omnes cupiunt. Hinc amantium ſuſpiria, atque lacrymæ, & id genus mouent, nam ardentis amoris indicia ſunt. Nonus, à veſtimentorum, atque ornamentorum varietate. Varietas enim in omnibus, præſertim in veſtimentis, & ornamentis iucunda eſt, & amabilis. Conuenit enim naturæ, quæ ſemper in mutatione eſt: appetitui quoque, qui non ſemper idem manet: præterea quod vno modo ſemper ſe habere conſtat, atque fixi habitus eſt, ſatietatem parit. ſatietas enim dolorifica. hinc amantes nonnunquam alba tunica induuntur ad puritatem animi ſignificandam Tradunt enim coloriſtæ colorem album, cùm ſimplex ſit, & extremus color, puritatis eſſe indicium. Aliquando nigra: nam niger color firmitatis indicium, atque perſeuerantiæ eſt, quòd ſuper eo nulla alia ſit tinctura. Interdum rubra, eſt enim huiuſmodi color vltionis nota, quippe cùm qui iraſcuntur, rubeant: eſt inſuper Marti vltiuo perproptius. Alteri rufa, aut fuſca, aut fulua, leoninâque: tales enim colores taciturnitatem, & patientiam decernunt, quippe cùm ſint remiſſi, Saturnóque dicati, qui cùm dominus geniture eſt, homines facit tacitos, atque ſecretos. Interdum ea veſte, quæ carneo colore affecta eſt qui vulgo incarnatus dicitur, ad ſignificandum eum dolorem, quem ex rebus amiſſis ferimus, recuperabilibus tamen. In ſanguine enim talis color generatur, cùm earum rerum dolor affuerit, quæ amiſſæ recuperari poſſunt. Nonnunquam aurea, vel aureo colore intexta ad demonſtrandam lætitiam. Eſt enim color Soli attributus, qui ſuo fulgore ſublunare vniuerſum depurando omnia lætificat. Interdum violacea ad claritudinem tendente, aut colore moris tributo affecta, aut pauonaceo lucente intincta, ad induendum amorem. Eſt enim hic color eorum florum, qui Veneri placebant. Aliquando ea veſte, quæ cœleſti colore emicat,

Digitized by Google

qui apud Gallos zelotypiam, apud nos fidem denotat: & quidem non ab ratione: nam azureus color vniformis eſt ſempérque æqualis, modò nubes inter nos, & cœlum non interſit. Qualis fides eſt, quæ immutabilis eſſe debet, atque æqualis. Interdum veſte eo colore honeſtata, quem cineritium dicit Ouidius, Plinius autem cinereum, gruum proprium: hic enim anguſtiæ indicium eſt: quippe cùm Mercurio attribuatur, qui anguſtiæ auctor eſt: eſt inſuper varius, qualis is eſt, qui anguſtia laborat. Aliquando veſte virenti colore illuſtrata, qui apud omnes ſpei nota eſt: terra enim cùm viret, ſpem affert circa fructus. Qua ratione fit, vt color, qui ſiccis foliis accommodatur, deſperationis ſit ſignum. Interdum veſte verſicolori, venuſta: color enim huiuſmodi zelotypiæ eſt nuncius. Sunt alij colores, quorum Alexander Aphrodiſeus in libro de ſenſibus meminit, & Gellius in noctibus Atticis, quos, quia longum eſſet omnes enarrare, conſulto prætermiſimus Illud tamen prætereundum non eſt, puellis placere colores pro ratione naturæ: pituitoſis enim albus, miſtúſque ex albo gratioſus eſt: ſanguineis autem cæleſtis, azureúſque, morellinus, clarus, fuluus ſiue aureus, virens quoque: eis, quæ atra bili afficiuntur, niger, cæteríque qui ad nigrum attinent: eis autem quæ rubra bile, ruber, & alij qui ad hunc vergunt: cæteris verò quarum naturæ permiſtæ ſunt, colores gratioſi ſunt, qui naturis conueniunt, quæ prædominantur, aliis non diſplicentibus, qui naturis concordant obtentis. Ouidius verò narrat puellas nigriuſculas veſtibus pulchriores reddi, quæ albo colore, coloribúſque ad album attinentibus emicant: albulas verò nigris, atque ad nigrum vergentibus: brunulas autem eis, qui albo appropinquant. Nec modò à veſtium varietate, verùm etiam ab ornamentis, ceu in anulis, catenis, capitiis, zonis, atque aliis, quæ ad ornatum faciunt: in his enim amans ſe ornare debet, in quibus amatæ gratioſus videtur. Et licèt amatorij autores enitantur determinare ornamenta, fruſtra laborant, cùm interdum ornatus excedens improbus ſit, & amatis diſplicens: oportet enim amantem in coma, vnguibus, munditia manuum cæterorúmque membrorum, in odoribus, coloribus faciei, nec non in lauacris,

quæ

Digitized by Google

quæ carnem abſtergunt, ſe ornare pro appetitu amatæ. Ouidius ergo qui talibus regulam affert, fruſtra laborauit: nec oportet ſe amantem ornare in alloquiis, in inceſſibus, in motibus manuum, & pedum, & in cæteris id genus, niſi pro ratione amatæ appetentis. Quare ſicuti in appetitu puellarum nulla eſt determinatio, ita quoque in ornamentis nulla conſtitutio habenda eſt: illud tamen ſit tibi cordi, mediocritatem in omnibus eſſe cunctis gratioſam, & auream: exceſſus enim rapit ad inuidiam, defectus autem ad irriſionem. Eſt autem mediocritas talium non partilis, ſed ſtruenda pro amantis atque amatæ conditione. Miloni enim in cibis & potibus, vt Ariſtoteles inquit, mediocritas non talis eſt accommodata, qualis cæteris hominibus: vnde ſicuti in cibis, ita & in ſplendore mediocritas emicat, modò accommodetur perſonis. Decimus ab obſequiis atque ſeruitiis. obſequioſi enim interdum alliciunt: procurant enim & honores, & bona honeſta, & iucunda, & bona vtilia, quæ ſecundum Ariſtotelem omnia ſunt amabilia. Multæ enim puellæ duræ præ nimia obſequiorum multitudine molleſcunt, præſertim cùm in obſequiis honor non diminuitur. Vndecimus à muneribus: nam, vt Ariſtoteles inquit, ſunt honoris indicia, non tamen eodem modo omnibus, ſed alia apud alios honoratiora: eſt enim munus rei alicuius donatio ac honoris ſignum: & propterea tam æris auidi, quàm ambitioſi dona cupiunt, cùm id donatio habeat, quod vtique appetunt: quippe cùm donum res ſit, quam & auari deſiderant, & quæ honorem affert, quem ambitioſi expetunt. Huius rei argumento ſunt nobis Parthorum Reges, quos honoris cauſa nemo ſine muneribus viſitare poterat: verùm amatis munera pro emenda redamatione ſi offeruntur, in vilipendium cedunt, quippe cùm amorem vendant, & qui ea offerunt, emant. Quare erunt non amaſij, ſed mercatores. Inter amantes igitur munera offerri ſolent ad ſignificandum affectum: nam munus cùm in auro offertur ſignificat lætitiam, cùm in argento puritatem, cùm in ferro, cuius color ad nigrum attinet, firmitatem atque perſeuerantiam: ſimili ratione in lapidibus & floribus & ſtirpibus, cæteriſque omnibus, quæ in munere offerri poſſunt. Et quoniam co-

Digitized by Google

dem modo eſt de coloribus in muneribus, vt in veſtibus, eos quos de veſtibus diximus, volumus ſufficere. & quia epulum reducitur ad munus, (eſt enim epulum publicum conuiuium in propatulo ciuibus exhibitum in ſignum amoris omnium vel alicuius) ideo interdum propter epulum allicitur puella: nam in eo introducuntur res quæ puellis ſunt iucundæ, vt choreæ, modulationes harmonicæ, ludi laruatici, comœdiæ, harmonici ſoni & teſtudinum & cythararum, & cymbalorum, cæterorúmque id genus, quæ puellis gratioſa eſſe ſolent. Ferdinandus Primus Sanſeuerinus Salernitanorum Princeps, cùm Salernitanam quandam puellam ardenter deperiret, quam ferè nunquam videre ipſi concedebant, eam ad epulum accerſiuit, ad quod omnes nobiles conuocatæ venerunt, & ipſa cum eis, vbi poſt multas choreas, quas cum aliis egerat, conceſſum eſt ei vt cum amata puella choream haberet, ob quod non parum gratiæ conſecutus eſt. Duodecimus ab ira, iraſci enim iucundum eſt, quia qui iraſcitur, in ſpe vltionis eſt. Quod autem eſt in ſpe, iucundum eſt, vnde & Homerus dixit iram eſſe melle dulciorem, nam in ſpe affert, quod iucundum eſt. Inducenda igitur eſt amata ad iram, vt vlciſcatur: nam cùm in vltione ipſa excedat, in iucunditatem trahitur, exceſſus enim iucundiſſimus eſt: cùm verò trahitur in iucunditatem, allicitur: hinc rectè fertur illud Terentij, Iræ amantium reintegratio amoris eſt. Hac ratione fit, vt cùm amans cedit, alliciat, cùm enim in rixis, amatoriíſque contentionibus amatam vincere patiatur amans, eam ad amorem rapit: nam exceſſus, atque victoria iucundiſſimæ ſunt excedentibus. ſimili ratione, ſi in iocis ludíſque amatam vincere permittit, commouet. Decimus tertius ab adulationibus: vt enim diximus, adulator iucundus eſt, nam & admirari, & amare videtur, quæ iucundiſſima ſunt. hinc poëtæ redamati ſunt à puellis, quoniam carminibus adulatoriis laudes decantant. Decimuſquartus à repræſentationibus, quæ fieri ſolent in laruis: ſunt enim repræſentationes laruaticæ iucundæ, aut quia inducunt riſum, quo pellitur mœſtitia, aut quia imitantur, eſt enim in imitationibus iucunditas, quippe cùm admirationem afferant, quæ iucundiſſima eſt: inſuper annotatur in eis

ingenium imitantis, quod iucundum eſt: deinde ducunt ſpectatores ad ratiocinandum ſintne adamuſſim, an non exactè, quæ omnia iucunda ſunt, quare alliciunt. hac ratione omnia ridicula iucundiſſima ſunt: pellendo enim dolorem inducunt voluptatem: quare rapiunt ad cupidinem. Decimuſquintus à precibus, preces enim & thura, & adorationes placent Deo, ipſúmque alliciunt ad votum, vnde Martialis, Offendunt nunquam thura precéſque Iouem. Per preces etiam quæ fiunt aut in verbis aut carminibus, aut in orationibus, honorantur amatæ. At honores alliciunt, quare & preces. Hæc igitur ſunt loca, quibus allicere ſolemus amatas ad redamandum, quibúſque redamatio ſperanda: ſunt & alia, quæ cùm careant ratione, prætereunda ſunt.

De arte inducendi amatam duram ad redamandum.

CAPVT LXII.

MVLTI de arte amandi ſcripſerunt, qui omnino arte dicendi caruerunt. Ouidius præcepta tradidit, ſed ſine arte. Equicola etiam profitetur afferre artem, cùm inquit artem amandi, hoc eſt, ducendi amatam ad redamandum, eſſe conſtanter amare. Qui enim perſeueranter atque ſtabiliter amat, tandem ab amata redamabitur: vnde & in prouerbio Martialis eſt, Si vis amari, ama. Alibi verò aſſerit artem eſſe, vt ſit qui amat officioſus in omni virtutum genere. Qui enim talis eſt, non ſolùm amatam, ſed etiam Deum ad amandum trahit. Alibi autem ait in arte ducendi amatam ad redamandum duo contineri, commendationem, & concitationem. Eſt enim commendatio ea pars orationis, in qua laudes amatæ continentur: nihil enim magis allicit quàm laus, quæ eſt virtutum præmium. Cùm enim Themiſtocles interrogaretur, cuius vox eſſet iucundior, reſpondit, eius qui de me laudes bene decantat. Concitatio verò ea pars perſuaſionis eſt, quæ mouet ad affectus. Sed huiuſmodi artes, venia ſit verbis, carent arte. Id enim quod dicit, artem eſſe conſtanter amare, non ſapit artem, quoniam ſine arte amantes id agunt, & quandoque vſqueadeò, vt amore æ-

Digitized by Google

grotent. Id autem quod poſtea aſſerit, vt ſit officioſus, non ad cupidinem amatam inducit, ſed amicitiam officioſam, quæ à cupidine differt, quemadmodum cœlum à terra. Præterea nec id ſatis eſt: per illud enim non haberetur, niſi ars qua redditur amans amabilis: ſed vltrà requiritur præparare amatam talem quales ſunt perſonæ amatiuæ. Quod verò tertio inquit, perſuaſionem qua trahitur amata ad redamandum, continere commendationem, & concitationem, demonſtrat eum artem dicendi nunquam legiſſe: nam loca, quæ ſumuntur à commendatione, vt Ariſtoteles inquit in libro rhetoricorum primo, ſunt propria ad perſuadendum in genere demonſtratiuo. In genere enim demonſtratiuo perſuademus ab honeſto, atque laudabili, tanquam à proprio medio aut à contrariis. In genere deliberatiuo ab ipſo bono vtili vel damnoſo. In genere iudiciario, ab ipſo iuſto, ac poſſibili, vel à contrariis. Poſſumus autem in omni oratione perſuadere per omnia hæc, non tamen tanquam per propria, ſed tanquam per communia, quatenus accidit, vt aliquando eadem ſint honeſta, vtilia, & iuſta. Sed quoniam perſuaſio, qua amans inducit amatam ad redamandum, ſi videretur in genere reponenda, non niſi in genere deliberatiuo collocanda eſſet: ideo loca propria huic perſuaſioni accipi deberent à bono vtili. Quare quod dicit, artem non ſapit. Concitatio autem eſt bona in omni genere, quoniam in omni genere, vt inquit Ariſtoteles, inducere ad affectus perſuaſiuum eſt, non tamen eſt proprium medium: immo vt Ariſtoteles inquit, apud nonnullos lege cauebatur, vt apud Areopagitas. Quare dicamus, non idem eſſe perſuadere, & inducere ad affectus qui enim perſuadet, dicit peruериſimilia, ſicuti dialecticus loquitur per probabilia. Et quoniam in tribus generibus dicere poteſt, aut in genere demonſtratiuo laudando vel vituperando, & tunc per loca, quæ accipiuntur ab honeſtis, laudat: per loca verò quæ ſumuntur à turpibus vituperat. aut in genere deliberatiuo trahendo auditores ad deliberandum, vel euitandum, & tunc per loca, quæ ſumuntur à bono vtili perſuadet ad proſequendum, per contraria verò ad fugiendum. aut in genere iudiciario trahendo iudicem aut ad ſoluendum

Digitized by Google

vel condemnandum, & hoc pacto per loca quæ ſumuntur à iuſtis & æquis, aut ab iniuſtis, & iniquis hortatur. At qui inducit ad affectus, oportet dictis aut factis aut modis eos quos afficere volumus, effingere tales eſſe, quales affectant. Deinde quos afficere volumus præparare tales oportet, quales ſunt perſonæ affectiuæ. verbi cauſa, volo Fuluiam inducere ad me redamandum, ſi hoc facere voluero, oportet verbis aut factis aut omnibus modis quibus fieri poterit effingere me talem eſſe, quales ſunt, qui redamatione ſunt digni, quod faciam procedendo per omnia loca, quibus amatio & redamatio ſperandæ ſunt: dico per omnia, ſi fieri poteſt, aut per plura, aut per quædam, aut per quæ fieri eſt poſſibile: nam vt diximus, interdum gratia in vno ſolo cernitur, quæ vt rapiat ſufficit: poſt raptum verò, cùm ad omnia diffundatur, coget ad perfectam redamationem. Quare primò iuuenem me effingam, cùm ſim ſenex. Quod ſi non mouerit, me nobilem eſſe effingere enitar: nam cùm ſim, nobilitatem amplificabo. Quod ſi non valuerit, effingam me diuitem aut in excelſo ſtatu conſtitutum, aut pulchrum, aut gratioſum, aut honorificum promittendo honores, aut me eam ardenter deperientem per ſuſpiria & lacrymas cùm abeſt, per lætitiam & gaudia cùm adeſt: aut enitar me ſplendidum oſtendere ex ſplendore veſtium, & ornamentorum, aut obſequioſum, aut munificum, aut iracundum, præſertim eorum cauſa quæ ad honorem attinent. Quemadmodum cùm Fuluia equitando ad aulam meam venerit, iratum me effinxi, aſſerens illud non conuenire pudori virginis: hæc enim ira fuit non parua redamationis cauſa: aut adulantem, epigrammata ſcribendo laudatitia: aut repræſentatorem, aut deprecatorem, ſcribendo ad ipſam carmina, aut literas deprecatiuas: per hæc enim omnia, aut per plura, aut per quædam effingendo, aut vera demonſtrando, diſponam me eſſe amabilem. Qui autem amabilis, amando tandem redamabitur. Secundo loco oportet Fuluiam præparare talem, quales perſonæ ſunt amatiuæ. Quod faciam demonſtrando me congaudere propter eius bona, condolere verò propter mala: non alia de cauſa, niſi eius gratia, demonſtrando etiam me eam

Digitized by Google

amare. Quare per hæc cogetur Fuluia, velit, nolit, me redamare, ſi eam ardenter deperiero.

De arte inducendi amatam ad riualis odium.

CAPVT LXIII.

QVONIAM accidit non rarò, amantes habere riuales, ideo de arte inducendi amatam ad riualium odium oportet tranſigere: ſunt enim riuales, quique corriuales dicuntur, æmuli amaſiarum, quaſi in vnum amorem deriuantes. Hi enim inſupportabiles ſunt: nemo enim Iouem riualem ferre poſſet, vt poëta inquit. Si igitur amatas ad riualium odium ducere voluerimus, ex Ariſtotelica arte oportet primò effingere, diſponere atque ſimulare verbis, aut modis, aut actionibus riuales eſſe tales, quales ſunt, qui odio digni ſunt. Quod fiet diſcurrendo per loca contraria his, quibus vſi ſumus ad demonſtrandum aliquem amabilem eſſe, vt ſenem, aut ignobilem, aut pauperem, aut deiectum, aut deformem, aut agreſtem, aut inhonorificum, aut quòd non eam, ſed alias amet, aut in veſtibus, & ornamentis obſcurum, aut inobſequioſum, aut non munificum, aut ex leuibus cauſis iracundum, aut auſterum, aut ſylueſtrem, aut ſuperbum. Per hæc enim omnia, aut per plura, aut per quædam, extenuando ea, quæ faciunt ipſum amabilem, ſi qua habet, aut amplificando ea, quæ ipſum reddunt odio dignum, præparabimus riualem talem, quales ſunt, qui odio ſunt digni. Secundo loco oportet præparare amatam talem, quales ſunt perſonæ obſcuræ per loca ad hoc conuenientia. Sic enim inducemus amatam, vt riualem odio perſequatur.

De arte inducendi amatam ad commiſerationem.

CAPVT LXIV.

SED quoniam commiſeratio, vt Rhetorici dicunt, eſt alienæ miſeriæ quædam in noſtro compaſſio, qua, ſi vtique potuerimus, ſubuenire miſello calamitoſóque compellimur: ideo doceamus amatam inducere ad commiſeratio-

Digitized by Google

nem: nam per hunc modum ſubuenire compelletur miſello calamitoſóque amanti: & primò, quæ miſerabilia ſunt, aperiamus, ſtatim enim colligitur ars. Sunt igitur miſerabilia, quæcunque ex eis quæ dolorem inferunt, corruptiua ſunt, vt mortes, vulnera, verbera, corporis afflictiones, ſenectus, morbi, cibi inopia. Item etiam ea quorum fortuna eſt cauſa, ſi magnitudinem habeant, vt neminem amicum habere, turpem, imbecillem eſſe, atque mutilatum, malum euenire, à quo bonum contingebat, hæc ſunt miſerabilia. Si itaque amatam ducere volumus ad commiſerationem, amans primò debet talem ſe effingere, quales ſunt, qui commiſeratione digni ſunt: vti qui ſit propter ipſam aut in morte, aut propè, aut quòd propter eam vulnera, corporis afflictiones paſſa ſint, aut quòd propter eam morbis laboret, aut quòd propter eam venerit in odium omnium, aut quòd propter eam euaſerit imbecillis aut mutilatus, aut quòd propter eam mala recipiat, vnde bona recipere ſolebat. Deinde debet præparare amatam talem, quales ſunt perſonæ commiſeratiuæ: ſunt enim perſonæ commiſeratiuæ, quæ aut ſe, aut ſuorum aliquem putant ea mala pati poſſe, quæ ſunt vel corporis corruptiua, vel damnoſa, aut dolorifica, aut cætera his ſimilia. At ſi velit amplificare commiſerationem, licèt hoc fieri poſſit, vt Ariſtoteles inquit, tum ex perſonis, quibus commiſerantur, tum ex geſtis: de amplificatione commiſerationis ex geſtis dicendum: ea enim quæ ex perſonis eſt, non multum videtur ad propoſitum. Supponamus itaque, vt Ariſtoteles inquit, afflictiones tum maximè commiſerabiles eſſe, quum fuerint præ oculis: cùm verò non fuerint præ oculis, ſed aut præterita, aut futura multos annos, oportet eas effingere vt præſentes, atque præ oculis per quædam ſimilia, quæ ea referunt, vt voce, corporis motu, veſte, ac generatim actionibus, quæ verba conſequantur. Hæc enim faciunt, vt mala commiſerabilia ſint quaſi præſentia, atque præ oculis. Vnde in morte Cæſaris Dictatoris, M. Antonius duxit Romanos ad commiſerationem: Primò ponendo corpus in publico vulneribus mortalibus confoſſum, veſtes ſanguine intinctas: demonſtrando deinde arma, quibus fuit confoſſum: poſtea refe-

Digitized by Google

rendo verba, quæ dixit cùm vulneribus confoderetur. Quod ſi fieri non poteſt, quia præteriit, aut futurum eſt, oportet hoc effingere in ſimilibus: per ſimilia enim quæ præterierunt, apparent, vt præ oculis, ac vt præſentia. Hæc enim mouent ad commiſerationem, potiſſimum ſi ad actiones verba accommodentur. Patet igitur tunc augeri commiſerationem, quando afflictiones præ oculis, aut præſentes ſunt: cùm verò non ſunt, oportet illas per quædam ſimilia, quæ eas referunt, facere vt præſentes, vt voce, corporis motu, veſtibus, atque actionibus, quæ verba conſequantur: ſic enim vt præſentes, atque vt præ oculis factæ mouebunt. Quando igitur amans afflictiones effinget, vocibus, lacrymis, corporis motibus, ſuſpiriis, veſtibus, actionibus, verbis, quæ profert, accommodatis, amatæ commiſerationem amplificat.

De arte inducendi amatam ad æmulationem cuiuſdam alterius amatæ ſaltem ſimulatæ.

CAPVT LXV.

QVONIAM amatæ, vt æmulentur alias puellas, inducunt interdum ad redamandum, de arte ducendi amatam ad æmulationem alterius amatæ, breuibus percurramus: & primò dicentes æmulationem dolorem quendam eſſe: propterea quia bona quædam, & honorabilia videntur ineſſe natura ſimilibus, quæ ipſe quoque æmulator aſſequi poſſet, & non aſſequitur, ſed enititur aſſequi. Dico dolorem, non quoniam hæc bona aliis inſunt, ſed quia non ſibi quoque inſunt. Inuidus verò dolet, quia bona & honorabilia alteri inſunt, non quia ſibi non inſunt. Qui enim æmulantur, ad conſequenda bona, & honorabilia ſe parant, quæ alij conſecuti ſunt. At qui inuident, impedire ſtudent, ne alij bona conſequantur, non curantes ſi ipſi non conſequantur. hinc patet quæ ſint perſonæ æmulatiuæ, ſiue æmulatrices, ſiue vt ita dixerim æmulariæ: ſunt enim æmularij qui iis bonis ſe dignos arbitrantur, quæ non habent, modò ſit poſſibile ea habere, & alij ſimiles natura habent: nullus

Digitized by Google

lus enim iis bonis dignum ſe putat, quæ ſibi impoſſibilia apparent. Tales ſunt iuuenes, & magnanimi, & qui ea bona habent, quibus præclari viri digni ſunt, vt diuites, & qui ſunt in multorum gratia, & amicitia, & principes, & cæteri id genus: omnes enim iſti ſunt æmulatiui ſuorum ſimilium, quando ſui ſimiles in talibus exceſſerunt, vel in cæteris id genus. Inſuper æmulatiui ſiue æmulatij ſunt qui à cæteris digni exiſtimantur: itémque & qui nobiles ſunt, quorum aut maiores, aut cognati, aut familiares, aut gentiles, aut patria præclara eſt: hi enim talibus bonis ſe dignos arbitrantur, & in quibus ſui ſimiles enitent: bona verò quorum cauſa æmulationes emergunt, ſunt bona honeſta, honores, diuitiæ, & quæ vtilia ſunt ad benefaciendum, potentia, artes, doctrinæ & id genus. Sunt inſuper honores benefacientibus atque probis exhibiti, forma, robur, ſanitas, & cætera id genus: æmulabiles autem ſunt, qui in huiuſmodi bonis ſibi ſimiles, atque pares exuperant, veluti qui exuperant in fortitudine, aut in ſapientia, aut in principatu: hi enim æmulabiles ſunt, quia multis prodeſſe poſſunt. Adhuc oratores, qui dicendi arte excellunt: inſuper & hi quibus multi vellent ſimiles eſſe, vel propter amicorum multitudinem, aut propter animi rationem: præterea ſunt æmulabiles, quorum laudes, honores, & gloria decantantur à poëtis, vel à ſcriptoribus, quíque monumentis æternitatis mandantur ab eiſdem: contrarij his contemnuntur, atque deſpiciuntur. Nunc de arte inducendi amatam ad æmulationem dicamus: nam oportet præparare amatam talem, quales ſunt æmulariæ perſonæ, & alteram amatam, cuius æmulatio poſtulanda eſt, talem, quales ſunt perſonæ æmulabiles, ex dictis locis videlicet, & ex dictis cauſis. Verbi cauſa, Volo ex arte ducere Fuluiam ad æmulationem Lauræ, quæ fuit Petrarchæ puella, parabo Lauram talem quales ſunt æmulabiles mulieres, dicendo Lauram, quia adamauit Petrarcham, qui eam deperiuit, fuiſſe monumentis æternitatis mandatam, laudatam, honoratam: poſtea parabo Fuluiam talem, quales ſunt mulieres æmulariæ, dicendo eam eſſe iuuenem, non minoris formæ, atque concinnitatis, eſſéque eam puellam, quam ſi Niphum redamauerit, omnes exiſtimant dignam laudi-

bus, honoribus, ac muneribus, quibus Laura fuit digna: imo maioribus, cùm ipſa ſit pulchrior, & moratior, & non minoris excellentiæ, atque nobilitatis: ſic enim ducetur tandem ad Lauræ æmulationem. Sed quoniam, vt Ariſtoteles inquit, quæ præ oculis ſunt, atque præſentia magis mouent, effingenda eſt altera quædam amata, & hoc in caſu deſtitutæ ſpeciei: præparandáque talis, quales ſunt mulieres æmulabiles, pro locis, quæ & à laudibus, & ab honoribus, & à muneribus perpetuitatis ſumuntur: verbis, modis, geſtis fingendo eam propter hæc me adamare; deinde paranda eſt Fuluia talis, quales ſunt mulieres æmulatrices per eamet loca, quæ diximus, aſſerendo ipſam eſſe iuuenem, non minoris formæ, atque concinnitatis, & reliqua. Et quoniam poteſt hæc æmulatio fieri aut per ipſummet amantem, aut per aliquam intermediam perſonam huius artis non imperitam, per tertiam huiuſmodi perſonam, cùm fieri poteſt, æmulatio paranda eſt, per quam longè faciliùs commouebitur Fuluia ad æmulationem amoris, vt videlicèt de ipſa ſimiles laudes, honores, muneráque æternitatis decantentur. Per eandem artem riualis duci poteſt in contemptum, parando eum talem, quales ſunt homines deſpicabiles, amatam eſſe talem, quales ſunt mulieres deſpicantes: per loca videlicet contraria iis, quæ diximus in arte æmulandi. Hæc pauca de arte amandi. Quoniam plura amantes à natura edocti aſſequuntur.

Cupidinem non eſſe faſcinationem.

CAPVT LXVI.

QVONIAM ſpirituoſus vapor ex ſanguine creatur: ita quoque & ipſe ſimiles ſibi radios per oculos quaſi vitreas feneſtras emittit: atque etiam ſicut cor mundi ſolo ſuo circuitu lumen, pérque lumen virtutes ſuas ad inferiora demittit: ſic corporis noſtri cor motu ſuo quodam perpetuo proximum ſibi ſanguinem agitans ex eo ſpiritus in totum corpus, pérque illos luminum ſcintillas per membra diffundit quidem ſingula, per oculos autem maximè: ad altiſſimas

quippe corporis partes ſpiritus maximè, cùm ſit leuiſſimus, euolat, eiúſque lumen per oculos (cùm ipſi perſpicui ſint, atque omnium partium nitidiſſimi) vberiùs emicat. quòd autem radius emiſſus ab oculis vaporem ſecum ſpiritualem trahat, & vaporis ſanguinem, ex eo perſpicuum, quoniam lippi, & rubentes oculi ſpectantis proximè oculos radij ſui emiſſione cogunt morbo ſimili laborare. vbi apparet & radium vſque ad obuium illum protendi, & cum radio vnà vaporem corrupti ſanguinis emanare, cuius contagione oculus ſpectantis inficitur. Scribit Ariſtoteles, mulieres (quando ſanguis menſtruus defluit) intuitu ſuo ſpeculum ſanguineis guttis ſæpe fœdare. Quod ex eo fieri arbitror, quia ſpiritus, qui vapor ſanguinis eſt, ſanguinis quiddam tenuiſſimum eſſe videtur, adeo vt aſpectum oculorum effugiat, ſed in ſpeculi ſuperficie factus craſſior, clarè perſpicitur. Hic ſi in rariorem materiam aliquam, ceu pannum, aut lignum incidat, ideo non videtur, quia in ſuperficie rei illius non reſtat, ſed penetrat: ſi in denſam quidem, ſed aſperam, ſicuti ſaxa, lateres, & ſimilia, corporis illius inæqualitate diſſipatur, & frangitur: ſpeculum autem propter duritiem ſiſtit in ſuperficie ſpiritum, propter æqualitatem autem, lenitatémque ſeruat infractum, propter nitorem ſpiritus ipſius radium iuuat, & auget, propter frigiditatem rariſſimam illius nebulam cogit in guttulas: eadem ferè ratione quoties hiantibus faucibus obnixè anhelamus in vitrum, eius faciem tenuiſſimo quodam ſaliuæ rore conſpergimus, ſiquidem halitus à ſaliua euolans, in ea materia compreſſus relabitur in ſaliuam. Tunc ex his Platonici cupidinem, faſcinationem quandam eſſe aſſerunt, quatenus patefactus amatæ oculus, & in aliquem intentus, radiorum ſuorum aculeos in adſtantis oculos iaculatur, atque etiam cum aculeis iſtis, qui ſpirituum vehicula ſunt, ſanguineum vaporem illum, quem ſpiritum diximus, intendit: hinc virulentus aculeus tranſuerberat oculos, cúmque à corde percutientis mittatur, hominis perculſi præcordia quaſi regionem propriam repetit, cor vulnerat, inque duriore dorſo hebeſcit, redítque in ſanguinem: peregrinus hic ſanguis à ſaucij hominis natura quodam modo alienus, ſanguinem eius proprium inficit: infectus ſanguis ægrotat.

hinc cupido fit, qui in corde ipſo reſidet, in quo infectus ſanguis ægrotat: quippe ægrotatio effaſcinatio fit, & cupido. Rem hanc Muſeus, Propertius, & Ouidius probarunt, cùm per oculos puellæ ſe captos eſſe aſſerant. Apuleius dicebat ſuos oculos ſibi nocuiſſe, qui ſui doloris, ſuæque ſalutis cauſæ fuerunt. Quintilianus etiam ait in oculis omnem noſtram appetitionem habere, & hac ratione Plinius credidit eum, qui oculos oſculatur, animam atque cor oſculari. Sed hæc (venia ſit dicto) commenta ſunt, atque rhetorici colores: nam ſi ita eſſet, vt fingunt, ſemper cupido eſſet morbus, imo deterius quippiam quàm morbus, & faſcinatio morbo ipſo deterior. At Galen. medicus celeberrimus cupidinem morbum eſſe non aſſerit, niſi ad inſaniam tranſierit, qua affligi eos inquit, qui perditè amant. præterea fieri non poteſt, vt ſanguis ad cor alicuius delatus, illud vertat in cupidinem eius amatæ, è qua emiſſus eſt, niſi amata ſanguinem, quem emittit, cupidinem infectum habuerit: alioquin ſanguis cupidine non affectus, cor cupidine afficere poſſet. At ſæpe iis à puellis ad cupidinem rapimur, quorum ſanguis nullo omnino cupidine infectus eſt: quo verò modo è puellis cupido in nobis ingeneretur, ſuperiùs ſatis eſt exploratum.

Non eſt verum nos amare, vt Adraſtia dixit, quoniam anima intuitu pulchræ puellæ recordatur diuinæ pulchritudinis.

Capvt LXVII.

EST inſuper commentitium dicere, nos hac ratione puellas amare, quoniam anima intuitu ac aſpectu pulchræ puellæ recordatur eius diuinæ pulchritudinis, quam viderat, dum creata eſt in cœlo. Quod Adraſtia probat: nam, vt ſuperiùs diximus, cùm in omni puella pulchra diuina pulchritudo emicet, omnem puellam æquo affectu cupidinis amans amaret. Cuius contrarium obſeruatio demonſtrat, cùm circa amores amantes non ſecus ſe habeant, quàm

Digitized by Google

concupiſcentes circa cibos, & potus. Deinde quod non eſt, repræſentari non poteſt. At Deus non pulcher, ſed ipſa bonitas eſt, vt ſuperiùs eſt exploratum. Quòd ſi Adraſtia in Deo bonitatem pulchritudinem intelligit, diuina bonitas non ſolùm in pulchris, ſed in omnibus rebus emicat, quibuſdam, vt Ariſtoteles inquit, clariùs, aliis autem obſcuriùs. Quare omnem rem amare deberemus: quippe cùm in omni creata re diuina pulchritudo inſpiciatur.

Nec verum eſt id quod Popilia inquit, animalia muta non ſemper amare, quòd ſint rationis expertia, nec quod Turpilius inquit.

CAPVT LXVIII.

EST etiam longè magis commentitium id quod Popilia inquit, animalia muta non ſemper amare, quòd ſint prudentiæ atque rationis expertia: ac ſi amare ad rationem attineat, hoc commentitium eſt: nam ſi amare ſit, vt ipſa inquit, deſiderare marem, aut fœminam ad libidinem, iſtud non ad rationem attinet, ſed ad naturam, vt Plato inquit, qua animalia, vt ſibi ſimilia in ſibi ſimilibus generent, ſemper fœminam appetunt: per hoc enim, vt Ariſtoteles inquit, & Plato, animalia diuino & immortali eſſe participant. At ſi amare eſt deſiderare hanc vel illam fœminam, ad generandum ſibi ſimile, hoc voluntarium eſt. Poteſt tamen ad rationem pertinere, ſi ſecundum legem rationémque rectam deſideretur: ſin autem præter legem, nec ad rationem, nec ad prudentiam attinet. Fuit igitur quod Popilia dixit, libidinoſæ, ſalacis mulieris ſententia, non autem continentis, aut temperantis. Id etiam quod Turpilius Sueſſanus Poëta comicus ait, omnes deos ad amantium præſidium inuocandos eſſe venere ſola excepta, quòd amare ſit res diuina, etiam commentitium videtur. Amare enim, hoc eſt, deſiderare fœminam ſui generis, vt in ea ſimile generetur, opus naturæ eſt, quæ ab ipſa Dei prouidentia regulatur; verùm hac ratione diuinum opus eſſe poteſt: vnde & Themiſtius dixit opus naturæ eſſe opus intelligentiæ, non errantis, hoc

Digitized by Google

eſt Dei, vt Auerroës expoſuit: amare autem, quod eſt ab hac vel illa fœmina pulchra capi, vt pulchrum in pulchro fiat, nec naturæ nec Dei opus eſt, ſi præter legum atque rationis inſtitutum fuerit: ſed ſi pro lege & ratione, & naturale, & diuinum, & humanum eſt.

De cauſis cur eadem puella non ab omnibus æquo cupidine ametur.

CAPVT LXIX.

SED quoniam videmus cupidines, non eadem ratione emergentes, ſed veluti ſunt appetitus ciborum & potuum: alij enim alios cibos vel potus concupiſcunt: ſic aliis aliæ puellæ gratioſæ ſunt: ideo de cauſis huius differentiæ diſſerendum. nam licèt ſuperiùs fuerit conſideratum, hîc magis idoneum eſt, cùm locus ſit, vbi de cupidine agitur. Pauſanias tradit naturale eſſe amare puellam pro generatione complenda: ſed hanc vel illam deperire, à caſu atque fortuna eſt: ſigno autem huius nobis ſunt Achæi, qui amorem cum fortuna in Egira adorare ſolebant, nec alia ratione, niſi quia amorem nemo ſine fortuna aſſequi poteſt. Theocritus etiam hoc probauit ex eo, quoniam interdum obſeruatum eſt amantes turpiſſimas deperire, nec ob aliud niſi quia hanc aut illam deperire à fortuna eſt. Iuuenalis quoque Parum diſcordans, inquit, factum eſt in partibus illis, Quas ſinus abſcondit. Sed opinio hæc philoſophiam non ſapit: nam licèt occurſus huic vel illi puellæ ſit à fortuna, inſuper & commoditas videndi, cupido tamen non à fortuna eſt, qui poſtquam ipſa viſa atque inſpecta eſt, affectus eſt appetitus ſenſitiui, cui occurrit pulchritudo mouens. Deinde quod caſu vel fortuna eſt, rarò euenit. At viſa puella gratioſa, plerunque is, qui aptus eſt amare amat. Ariſtophanes apud Platonem in Sympoſio fabulatur in prima mundi origine ex duobus vnum factum eſſe hominem Androgynum: à Ioue verò vnumquemque diuiſum eſſe in duos, vt Androgynus imbecillior redderetur. quando igitur euenit, vt aliquis homo eam fœminam inueniat, cum qua Androgynum conſti-

Digitized by Google

ciebat, conuenientia naturæ alter alteram deperit: quod eſt dicere eam amantem deperire, cum qua genio, natura, ſtella, idea conuenit. Stella quidem, nam à ſtellis credunt omnia proficiſci, etiam amores: Solus enim homo generat hominem. Natura verò, qui enim natura, hoc eſt vt dicunt, complexione, facilè ad amorem congregantur: ſanguineus enim ſanguineam, pituitoſus pituitoſam amat: eſt enim amor conuenientia quædam. vnde & prouerbio dicitur, ſimiles cum ſimilibus facilè congregantur, vt figuli cum figulis. Per accidens tamen poteſt eſſe contrarietas, vt Ariſtoteles inquit. Genio autem, nam illi ſe mutuò amare ſolent, quorum vnus eſt genius: habet enim (vt Plato inquit) vnuſquiſque genios duos, alterum vitæ, alterum profeſſionis cuſtodem. Idea denique, quoniam anima in cœlo orta omnium rerum creatarum ideas detinet: eam itaque deperibit, quæ ea idea conuenit, quæ tunc in mente vigebat. Sed nec huiuſmodi cauſæ ſunt naturales: nam cauſa, quæ ex ſtellarum concordia eſt, friuola videtur: nam viſum eſt eodem die iuuenes aliquam puellam deperire, & odiſſe. cœleſtis autem cauſa non eſt mutabilis, cùm ſemel in genitura amantis ſit inſtituta, quæ poſtea, vt Ptolemæus inquit, inuariabilis manet. Simili ratione refutatur cauſa naturalis: nam conuenientia naturæ vitæ coæua eſſe videtur: non autem amantium conuenientia eſt vitis eorum coæua. Refutatur ſimiliter & cauſa, quæ genij conuenientia fingitur: quippe cùm homines amici, in proceſſu temporis inimici euadant, quorum tamen ſemper idem genius eſſe videtur. Cauſa verò, quæ accipitur ab idea commentitia eſt. ſunt enim huiuſmodi ideæ figmenta, vt Ariſtoteles demonſtrauit, etiam qui ſemel mutuò diligerent ſe, per omnia vitæ tempora reciprocè ſe adamarent: quippe cùm cauſa ſimul agens, non mutetur in contrarium. Tandem iuniores tradunt amoris cupidinei ortum exoriri ex conuenientia in naturis, quas dicunt complexiones: amoris verò auctionem accrementúmque, amorum ſimilitudine in affectibus, & ſtudiis: cupidinis autem perſeuerantiam ſeruari à conſuetudine mutua, conuerſationéque reciproca. Ariſtoteles verò inquit, amare puellam lege naturæ eſſe datum, veluti cibum, potúmque concupiſcere: hanc autem

vel illam, lege indiuiduæ naturæ: ad eam enim vnuſquiſque rapietur, quæ propriæ ac indiuiduæ naturæ gratioſa eſt. & cùm indiuidua natura variationem ſubeat, adeo vt non ſit veſpere eadem natura, quæ fuit mane, hinc fit, vt quæ gratioſa hodie, cras non gratioſa ſit. fouet autem huiuſmodi gratiam morum, atque affectuum ſtudiorúmque ſimilitudo, & frequens conſuetudo. Nec tamen ab eiſdem corporis pulchri partibus amantes capiunt omnes, vt ſuperiùs diximus: aliquibus enim in occurſu primo gratioſi fuerunt oculi, vt Anacreonti, & Sophocli: aliquibus faciei ſplendor, vt Pindaro: aliquibus capilli, vt Ammithio Mileſio, fortaſſe propter indiuiduarum naturarum ſimilitudinem.

Quòd amor non ceſſet in fruitione cupidinea, nec poſt.

CAPVT LXX.

MAGNA inter amantes digladiatio fuit, abeátne cupido cùm amans fruitur amata, an adſit adhuc. prima enim ratione videtur abire: nam vt Ariſtoteles inquit, habitus cùm fuerint præſentes in materia, ceſſat motus. quare cùm fruitio cupidinea præſens fuerit, amor cupidineus, qui erat motus quidam ad eam, ceſſabit. Sed qui philoſophus eſt, quæſtionem huiuſmodi facilè diluere poterit. nam potentia materiæ, qua formam appetit, eſt, vt philoſophorum verbis vtar, altera abſoluta, qua materia formam appetit, altera reſpectiua, qua appetit hanc vel illam. prima eſt materiæ coæua coæternáque: perpetuò enim materia emittit formam, & nouam recipit, quare perpetuus eſt appetitus formæ: huius autem, aut illius mortalis. Inſuper quemadmodum appetitus cibi eſt homini coæuus, nec ceſſat, licèt veſcatur, ſed ceſſat appetitus, qui erat ad hunc vel illum cibum: ſic deſiderium fruendi amata puella, eſt perpetuum vitæ, donec in odium vertatur: deſiderium verò fruendi puella eadem ſecundùm hunc vel illum actum ceſſat, tum in fruitione, tum etiam poſt: quippe cùm ad præteritum nulla ſit appetitio. non autem deſinit deſiderium fruendi eadem, cùm regenerabitur ſemen pro alia fruitione

ſuffi-

Digitized by Google

ſufficiens: fieri tamen poteſt, vt in quibuſdam pro certo tempore omne deſiderium abeat, immo, vt vertatur in odium: pueri enim (vt Ariſtoteles inquit libro problematum) cùm primò coire inceperint, poſt fruitionem voluptificam, amatam oderunt: hoc enim ex accidente eſt: ſuſtinent enim pueri in huiuſmodi actibus maximam permutationem, non tantùm in corporibus, verùm in animabus: molles enim ſunt, valdéque paſſibiles: poſt coitum itaque oderunt, quia recordantur mox eius fœditatis abominabilis, quæ fuit in coitu, quo fit vt reducantur ad pudorem, odiúmque amatæ: inſuper recordantur eius laboris, quem in coitu ſuſtinuerunt, cuius non recordantur prouectiores, cùm eum non ſubierint: quare ex his cauſis amorem in odium verterunt, quod eò vſque perdurat, quouſque nouum ſemen ſtimulans refecerint: ceſſat igitur omne deſiderium pro tempore, non autem ſimpliciter. ſecus in puellis: puellæ enim eis quibus primò coniunguntur, mirabili amore afficiuntur, & poteſt cauſa eſſe, quoniam mas eſt perfectus, puella manca, ac mutilata: cùm itaque mas primò puellæ coniungitur, perfectum (vt ita dixerim) imperficitur, puella non perfecta perficitur, quare eum ſemper amare compellitur, quòd ab eo primò perficeretur, contrà verò mas, quòd ab ea primò fœdaretur. Qua ratione fit, vt amans dum fruitur amata, dicatur amans vna ratione, & non amans alia ratione: amans quidem ſimpliciter, quippe cùm non ceſſet deſiderium fruitionis ſimpliciter in totóque: non amans verò pro illa fruitione, in qua gaudet, vel quæ præteriit: quemadmodum concupiſcentia huius cibi, non autem cibi ſimpliciter ac toto ceſſat.

Quæſtiones amatoriæ.

Capvt LXXI.

SEd ab amantibus plura quæruntur: primum ſitne cupidinem ſimulare difficilius, an diſſimulare. deinde ſitne cupidinis virtus maior, qua ſapientem ad inſipientiam, an quæ inſipientem ad ſapientiam vertit. inſuper contingát-

ne quempiam præ nimio cupidine mori, an permanere. ad hæc ſit continentior mulier an vir. poſtea ſitne rerum vniuerſitati vtilius cupidinem eſſe, an non eſſe. adhuc poſsitne quiſpiam aliquam puellam ſola nominis celebritate deperire, an aſpectus ſit neceſſarius. Rurſum cùm honor concitet nos ad virtutem, obſequium autem puellam amatam ad redamandum, quæ maior concitatio. deinceps, quæ amantior timida, an audax. Præterea quæ maior difficultas eſt, lucrari, an ſeruare amatæ gratiam. Poſtea quis facilius ſibi amari perſuadet, vir an mulier. Inſuper excepta perſeuerantia, ex ſignis, quónam magis certificetur puella, quòd ametur. Deinde quænam affectio maior, odiúmne an cupido. Poſtremò fieri ne poſſit, vt auarus amet, an non. Quæſtiones huiuſmodi quærunt iuniores, ſed non ſoluunt: nos verò enitemur pro noſtra facultate diluere huiuſmodi quæſita, ordine, quo quæruntur. Quum igitur primò quæritur, ſitne cupidinem ſimulare difficilius, an diſſimulare: illud ſumendum in omni problemate, id verum eſſe, cuius cauſa quæritur, nemo enim quærit cur homo volat: id etiam non eſſe perſpicuum, cuius cauſa petitur; nemo enim quærit vtrum ignis ſit calidus. Simulare ergo aliquem amorem, aut diſſimulare circa vitia, eſt poſſibile, præcedentibus verò temporibus haudquaquam fieri poteſt. At circa principium ſimulare amorem facilius videtur, non enim eſt voluntatis cum appetitu certamen. Eſt enim ſimulare amorem omni ex parte voluntarium, diſſimulare verò eſt cum certamine. Qui enim amat, appetit videri amatæ amans. Quatenus verò diſſimulat, vult non videri. Et cùm quærunt, ſitne virtus maior, quæ ſapientem vertit & reliqua. nemo dubitat diſtruere facilius eſſe. at cùm ſapientem ad inſipientiam vertere diſtruere ſit, inſipientem verò ad ſapientiam mutare, conſtruere: iure illud facilius hoc difficilius, videbitur. accedit quòd ex priuatione ad habitum reducere, vt Ariſtoteles inquit, non modò difficilius, ſed nobis impoſſibile eſt. Et iterum quum quærunt, contingátne quempiam præ nimio cupidine mori: Galenus annuit: quoniam cupido adeo excreſcere poteſt, vt fiat morbus: contingit autem per morbum vnumquemque mori. Et rurſum cùm quærũt quæ continen-

Digitized by Google

tior. Nemo dubitat mulierem continentiorem eſſe natura, eſt enim frigidior, atque minoris ſeminis, per menſtruum etiam ſanguinem ſatis incontinentia fugeſcit. Et item cùm quærunt, ſitne rerum vniuerſitati cupidinem vtilius non eſſe: perſpicuum profectò quòd vtilius ſit eſſe, alioquin animalium generatio è medio tolleretur. Quo fit, vt rerum vniuerſitas tandem periret: mala autem, quæ propter cupidinem afferuntur, rerum vniuerſitatem non delent. Inſuper cùm quæritur, poſsítne quiſpiam aliquam puellam amare ſola nominis celebritate: Ariſtoteles annuit amare eum poſſe amore beneuolentiæ, non autem amore amicitiæ, quæ nunquam inter aliquos naſcitur, niſi ſe mutuò cognoſcant. At cùm quæritur, quæ maior concitatio: arbitror eam concitationem maiorem eſſe magnitudine rationis, qua nos honor ad virtutem mouet: eam verò qua obſequia amatam concitant ad amandum, maiorem ſecundùm ſenſum. Et cùm quærunt, quæ amantior timida: nemo dubitat timidam cùm amat, amare magis: quoniam præ timore videtur carere magis fine amoris: vbi autem eſt maior carentia, ibi appetitus maior eſt. Rurſum cùm quærunt, quæ maior difficultas, dicas maiorem eſſe ſeruare: mulier enim mollis eſt atque mutabilis natura, quare eam lucrari minus eſt, cùm facilis ſit & mollis: hac ratione mulier ſibi facilius amari perſuadet quàm vir. Et cùm deinceps quæritur, quo puella magis: Ariſtoteles certiſſimum amoris ſignum eſſe tradit condolere, congaudere: quum enim quis amatæ condolet & congaudet in quibus ipſa dolet, aut gaudet, tunc nulli dubium eſt quòd amet. Iterum cùm quæritur, an amor ſit affectio maior, quàm odium: amorem dicerem, quoniam ad malum vnuſquiſque pronior eſt: odiſſe autem malum, amare bonum: aut fortaſſe, amor magnitudine naturali affectio maior eſt, odium verò magnitudine voluntatis. Quod poſtremò quærunt de auaro, nemo debet dubitare: nullus enim ab amore ſecurus eſt: poteſt igitur amor auarum liberalem facere, quem poſtea amare non erit difficile.

A philautia non omnem amorem proficiſci.

CAPVT LXXII.

MAGNA quæſtio eſt, vtrum omnis amor à philautia, hoc eſt ab amore ſui proficiſcatur. Equicola noſter illud Platonicum Peripateticúmque certiſſimum eſſe ſumit, natura eſſe homini datum, vt ſeipſum amet. Quod ex eo Ariſtoteles probauit, quia vnuſquiſque natura appetit ſemper manere, & in optimo ſtatu viuere. Ex hac hominis philautia euenit, vt nos eos natura amemus, qui nobis bona afferunt, aut honorabilia, aut vtilia, aut delectabilia, quibus ſeruamur, atque optimo in ſtatu viuimus: nec hos amamus modò, verùm etiam tanquam deos colimus, qui nobis hæc attulerunt. Saturnum enim vt Deum adorauit gentilitas: quoniam agreſtem, atque hominum vitam incultam ad ciuilem reduxit. Iouem verò, nam in ſuo regno iuſtitiam cum ſapientia exercuit. Neptunum etiam, quia in Creta primus nauigandi artem adinuenit. Sunt & alia ſexcenta exempla. Hinc concludit, eos nos natura amare, qui aut vtile aut honorabile, aut iucundum nobis ferunt, aut ferre cenſemus: eos verò odio proſequi, à quibus hæc non ſperamus, aut horum contraria recipere opinamur. Ordinem ergo talem in amore ſtatuit, vt homo primò ſeipſum propter ſe, à fide verò poſtea incipit amare Deum, non propter Deum, ſed ſuiipſius gratia. poſtea legendo, meditando, orando, contemplando amat Deum, propter Deum amat ſeipſum: propter verò ſui amorem, amat quæcunque amat, nec aliquid hominem amare credit, niſi propter ſe. Sed pax ſit verbis, hæc poſitio philoſophiam non ſapit. Primò quia ſi omnia quæ amamus propter nos amamus, omnia eſſent amabilia propter aliud, quare nec amicum officioſum amaremus propter ipſum, nec virtutem, nec voluptatem, nec Deum ipſum. Qua ratione euenit, vt cuncta bona ſint vtilia, & nulla propter ſe amabilia. Deinde bonum eſt amabile, igitur per ſe bonum eſt, per ſe amabile: ſed Deus, & bona honeſta, & bona voluptifica ſunt per ſe bona: igitur ſunt amabilia propter ſe: poſtea ſi

Deum amaremus propter nos, cùm amare nos non omni ex parte ſit laudabile, amare Deum omni ratione eſt laudabile: tunc laudabile ab illaudabili proficiſceretur. Præterea appetitus refertur in bona eo ordine, quo ſunt bona. Igitur primò bona primò amabilia. Sed Deus eſt primum bonum: nos verò ſumus poſteriùs bona: non igitur primò & per ſe amamus noſipſos. Inſuper, increpant eos qui ſeipſos maximè amant, & vt turpe ſui amatores appellant: à turpi nihil honeſti procedere poteſt, niſi ſecundum accidens: igitur philautia non eſt omnium amorum cauſa. Præterea prauus eſt, qui ſui gratia cuncta agit, & tanto magis, quanto prauior eſt: incuſatur enim ipſum, quia nihil niſi ſibi agit. Probus autem ob honeſtatem, & tanto magis, gratiáque amici, quanto præſtabilior eſt, ſua verò negligit. Ad hæc amamus virtutem, etiam ſi nihil boni nobis eueniret: nec alia ratione, niſi quia eſt ſecundùm ſe amabilis. Deceptus eſt enim in verbo amoris: nam licèt amore concupiſcentiæ, vt ita loquar, vnuſquiſque natura amet ſe, & ob ſui amorem omnia reliqua amare videatur: tamen amore beneuolentiæ plurima amare poteſt, non propter ſuiipſius amorem, ſed eorũ gratia, quæ amat. Sed quomodo philautia laudetur, Ariſtoteles nono libro Ethicorum breuibus aſſerit: qui maximè amant ſe quoad corpus, atque quoad corporis bona, quibus corpus ſeruatur, vituperabiles eſſe: qui verò maximè amant ſe quoad animum, atque animi bona, eſſe honorabiles: non enim corpus corporiſque bona amabilia ſunt, niſi propter animum, bonáque animi, vt eis videlicet ſubſeruiant.

Cupidinis comites qui.

Capvt LXXIII.

Post hæc de cupidinis comitibus agendum, non enim eſt protritum. Sunt igitur amoris cupidinei comites affectus omnes, vt ira & manſuetudo, timor & fiducia, verecundia & inuerecundia, gratia & ruſticitas, commiſeratio & indignatio, inuidia & contrarium, æmulatio & contrarium, auiditas & abominatio, ſpes & deſperatio, zeloty-

Digitized by Google

pia & contrarium, voluptas & dolor, beneuolentia & maleuolentia. Verùm antequam de his per ſpeciem dixerimus, oportet generatim de affectibus quædam tranſigere: non enim de eis autores eadem ſentiunt. Quare dicamus in anima noſtra tria eſſe, potentia videlicet, affectus, & habitus. Eſt autem potentia habilitas quædam atque aptitudo animæ connata, qua affici atque commoueri natura poterimus, quáve cuncta, quæ agimus aut facimus, vel patimur, natura agere, aut pati valemus: vt potentia viſiua, natura videre, auditiua audire, & de cæteris ſimili ratione. Affectus verò, qui Græcè pathos, à Cicerone perturbatio dicitur, à vulgo autem paſſio, à Stoicis atque Platonicis deſcribitur, quòd ſit vehemens, atque turbidus quidam motus longè magis quàm deceat, atque commotio quædam naturalis animi impetu atque impulſu eueniens, quæ in noſtra poteſtate non eſt in principio, licèt poſtea eam ratione moderare anima poſſit. Plutarchus verò deſcribit, quòd ſit praua atque intemperans commotio, vires accipiens ab hallucinato iudicio. Ariſtoteles verò affectum definit, quòd motus quidam ſit, qui ab ea potentia proficiſcitur, qua poſſumus natura affici, atque commoueri. aut dicamus quòd affectus ſit vehemens atque turbidus naturalis quidam motus magis quàm deceat appetitus ſenſitiui, naturali impetu atque impulſu eueniens, qui in noſtra poteſtate non eſt in principio, licèt ipſum poſtea ratione moderari anima poſſit. Hæc enim definitio non differt ab ea Stoicorum, niſi quia in hac explicatur appetitus ſenſitiuus, cuius eſt affectus: habitus verò diſpoſitio quædam appetitus ſenſitiui cum difficultate mobilis, proficiſcens ex frequenti actuum appetitus ſenſitiui vſu, aut conſuetudine: qui ſi bene inſtitutus fuerit, virtus, ſin autem malè, vitium euadit. Quòd igitur potentia non ſit virtus, perſpicuum eſt, quandoquidem aptitudo naturalis eſt animæ, qua natura poſſumus applicare noſipſos ei, quod volumus. Quòd verò nec affectus, ex eo demonſtrauit Ariſtoteles, quoniam ex his, quæ affectu agimus, aut patimur, nec laus, nec vituperatio nos ſequitur, niſi eatenus, quatenus vſus, atque conſuetudo ea laudat, vel vituperat. Fortaſſe affectus meliùs dilucidiúſque deſcribitur, quòd ſit commotio appe-

titus ſenſitiui naturaliter moti ab apprehenſione rei alicuius affectibilis, quæ ſenſibus occurrit: per hoc enim quod eſt commotio, differt affectus ab ipſa naturali potentia, quoniam potentia non commotio eſt, ſed naturalis aptitudo, qua appetitus commoueri poteſt. Differt inſuper ab habitu: nam habitus non commotio eſt, ſed diſpoſitio quædam cum difficultate mobilis generata in ſenſitiuo ipſo appetitu ex commotionibus pluribus ſæpéque factis. Quæ ſi præter rationem fiunt, generant vitium, ſin autem regulantur ratione, virtutem pariunt: per hoc verò, quòd affectus ſit appetitus ſenſitiui naturaliter moti ab apprehenſione rei affectibilis, differt ab ea apprehenſione quæ ſua fortitudine alteri mutat corpus, qualis eſt pollens fortiſque imaginatio, qua quis pollenter imaginatur ſanari, & iam ſanatur: hæc enim fortis, polléńſque imaginatio, quia motum facit in corpore, exiſtimatur affectio, ſiue affectus: non autem eſt, tum quia hæc imaginatio eſt apprehenſio: affectus verò, non apprehenſio, ſed commotio: tum etiam quoniam hæc imaginatio eſt virtutis imaginariæ operatio, & affectus eſt motus appetitus ſenſitiui, qui naturali impulſu ſequitur apprehenſionem alicuius rei affectibilis: ſed quoniam cupido affectus eſt appetitus ſenſitiui naturaliter moti ab apprehenſione pulchri humani ad deſiderium illius fruendi: eo modo, quo ſuperiùs ſæpiùs dictum eſt, fit, vt cupido non ſubſtantia ſit, ſed accidens: non enim commotio ſenſitiui appetitus ſubſtantia eſt, ſed accidens, quod animæ ineſt propter appetitum motum. Cùm enim, vt Plato inquit, per aſpectum puellæ imaginariæ virtuti, quæ phantaſia dicitur, offertur, atque præſentatur id, quod pulchrum videtur, mox anima excitatur non ſolùm ad illius fruitionem, ſed ad generandum pulchrum in tali pulchro, vel ex tali pulchro. Non tale fruendi deſiderium comitatur ſemper appetitus coëundi, ſicuti Plato inquit, vt pulchrum in pulchro, vel à pulchro generetur. Qua ratione fit, vt cupido, qui talis appetitus eſt, non in parte memoratiua, vt quidam putant, nec in virtute phantaſtica ſit, ſed in appetitu ſenſitiuo, cuius eſt affectus: ſimulacrum autem puellæ amatæ, quod Ariſtoteles vocat phantaſma, eſt in memoria aliquan-

do. Verbi cauſa, in ſomno, & in parte phantaſtica in vigilia: non enim abſurdum videri debet ſimulacrum amatæ eſſe in eo ſubiecto, in quo cupido non eſt: quod eſt eius pulchri deſiderium, quod præſentatur animæ per illiuſmodi ſimulacrum: nam vt Philoſophi tradunt, ſimulacrum, & amor ſubiecto diſcrepant, quemadmodum appetitio & comprehenſio: obiecto autem conueniunt: ſunt enim eiuſdem obiecti: ſimulacrum quidem comprehenſio, amor autem appetitio. Et quoniam huiuſmodi affectus ſequitur motus in ſpiritu vitali, qui vapor quidam ſanguineus eſt, reſidens in corde, & à corde proficiſcens, hac ratione vocatæ ſunt cordis paſſiones. Quòd verò tales affectus ſequatur motus in huiuſmodi vitali ſpiritu, declarauit Auicenna medicus: quoniam occurrente re affectibili, primò apprehenditur à virtute imaginaria, externis ſenſibus ſimulacrum ad ipſam deferentibus. Deinde appetitus commouetur naturali impulſu ex illa apprehenſione: & hanc appetitus commotionem mox ſequitur motus in ſpiritu vitali, aut ad interiora pro fuga, aut ad exteriora pro conſequutione, aut vtroque modo partim pro fuga, partim pro conſequutione: nec ſemper eadem ratione: nam ſpiritus vitalis ipſe nonnunquam ſubitò, nonnunquam paulatim mouetur: mouetur autem ab imaginaria ipſa virtute variis modis ex eo, quia virtus imaginaria variis ſimulacris admodum formatur: formata enim ab ipſo ſenſibili ſimulacro amicitiæ, vitalem ſpiritum ad exteriora mouet, vt ſenſibile complectatur: formata autem ab ipſo ſenſili inimicitiæ atque timoris ſimulacro, ſpiritum mouet ad interiora. Qua ratione fit, vt ſpiritus ad partes contrarias moueatur pro contrariis virtutis imaginariæ formationibus, aliquando diuerſis temporibus, aliquando eodem tempore, & cùm mouetur eodem tempore, nonnunquam mox, interdum non mox: & cùm eodem tempore mox, vel non mox ad contrarias partes mouetur, non ſecundum eandem, ſed diuerſas partes neceſſe eſt moueri. Verbi cauſa, cùm quiſpiam ſimul iraſcitur atque triſtatur: propter iram enim ad exteriora ſecundum vnam ſui partem fertur: propter triſtitiam verò ſecundum alteram ad cor: inſuper in verecundia, quatenus timor eſt quidam, altera

vita-

Digitized by Google

vitalis ſpiritus pars ad interiora ipſa fertur: quò verò eſt ira quædam, altera ad exteriora motu cietur: mouetur autem vitalis ipſe ſpiritus. Qui, vt diximus, nihil aliud eſt, niſi ſanguineus quidam vapor, ab anima imaginaria modo quo inſtrumentum mouetur ab artifice: vt enim inſtrumentum ab artifice variis modis mouetur pro neceſſitate diuerſarum operationum, pro quibus perficiendis inſtitutum eſt inſtrumentum: ſic ſpiritus, qui à natura eſt inſtrumentum animæ imaginariæ, inſtitutum pro variis illius operationibus, pro neceſſitate operandi mouetur: nec oportet ſpiritum, quia variis modis mouetur, varias aut formas, aut qualitates præter eam, quam natura habuit, accipere. Quemadmodum enim aliquod corpus ſurſum, aliquod deorſum fertur, aliquod circa medium, nec propter formam nouam, ſed ſolùm propter formam quæ natura inſita eſt eis: ſic ſpiritus ſua naturali forma ad diuerſas poſitionis differentias moueri poteſt propter neceſſitatem operationum, ad quas perficiendas naturale inſtrumentum eſt imaginariæ animæ. Qua ratione fit, vt cùm imaginaria anima apprehenſione rei terribilis mouetur ad timorem, ſpiritus nulla noua aut forma, aut qualitate facta, mouetur ad interiora, propter ſuam naturam, qua animæ ſubſeruit. At cùm anima mouetur ad audaciam, mox ſpiritus ad exteriora, ſua naturali forma fertur: cùm verò ſimul mouetur ad iram & ad triſtitiam, ſpiritus ſecundum vnam ſui partem ſuapte natura ad interiora, ſecundum verò alteram ad exteriora, motu cietur. Druſianus Monachus affectus omnes in tres ſimplices, quaſi omnium genera tria reduxit, ad gaudium videlicet, triſtitiam & iram: verecundia enim compoſitus affectus eſt ex timore, & ira: huius cauſa eſſe videtur, quòd in omni affectu appetitus ipſe corpus moueat, aut ad imitationem, ſiue proſecutionem, ſiue amplexionem per gaudium, aut ad fugam, retractionem, euitationémque per triſtitiam, aut ad vltionem repulſionémque per iram: timor enim, diffidentia, odium, inuidia, atque ſolicitudo ad triſtitiam reducuntur: videtur namque timor triſtitia quædam ceu diffidentia præconcepta triſtitia; odium verò, inuidia, & ſollicitudo triſtitia quædam eſt. At ſpes, & amor, gaudium ſunt, ſpes qui-

Digitized by Google

dem præconceptum gaudium, amor autem gaudium quoddam. Quo verò modo per affectus corpus alteretur, facilè deducitur: in gaudio enim quia appetitus mouet cor ad habendum, atque complectendum, ampliat ſpiritum, & calorem, paulatim à corde dilatando exteriùs verſus pectoris partes: hinc fit, vt nonnunquam aliqui præ nimio gaudio moriantur, quales homines ſunt pauci coloris, modicorum ſpirituum, debiliſque cordis. Magno enim gaudio mox facto, moto calido, ſpiritúque ad exteriora, corde ipſóque vacuo remanent, ſubitò pereunt: in triſtitia contrà appetitus ſanguinem atque ſpiritum à circunferentia mouet ad centrum: quippe cùm triſtitia, atque dolor ex perceptione rei dolorificæ proficiſcantur, quam naturali lege fugimus, hinc fit vt interdum præ nimio dolore, atque triſtitia homines è vita decedant: ſpiritibus enim ac calido ad ipſum cor reuocatis præ nimia conſtrictione ſuffocatur. At in ira appetitus mouet ſanguinem, & ſpiritus ab exterioribus ad interiora, atque ab interioribus ad exteriora. Ira enim ea ratione, qua eſt vlciſcendi appetitio, mouet ſanguinem, ac ſpiritum ad exteriora. ea verò ratione, qua eſt ebullitio quædam ſanguinis circa cor, mouet ad cor: qua ratione fit, vt per iram nemo moriatur: quippe cùm in irato calor nec omnino augeſcat, nec penitus deleatur. Cæteri autem affectus ad hoc reduci videntur: cùm enim timor ſit futuri mali præconceptio, ideo appetitus mouens corpus ad fugam, ab externis ad cor ſanguinem, & ſpiritum reuocat: præterea timor videtur iræ contrarius, nam vt ira violentus motus eſt ad repellendum, ita timor ad fugiendum: qua ratione fit, vt homines in timore præ nimia reuocatione ſanguinis, & ſpirituum ad cor, nonnunquam moriantur, atque ſuffocentur, aucto cordis calido. Accedit etiam, vt capilli, & pili albeſcant, aut caneſcant, ceu in triſtitia euenit, reuocato calido, & humido ferè toto ad cor. Cupido autem & ſpes veluti gaudium corpus mouent, & alterant, ſanguine enim & ſpiritu exhalatis ad exteriora, alteratur corpus, quo quidem ad partes exteriores ad calidum, & humidum, quo verò ad interiores, ad frigidum, & ſiccum, hac ratione præ nimio cupidine, ac ſpe quiſpiam mori po-

Digitized by Google

teſt, veluti in gaudio corde à ſanguine ac ſpiritibus omnino depauperato. Inuidia verò, & odium, & ſollicitudo corpus alterant, veluti triſtitia, eſt enim inuidia, & odium & ſollicitudo triſtitia de bonis alienis: quare in inuidia, odio & ſollicitudine exteriora frigeſcunt, atque areſcunt, reuocato calido & humido, ſanguine videlicet, & ſpiritibus ad cor, interiora verò caleſcunt, & humeſcunt. In ipſa autem verecundia primò corpus mouetur ad interiora propter timorem: eſt enim verecundia timor quidam futuri præconcepti mali ex his, quæ quis aut dixit, aut fecit. deinde redeunte ratione atque conſilio vigoratur anima, & expellit ſanguinem, & ſpiritus ad exteriora, propter defenſionem ad ſimilitudinem motus iræ. Ex his conuincitur in cupidine cor rigeſcere, exteriora autem exardeſcere, etſi à vulgaribus poëtis oppoſitum decantetur. aiunt enim cor ob cupidinem in flammas ignémque conuerti. tamen hi non philoſophi ſunt, ideo multa mentiuntur, vt Ariſtoteles philoſophorum ſapientiſſimus inquit, aut iuuari poſſunt, quòd in amore, qui cum ſumma ſpe coniungitur cor rigeſcat, exterioráque exardeſcant: in cupidine autem, qui cum deſperatione aſſociatur, cùm deſperatio quædam triſtitia ſit, interiora atque cor caleſcant, exteriora autem rigeſcant. Themiſtius vir doctiſſimus, omnes affectus ad amorem reduxit: nec, vt mihi videtur, iniuria: nam cùm omnis affectus commotio appetitus ſit quædam, affectus nimirum omnis appetitio eſt quædã, & cùm appetitio omnis ſit amor, eſt enim amor aliud nihil niſi appetitio fruendæ affectibilis rei: fit vt omnis affectus amor ſit concupiſcentiáque quædam. quid enim eſt ira niſi vlciſcendi amor? manſuetudo autem, vacandi ab vltione. timor etiam amor fugiendi à præconcepto futuro malo. audacia, audendi in præconceptum futurum malum. Quid eſt inſuper gaudium niſi amor complectendi atque quieſcendi in ea re, quæ delectat? triſtitia autem amor retrahendi ab eo, quod dolorem infert: &, vt breuibus concludam, omnis affectus amor eſt quidam, non tamen cupido: eſt enim cupido amoris ſenſitiui ſpecies: nam cupido eſt amor fruendæ amatæ. Et quoniam omnis affectus amor eſt quidam, ideo nonnulli a-

morem qui ſub ſe omnes affectus complectitur, originale peccatum eſſe fatentur. quod an ita ſit, Theologis diſquirendum relinquo. Hactenus de cupidinis comitibus generatim.

De auiditate atque abominatione.

CAPVT LXXIV.

QVONIAM cupido deſiderium eſt fruendæ amatæ, hinc fit, vt cupidinem nunc auiditas, nunc abominatio comitetur: nam ſi deſiderium amantis ferueat, auiditas amorem comitatur: ſi frigeſcat, comitatur abominatio. fieri autem poteſt, vt cupido modò ferueat, modò frigeſcat. feruet quidem primò ex parte corporis, cùm in amantis corpore genitale ſemen accreuerit, ciborum atque potuum affluentia, nec non deliciarum frequentia: deinde ex parte animæ, cùm videlicet anima amantis in illecebris, laſciuiſque meditationibus pingueſcit: poſtremò ex parte amatæ: nam ſi aſpectuum, colloquiorum, cæterarúmque conuerſationum frequentia interuenerit feruet cupido, maximè ſi amatæ pulchritudo veſtium decore, atque ornamento maioribus gratioſior amanti apparuerit: frigeſcit autem cauſis è contrariis, potiſſimum animo, corporéque obſcurioribus in ipſa puella factis: quòd ſi anterus frigeſcat, eros etiam tandem tabeſcat neceſſe eſt: hanc enim cauſam cæteris pollentiorem exiſtimare debemus, quippe cùm eros, hoc eſt cupido (vt ſuperiùs diximus) oriri poſſit, creſcere autem haudquaquam, niſi anterus ſecum concreſcat.

De ſpe, atque deſperatione.

CAPVT LXXV.

COMITATVR etiam cupidinem modò ſpes, modò deſperatio. ſi enim amatam amando, opinionem habuerimus certam aſſequendi eam, cupidinem ſpes comita-

tur. quæ nihil aliud eſt, niſi amor habendi amatam cum opinione conſequendi certa. ſi autem ab ipſius amatæ frequentia deſiſtimus, cum opinione certa nunquam aſſequendi, cupidinem deſperatio comitabitur, quæ eſt amor deſiſtendi ab amata, quæ in deſiderio erat, propter opinionem certam nunquam eam aſſequendi. Oritur autem opinio aſſequendi, quæ ſpes eſt, primò ex nobis, qui labores omnes ſubire, vt amatam aſſequamur, decreuimus: nulla enim, vt inquit Fauſtus, puellæ durities eſt tam ſeuera, quàm diuturna obſequiorum multitudo non molleſcat, atque leniat. deinde ex parte eorum quæ in amata ſpectamus: nam ſi gratis oculis nos inſpexerit, libenter voces audierit ac reddiderit, in præſentia aſpectu noſtro gauiſa, abſentia noſtri triſtiter conflicta fuerit nobis ob mala, ob bona verò exhilarata, ſpes amorem comitatur, accedentibus iis, quæ alteri ſpem augent, quorum loca ſuperiùs diximus: ex contrariis autem horum deſperatio cupidinem ſectatur.

De timore atque fiducia.

CAPVT LXXVI.

COMITATVR inſuper cupidinem interdum timor, interdum confidentia. eſt enim timor perturbatio quædam, aut dolor ex imaginatione futuri mali corruptionem, aut dolorem de propè inferentis proficiſcens. Dico, ex imaginatione futuri corruptionem inferentis, quo ad corpus. dico, aut dolorem inferentis, quo ad animum: timemus enim quæ corpus corrumpere, aut lædere, ſed quæ dolorem menti inferre poſſunt. nec cuncta mala timemus, non enim Critiam timemus ſi erit iniuſtus, quando nihil præter iniuſtitiam habet, ſed quæcunque cùm adſunt, vel magnos dolores menti, vel corruptiones corpori adducunt. nec timemus Critiam, cùm ſerò cuncta egerit, non enim ea timemus, quæ procul abſunt, ſed quæ propè cernuntur, vt iam impendeant: remota namque nimium non timemus: omnes enim ſciunt ſe morituros: verùm quia non

Digitized by Google

propè, iccirco non timent. Quæ verò timenda, exponamus. Sunt itaque timenda ipſa terribilia & eorum ſigna. Terribilia ſunt quæcunque ingentes vires corrumpendi habere videntur de propè, aut ita nocendi de propè, vt nocumentum ad ingentem tendat dolorem. ſigna verò horum, quæ ab Ariſtotele pericula dicuntur, timenda propè: namque oſtendunt eſſe quod timetur. eſt enim periculum timendæ rei appropinquatio: ſunt autem pericula, vt exemplis vtar, inimicitia, ira, potentia, iniuſtitia, quæ vires habet, prudentia contumeliis affecta quæ vires habet: ex his patet, quæ ſint timenda. nam inimici cùm vires habuerint, potentes, irati, iniuſti vires habentes, ſapientes, qui vires habent, contumeliis affecti: cùm enim non lateat velle, ac poſſe ipſos, propè iam ad faciendum ſunt. Qui verò per ſpeciem timendi ſint, ex his facilè deduci poteſt: ideo non oportet vlteriùs procedere. Cùm igitur amans mala imaginatur futura ex his quæ poſſunt de propè ſibi, aut amatæ corruptionem, vel dolorem inferre, ſi ea aggreditur amorem non derelinquendo, cupidinem fiducia comitatur: ſi propter illa ab amore deſiſtit, cupidinem timor ſectatur. amans autem ideo futura mala aggreditur, & ab amore non deſiſtit, aut quia pericula longè abſunt, aut quia cùm propè affuerint, ſunt ſecunda, aut quia præſidiis multis aut magnis confidit obſiſtere. ab amore verò deſiſtit, propter mala, cùm terribilia fuerint è conuerſo ſe habentia.

De ira & manſuetudine.

CAPVT LXXVII.

PRÆTEREA cupidinem comitatur nonnunquam ira, nonnunquam manſuetudo, quæ eſt iræ contrarium. ſed quid ira ſit, breuibus dicamus. poſtea, quibus cauſis iraſcamur. Eſt itaque ira dolorificus appetitus apparentis vltionis propter apparentem contemptum immeritò factum aut in ſe, aut in ſuos. Dico, appetitus dolorificus, quia niſi eſſet dolorificus, vltiuus non eſſet. Dico, apparentis vltionis, quia ſicut contemptus fuit apparens, ita vltio fieri debet in

aperto. Dico, immeritò factum in ſe, vel in ſuos, quia cauſa iræ hæc eſt, videlicet contemptus factus in ſe, vel in ſuos: eſt enim contemptus actus opinionis in id, quod nihili, aut parui certè æſtimatur. huius tres ſunt ſpecies, deſpectus, detractio, & contumelia. Ideo tribus de cauſis generatim omnes iraſcimur, aut deſpectu, aut detractione, aut contumelia. Quòd autem deſpectus ſit contemptus, patet, quia deſpiciens contemnit: eſt autem deſpicere nihil dicere de eo, quem vis contemnere: hoc pacto Plato deſpexit Democritum, cùm eius in ſuis libris nihil meminerit, quoniam eum nihili dignum æſtimauit. Inſuper qui detrahit, contemnere videtur, detrahere enim propriè remouere eſt, vel auferre: hinc per tranſlationem cùm fama, gloria, honor, opinio diminuitur, detrahitur homini, quatenus impeditur voluntas eius ne fama, honor, gloria, opinio accedat, quos deſiderat ſibi eſſe accedendos: & quia hanc diminutionem atque impedimentum facit detrahens, non quærendo ſibi aliquid, ſed vt impedimento ſit illi, à quo detrahit, ideo contemnit. præterea qui contumeliatur, ſimiliter contemnit: contumelia enim eſt damno atque dolore in his afficere, in quibus turpe patienti eſt, non, vt aliud quoddam contumelianti fiat quàm quod factum eſt, ſed vt voluptate afficiatur, qui contumeliam infert. hinc dici ſolet, contumeliam factis, iniuriam verbis fieri. Quòd autem non aliud ipſi contumelianti accedat niſi voluptas, perſpicuum, quia qui par pari reddunt, vel maius minori, non contumeliantur, ſed vlciſcuntur. Cauſa autem voluptatis eorum qui contumeliantur eſt, quòd arbitrentur contumeliando in nobilitate excellere propter hanc cauſam. Iuuenes potentes, diuites, & nobiles contumeliatores ſunt: longè namque putant contumeliando excedere. Cùm igitur propter contemptum, hoc eſt deſpectum, aut detractionem, aut contumeliam iraſcuntur amantes, cupidinem comitatur ira. At cùm amantes deſtituuntur ab ira, aut quia non contumeliatores, nec ſubſannatores, nec deriſores, nec conuitiatores, inſuper quia non detractores, ad hæc quia non deſpectores inuicem ſunt, cupidinem manſuetudo ſectatur.

De Zelotypia, & contrario.

CAPVT LXXVIII.

INSVPER cupidinem comitatur quaſi ſemper zelotypia, contrarium verò zelotypiæ ferme nunquam. Sed quid ſit zelotypia, exponamus: non enim eſt exploratum. Plato definiens zelotypum ait eum eſſe, qui inuidendo amatoria ſuſpicione capitur. Sed alij dilucidiùs dixerunt, zelotypiam eſſe amantis ſuſpicionem circa amatam, ne alterius amore occupetur. Inſuper adhuc certius dici poteſt, zelotypiam eſſe timoroſam animi amantis ſuſpicionem, ne amata adſit alteri, quam cum nemine vult habere communem. Dicitur enim ζηλότυπος Græcè, æmulator formæ, nam ζῆλος æmulatio eſt, τύπος autem forma. Chryſippus zelotypiam perturbationem, Cicero verò obiectationem vno verbo interpretatur. Plutarchus, zelotypiam, quæ de bonis, atque honeſtis eſt, eſſe laudabilem affirmat. hinc qui zelotypus vxoris eſt honoris cauſa, ſummopere commendatur. In amatoriis verò, vt Ouidius inquit, cùm amor ſine zelotypia fuerit, otioſus, atque frigidus eſt. nam vbi hæc non eſt, ibi amor haudquaquam dominatur. Cauſa autem eſt, quoniam cùm amans amatam cum nemine communem habere vult, iure amorem ferè omnem zelotypia comitatur: & propterea in quibus non eſt zelotypia, non eſt amor. Ariſtoteles aſſerit amicitiam paucorum, amorem verò vnius eſſe. Quare eo amans zelotypus eſt, quia ſi amata riualem aliquem admitteret, cùm amor non poſſit eſſe niſi vnius: amicitia autem paucorum, amantem vel non amabit, vel lentè. Quòd zelotypia ſit amantibus naturalis, teſtantur animalia, quæ quouis paruo amore affecta, zelotypia affliguntur. Quamuis ex animalibus hircus duntaxat zelotypiam non patiatur: nec eſt ab ratione, quoniam omne animal natura in fœmina ſui generis, vt ſuperiùs diximus, appetit generare ſibi ſimile: fœmina autem cùm alterius fuerit, primus ſibi ſimile in illa non generabit. Quare quàm naturale eſt generare ſimile ſibi, tam naturale eſt eſſe zelotypum.

Digitized by Google

pum. Teſtantur & idem gentes: nam, quæ maximè amant, maximè zelotypia vexantur, vt Orientales, & qui meridiem incolunt. Septentrionales verò, quia non ſunt multùm amatorij, non multa zelotypia affliguntur. Quoniam itaque zelotypia amantes ardenter lacerantur, fabulantur poëtæ Io in vaccam tranſlatam eſſe, Caliſtum in vrſam, Procrin zelotypia è vita deceſſiſſe, Apollinem zelotypia ductum Coronidem interemiſſe. Nunquid zelotypia ab amantibus ſit ferenda, non parua quæſtio eſt. Ouidius tradit Iouem ſe riualem ferre non poſſe, quare nec zelotypia ferenda eſt. Plutarchus de præcepto affirmat zelotypiam eſſe ferendam, atque diſſimulandam: ſic enim amatæ duriciem vinci poſſe credit. Ego verò dicerem ferendam eſſe zelotypiam atque diſſimulandam, quando cupidinem comitatur ſpes: quando verò deſperatio, deponendum eſſe amorem cum tota zelotypia: & quoniam rarò, aut nunquam cupidinem comitatur zelotypiæ contrarium, ideo de his hactenus.

De voluptate & dolore.

CAPVT LXXIX.

ETSI apud Latiniores, dulcedo, lætitia, gaudium, hilaritas, exultatio, gratulatio, iucunditas, ſerenitas, tranquillitas, quies, delectatio, non idem ſignificent, tamen hæc omnia vno verbo videlicet voluptate dicamus, aut ſaltem ſub voluptate tanquam ſub genere contineantur de licentia. Voluptatem verò hîc, non pro fine volumus eſſe intelligendam, ſic enim non affectus eſt, ſed perfectio operationis, vt ſuperiùs diximus, ſed pro affectu, & ſic eſt amor complectendi, atque quieſcendi in ea re, quæ delectat, ſiue attineat ad animum, ſiue ad corpus. Dolor verò, ſi accipitur pro fine, erit imperfectio operationis: ſi pro affectu, vt nunc loquimur, eſt amor retrahendi à re dolorifica: & ſic ſub dolore continentur triſtitia, mœſtitia, afflictio, contriſtatio, turbatio, mœror, anguſtia, cruciatus, vexatio, anxietas: hæc enim omnia communi nomine dolor dici poſſunt. In voluptate, & omnibus his, quæ ſub ea

Digitized by Google

continentur, cor mouetur verſus partes pectoris, non quidem ſubitò, ſed paulatim. in ira enim mouetur ſubitò: nam apprehenſione rei voluptificæ ſpiritus vitalis diffunditur, expanditúrque paulatim verſus pectus, quippe cùm voluptas appetitus ſit complectendi, atque quieſcendi in ea. in dolore verò, atque omnibus, quæ ſub dolore continentur, retrahitur paulatim verſus cor: nam dolor eſt amor retrahendi à re dolorifica. Voluptatem comitantur riſus, & ſubriſus: nullus enim riſus, vel ſubriſus contingere poteſt in amantibus, niſi præceſſerit gaudium, atque voluptas. cauſa perſpicua eſt, quia niſi priùs amans aut amata præcognouerit res ſub ratione delectabilium, non poterit ridere: ſigno autem nobis ſunt pueri, qui in lucem editi non rident, niſi poſt 40. dies: eo enim tempore quædam delectabilia apprehendere incipiunt vt lumen, colores, picturas, quæ imaginaria virtus cognoſcere incipit ſub ratione rei delectabilis, ſaltem confuſa, itémque voces, ſonos, quæ eadem ratione mouent eum ad riſum. Quòd ſi dicatur viſos eſſe pueros mox ortos ridere, Plato credidit eos videre Dei patris faciem, Plotinus, angelos: Quod an ſit, philoſophis derelinquamus: hoc vnum ſcio talem oris motum in pueris factum, non eſſe riſum, ſed aperturam quandam oris, & oculorum, quæ riſui perſimilis eſt. Eſt & ſubriſus, & obriſus, qui ſunt parui, atque latentes riſus. Arriſus verò, eſt applauſus quidam, atque oſtenſio lætitiæ, per riſum facta. Corriſus verò, riſus eſt, qui cum aliis ridentibus fit. Ridicula verò, ſunt ſermones, aut actiones, quæ inducentes lætitiam, prouocant ad riſum: ridiculi verò, qui hæc agunt, vt ſcurræ, hiſtriones, laruæ, lemures, & cæteri, qui verbis aut actionibus inducunt ad riſum: hi enim ad riſum ducere non poſſent, niſi in appetitu voluptatem, & gaudium, & lætitiam prægenerarent. huius rei ſigno ſunt nobis ceſpitationes hominum, caſus, veſtium peruerſiones: ex his enim in nobis gaudium in appetitu emergit, atque lætitia, ex eo videlicet quia exiſtimamus nos eſſe prudentiores, atque ſapientiores eis, quatenus ea non facimus. in caſibus verò pernicioſis, non ridemus quia compatimur: & quia ſtulti neſciunt moderari gaudia, ideo ſæpiſſimè cachinnantur: prudentes verò cùm moderatores

ſint omnium, ſubrident, atque modeſtè rident. Dolorem comitantur lacrymæ, ſiue fletus, & ſuſpiria, & eleuationes vocum, & inuocationes deorum atque terribilia inſomnia, inſomnietatéſque, & graues aliquando ſomni lacrymæ quædam, nam cùm in dolore atque triſtitia caloris, atque ſpirituum fuga ad cor conſtringantur omnia membra humida, comprimantúrque, vt cerebrum & oculi, lacrymæ nimirum ſcaturiunt: in lætitia verò & riſu nonnunquam viarum meatuúmque amplificatione, eorum membrorum, in quibus humiditas continetur. fletus inſuper in doloribus accidunt qui ſine lacrymis ſunt: nam, vt riſu fit mox facta in corde lætitia atque gaudio, quia proprium hominum eſt ridere, ſic dolore atque triſtitia factis in corde, mox fit fletus, quum flere hominibus proprium ſit, quemadmodum ridere. Eleuant etiam amãtes in dolore atque mœſtitia voces, quoniam commune eſt, & naturale omnibus animalibus cùm dolẽt, emittere voces. Ad hæc in doloribus ſuſpirant amantes: eſt enim ſuſpiriũ omiſſi aëris à mẽte defixa in multitudine reſtauratio: cùm enim mẽs in aliquo vi cogitationis imaginationiſque defigitur, verbi cauſa, in amata, ſic ab omnibus ferè operationibus ſemota, nonnihil etiã de aëris attractione dimittit: quo cùm accidat nocumentum ſuper calefactionis in corde, id vna ſpiratione quàm maxima quaſi mox reuocatam recompenſat: hinc amantes in doloribus atque triſtitiis ſuſpirant, mente videlicet non in ſuo, ſed in alieno corpore viuente atque operante. Præterea amantes quoque in doloribus deos inuocant: inducta enim in corde mœſtitia, atque dolore, mox ideo deos inuocant, quoniam non minus propria eſt hominibus religio, atque deorum cultus, quàm riſus, & fletus. Quare, vt riſus inducta lætitia, & fletus inducta triſtitia hominibus contingunt, ſic inuocatio numinum pulſante mœrore. Accedit quòd homines in lacrymis, fletibus, in eleuatis vocibus, in ſuſpiriis, in inuocationibus numinum, nonnihil voluptatis ſentiunt, potiſſimum qui ardenter amant, vt Ariſtoteles inquit. hæc enim fiunt quòd non adſit amata: voluptas autem quòd recordentur eius, ac illam quodam modo videant, & quæ agebat, & quæ dicebat, & qualis erat. Vnde illud Homeri, Sic fatus flendi cunctis

immiſit amorem. Mœſtitiam etiam comitantur inſomnia terribilia. præ nimia enim meditationis magnitudine, amantes melancholici euadunt, ſed melancholici, vt Ariſtoteles inquit, cùm inſomniant, terribilia vident. inſomnietates etiam & graues ſomni, quia ſi mœſtitia ſit propter rem futuram, ſpiritus propter ſpem ad exteriora, propter dolorem autem ad interiora mouetur, & hoc pacto comitatur inſomnietas: ſi propter rem præteritam, cùm nulla ſit ſpes, ſpiritus vniuerſus ſolùm ad interiora fertur: & ſic cerebro frigefacto fit ſomnus grauis. Quare cùm amans amata puella aliqua ex parte fruitus fuerit, aut per aſpectum, aut per alloquium, aut per tactum, aut per cæteros ſenſus, amorem comitatur voluptas, & ea omnia, quæ voluptatem ſectantur: cùm autem amans non fruitur amata, quoniam abeſt, aut non eo modo, quo ſperabat, cupidinem dolor ſectatur, atque ea omnia, quæ dolorem ſequuntur.

De verecundia, & inuerecundia.

CAPVT LXXX.

COMITATVR etiam cupidinem verecundia aliquando, & inuerecundia interdum. eſt autem verecundia timoris æmula, atque vernacula: vterque enim dolor, & perturbatio ex imaginatione mali proficiſcitur. verùm timor eſt ex imaginatione futuri mali, quod corpori obeſt: verecundia autem ex imaginatione præteriti, vel futuri, vel præſentis mali, quod famæ, nomini, honori obeſt. Quam honoris corruptionem viri glorioſi longè magis exiſtimauerunt, quàm quæ corporis eſt. Quare rectè dictum eſt, quòd verecundia dolor quidam ſit, ac perturbatio ex imaginatione malorum præſentium aut præteritorum, aut futurorum, quæ infamiam inferant, & honorem, ac gloriam corrumpant. inuerecundia verò contemptus quidam eorum atque impaſſibilitas. Quòd ſi id verecundia eſt, neceſſe eſt iis malis erubeſcere, quæ vel ſibi ipſis vel iis, qui ſibi curæ ſunt, dedecori, atque infamiæ eſſe videntur. Sunt autem hæc mala, quæcunque à vitio, ab inexperientia, à facultate, atque vi

Digitized by Google

proficiſcuntur. A vitio quidem, vt ſcutum auertere, arma amittere, aut fugere propter metum. Quod vitium eſt fortitudini contrarium. Inſuper negare depoſitum, & debitum, propter illiberalitatem aut propter iniuſtitiã. Ad hęc commiſcere ſe quibus non oportet, vt cum matre, aut vbi non oportet, aut quando non oportet, propter libidinem, quæ vitium eſt temperantiæ atque continentiæ contrarium. Præterea lucra aſſequi ex prauis, veluti expoliare pauperes: aut à turpibus, vt expoliare mortuos: aut ab impotentibus, vt expoliare infirmos. hæc enim omnia ab illiberalitate proficiſcuntur. deinde non opitulari pecunia, cùm poſſis, aut minus quàm poſſis: aut iuuari ab his, quibus minus facultas, aut pecunia eſt: & mutuo accipere, cùm petere videaris, vt tyrannus facit, qui petere videtur, & mutuo accipit: & petere pecuniam, cùm exigere videaris: ac exigere, cùm petere: hæc enim omnia illiberalitatis indicia ſunt. poſt hæc, laudare, vt petant: nam præſentem laudare adulationis eſt. Adulatio etiam eſt, ſi bona nimis laudes, praua autem delinias. eſt adulatio, ſi vehementiùs dolenti condoleas, cæteráque huiuſmodi: cuncta enim adulationis ſunt ſigna. Eſt adhuc dedecori ac infamiæ, ſi labores non feras, quos aut ſeniores, aut qui in delitiis viuunt, aut qui maiores ſunt in poteſtate, aut omnino imbecilliores: omnia enim hæc mollitiei ſigna ſunt. Aſcribitur dedecori verecundiæque ab alio beneficia ſuſcipere, & quidem ſæpiùs: quæ verò tamen benè feceris, exprobrare. hæc enim puſillanimitatis, deiectioniſque ſigna videntur. Rurſum verecundiæ datur, de ſe multa dicere, ac polliceri, & aliena ſua eſſe prædicare. Arrogantis enim ſunt eadem ratione. In cæteris morum vitiis opera & ſigna comparia: omnia enim turpia ſunt, & verecundiæ effectiua, hæc à vitio. Ab inexperientia autem, nam verecundiæ tribuunt eorum bonorum eſſe expertem, de quibus omnes, aut pares omnes, aut ſaltem plurimi participant. pares autem voco qui eiuſdem gentis, ciuitatis, ætatis, propinquitatis, & generatim eos, qui in æqualitate conſtituti ſunt: verecundum enim, ſi eorum non particeps ſis, quorum pares participes ſunt, veluti diſciplinæ, cæterorúmque id genus. Quæ omnia maiorem inferunt ignominiàm, ſi eorum bonorum

Digitized by Google

particeps cùm non ſis, cauſa fueris malorum atque turpium: aut præteritorum, aut præſentium, aut futurorum. A vi autem, nam patientes, aut paſſi, aut paſſuri quæcunque in ignominiam atque opprobrium ducunt, verecundantur, potiſſimum ſi ipſis non idonea fuerint: ſunt autem hæc quæ ad miniſteria pertinent, aut corporis, aut operum, quæ vituperationem pariunt, vt lenocinium, macellum, carnificium, & id genus. Præterea inter hæc ſunt, quæ ad libidinem pertinent: nam in his volentes, & inuiti ignominiam patimur. ignominiæ enim timiditatiſque eſt, hæc ferre, ac perpeti, & non defendere. Itaque cùm amans aut amata in his, quæ verecundiæ ſunt opera, aut ſigna, deliquerit, & verecundatur, nec propterea ab amore deſiſtit, amorem comitatur verecundia. verbi cauſa, ſi amans cogitur propter riualem ſcutum dimittere, & fugere, & amata verecundatur, non tamen propter hoc minus eum deperit, amorem amatæ comitatur verecundia. præterea ſi amata amanti negauerit depoſitum, vt riuali ipſum tradat, amánſque ob id verecundatur, nec propterea amans eam minus adamauerit, amorem amantis comitatur verecundia. Inſuper ſi amata ſoror aut filia amanti fuerit, verecundantúrque ambo, nec propterea tollitur inter eos amor, amorem comitatur verecundia. deinde ſi amans amatam alium amare concedat propter lucrum, & ob id verecundatur, & non propterea ceſſat amor, talem amorem pudor conſectatur, & de aliis ſimili ratione. At cùm amantes ea, quæ verecundiæ ſunt, non pudet, ſed contemnunt, nec dolent propter illa, ſed ſunt veluti impaſſibiles ab eis, amántque ſe mutuò non minus, amorem conſequitur impudentia, atque inuerecundia. Verbi cauſa, ſi amans pauperes aut mortuos, aut impotentes, aut infirmos exſpoliauerit, amatáque non minus eum adamans, hæc contempſerit, & nec ab his paſſibilis eſt, amorem amatæ comitatur inuerecundia: deinde ſi amans nimis amatam laudauerit, vitiáque amatæ deliniuerit, vehementius condoluerit ei, amata verò ob hæc non verecundatur, ſed illa contemnit, & ab eis impaſſibilis, nec minus amat, amatæ amorem conſectatur inuerecundia. Inſuper ſi amata beneficia amanti contulerit, & quidem ſæpiùs, amans verò,

Digitized by Google

cùm amatæ benefecerit, exprobrat, & amata ab his impaſſibilis eſt, & ea contemnit, nec verecundatur, amatæ amorem comitatur impudentia. Præterea ſi amans amatæ de ſe multa dicit, atque pollicetur multa, quæ nec vera ſunt, nec factibilia, amans verò impaſſibilis manens, contemnit hæc, nec amantem propterea amare pudet, amorem amatæ pudentia conſectatur. Ad hæc ſi amans lenocinium, aut macellum exercuerit, amánſque impaſſibilis manens, hæcque contemnens, amare non verecundatur, amorem huiuſmodi pudor ſequitur. Itémque ſi amans verbera, ſi adulterium, vel ſtuprum erga ſorores, aut conſanguineas paſſus fuerit, amata verò ab his impaſſibilis, non veretur amare amantem, quaſi hæc & maiora contemnens, amorem eius ignominia comitatur. & de cæteris id genus ſimiliter.

De gratia, & contrario.

CAPVT LXXXI.

COMITATVR inſuper cupidinem gratia, interdum autem contrarium, quod nomen non habet, niſi illiberalitatem velles appellare. Verùm gratia multifariam accipitur, interdum pro pulchritudine, quæ ſecundum Platonem indiuiſibilis eſt in corpore pulchro: nonnunquam pro amore, ac pace, vt apud Terentium, Nec alio pacto componi poteſt inter eas gratia. & hoc pacto, qui committit contra principem, dicitur in gratiam redire, poſt remiſſionem culpæ aliquando pro re, vel beneficio gratis conceſſo roganti, & aliis modis apud Latiniores. In propoſito tamen gratia pro affectu, quo quis naturali quodam impulſu arrogante commouetur ad concedendum aliquam rem, vel beneficium gratis. Gratia enim, vt Ariſtoteles inquit, affectus eſt, per quem dicimur roganti gratis aliquid facere: non pro re alia, nec, vt nobis quicquam faciamus, dicitur aliquid: quoniam aliquando, quod gratis conceditur roganti, eſt beneficium: quandoque eſt ſubuentio in vita, & bonis corporis: quandoque id genus dicitur gratis: non enim propter aliud facienda eſt, eſſet enim mercatura, aut

Digitized by Google

id genus. debemus enim eam facere, non vt quicquam nobis, ſed vt faciamus ei, cui facimus. Eſt autem gratia, & magna, & parua: magna quidem, quòd vel rogantes egeant nimium, aut quòd quæ rogant, magna & difficilia ſint: magna autem, & difficilia, aut ſimpliciter, aut pro tempore, aut pro loco, aut pro modo: vt puta quia qui dat gratiam, ſolus, & non cum aliis, aut primus; aut quia licèt alij dent, ipſe maximè dat, aut quia citò dat. Nam, vt Auſonius inquit, gratia, quæ tarda eſt, ingrata eſt, quæ fieri properat gratia grata magis. Parua autē gratia, è contrariis rationibus colligetur. Rogationes verò appetitiones ſunt eius, qui rogat, & earum rerum maximè, quæ ſunt cum dolore eius rei, quæ petitur, ſi non fit, aut ſi non eo modo fit, quo appetitur: tales rogationes cupiditates ſunt, in amoribus, in afflictionibus, in periculis: periclitans enim cupit, ſimiliter & qui amat, & qui dolet. Quid verò ſit contrarium gratiæ, ex his perſpicuū: eſt enim affectus, quo roganti abnegamus id quod appetit. Tale autem contrarium, de licentia, dicatur abnegatio aut illiberalitas: quare cùm amans rogat amatam, vt concedat aut verba, aut aſpectum, aut baſia, & amata concedit, amorem gratia comitatur. Inſuper ſi amans rogat, amata aures præſtat, amor non eſt abſque gratia: idem etiam ſi amans rogat, vt ſecum aut cantet, aut equitet, aut incedat, aut choream faciat, aut amatoria munuſcula excipiat, & amata concedit, amorem gratia conſectatur. Contrà verò ſi hæc rogantur, amata autem nullum permittat, ſi amans non minus amauerit, gratiæ contrarium amorem comitabitur: verùm cùm amor ex ero, & antero conſtet, gratia mutua comitatur vtroſque.

De commiſeratione, & indignatione.

CAPVT LXXXII.

DE commiſeratione, & indignatione ſuperiùs diximus, nunc breuibus dicam, condolere alicui propter aduerſa & mala, quæ immeritò illi accidunt, commiſerari eſt: indignari autem eſt rebus ſecundis indignè collatis dolere.

Hæc

Hæc videntur contraria, ſed non ſunt: nam bonorum morum ſunt ambo: morati enim hominis eſt condolere, quum quis indignè vexatur: ſimiliter officioſi eſt indignari illos, quibus præter dignitatem res ſecundæ conferuntur: ſigno autem ſunt nobis Dij, quibus indignatio attribuitur. Qua ratione fit, vt indignatio ſit miſericordiæ & contraria, & æmula quidem, quippe cùm vtraque ſit dolor: dolet enim qui miſeratur, cùm imaginetur id ſibi accidere poſſe, quod aliis indignè accidere putat: qui verò indignatur, dolet etiam: ſi enim cùm videt iuſtum exaltatum gaudet, quoniam ex hoc ſperat ſe etiam exaltandum: ergo cùm videt iniuſtum exaltatum dolet, quoniam imaginatur non iuſtos, ſed iniuſtos exaltari, & ſic imaginatur ſe non exaltandum: contrà autem, quia qui miſeratur, dolet propter res aduerſas, quas indignè illatas eſſe imaginatur: qui autem indignatur, dolet propter res ſecundas, quas indignè conferri putat. At res aduerſæ, & res ſecundæ contrariæ ſunt. Quare cùm amans patitur morbum, verbera, cibi inopiam, vulnera, imbecillitatem, orbitatem, amicorum carentiam, afflictiones, dolores, tum in ſe, tum in ſuis, aut propter amatam, aut propter aliam cauſam, & amata condolet atque contriſtatur, amorem commiſeratio comitatur. Præterea ſi amata ſubuenit amantis lacrymis, ſuſpiriis, vocibus, cæteriſque id genus, amori commiſeratio comes eſt: contrà autem, ſi amata amanti propter hæc non condolet, nec contriſtatur, amorem conſequitur crudelitas: præterea ſi amata ſimul cum amante coindignatur eis, & in quibus amans indignatur, æmulatur amantem, & amori aſſociatur indignatio: contrà verò ſi fiat, amorem contrarium indignationi ſectatur: & cùm amor ex ero, & antero conficitur, vtroſque commiſeratio & indignatio ſequitur.

De inuidia & contrario.

CAPVT LXXXIII.

INSVPER amorem nonnunquam inuidia, aliquando contrarium comitatur: eſt autem inuidia dolor quidam ex eo proficiſcens quòd pares, ac ſimiles boni quicquam adepti videantur, non autem vt ipſi inuidenti quicquam accedat, ſed propter eos, quibus inuidet: inuidus enim dolet, quia alteri bona inſunt, vellet enim vt illis malum accedat, vnde Horatius, Inuidus alterius macreſcit rebus opimis. Voco ſimiles, qui genere, propinquitate, ætate, habitu, gloria & diuitiis, cæteriſque id genus: ea verò quorum eſt inuidia, ſunt quorum honorem quærunt, & quorum gloriam concupiſcunt, & illa quæ ſunt feliciter acta. Quinimmo ferè de omnibus inuidia eſt, præſertim ſi aut appetunt ipſi aut putant ſe habere oportere, aut ſi earum rerum poſſeſſione ipſi parum ſuperent, vel parum deficiant: in omnibus enim his inuidia eſt. Quid verò ſit inuidiæ contrarium, & quorum, perſpicuum: eſt enim circa eadem, cùm contraria verſentur circa eadem. Quare ſi amata inuidet amanti, aut in honore quo emicat, aut in gloria qua excedit, aut in actionibus feliciter actis, aut in bonis aliis: amans autem propter hæc non minus amatam deperit, cum amore amantis aſſociatur inuidia amatæ, & eodem modo de amata dici poteſt: ex eiſdem locis poteſt amorem conſectari inuidiæ contrarium. amor autem ex ero & antero compoſitus cum inuidia aſſociari non poteſt, ſed vtroſque inuidiæ contrarium comitabitur, erum videlicet, & anterum.

De æmulatione, & contrario.

CAPVT LXXXIV.

COMITATVR præterea cupidinem æmulatio aliquando, nonnunquam verò contrarium: eſt autem æmu-

Digitized by Google

latio, vt ſuperiùs diximus, dolor quidam, quoniam bona & honorabilia, quæ ipſe quoque aſſequi poſſet, natura ſimilibus adeſſe videntur: eſt quidem dolor, non quoniam hæc bona aliis inſunt, ſed quoniam non ipſi quoque inſunt. æmulabilia verò ſunt bona honorabilia, bona vtilia, quibus bene facere poſſumus, quorum domina eſt fortuna & bona natura, quibus homines fruuntur. Quare cùm qui amat, benefecerit amatæ, aut in bonis honorabilibus, aut in bonis vtilibus, aut in bonis naturæ: amata verò contrà, ne ſuperetur ab amante in his, vel ſimilibus, amanti benefacit, talem amorem comitabitur æmulatio. At ſi amata amanti benefacienti è conuerſo non benefecerit, amor talis cum æmulatione non aſſociabitur, fortaſſe quia ſimplex, non ex ero, & antero compoſitus eſt.

De beneuolentia & maleuolentia.

CAPVT LXXXV.

COMITATVR quandoque amorem beneuolentia, & quandoque maleuolentia: eſt autem beneuolentia, animi deſiderium, quo quis bona alteri vult, atque benefacere appetit. bona dico aut vtilia aut voluptifica, aut honeſta, quæ videntur hominibus bona, & quæ omnes appetunt. At amor atque cupido eſſe poteſt ſine appetitu beneuolendi, atque benefaciendi. Catullus enim poſtquam Leſbia nupta eſſet, eam plus amabat: maiore enim deſiderio fruendi afficiebatur: erat enim cum maiore carentia: & vbi ſimul eſt carentia maior, & ſpes ſimul fruendi maior, maior eſt amor: minus autem ei bene volebat, quia non tot bona ei adeſſe deſiderabat, quot ante nuptias: vnde inquit, Quis potis eſt inquis, quòd amantem iniuria talis Cogit amare magis, ſed bene velle minus? Præterea beneuolentia actus eſt voluntatis beneuolentis, cupido autem appetitus ſenſitiui affectus: demùm amor creſcit in dies: amor enim etſi ſubitò generetur, tamen creſcit paulatim in dies beneuolentia: cùm ſit ſimplex voluntatis actus, fit ſubitò: declarant hoc

ccc ij

Digitized by Google

certantes, ad quorum alterum ſtatim ſpectantes fiunt beneuoli, cupientes, vt vincat alter: maleuolentia verò animi deſiderium, quo quis mala alicui vult, aut eorum quæ pertinent ad corpus, aut eorum, quæ ad animum, aut eorum quæ ad fortunam. Quare ſi amans velit amatæ hæc mala, vt ne dormiat, ne vigilet, ne ambulet, ne ſedeat, ne comedat, ne bibat, ne quicquam denique aut agat, aut patiatur, niſi memoria, corde, animo ipſum videat, audiat, atque ſecum viuat: hoc eſt, niſi amatæ anima corpore derelicto, viuat in amantis corpore, aut niſi transformetur in amantem, amans ardenter amatam deperit: ſed amatæ mala dolorifica vult. Ad hæc ſi amans velit amatam vſqueadeo neceſſitatibus compelli, vt cogatur egere amante, amans amatam adamat, ſed mala ei optat. Inſuper ſi amans venerea cupiditate in amata frui deſiderat, malum & turpidinem amatæ adeſſe concupiſcit. quid enim turpius eſſe poteſt in puella virgine, quàm virginitatē atque pudicitiam defraudare? Qui igitur hæc amatæ adeſſe concupierit, amatam ardenter deperit: ſed amorem comitabitur maleuolentia. At qui vult amatæ adeſſe bona honorabilia, bona vtilia, bonáque iucunda, & nihil aliud, niſi vt redametur, hic amat, ſed non cum maleuolentia, cùm nihil in amata optat, quod non in ſe optaret. hoc pacto nos Fuluiam deperimus: ea enim bona quæ mihi, ei volo, & ipſa quæ ſibi cupit, ei cupio, nec pauciora, nec plura, nec maiora, nec minora. Quòd ſi ipſa nos redamauerit, noſter mutuus amor, ex ero anteróque compoſitus, procul à maleuolentia eſt, & ita ſit in futurum. hactenus de cupidinis comitibus.

Amorem ex ero, atque antero diſſimilaribus compoſitum non diu permanere.

Capvt LXXXVI.

Accidit autem quandoque amorem componi ex ero, atque antero diſſimilaribus, quoties amans, & amata non delectantur eiſdem, quando amans aſpectu gaudet amatæ, amata verò obſequio amatoris. Cùm igitur ita

fuerit, amor non diu inter hos permanebit: deſinente enim ætatis flore, amor quoque frequenter deſinit: amantis enim aſpectus non amplius iucundus eſt: amatæ verò non præſtatur obſequium. Deinde, qui non voluptatem in amoribus, ſed vtilitatem commutant, ij & minus ſe amant, & minus permanent: cauſa autem, quia non recompenſant pro voluptifico voluptificum, ſed pro iucundo vtile. qui autem ſic ſe amant, ero & antero diſſimilaribus ſe amant: quoties autem erus & anterus diſſimilares ſunt, amantes minus in amore permanebunt, minus quoque ſe amabunt. Præterea quando in amore eros eſt propter voluptatem, anterus autem propter vtile, amantes minus liberaliter ſe amant, quàm ſi ambo propter voluptatem ſe amarent. Amantes, qui minus liberaliter ſe amant, minus in amore permanent. Quare amor, qui ex ero, & antero diſſimilaribus conſtat, & minor eſt, & minus durat: non enim ſe mutuò amabunt, ſed ea quæ inerunt, quæ non permanent.

De querelis amantium.

Cap. LXXXVII.

QVONIAM querela eſt accuſatio, in omni autem accuſatione eſt accuſans, & accuſatus, & iudex, & id de quo eſt accuſatio: eſt accuſans interdum amans, interdum amata: perſona verò accuſata ſimiliter aliquando amans, aliquando amata: iudex verò eſt Hoſia quæ pro numine colebatur à gentilibus, fuit enim regina, quæ in ſuo regno ſemper iuſtitiam coluit: apud alios Iupiter, quia in ſuo regno iuſtitiam ſemper cum ſapientia exercuit. reſtat nunc declarare id in quo amantes ſe coram Hoſia aut Ioue accuſent. Ariſtoteles Ethicorum octauo, inter amantes qui mutuò ſe amant, nullam querelam poſſe eſſe tradit: quoniam ſi mutuò ſe amant, cuncta agunt, vt ſe in reciproco amore ſeruent: inter eos autem qui cuncta agunt, vt ſe in mutuo amore ſeruent, nulla poteſt eſſe querela, alioquin non cuncta agerent, vt ſe in reciproco amore ſeruarent. Poſtea libro nono inter amantes, qui ſe cupidinis amore diligunt, aſſi-

Digitized by Google

gnat querelas, quæ poſt raptum, illuſtrationem atque incendium naſci ſolent: nam cùm omnis querela exoriatur ex aliquo, quod mutuò alter alteri debet, hinc aliquæ querelæ naſcuntur ex debitis, quòd alter alteri debet eorum quæ ad animum pertinent: nonnullæ autem ex debitis eorum quæ attinent ad exteriora. Mutuum debitum, quod alter alteri debet eorum quæ ad animum, atque interiora pertinent. Primum eſt mutua adhærentia: poſt raptum enim, illuſtrationem, & incendium, animus amantis mortuus ſuo in corpore, viuere debet in alieno, hoc eius quam amat: contrà verò amata reddere amanti debet animã, moríque in ſuo, vt viuat, atque reuiuiſcat amans. Quum itaque amantis animus mortuus in ſuo non viuit in amatæ corpore, naſcitur querela amatæ contra amantẽ: cùm verò contrà amata non reddit animam amanti moriendo in ſuo, vt viuat, & ſuſcitet amãtem, querela exurgit amantis aduerſus amatam. Eorum verò debitorum, quæ pertinent ad exteriora, Ariſtoteles aſſerit eſſe mutua obſequia: quæ vt arbitror, non ſunt eiuſdem rationis, cùm enim fœmina ſit frigidum animal, maſculus verò calidum, amantis ad amatam obſequia, primò ſunt lenocinicæ blanditiæ: quoniam quemadmodum ferrum rigidum molleſcit in igne, ita amata frigida in blanditiis, lenociniis: hinc naſcitur vt cuncta animalia, cùm mouentur ad libidines, priùs blandiantur fœminis: eſt enim naturale maſculorum propter exceſſum calidi blandiri. ſi igitur amans amatæ minus blandiatur, emergit querela amatæ aduerſus amantem: & quoniam maſculus calidior eſt, fœmina verò frigidior, calidúmque refrigeratur frigido, ideo niſi amata perlibenter lenocinicas blanditias non patiatur, quibus calidum amantis refrigeretur, ſurgit querela amantis aduerſus amatam. ad hæc quoniam mulier eſt animal mancum, atque imperfectum, nec ſciens, nec valens inuenire neceſſaria vt viuat: maſculus verò animal completum atque perfectum ſciens & potens de ſe viuere: hinc amans in omnibus neceſſitatibus amatæ ſubuenire debet: vbi autem non ſubuenit, venit accuſandus. amata verò, quia manca atque imperfecta apta aliunde neceſſitates habere, cùm neceſſitates perlibenter ab amante non ſuſcipit, non iniuria accuſatur. In-

Digitized by Google

ſuper cùm mulier ſit animal imprudens, inſipiens natura, conſilio inualidum: maſculus autem contrà, natura prudens, ſapiens, atque conſilio valens, amans monere, in moribus inſtituere, atque imperitiam amatæ moderari debet. Quod ſi non fecerit, querela eſt dignus: amata autem hæc perlibenter ferre atque ſuſtinere, è quo delirans meretur querelam fortaſſe: igitur per mutua obſequia Ariſtoteles hæc intellexit. Quæ cùm non mutuò præſtantur, incuſationes naſcuntur. nec tamen in præceptis tanti philoſophi eſt inconſtantia: nam cùm libro octauo Ethicorum inter amantes negat querelas, de amantibus loquitur qui perfecto cupidine ſe amant: in huiuſmodi enim amantibus querela eſſe non poteſt: quoniam cuncta agunt, vt ſe in mutuo perfectóque amore ſeruent. Quum verò libro nono aſſignat querelas, fortaſſe de illis amantibus dicit, in quibus amor non venit ad perfectam genituram, ſed ſolùm vſque ad incendium, quo eſt cupidinis accrementum: in talibus enim querelæ eſſe poſſunt ex parte inhærentiæ, & transformationis, necnon ex parte exteriorum obſequiorum, vt expoſitum eſt.

De conuictu amantium.

Cap. LXXXVIII.

QVONIAM diuturna abſentia amantium tabefacit cupidinem: nam in prouerbio eſt, ſilentium dirimit amores: ideo ſi cupido ſemper recens ſeruandus fuerit, conuictibus opus eſt, non quidem ſemper perpetuíſque (voluptas enim continua in dolorem vertitur) ſed pro neceſſitate, atque leni admodum delectatione adhibitis. Nec amantium conuictum intelligimus eum qui venerea in libidine eſt: ſic enim animalia conuiuunt, & homines quo animalia ſunt: homines verò quo homines, fruitione mutua, quæ rerum pulchrarum eſt, quas amantes apud ſe cognoſcunt. Muta enim animalia in rebus ſenſibilibus non cognoſcunt pulchrum, homines autem cognoſcunt: ideo in pulchris conuiuere pro neceſſitate hominibus eſt iucundiſſimum. Ad hæc ſicut amantes natura affectant eſſe, quod eſt

Digitized by Google

viuere, ita affectant ſimul operari, quod eſt conuiuere & ſimul eſſe. Conuictus igitur amantium, vt Ariſtoteles inquit, in pluribus conſiſtere videtur: primò in mutuo viſu: ſic enim amantes frui videntur ea pulchritudine, quæ per viſum habetur: & quoniam amantis, & amatæ eſt vnum viuere, ideo amans cum amata ea in actione viuere deſideret, quæ amatæ eſt præcipua delectatio. Quæ enim actio eſt amatæ præcipua delectatio eſt quaſi ſuũ eſſe, cuius gratia eligit viuere quatenus ad illam aut vniuerſam, aut ferè omnem vitam deſtinauit: hinc eſt, vt nonnulli cum amatis conuiuant, choreas faciendo, alij modulando, alij ludendo, alij philoſophando, veluti Socrates cum Diotima, nonnulli poëmata conficiendo, nonnulli eloquendo atque ex arte dicendo, ſi amata in huiuſmodi voluptificam vitam duxerit: itaque in ea actione commorari atque conuiuere amantes cum amatis debent, quam maximè diligunt, & in qua pro maiore ſuæ vitæ parte viuunt: ſic enim amatis conuiuent, hoc eſt vno viuere ac eodem permanebunt.

De accidentibus, quæ amantibus contingunt in aſpectu amatæ.

CAPVT LXXXIX.

PLVRA verò accidentia amantibus contingunt coram amatis, quæ ſi omnia referre vellem, ad immenſum proficiſceretur oratio: dicamus igitur breuibus, quæ plerumque eueniunt, quæque potiora videntur. Contingit primò, vt amantes amatæ puellæ aſpectum timeant, non propterea, vt Platonici aſſerunt, quia diuinitatis fulgor in eius pulchritudine emicet, quaſi Dei ſimulacrum obſtupeſcere atque contremiſcere compellat: nam licèt fortaſſe in amore officioſo hoc verum eſſe poſſet, tamen in cupidineo ipſo amore amatæ puellæ ideo aliquando aſpectum timent, quia in eo alicuius mali aut vota aduerſantis futuri meditantur, quippe cùm timor, vt diximus, ex futuri mali imaginatione exoriatur: aut quòd arbitrentur ipſam ob excellentiam eſſe formidabilem: ſic enim ſerui in præſentia domini,

Digitized

ni, & ſubditi in aſpectu principum propter præſtantiam metuunt: accidit etiam interdum, vt amantes coram amatis diuitias, & honores contemnant, non ideo, vt Platonici autumant, quia par eſt, vt diuinitas, quæ in humano pulchro relucet, humanis omnibus anteponatur. Nam licèt fortaſſe iſtud in officioſo amore locum haberet, tamen amantes ideo ea contemnunt, vt oſtendant amatam ſolam cordi ſibi eſſe, ſolámque cæteris bonis eſſe anteferendam, quinetiam ſunt, qui amatam propriæ vitæ antepoſuerint: euenit etiam coram amata, vt indiciis atque argumentis demonſtrent ſe velle, atque cupere transformari in eam, vt Meduſa in ſaxum, non propterea, vt Platonici commentantur, quia Deum quem in amata cognoſcunt, pro homine fieri cupiant, atque conentur: quis autem pro Deo hominem non commutet? nam licèt in honeſto amore hoc fortaſſe verum ſit, amantes tamen ideo in amatam ſe transformari cupiunt, vt eius effigie formati, ab ea nunquam ſeparentur, in eáque ſemper viuant. Contingit etiam coram amatæ aſpectu, vt ſuſpirent, & congaudeant: ſuſpirant quidem, quia perditè amando ſeipſos amittunt, perdunt, ac perimunt: gaudent verò, quia ex eius aſpectu multis voluptatibus fruuntur. Inſuper accidit, vt in amatæ præſentia caleant, & frigeant inſtar eorum, quos tertiana febris inuadit: meritò quidem frigent, quia præ nimio amore cor calore proprio deſeritur: calent verò, cùm humanæ pulchritudinis fulgore exteriora corporis omnia accendantur. Euenit præterea vt licèt amantes hebetiſſimi ſint, coram tamen amatæ aſpectu acutiores euadant, non propterea, vt Platonici fingunt, quia diuino radio, qui in humano pulchro ſcintillat, illuſtrantur. nam licèt, vt diximus, in modeſto amore, verum eſſet, tamen in cupidineo, de quo loquimur, propterea acutiores euadunt, quia neceſſitas conſequendi amatam (quod fieri non poteſt ſine ſapientia) eos compellit ad prudentiam ſpiritus vigorando, atque diſponendo, adeo vt bene ſeruiant ſapientiæ, quemadmodum accidit pſittaco, qui cibi compulſione didicit ſuum χαίρε. Accidit quoque, vt velint amatam ſuper omnes pulchras pulchriorem, eam tamen deſiderent defœdare. Pulchriorem quidem eſſe, quoniam ei bona om-

nia volunt, quæ ſibi volunt. At pulchritudo bonum quoddam eſt, quod omnes ſibi cupiunt. Defœdare autem, quia in ea concupiſcunt venerem. Venus autem ad intemperantiam atque incontinentiam trahit, ideóque ad inconcianitatem, quæ virgineam puritatem defœdat.

Cupidinis immanitates.

Capvt XC.

SVnt etiam nonnullæ eorum, qui propter cupidinem exardent, immanitates iure non prætereundæ. Quarum ea prima eſt, nonnullos adeo perditè deperiſſe, vt etiam in ſtatuarum amores impellerentur, veluti qui Venerem Gnidiam Praxitelis opus adamarunt, cum qua ferunt concubuiſſe genitaléque ſemen perſæpe emiſiſſe Alchida. Iuuenis Rhodius ſimili modo cum Cupidine, quod etiam Praxitelis opus erat. Nam genitale ſemen poſtea in marmore repertum eſt. Quidam iuuenis Athenienſis, vt Ælianus refert, Fortunæ ſtatuam adeo deperiuit, quam cùm emere oaueretur, prope eam mortuus repertus eſt. Cratis paſtor adamauit capram, Elinus ouem, Auretes equam, Meſſala agreſtis aſinam: eſt enim tanta amoris vis, vt non ab ratione Menander eum imperioſum Deum dixerit. Theocritus ſanguinem eum trahere, veluti paluſtris ſanguiſuga.

Cupidinis probitates.

Capvt XCI.

SVnt etiam è conuerſo probitates: nam cupido prudentem reddit amantem ad prouidendum, acutum ad diſſerendum, facundum ad eloquendum, ad res gerendas magnanimum, ad iocos facetum, ad ludos promptum, ad ſeria fortiſſimum, ad pericula audacem atque confidentem, ſummota diſſenſione concordem: præſtat amanti vitata miſeria felicitatem: vbi enim mutuus amor, ibi nullæ inſi-

Digitized by Google

diæ: vbi nullæ inſidiæ, ibi communia omnia, ibi & lites, & furta, & homicidia ceſſant, & prælia.

Puellarum, quæ è vita deceſſerunt, non eſſe cupidinem, nec eorum amantium, qui defuncti ſunt.

Capvt XCII.

Sed non parua digladiatio eſt, poſsintne amatæ mortuæ, aut amantes amari. Poëtæ amatas poſt mortem amare ſe multis carminibus fatentur. Illuſtris Victoria Columna Piſcarienſium Marchioniſſa nec patitur, nec audit illos, qui negant ipſam Ferdinandum Aualum ſtrenuiſſimum olim ducem, nunc poſt mortem non deperire: quin longè maiore amore illum ſe affirmat adamare, quàm dum in humanis ageret. Hoc etiam teſtantur honores, qui defunctis exhibentur: qui ſi non amarentur, honoribus non honeſtarentur. Sed ſi verum id eſt, Omnia vincit amor, ſoluuntur & omnia morte: puellas amatas, aut amatos poſt mortem nullatenus nos amare contingit. Deinde amor deſiderium eſt fruendi pulchro: quod non eſt pulchrum, nec eſſe poteſt, in fruendi deſiderio eſſe nequit: nemo enim deſiderabit quod fieri non poteſt. At cùm amata poſt mortem nec pulchra ſit, nec eſſe poſſit, quonam modo adamari poterit? Qua ratione dicamus nihil eſſe amabile amore cupidineo, cum quo nulla eſt fructus ſpes: eſt enim amor cupidineus affectus, vt diximus, appetitus ſenſitiui, qui non fertur niſi ad id, quod omnibus ſenſibus aptum eſt ſubiici, quo etiam per eoſdem frui ſperamus: at cùm amatæ poſt mortem nec ſenſibus ſubiaceant, nec fruitionem aptæ ſubire ſint, fit, vt amore cupidineo non ſint amabiles. Amore autem beneuolentiæ, qui actus eſt voluntatis, amare ipſas poſſumus, eis illa bona adeſſe optando, quæ poſſibilia ſunt mortuis: & quoniam mortui ſaltem, vt Ariſtoteles inquit, eſſe habent in memoria viuentium, quod honoribus venerari, dehonorationibus autem vituperari poſſunt: hac ratione eis bene velle poſſumus, quatenus honoribus honeſtare, laudibus

extollere, id quod in viuentium memoriis eſt, amantes poſſunt.

Nec in plantis, nec in mutis animalibus eſſe cupidinem, ſed amorem quendam.

CAPVT XCIII.

SVNT qui amplificando amoris regnum, in ſtirpibus, animalibúſque mutis cupidinem eſſe tradant. Theophraſtus enim ſcribit inter oleam & myrthum mutuum eſſe cupidinem, & inter vlmum, & vitem: Columella verò inter ficum & oleam. Nec ſolùm in ſtirpibus, quæ genere differunt, ſed etiam in iis, quæ eiuſdem generis ſunt. Scribunt enim palmam ſine ſuo maſculo non generare, cæteráque alia plurima. In mutis quoque animalibus: primò quidem quæ genere differunt, vt inter pſittacum & turturem, inter turdum & merulam, & vt ſcribit Ariſtoteles, inter elephantum & delphinum, inter gallum & pauonem. Legimus etiam in Corintho puerum à delphino amatum eſſe, in Spartha Cythariſtam ab anſere, & à gracculo Meſenum, & Xenophontis puerum (vt ſcribit Ælianus) à quodam cane. Verùm non cupidines, ſed fortaſſe amores quidam, aut naturales quædam conuenientiæ hæ ſunt, quæ aut propter naturam generis, aut ſpeciei vel indiuidui emergunt.

Cur cupidinem Poëtæ deum eſſe finxerunt.

CAPVT XCIV.

QVONIAM autem cupido in amantibus quædam quaſi miranda facere videtur, cupidinem deum eſſe fabulantur poëtæ. cernimus enim primò animalia ferè omnia; & muta, & rationabilia pro amore ſeſe in præcipitia dare, extrema pericula pati, mortem nullo pacto extimeſcere, & quod admiratione magis dignum eſt, imbecillia animalia, vt Plato inquit, amoris cauſa aduerſus ferociſſima, atque ro-

Digitized by Google

buſtiſſima acerrimè pugnare, nec pericula nec mortem recuſare. Deinde inimicitiæ, quæ amoris cauſa emergunt, grauiſſimæ ſpectantur: nam nec odium, nec vltio maior ſpectatur, quàm quæ ad vlciſcendas iniurias adhibetur, ceu de Turno Virgilius, & de Medea ſcribit Seneca. Præterea quis ignis maior, quàm qui amoris cauſa in amantium pectoribus accenditur? eſt enim qualis is, qui à Tragico Poëta ſacer nuncupatur: nam quemadmodum qui ſacer ignis eſt, carnem omnem vrendo oſſa tandem arida relinquit: ita quoque cupidinis ardor cor & viſcera areſaciendo, demum in cineres vertit: vt ſit illud Terentij veriſſimum, Adhære huic igni, quia te plus ſatis calefaciet. Qua ratione fit vt cupidineus ignis longè vehementior habendus ſit igne elemento: quòd hic, vt Cyrus inquit apud Xenophontem, non vrat, niſi tetigerit: ille & propè, & procul, & tactu, & imaginatione amantes incendit. Deinde quis dolor maior, quis incendioſior, quis ardentior eo dolore, qui cupidinis cauſa naſcitur. dolor enim qui ex chariſſimorum morte proficiſcitur, tempore tabeſcit. At dolor qui cupidinis cauſa eſt, quanto moroſior fuerit, tanto in maiorem feruorem euadit. febris inſuper quæ humorum cauſa nos inuadit, quæ ex pituita oritur, ſex horas nos quieſcere permittit: quæ verò ex rubra bili, die integro: quæ ex atra, duobus. at quæ amore in ſanguine eſt, tanto ipſa ſanguinea febre ardentior videtur, quanto animus, quem affligit, cordi præeſt, quòd ſanguinea ipſa febre laborat. Adhuc tanta eſt cupidinis vis, vt non modò noſtræ ſalutis obliuiſci cogat, ſed amori rebelles fieri, qui nobis natiuus eſt: compellit enim longè magis amatam adamare, quàm vt quiſpiam ſeipſum amet. Hoc autem aduerſus eam naturæ legem eſt, qua quis natus eſt, vt longè ſeipſum ardentiùs quàm alteram quamuis depereat. Deinceps quis cupidinem pernicioſiorem non exiſtimabit, ſi furor qui exuſta rubra bili nos inuadit, cogat exclamare, qui verò exuſto ſanguine ridere, qui autem exuſta atra bili mœſtos eſſe? At cupido cùm nos inuaſerit, vno eodémque tempore exclamare, atque tacere, flere, atque ridere, lætari atque dolere vrget: & quod his maius eſt, eodem temporis momento ſperare, atque ſpe deſtitui, timere, atque

audere, iraſci atque manſueſcere, auidos eſſe atque abominari, zélotypos eſſe, & non zelotypos. Poſtea ſi illud Plauti verum eſt, cupidinis vi amantem in amatam transformari: quemadmodum, vt Plato inquit in Phædone, Tyranni in lupos, vt diximus, Orpheus à mulieribus diſſectus in Cygnum, Therſita in ſimiam mutatus eſt, quæ res cupidine pollentior dicenda eſt? Intenſa enim amatæ meditatio vſqueadeo amantem rapit, vt in ecſtaſim, hoc eſt, in alienationem ducat amatæ, vt in ea quieſcat, atque reſipiſcat. qua ratione Plato cupidinem magnum dicit, & Propertius ſe Propertium eſſe negat, ſed vel vmbram ſine tactu: & Plotinus amans, ſe non ibi eſſe, vbi eſt, vbi autem non eſt, ibi eſſe dicit. Sed his omnibus illud, vt Apuleius inquit, mirabilius eſſe videtur, vri corpus, nullo vrente igne, vt in amantibus cernitur, qui ſine igne incenduntur. Hæc igitur, & alia plurima ſunt cupidinis mirabilia, propter quæ Poëtæ eum inter deos collocarunt.

De cupidinis parentibus ſecundum Poëtas, & de interpretatione.

CAPVT XCV.

DIOTIMA ſibylla cupidinis originem ſociati hunc in modum demonſtrauit. In Veneris natalibus diſcumbentibus diis Porus Conſilij filius potu nectaris ebrius cum Penia in Iouis horto ſe miſcuit, & ex eo congreſſu Cupido natus eſt. per hæc enim intelligere voluit cupidinem ortum eſſe ex Poro, qui deus eſt affluentiæ, atque vbertatis. non enim poteſt cupido naſci, niſi ſemen genitale affluxerit & multum, & ſæpe, & ex Penia, quæ eſt inopia: affluente enim ſemine, cum puellarum inopia, qui amat, ardeſcit: qui enim abundat puellis, nulla ferè afficitur. At qui in ſemine excreſcit, & in puellis inops fuerit, hic eſt, qui cupidine vritur, & feruet. Aut potiùs Porus ſeminis habet ſymbolum, πορίω, quod eſt immitto: & Penia conceptus, qui non fit ſine indigentia quæ eſt.

Digitized by Google

De ægritudine cupidinea, & quibus ſignis à cupidine diſcernatur.

CAPVT XCVI.

CVPIDINEM verò nonnunquam in cupidineam ægritudinem perueniſſe, argumento nobis eſt Antiochus Seleuci filius. quòd autem hoc contingat, nonnunquam Rhaſes, Auicenna, & Galenus demonſtrant. nam cùm amantis intentio in aſſidua puellæ amatæ cogitatione tota ſe verſet, ſítque illic naturalis complexionis vis omnis intenta, cibus in ſtomacho perfectè concoquetur nunquam: quo fit, vt maior in excrementa quantitas emittatur: minor verò, & ea quidem, quæ cruda eſt, trahatur ad iecur, vbi etiam malè concoquitur: ideo ſanguis paucus, crudúſque inde per venas diffunditur: quare membra omnia cruditate alimenti extenuantur, & pallent. præterea quocumque animi aſſidua fertur intentio, illuc & ſpiritus aduolat, qui animæ ſiue currus, ſiue inſtrumenta ſunt. & quoniam in amatæ puellæ imagine tota amantis intentio fertur, & rapitur, eodem etiam trahentur & ſpiritus: illuc autem euolantes, aſſiduè reſoluuntur. quapropter frequentiſſimus puri ſanguinis fomite opus eſt ad conſumptos ſpiritus recreandos, vbi ſubtiliores quæque & lucidiores partes ſanguinis quotidie in reficiendis ſpiritibus exhalantur. propterea puro, & claro ſanguine reſoluto, maculoſus, craſſus, aridus reſtat, & ater: hinc exiccatur corpus & ſqualet. Hinc & melãcholici amantes euadunt: ex ſicco enim, craſſo, atróque ſanguine melancholia efficitur, quæ ſuis vaporibus caput opplet, cerebrum ſiccat, animam tetris horrendíſque imaginibus dies noctéſque ſolicitare non ceſſat: quod Lucretio philoſopho epicureo propter amorem legimus accidiſſe, qui amore primùm, inſania deinde vexatus, ſibi tandem ipſi manus iniecit. Galenus morbũ cupidineum ἔρωτα, Auicenna autem Hiliſcim appellauit. Signa verò multiplicia ſunt, quibus à cupidine diſcernitur: primum quidem à qualitate ipſa mutata: nam oculi eorum ſunt ſicci, atque profundi: membra om-

nia præter oculos areſacta & ſqualida. dico præter oculos, quoniam licèt profundi ſint, tamen ſunt graues, craſſis palpebris & magnis affecti propter inſomnietatem, & ploratum. figura vultus ſine ordine atque variabilis. deinde ab actionibus læſis: nam palpebræ continuò mouentur. rident verò ac ſi pulchri nonnihil aſpexerint, & iucundi, aut audierint ſonos delectabiles: lætantur modò, modò triſtantur: cùm plorauerint, ſingultatim flent: frequenter cùm ſuſpirauerint, attollunt ſuſpiria: cùm amatorias modulationes, atque cantilenas audierint, nunc ridendo lætantur, nunc flendo triſtantur, præſertim cùm amatæ rebellionis meminerint & abſentiæ: pulſus ſunt eorum, qui triſtantur inordinati, atque difformes. Diſcernitur autem cupido ab ἔρωτι, quoniam licèt qui cupidine amat, vni ſe in omnibus præbeat, & peſeueranter, in actionibus tamen ſeruat modum & ordinem, cunctáque agit ratione, accommodata cupidini facere videtur. nam perſeueranter amando, & quidem vnam, cuncta amatæ gratia contemnit. infelicem quoque ſe putat, cùm memoriam in aliud quàm in amatam occupauerit. neminem arbitratur ſe feliciorem, quoties amatam aut inſpexerit, aut alloquutus fuerit, aut tetigerit: amat quæcunque amatæ ſunt, honoribus laudibúſque quotidie extollendo: tuetur eius honorem infamiam ei attributam acerrimè repellendo: & vt breuibus concludam, omnia quæ amata vult, ipſe vult, quæ amatæ diſplicent, ipſe abhorret, quæ licèt ab affectu proficiſcantur, ratione tamen affectui conformi aguntur. Qui verò cupidineo morbo laborat, quæcunque agit, ſine modo & ordine facere videtur. Tradit autem Auicenna ſignum quo ſolers medicus cognoſcere poterit puellam, cuius gratia ἔρωτι amans laborat, ex pulſu ipſo: pulſus enim in commemoratione puellæ alteratur, præſertim ſi commemoratio poſt obliuionem à medico procuretur. Inſuper etiam & in ſubitario occurſu: vſque adeo, vt etiam imperiti medici huiuſmodi impulſu differentiam cognoſcere poterint. Et quamuis Eraſiſtratum in Antiocho Seleuci filio, qui nouercam deperibat, hoc cognouiſſe ferant hiſtorici, Galenus tamen eo libro quem de prædictionibus ſcripſit, aſſerit illud de Eraſiſtrato narratum huiuſmodi

iuſmodi eſſe competiſſe, ſuóque tempore illud in vno quodam iuuene, qui ſæua ἔρωτι laborabat, ex motu pulſus ſe deprehendiſſe, ſed vbi puella præſens non fuerit aut obuians aut occurrens, non eſt facile illud annotare ex pulſu. Auicenna tamen docet hoc pacto, vt plurium puellarum nomina dicendo ſolers medicus pulſum manu perſeueranter contingat: inueniet enim eum mox diuerſum, cùm nomen amatæ in narratione occurrerit. quòd ſi cum occurſu nominis amatæ formam, mores, domum, dignitatem, cæteráque quæ eam extollunt, ipſe medicus, aut alius narrauerit, in pulſu etiam maiorem diuerſitatem perſentiet: & quoties viciſſim hoc fecerit, inueniet apud huiuſmodi commemorationes ſemper in pulſu mutationem non paruam. Quod ſe expertum eſſe teſtatur. Rhaſes Cyrus medicus non inexpertus, huiuſmodi morbum curat coitu cum ea, quæ in deſiderio eſt, ſi fieri poteſt, aut lege in vxorem ducendo, vt Thraſiſtratus Antiochum, aut alio modo: ſi autem fieri non poteſt, coitus cum alia ſimili perſæpe fieri, vt inquit, procuretur: itémque ieiunio, vt Crates dicebat, Amorem ſedat fames: Seneca verò, Quem ſi fouere atque alere deſiſtas, cadit, breuíque vires perdit extinctus ſuas. Inſuper & ebrietate, quoniam vinum ſpiritus multiplicat, & pabulat, qui amore aruerunt: nam vt ferrum molleſcit in igne, ſic amantis arefacti ſpiritus in vino. & deambulatione: deambulatio enim otium tollit. ſub deambulatione intelliguntur gymnicæ motiones, vt venatio, & cætera in quibus corpus mouetur. & ablatione otij, otia enim ſi tollas, periere cupidinis artes. ſunt & alia multa, quæ à medicis quærantur.

De illegitimo atque præternaturali cupidine.

CAPVT XCVII.

QVONIAM, vt Plato inquit, duplex venus eſt: maſcula, quæ libidinis venereæ expletio eſt maſculorum cum pueris: & fœmina, quæ venerea voluptas eſt maſculorum cum fœminis eiuſdem ſpeciei (dico eiuſdem ſpeciei, quoniam hominum cum mutis animalibus venereæ libidi-

nes, aut cum ſe ipſis maſtuprationes non ſunt amatoriæ, ſed omnino à gentibus alienæ) hinc duplex exoritur cupido; alter fœmineus, qui deſiderium eſt coëundi cum puella amata, de quo diximus: alter autem maſculus, qui deſiderium eſt coëundi cum puero amato: ille enim ex venere fœmina, hic autem ex maſcula ortum habet. Conueniunt autem in omnibus præterquàm in obiectis, & in naturis, in obiectis quidem, nam illi puella, huic puer obiicitur. in naturis verò, quoniam cupido maſculus, cùm oriatur ex appetitu veneris maſculorum cum maſculis, eſt omnibus modis deteſtandus, quibus maſcula ipſa venus apud naturam eſt exorbitabilis. Eſt enim venus maſcula primò exorbitabilis naturæ animalium: nam per eam impeditur eius quod ſimile generanti eſt, generatio, quæ opus viuentium naturaliſſimum eſt in animalibus perfectis, & non mutilatis, nec, vt Ariſtoteles inquit, ſponte genitis. Eſt inſuper aduerſus naturalem animalium inclinationem, quæ quatenus, vt Plato inquit in Sympoſio, diuino & immortali eſſe participent, omnia natura fœminas appetunt, vt in eis perpetuum eſſe lucrentur. Præterea eſt contra prouidentiam, quæ præbuit omnibus animalibus, vt ſibi ſimilia generent, in venere mirabilem voluptatem quærere: at in vſu puerorum non poteſt generatio animalis ſimilis eſſe; quare qui eis vtuntur in venere, aduerſus diuinam prouidentiam agunt. Eſt inſuper aduerſus patientis naturam, nam qui patitur eo loco, quo patitur, non delectatur, niſi vt Ariſtoteles inquit libro problematum, per accidens. Hac ratione Ariſtoteles inter immanitates, Plato autem inter prophanitates huiuſmodi maſculam venerem enumerauit, quæ vitia ſunt contra virtutem tum humanam, tum diuinam heroicámque: nec tamen inter ferinas modò, eſt enim ferina immanitas, vitium apud feras vſitatum, vt carnes crudas comedere, cum matribus commiſceri, & id genus: ſed inter monſtroſas, quæ in horrenda malitia excellunt & humanas, & ferinas immanitates. Huiuſmodi horrendam immanitatem Ariſtoteles ex barbaris tranſlatam eſſe ad Græcos demonſtrat in ſeptimo Ethicorum. nam Græcos, qui cum barbaris verſabantur, hac horrenda immanitate fœdatos

Digitized by Google

eſſe affirmat. Quinimmo poſtea apud Græcos prophanitas hæc mirum in modum accreuit, vt apud Lacedæmonios, Athenienſes, apud quos non erat omnino lege cauta. Inſuper apud Cretenſes adeò venit in vſum, vt etiam Iouem pueros deperiſſe fabulentur, quem deorum patrem atque hominum regem fecerunt. Apud Romanos puer adamatus Pullus verbo communi dicebatur. Apud Thebanos non ſolùm iuuenes pueros deperibant, ſed (quod longè monſtroſius eſt) matronæ præclaræ atque illuſtres virgines ardenter adamabant. Nec poëtæ huius infamiæ horrendæ nota caruerunt: nam Anacreon Batillum deperiuit, Pindarus Pana, Alcæus Lycum, Myſten Valgius elegiographus, Euripides Agathonem, Valerius Flaccus in deliciis habuit Amazoniſcum puerum, Tibullus Cheritum, Aſinius Gallus Hippolytum, Theſtylum Vaconius, Ligurinum Horatius, Roſcium Q. Catullus Epigrammatiſta, Iuuentium Catullus. Nec hi hac nota caruerunt, qui apud gentiles vt dij colebantur. Nam Ganymedem Iupiter adamauit, Hylam & Abderum Hercules, Apollo Branchum Theſſalum, Bacchus Ampelum, vnde Vitiſator dictus: nec reges etiam, quia Antinoum Adrianus Imperator adamauit, Gyges Rex Lydorum Magnetem Smyrneum. Imo (venia ſit dicto) Platonem Gellius videtur notare per hæc carmina:

Suauia dans Agathoni, animam ipſe in labra tenebam,
Ægra etenim properans tanquam abitura fuit.

Sed profectò (vt diximus) ſtomachoſum, fœdiſſimum, naturæ rebelle vitium eſt, nec prophanum modò, humanis ac diuinis legibus cautum, verùm etiam belluis horrendum, quod ſit potiùs ad interimendum, quàm ad propagandum humanum genus. Qua ratione fit, vt non iniuria aduerſus Periandrum in Ambracia tyrannum ſeditioſæ inſidiæ motæ fuerint, quòd in conuiuio quæſierit à puero quodam à ſe adamato eſſétne prægnans. C. Marius corona inſigni Cælium honeſtauit, quòd tribunum interemerit, qui venerem maſculam à ſe rogauit. E ſenatu fugatur Q. Flaminius, quòd paſſus ſit cynedum, quem deperibat, apud ſe interimere militem, cùm in Gallia præfectus eſſet. Sanctiones crimen nullũ execrabilius iſto putant, quòd naturæ ſit exorbitabile offendiculum.

De illegitimo, & naturali, déque legitimo cupidine.

Capvt XCVIII.

PLato in Sympoſio amorem diſſecuit in duos: alterum, qui in mente æternus amor eſt ad diuinam pulchritudinem peruidendam: cuius gratia philoſophiæ ſtudia, & iuſtitiæ, & pietatis officia ſequimur. alterum in generandi potentia, qui tanquam ſtimulus quidam ad ſobolem procreandam mouet appetitum ſenſitiuum, atque titillat: is etiam amor perpetuus eſt, quo aſſiduè incitamur, vt ſupernæ pulchritudinis illius ſimilitudinem in procreatæ prolis effigie effingamus. Hos duos amores in nobis perpetuos Plato duos dæmones aſſerit, qui noſtris animis ſemper adeſſe videntur. Quorum alter ad ſuperna, alter ad inferna deprimat. Sunt autem ambo boni ſimpliciter, quoniam tam ſobolis procreatio, quàm veritatis indagatio neceſſaria & honeſta cenſetur. Verùm qui ad ſupernam pulchritudinem noſtrum animum attollit, omni ex parte bonus eſt. Qui verò in generandi potentia occultè continetur, quíque cupido dicitur in hominibus, in animalibus mutis concupiſcentia ferina, quo eſt deſiderium coëundi cum fœmina amata generandi cauſa, non quidem cum certa conſtitutáque fœmina, ſed (vt vtar verbis logicorum) cum fœmina in vniuerſali, non eſt malus, quemadmodum nec appetitus cibi vel potus: quippe cùm ille pro ſeruanda ſpecie, hic pro tuendo indiuiduo natura ſit inditus nobis: cum fœmina autem hac vel illa (vt ita dixerim) indiuiduo, ſi freno rationis non moderetur, naturalis quidem eſt, ſed illegitimus. Appetitus enim huiuſmodi (vt Ariſtoteles inquit tertio Ethicorum) puero ſimilis videtur, cuius pædagogus eſt ratio: nam ſicuti quando à pædagogo non regulatur, in concupiſcentias longiùs progreditur, (quoniam eius appetitus inſatiabilis eſt) ſic appetitus huiuſmodi, ſi ratione non regitur, mentem à ſuo ſtatu ſic dimouebit, vt tandem labatur ad peſſimam corporis, & animi labem. Animi quidem, quoniam à præcipuo eius bono auertet, quod in veritatis contemplatione con-

ſiſtit, & ad myſteria viliora, vt ad ferinas immanitates detorquebit. Corporis verò, quoniam (vt diximus) corpus ob triſtitiam, qua continuò areſcit, tandem in peſſimam ἔρωσιν ducetur, qua multi è vita deceſſerunt. Hac ratione Plato primum amorem, qui mentem ad ſuperna attollit, Calodæmonem, hoc eſt bonum genium: ſecundum verò qui ad inferna diripit, Cacodæmonem, hoc eſt malum genium appellauit, quòd ille ſemper ad ſuperna bona animum attollat, hic autem quòd aliquando ad malum animum rapiat: ad malum quidem ſi præter legem, rationémque rectam indiuiduo hanc aut illam puellam adamauerit. Nam qui amat quam debet, quando debet, quantóque amore opus eſt, non vituperatione notatur: quoniam amor quo deperit, legitimus, ac moralis cupido eſt: quemadmodum venereum vſum non omnem philoſophi vituperarunt: niſi quando, nec cum quibus, nec quanto, nec quando oportet committitur. quando enim ſanitatem non delet, nec eſt præter legem, ac honeſtum, nec ſupra hominis facultatem, à philoſophis non cauetur. Quòd ſi venereus vſus hoc pacto non vituperetur, minus quoque cupidò humanus, qui illius deſiderium eſt, vituperatione annotandus eſt. Quando verò excreſcit, nimis etiam in vxore turpitudine notatur. Sextum in ſententiis ſcripſiſſe autor Hieronymus eſt, adulterum eſſe, quiſquis in vxorem ſuam ardentior eſt amator: quippe in vxorem alienam, aut in fœminam quæ non ſibi coniunx eſt, omnis amor turpis eſt: in ſuam verò nimius. Sapientis eſt vxorem amare, ſed iudicio, non autem affectu. Libidinis pruritus rationis examine reprimendi, nec præcipites ferri in concubitum debemus. Fœdius enim nihil quàm vxorem amare perinde ac adulteram. Seneca cognitum quendam à ſe teſtatur ornatum hominem, qui exiturus in publicum faſcia vxoris pectus alligabat, & ne momento quidem præſentia eius carere poterat, potúmque omnino nullum ſibi niſi alterius prægustatum labris vir & vxor hauriebant, alia item pleraque nec inepta minus facientes, in quæ improuida vis affectus erumpebat. Origo quidem amoris honeſtus erat, ſed nimietas deformitate non carebat, nihil autem referre arbitramur quàm honeſta cauſa quis inſaniat. Ariſto-

Digitized by Google

teles quoque tradit ideo lege cautum eſſe, ſororem in vxorem ducere, ne duplicato amore, ſcilicet conſanguinitatis, & coniugij, vir nimis effœminaretur. Amor itaque quo quis puellam amat, vt in vxorem ducat, ſi metam non exceſſerit, non eſt fœdus, neque præter leges: ſi autem amat, non vt vxorem ducat, ſed vt amata fruatur, illegitimus eſt, legéque cautus & diuina, & humana: at ſi amat, vt in vxorem ducat, ſed ardentiùs, hoc eſt affectu, & non iudicio, etiam non laudatur.

De remediis cupidinis.

CAPVT XCIX.

QVONIAM cupido turpis eſt (vt diximus:) aut quia eſt fœminæ quæ amantis coniunx non eſt: aut quia eſt fœminæ, quæ coniux eſt amantis, ſed excedit metam, atque etiam modum, ideò remediis opus eſt: & quoniam, vt Galenus inquit, omnis perfecta curatio per ea fit, quæ cauſis ſunt contraria: ideo dicamus primum remedium eſſe, quod aduerſatur primæ cauſæ, quæ lex eſt naturæ, qua compellimur præter modum ad amandum. Hoc autem eſt abſtinentia, quæ in vigiliis, ieiuniis, atque exercitiis perficitur: non enim (vt Apoſtolorum princeps inquit) deſideria in cubilibus, impudicitiis, carníſque cura facienda ſunt, niſi pro naturæ neceſſitate. Deinde aliud remedium eſt, quod aduerſatur ſecundæ cauſæ, laſciuis videlicet meditationibus, quod eſt, vt amantis mens circa contemplationem rerum diuinarum orationibus, & fletu occupetur. Nolite enim (inquit Apoſtolorum princeps) vino inebriari, in quo libido eſt, ſed loquentes vobiſcum in pſalmis, hymnis, canticíſque ſpiritualibus, implemini Spiritu ſancto, Domino in cordibus veſtris cantantes, atque pſallentes. Præterea ſingulare remedium eſt (vt Hieronymus inquit) ſcripturarum ſtudia: ſic enim carnem non amabis. Dein quibuſcunque bonis cogitationibus animum eſſe occupandum: nam vt Chryſoſtomus inquit, abſciſſio membri, non ita comprimit tentationem, & tranquillitatem facit, vt cogitationis frenum.

Digitized by Google

Quod etiam Apoſtolus monet, cùm inquit, De cætero fratres, quæcunque vera ſunt, quæcunque pudica, quæcunque iuſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate. Ad hæc amans ab omni otio eſt repellendus, etiam ſi in corporalibus laboribus ſeipſum exercere opus fuerit. Nam vt Hieronymus inquit, facito aliquid operis, vt ſemper te Diabolus inueniat occupatum. Remedium verò aduerſus eam cauſam, quæ accipitur ab exterioribus, ſingulare eſt, vt quoad fieri poteſt, & ab aſpectu, & à colloquiis, & à conuerſationibus, & à frequentiis cum amatis te procul ducas, atque diuertas: nam hæc amantibus veluti folles ſunt ad augendum amoris ardorem: vnde Hieronymus monet eum, qui ſine cupidine viuere deſiderat, vt mulierum maximè adoleſcentularum vitet aſpectum, ne eum capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Omnia autem hæc Ariſtoteles ſeptimo Ethicorum ad vnum ſolum remedium reducendo, docet continentiam: patitur enim homo mirabiles cupiditates, quas ſi vicerit, atque vincere aſſueuerit, continens breui tempore euadet. Eſt enim continentia habitus atque aſſuetudo vincendi cupiditates, quæ ex frequentatis (vt ita dixerim) actibus nobis innaſcitur. Qui enim vincere ſæpe alterum ſolet, facilè vincit omnes. Sic qui cupiditates ſuas ſæpe exuperat, facilè ſeipſum vincendo, continens euadit. Continentia itaque præcipua eſt amoris medela, hæc enim ſola facit, vt amantes digni laude ſint. Hactenus de remediis.

Exempla eorum, qui perditè deperierunt.

CAPVT C.

NE verò amores, de quibus diximus, exemplis careant, primò eorum exempla afferamus, qui perditè deperierunt. Octauius Pontiam deperiuit. Mundus Tyberio imperante Paulinam genere ſpectatiſſimam. Macareus Æoli regis filius ſororem, qui vnà cum ſorore gladio à patre miſſo, poſt illius partum ſe interemit. Papyrius Romanus Canu-

Digitized by Google

liam etiam ſororem, qui ſimili modo, vt Plutarchus narrat, iuſſu patris cum ſorore ſe necauit. Marcus Cato Portius captus amore cuiuſdam puellæ adeo illius amore deperibat, vt in vxorem duceret: quæ nec ſuæ dignitatis, nec ſui generis, ſed longè inferior erat. Piſiſtratus Athenarum Tyrannus Thymonoſſam ruſticam vxorem duxit. Gn. Pompeius, qui rerum geſtarum magnitudine Magnus dictus, perditè Floram adamauit. C. Iulius Cæſar, qui victor quinquagies conflixit, Poſthumiam Lolliam, Tertiam, & ſupra omnes Seruiliam deperiuit. M. Antonius adeo Cleopatram perditè adamauit, vt cùm audiſſet, licet falsò, illius mortem, ſe letali vulnere percuſſerit. Alexander Macedo Aſiæ domitor deperiuit Campaſpen, quam ſeipſum ſuperando Apelli ſculptori dono dedit: ſed poſtea perditè adamauit Roxanen, quam cupidine exardens vxorem duxit. Magnus Demetrius Antigoni atque Stratonicæ filius Athenarum liberator Lamiam perditè adamauit. Siphax Libyæ Rex, & Maſiniſſa Numidiæ Sophoniſbam deperientes, bella dubia fortuna diu geſſerunt. Præfectus Annibalis cùm Tarenti cuiuſdam puellæ cupidine conflictaretur, cauſa fuit, vt Fabius Tarentum in iuriſdictionem Romanorum reduceret. Philippus Rex cupidine Policratiæ captus, eam à ſuo viro, qui ex principibus erat Achæorum, vi cepit. Burbare Gabaſi Darij Centurionis Orator, cùm in Macedoniam mitteretur, filiam Regis Amyntæ perditè adamauit, quam cùm vxorem duceret, pacem compoſuit. Berſeba Vriæ vxor ſapientiſſimum illum regem, & prophetam ſanctiſſimum Dauidem vſqueadeo concitauit, vt ſolitæ religionis oblitus, adulterio, & homicidio (Vriam enim deuouit morti) ſuam contaminauerit ſanctitatem. Antiochus Seleuci filius Stratonicæ nouercæ cupidine captus, in tantam venit ægritudinem, vt Seleucus pater conſulente Eraſiſtrato medico qui morbum patefecit, ei nouercam Stratonicam concederet, qui poſtea in Babyloniam profectus prope Euphratem amnem Seleuciam condidit. Scipio Africanus primus perditè adamauit ancillam tertiæ Emiliæ vxoris, poſtquàm tantarum rerum gloria potitus eſſet: C. Octauius Auguſtus Liuiam Druſillam: Nero Sabinam & Pompeiam: Marcus Antonius philoſophus

phus imperator Fauſtinam: Dionyſius Syracuſanus Ariſtomacham, Alexander Phereus Theben, Æneas Lauiniam, Theſeus Phædram, Hercules Omphalen, Achilles Polyxenam, Demophoon Phyllida, Medeam & Hypſipylen Iaſon, Hermionem Oreſtes, Protheſilaus Laodamiam, Menelaus Helenam, Oenonen Paris, Argiam Polynices, Mars Venerem, Pluton Proſerpinam, Apollo Daphnen, Pompeius Corneliam, Agamemnon Briſeidam, Ægiſthus Clitemneſtram, Pyramus Thiſbem, Annibal Salapinam quandam in Apulia puellam. Sunt alij complures, & Romani & barbari, Philoſophi quoque atque Poëtæ, qui cupidine irretiti longis temporibus conflictati ſunt: ſed cùm hi pro exemplo ſatis ſint breuitatis cauſa prætermiſimus.

Exempla mulierum, quæ ardenter deperierunt amantes.

CAPVT CI.

NON deſunt etiam mulieres, quæ cupidine captæ perditè adamauerunt, vt Phædra Hippolytum, Scylla Niſum patrem, Atalanta Hippomonem, Galathea Atim, Circe Glaucum, Carmenta Picum, Egeria Numam, Canace Macareum, Hypermneſtra Linum, Penelope ac Circe Vlyxem, Hypſicrate Mithridatem, Portia Brutum, Iulia Pompeium, Procris Cephalum, Deidamia Achillem, Semiramis Ninum filium, Biblis Caunum fratrem, Myrrha Cinyram patrem, Gineura Lanzellottum, Iſotta Triſtanum, Franciſca Paulum cognatum, Pompeia Iulij C. vxor Clodium, Calphurnia Appianum, Seruilia Lucullum, Terentia M. Tullium, Meſſalina Claudium Siluium, Fauſtina Orphitum. hæ enim tanto amore irretitæ fuerunt, vt ad manifeſtas inſanias deuenerint: nec iniuria, nam forma eſt quoddam amoris illectamentum, quo nullum aliud magis efficax venenum ad irritandum venerem dari queat. vrit enim non ſolùm tactu, ſed ipſo quoque intuitu, & venas incendio quodam populatur, quo qui laborant, ſic miſeri pereũt, vt omnes alias recuſent, & auerſentur voluptates.

Exempla coniugum quæ maritos ardenter deperierunt.

CAPVT CII.

QVONIAM fuerunt nonnullæ mulieres, quæ amoris affectu potiùs, quàm iudicio ſuos maritos deperiſſe notatæ ſunt: earum, quæ nobis occurrunt exempla ſubſcribemus. & licèt vires meæ longè minores in ſcribendo ſint, quàm vt ex merito indulgentiæ atque coniugalis amoris laudes proſequi poſſim, quæ tamen nos inculto ſtylo non aſſequemur, rei ipſius magnitudo in lucem proferet. Iulia itaque C. filia adeo Pompeium virum ſuum adamauit, vt cùm vidiſſet illius veſtem cruore reſperſam, eo è campo domum redeunte territa metu, ne qüa vis ei eſſet allata, exanimis concidit, partúmque quem vtero conceptum habebat, ſubita animi conſternatione, & graui dolore corporis eiicere coacta eſt, atque, ita expirauit. Portia Catonis filia vxor Bruti cùm apud Philippos victum & interemptum virum ſuum cognoſceret, quia ferrum non dabatur, ardentes ore carbones haurire non dubitauit. Gentis Cariæ reginam Arthemiſiam poſt obitum viri ſui Mauſoli extincti oſſa, in cinerem conuerſa potioni aſperſa bibiſſe tradunt, vt illius corpus intra ſe haberet, quemadmodum intra animum. Hipſicratea Mithridatis regis vxor, adeo virum ſuum effuſis charitatis habenis amauit, vt præcipuum formæ ſuæ decorem in virilem habitum converteret, virúmque dilectiſſimum per omnia dura, rerum militiæque arduos labores ſectaretur: id quod in Iſabella Vilamarina Salerni principe, quæ flos redolentiſſimus noſtri æui eſt puellarum, corporíſque & animi formæ ſingulare exemplum, eſt videre. Hæc cùm Ferrandum Sanſſeuerinum coniugem flagrantiſſimè deperiret, vnáque in militiam proficiſci arderet, quia ab eo ob pericula & labores fuit denegatum, nullam teſtatur Heroinæ religioſiſſimæ, aut raram eſſe noctem, qua cum dulciſſimo viro in ſomnis non coniunctiſſimè viuat, fabuletur ac delicietur, vt omnibus votis exoptaret perpetuas eſſe noctes, (cùm illum totos dies ſuſpiret) & in Epimenidem transformari, quæ de

Alceſte & Laodomia fabulata eſt vetuſtas. Parem cunctationem merentur, quæ de Didone, & Andromache ſcripſit Maro, non quia non credibilia ſint, ſed quoniam à poëta traduntur, cui nihil debere vult hiſtoria. Panthea vxor Abratatæ, adeo erga virum amore exarſit, vt ſupra mortui viri corpus ſe perimeret: quod genus mortis à religione noſtra maximè Iſabellæ Richiſentiæ fuit denegatum, cui cùm morte Raimundus Cardonius coniunx dilectiſſimus eſſet ereptus in flore ætatis, puella virtutis ac pulchritudinis ſpecimen viduitate perpetuiſque lachrymis rariſſimum amorem teſtatur, miſerriméque tabeſcit. Phila Demetrij regis coniunx cùm accepiſſet eum prælio victum in Caſſandriam amiſſis regnis ſe recepiſſe, neque ferre poſſet regno priuatum videre, ingenti compulſa amore, veneno ſeipſam extinxit. Vxor Ligarij proſcripti, poſt mortem viri eos orabat, qui eius cædis fuerant miniſtri, vt ſe quoque perderent, quòd ipſa etiam per legem morti debebatur, quia proſcriptum virum domi tenuerat: cæterùm cùm audire eam nemo vellet, domum reuerſa cibo abſtinuit, atque in magno mœrore & lacrymis tandem inedia periit. Paulina Senecæ vxor cùm diſſectis venis mori tentaſſet inſtar Senecæ viri ſui, qui eum moriendi modum delegerat, Nerone eos mittente qui ſanguinem ſiſterent, atque eam in vita retinerent, cùm iam multùm ſanguinis eſſet effuſum, pallida ſemper manſit, atque in vultu pudici amoris ſui ſigna ſemper retinuit. Triaria L. Vitellij coniunx non ſecus atque Mithridatem Hipſicratea virum armata ſecuta eſt, nec timuit apud Taracinam cum hoſtibus ſtrenuiſſimè dimicare, maritalis amoris flamma pectus replente. Stratonis Sydoniæ principis vxor cùm vrbe à Perſis obſeſſa verita eſſet, ne in hoſtium poteſtatem vir veniret, adempto ei gladio manu ſua ipſum occidit, corpúſque eius quantum pro tempore potuit, decenter exornauit, cui poſtea ſuperincumbens ipſa gladio ſe ipſam traiecit, vt eadem in morte viro, qua viuens charitate comes eſſet. vna enim re ſimul, & coniugalis charitatis, & animi ſui magnitudinem, atque inſuper honoris quoque curam, cùm ne viui in hoſtium manibus indigna paterentur, prouidit, palam teſtata eſt. De piſcatoris vxore, quæ eius

Digitized by Google

igitur concilio, ad quod & ſenatores, & diuites, & potentiores confluxerant, omnes, vt interimerent, ſuis militibus mandauit. quibus interemptis, ſine omni ciuili ſeditione vrbem occupauit, atque imperium diu ſeruauit. Nam licet à Carthaginenſibus bis per eruptionem pugnans exuperatus, & in vrbe tandem obſeſſus eſſet, nullis tamen rebellionibus à ciuibus factis, non modò ab hoſtibus vrbem defendit, verumetiam aliquibus copiis in vrbis defenſionem relictis, cum aliis ſtrenuis Africam inuaſit, ſicque breui Syracuſas ab obſidione liberauit, & Carthaginenſes ad extremam vſque neceſſitatem deduxit, atque ita fœderibus inter ſe firmatis, Carthaginenſes Africam, ipſe Siciliam pacificè diu tenuit. Agathocles igitur nec fortuna, nec virtute ad imperium peruenit. non fortuna quidem, quoniam gradatim per militiæ ipſius gradus ad regni maieſtatem promotus eſt: virtute verò minimè. Non enim virtus eſt ciues necare, ab amicis deficere, ſine fide, pietate, atque religione omnia agere. Hæc etſi nonnunquam ad maieſtatem hominem, non tamen ad gloriam prouehunt. Nam inſpecta animi magnitudine, qua audacter pericula adibat, atque prudenter ipſa euitabat, quáve aduerſa ferebat atque exuperabat, excellẽtiſſimus dux, atque nullo alio inferior (vt ita dixerim) cenſeri debuerat. Verùm efferata immanitas atque infinita admodum ipſius ſcelera, quibus vitam deturpauit, fecerunt vt inter illuſtres viros non celebraretur. Noſtra verò tempeſtate Oliueretus Firmanus ſub Alexandro VI. Pontifice alter Agathocles euaſit, ſi licet parua magnis componere. Hic enim defuncto patre, cùm in pueritia à Ioanne Folliano patruo piè, vt decebat, ac benignè educaretur, annos pubertatis egreſſus, ab eodem patruo ad Paulum Vitellum ſua ætate virum ſtrenuum, vt militarem diſciplinam ab eo diſceret, mittitur. Militauit autem ſub eo pluribus menſibus. Poſtea Paulo mortuo, ſub Vitellotio Pauli Vitelli fratre aliquot annis. At cùm hic Oliueretus ſuis viribus plurimùm tribueret, Vitellienſium atque Firmanorum quorundam fauore aſſumpto, quibus propter ſcelera ſeruitus patriæ iucundior quàm libertas erat, patriam occupare excogitauit. Huius rei cauſa ad Ioãnem Follianum

patruũ literas dedit, quibus ſignificauit quòd cùm diu extra patriam & diſciplinæ & virtutis cauſa permanſiſſet, optabat & eum, cui plurimùm deberet, & ciues, quos mirificè amaret, & ſua etiam bona reuiſere. Et cùm aſſereret ſe nullam aliã ob rem elaboraſſe niſi honoris cauſa, vt hoc ipſum ciues crederent, ſignificauit ſe cum centum equitum comitatu venturum eſſe, rogans patruum curare vt à Firmanis honorificè ſuſciperetur, quia id non tantùm ſibi, ſed ipſi quoque, qui educauerat, eſſet honorificum. Ioannes officium, quo erga fratris filium fungi debebat, præſtitit, curauítque vt Firmani comiter eum ſuſciperent, propriis quoque laribus magna cum expectatione excepit. Aliquot ergo poſtea diebus cum ſuæ patriæ proditoribus, rem, quam conſtituerat, pertractans, tandem ſolenne conuiuium parat: ad quod & patruum & omnes primates inuitat. Completis itaque poculis & epulis, tandem ſigno dato, à militibus ipſis, quibus id negotium datum erat, & patruus & primates omnes interempti ſunt. Ipſe verò per vrbem equitans, eam demùm occupauit. & omnibus his interfectis atque deletis, à quibus lædi poterat, tyrannus creatur. atque nouis legibus & ciuilibus & militaribus conſtitutis, per vnum annum principatum tenuit. Et longè diutiùs tenuiſſet, niſi vlciſcente Deo, à Cæſare Borgia Pontificis filio ob proditionem, & infidelitatem in Senogallia interemptus eſſet.

De iis qui per arma ad regnum peruenerunt.

CAPVT VI.

SVNT etiam qui per arma regna occuparunt; inter quos Ninus Aſſyriorum Rex primus fuit. Antea enim fines imperij tueri magis quàm proferre mos erat. Siquidem intra ſuam cuique patriam regna finiebantur. Hic verò vetus & auitum noua imperij cupiditate mutauit. Nam primus bella finitimis intulit, & rudes adhuc ad reſiſtendũ populos vſque ad Libyæ terminos perdomuit. Fuerunt tamen Nino longè antiquiores Vexores Ægypti Rex, & Scythiæ Rex Thanais, quorum alter in Pontum, alter vſque Ægyptum ex-

Digitized by Google

ceſſit. Sed longinqua non finitima bella gerebant, nec imperium ſibi, ſed populis ſuis gloriam quærebant, contentique victoria, imperio abſtinebant. Poſtea alij reges quaſi per manus ſuccedentes Nini exemplo & regna & aliena bona dominandi cupiditate, vi atque armis occupauerunt. Cùm apud eos æquum ſit iuſiurandum violare, iuxta illud Euripidis, quod Cæſar dictitare ſolebat: Si iuſiurandum violandum eſt, regnandi cauſa eſt violandum. Verùm alij propriis armis regna aliena occuparunt. vt Romani, vt Gothi, qui magnam per aliquot annos tenuerunt orbis partem, Spartani Græciam. alij alienis, vt Franciſcus Sfortia, cùm Mediolanum ſubegit. alij mixtis, vt Hannibal, quum Italiam inuaſit: nam ex omni gente exercitum congregauit.

De iis qui per dolum Tyranni euaſerunt.

CAPVT VII.

DOLO etiam Piſiſtratus tyrannidem occupauit. Quippe verberibus domi affectus, laceratóque corpore in publicum progreditur, & aduocata concione vulnera populo oſtendit. de crudelitate principum, à quibus hæc ſe paſſum ſimulabat, queritur. Adduntur vocibus lacrymæ. & inſidioſa oratione multitudo credula incenditur. Amore plebis inuiſum ſe ſenatui affirmat. Obtinet ad cuſtodiam corporis ſui ſatellitum auxilium, per quos occupata tyrannide per annos XXXIV. regnauit. Phalaris etiam cùm Himerenſes eum ſibi imperatorem conſtituiſſent, ſimulans acerrimos atque infenſiſſimos inimicos, qui aduerſus ſe conſpirauerant, propterea quòd eſſet patriæ fautor atque libertatis amator, ſui corporis cuſtodes petit, vt dolo tyrannidem occuparet, quam Steſichorus poëta hoc apologo impediuit, in concione dicens. Equus prata ſolus obtinebat, quorum cùm ceruus adueniens paſcua deuaſtaſſet, de vltione cerui hominem conſulit, ſi vna ſecum pœnas poſſet ex ceruo ſumere. At ille: facilè, inquit, ſi frenum patieris, & ego in te haſtam tenens aſcendero. Accepit equus conditionem, aſcendítque in ipſum homo, & ita pro vltione huiuſmodi

Digitized by Google

ſeruiuit, & ſic libertatem amiſit. Quamobrem & vos (inquit) cauete, ne cùm velitis hoſtes vlciſci, idem quod equus patiamini. Frenum iam accepiſtis. Si verò cuſtodiam dederitis, & aſcendere permiſeritis, ſeruietis profectò Phalaridi. Hoc ergo apologo Steſichorus fertur tyrãnidem Phalaridis impediſſe. Fuit autem Phalaris Agrigentinorum tyrannus, orator callidiſſimus. non tamen defuit quin tandem perſuaſione Zenonis philoſophi ab Agrigentino populo lapidibus obrutus fuerit. Dionyſius iunior inter initia regni diſſimulatum animum priùs ad fauorem popularium conciliandum intendit, excuſatius facturus quod ſtatuerat, ſi probatus antè omnibus foret. Hinc nexorum tria millia à carcere dimittit, tributa populo per triennium remittit, & quibuſcunque delinimentis poteſt, animos omnium ſollicitat, vt ad deſtinatum facinus quod propoſuit perueniret. Poſtea cùm viſum fuiſſet liberè tyrannidem poſſe occupare, non cognatos tantùm fratrum, ſed & ipſos fratres interfecit, vt quibus conſortium regni debebat, ne ſpiritus quidem conſortij relinqueretur. ſicque tyrannidem in ſuos priùs quàm in externos auſpicatur.

De iis qui factione ad regnum peruenerunt.

CAPVT VIII.

QVI verò ex factionibus tyranni euaſerunt, quamplurimi fuerunt. Illuſtriores tamen Sylla & Cæſar. Ille enim Marianis attritis atque fugatis Dictaturam occupauit, quam poſtea libero atque proprio (vt aiunt) motu renuit. Hic verò fugatis Pompeïanis imperium aſſumpſit. Verùm cùm agere inſolentiùs cœpiſſet, & contra conſuetudinem Romanæ libertatis honores ex ſua volũtate præſtaret, qui antea ad ſenatum referebantur, nec ſenatui ad ſe venienti aſſurgeret, aliáque regia & pene tyrannica faceret, à coniuratis LX. vel ampliùs ſenatoribus equitibúſque Romanis, inter quos præcipuè duo fuerunt Brutus & Caſſius, in ſenatu XXIII. vulneribus confoſſus eſt. Fuerunt etiam alij iuniores, qui aduerſæ factionis ſectatoribus fugatis tyranni euaſerunt. Sed hi ſufficiant ad exemplum.

Digitized by Google

De iis qui ſeditione ad principatum elati ſunt.

CAPVT IX.

SVNT inſuper qui & ſeditione ad principatum elati fuerunt: inter quos meliorem viam ſecutus eſt Solon. Hic enim cùm inter ſe ciuitas diſſideret, atque per ſeditiones diuiſa trifariam eſſet, in Diacreos, Pendreos, atque Paralios, (Hæc enim omnino capita partium erant) nullis ſe immiſcuit, nulli factioſè ſe dedit. quippe qui ſe cunctis communem præbuit, omnia dicens agénſque, quæ ad concordiam ferrent. Quamobrem communi conſulto & diſcordiarum tranſactor, & legum lator egregiè declaratus eſt. Ad extremum hac via, his artibus ciuitatem conſtituit, & rempublicam optimis inſtitutis ac legibus temperauit. Origilai etiam fratres apud Delphos & ſeditione principes euaſerunt. Nam cùm Delphis maxima ſeditio orta eſſet: quòd Origilaus Phalidis filius Cratetis ducturus filiam, dum rem ſacram de more facere vult, craterem interlibandum vltro fortéque derepente ruptum animaduertit: portentum hoc deuouendum ratus, infectis nuptiis relicta ſponſa, cum patre inde confeſtim abiit. Ea re Crates infenſus, Origilaum & fratres non multo pòſt ſacrificantes adortus, vt præcipites ſe darent, compulit. Iterum amicos familiaréſque ſupplices in templo Prouidentiæ impetu facto oppreſſit. At Origilai fratres Cratetem & reliquos eius factionis homines ex compoſito aggreſſi, interemerunt, & ita apud Delphos vt principes habentur.

De iis qui fauore ciuium ad regnum peruenerunt.

CAPVT X.

SVNT etiam qui nec ſceleribus, nec vi, nec aliis obſcenis modis, ſed ciuium ſuorum fauore ad dominationem peruenerunt, qui non abſolutè domini aut principes dici poſſunt. Non enim ore aperto imperitant, ſed precibus &

conſiliis. Quippe cùm eorum preces atque conſilia pluſquàm mandata ciuibus ſint. Nam qui non obtemperant, vt hoſtes proſequuntur. Huiuſmodi noſtra ætate fuerunt Laurentius Medices Leonis X. Pontificis maximi pater, vir prudentiſſimus apud Florentinos, Ioannes Bentiuolus apud Bononienſes, Pandulphus Petrutius apud Senenſes. Hi enim omnes per popularem fauorem iucundam tyrannidem diu tenuêre.

De iis qui electione ad regnum peruenerunt.

CAPVT XI.

PER electionem verò ſunt, qui aut ſtatuto, aut toto ſuæ vitæ tempore ad regnandum eliguntur, vt Romanorum Imperatores, & Pontifices, Ægyptiorúmque Reges, qui Soltani dicuntur, & cæteri id genus. Antiqui enim qui rudes erant, cùm domos ædificare, oppida incolere, humanis denique moribus viuere ignorarint, eos reges ſibi eligebant, qui magis prodeſſe poſſent. Verùm de legitima electione in quinto libro diſſerendum eſt.

De iis qui ſucceſſione Reges facti ſunt.

CAPVT XII.

PER ſucceſſionem denique Reges fiunt, qui aut matri, aut patri Regi in regnum ſuccedunt. Hoc autem fit aut iure hereditario, aut adoptione, & hoc vel à patre legitimo rege, vel à patre quo vis modo principe aut tyranno. Vnde ſi pater rex factus ſit aut fortuna, aut virtute, aut ſceleribus, aut armis, aut vi, aut dolo, aut factione, aut ſeditione, aut ciuili fauore, licet tyrannicè factus ſit, qui tamen huic ſuccedit, rex ab hiſtoricis dicitur. Verùm antiquitas legitimum ſucceſſorem aſſerebat eum, qui iure hereditario patri legitimo regi ſuccedebat. Quibus perſpicuum eſt primam regum originem, vt Diodorus deducit, fuiſſe aut tyrannidem, aut electionem. Hactenus de modis, quibus regna acquiruntur.

Digitized by Google

AVGVSTINI NIPHI
DE REGNANDI PERITIA
LIBER SECVNDVS.

PROOEMIVM.

CVM de modis quibus regna acquirantur dictum ſit breuiter, nunc de modis, quibus regna diu à regibus poſsidentur, agendum nobis eſt, & primò quidem generatim, poſtea per capita.

Modi quibus regna diu poſſidentur, generatim hîc exponuntur.

CAPVT PRIMVM.

REGNA ergo conſeruantur atque poſſidentur tribus (vt Ariſtoteles auctor eſt) fundamentis, fortitudine, iuſtitia, & iis, quæ his ſubſeruiunt. Fortitudine quidem in bellis, iuſtitia verò in pace, quæ his ſeruiunt vtroque tempore bellorum & pacis. Quare de armis primò nobis dicendum eſt, quibus regna ab hoſtibus defenduntur. Poſtea de modis quibus in pace principes ſua regna à popularium inſultibus & ab hoſtium inuaſionibus ſeruant. Demùm de communibus quibuſdam, quæ his vtriſque ſeruiunt. Procedemus autem in omnibus more noſtro peripatetico.

Quot ſint militum atque equitum genera, quibus pro regnorum defenſione atque cuſtodia vtuntur Reges.

CAPVT II.

MILITVM, aut equitum genera multiplicia eſſe, ex veteribus hiſtoriis patet. Nam alij ſunt proprij, vt putà Romanis ducibus milites, qui genere Romani ſunt: Spartanis milites, qui genere Spartani: Gallis verò, milites Galli. Sunt inſuper proprij, qui à Regibus aut creantur, aut in militia erudiuntur. Alij mercenarij, vt putà qui mercede atque ſtipendio conduci conſueuerunt, vt Gallorum Regibus mercenarij Heluetij eſſe ſolent. Auxiliares alij, vt qui ex fœderibus in auxilium mittuntur ab amicis ac fœderatis, aut ab aliquo potentiori. Alij denique miſti, vt putà vel ex propriis & mercenariis, vel ex propriis & auxiliaribus, vel ex mercenariis & auxiliaribus, aut mixti ex his omnibus.

Mercenarios milites pro regnorum defenſione atque inuaſione eſſe minus vtiles quàm ſint proprij.

CAPVT III.

DIVISIONE hac præmiſſa, dicamus quòd mercenarij milites (vt mihi videtur) in bellis parum aut nihil proſint, nec pro regnorum defenſione, nec inuaſione ſatis vtiles ſint. Sunt enim diſcordes, factioſi, plerumque infideles, nec multùm de proprio honore ac nomine ſolliciti. Cauſa verò eſt, quòd non honor, aut victoriæ cupiditas, ſed ſtipendium ac lucrum eos in bellis detineat, iuxta illud Horatij.

Ibit eò quò vis, qui zonam perdidit.

Præterea dum in pace Reges ſunt, ſtipendiarij milites perlibenter ſeruiunt, ſéque ſtrenuos oſtendunt. & hæc quidem nullam aliam ob rem agunt, niſi vt ſtipendia percipiant. Adueniente verò bello, alij ſe ægrotos fingunt, alij au-

fugiunt, alij alia ſimulant: denique pauci eorum adſunt, qui temporibus pacis montes & maria ſe facturos pollicebantur Etquoniam Italiæ militia multorum annorum curriculo in mercenariis militibus collocata fuit, hinc euenit vt à Carolo VIII. Gallorũ Rege inuaſa, ſtatim rueret. Nam licèt mercenarij illi milites nonnulla fortitudinis ſigna ante Caroli aduentum oſtentarint, magnámque Italiæ partem regibus ſuis aut ſubegerint, aut pacarint; externo tamen Regi, qui propriis atque mixtis armis Italiam inuaſit, illicò ſuccubuerunt. Quòd mercenarij milites parum aut nihil regibus proſint, hinc etiam demonſtrari poteſt. Nam aut eorum duces fortes aut timidi ſunt. Siquidem fortes non regum bonum, ſed proprium procurabunt. quippe cùm nonniſi lucro inhient. Sin autem timidi fuerint, nec regibus, nec ſibi ipſis prodeſſe poterunt. Quòd ſi dicas proprios etiam milites proprium bonum attendere magis quàm bonum regis, dicemus hoc eos procurare interdum ſuo rege abſente. At cùm rex ipſe aderit, proprij milites id plorumque procurabunt, quod rex deſiderat atque intendit: Secùs verò, ſi mercenarij aut auxiliares fuerint. Nam mercenarij & præſente & abſente rege ſtipendia magis quàm regis bonum appetunt. Non enim eum amant ac timent, nec illius cauſa agunt, ſed ſui potiùs, aut eius à quo in auxilium mittuntur. Quòd autem mercenarij milites interdum obfuerint, teſtes ſunt Carthaginenſes, qui primo bello cum Romanis finito, licèt ipſi eorum duces Carthaginenſes eſſent, à mercenariis tamen militibus fuerunt ferè oppreſſi. Philippus Macedo poſt Epaminundæ mortem cùm crearetur Thebanorum dux, eos poſtea ſibi ſubiecit. Franciſcus Sfortia mortuo Philippo Mediolanenſium Duce, cùm ab illis dux exercitus crearetur, exuperatis Venetis ad Carauagium, Mediolanenſes inuaſit, vt eorum princeps fieret. Sfortia verò Franciſci pater cùm eſſet Reginæ Ioannæ mercenarius dux, vno die nulla cauſa cognita eam penitùs inermem dereliquit, vſque adeò quidem, vt cogeretur Alfonſum Aragonum Regem ex Hiſpania acceerſere, atque illicò aduocare: alioquin de regno Neapolitano actum erat. Spartani autem atque Romani duces, qui propriis armis aliorum regna inuaſerunt, & illa, & proprias res

Digitized by Google

publicas multis ſæculis feliciter tenuerunt. Heluetij verò licèt numero pauci ſint, & inter magnos reges collocati, à quibus facilè debellari poſſent, quia propriis armis vtuntur, & ad propriam libertatem omnes intendunt, nulli eorum ſubduntur, & longo tempore in maxima libertate vixerunt. Hieron Syracuſanus cùm militum dux crearetur, & mercenarios milites inutiles eſſe noſceret, mox eos deleuit, & propriis armis inde rem gerere cœpit. Romanorum quoque imperium ita deletum fuit. Vbi primùm enim Gothos feram gentem ad ſtipendia noſtri imperatores vocarunt, ſtatim ad nihilum redactum eſt.

De Florentinis & Venetis.

CAPVT IV.

SI quis autem aduerſus ea, quæ diximus, Florentinos & Venetos obiiceret, qui mercenario milite ſuas reſpublicas locupletarunt, & tutati ſunt: reſpondebimus id non eorum prudentia, ſed fato quodam aut fortuna factum eſſe: tum finitimorum inuidia, ac Italiæ diſcordia, ac ſeditionibus, quæ eorum gliſcentibus rebus maximè viguerunt. Fato quidem, quoniam ſtatutis temporum curriculis quædam regna creſcunt, quædam decreſcunt. Vnde declinante Romano imperio, & vrbis Romæ magnitudine, ex eorum ruinis vrbes hæ emerſerunt. Fortuna verò. Nam ſtrenui duces, qui eorum ſtipendiis merebant, illorum hoſtes aut non penitus exuperarunt; & ita contra illos occupati, in Florentinos non ſe conuerterunt. aut illis exuperatis, victricia arma erga eos conuertere permiſſum non eſt, vigente adhuc aliorum ducum æmulatione. Nam & Sfortia, qui pro Florentinis rem ſtrenuè geſſit, ne in eos arma conuerteret, Brachienſes obſtiterunt. Alij verò ſuis factionibus intenti, quibus Italia diu conflictata eſt, ad imperium non aſpirarunt. Nonnulli & ſi hoſtes oppreſſerint, ſuam ambitionem ad alia tranſtulerunt: vt Franciſcus Sfortia regnandi cupiditatem in Galliam Ciſalpinam ac Mediolanenſium dominatum direxit. Brachius verò aduerſus Romanum Pontificem, ac

Neapolitanum Regem. Adde quòd finitimi potentatus ne alter altero maior fieret, ſuas viciſſim reſpublicas quamuis animo non bono inter ſe tutati ſunt. Cuius rei clariſſimum exemplum præbent nobis Lucenſes, qui quamuis exiguis ſint viribus, finitimorum tamen inuidia inter tot hoſtes, qui eorum rebus inhiant, adhuc in libertate durant. Veneti etiam dum propriis militibus aliorum principatus maritimis claſſibus inuaſerunt, armipotentes omnibus viſi ſunt. Poſtquam autem mercenariis militibus vſi, terreſtres copias compararunt, & ſi lento acceſſu omnem fermè tranſpadanam regionem adepti ſunt, tamen id omne temporis puncto nuper amiſerunt: quo die ad Abduam cum Ludouico Gallorum Rege conflixerunt. Patet igitur quòd ex mercenariis armis principatuum acquiſitiones fortuitæ, ac nimis lentæ ſint, & non niſi in longis temporum curriculis fiant: amiſſiones verò certæ, ſubitariæ, atque omnibus mirabiles exiſtant.

Quomodo Italia venit ad mercenarios milites, & qui primi milites in Italia.

CAPVT V.

SED quonam modo ad illos Italia peruenerit, non eſt difficile exponere. Nam poſtquam Romanus Imperator, qui in Germania eligitur, ob cauſas, quas alibi fortaſſe dicemus, vires ſuas in Italia imminuere cœpit, Pontificúmque ambitio à ſacris ad imperia inhiauit, ac ob factionum capita viribus aucta eſt: multæ reſpublicæ Pōtificis fauore, multi quoque noui principatus exorti ſunt. Multæ inſuper præclaræ vrbes aduerſus ſuos primates arma ceperunt, qui imperatoris iuſſu in eis imperitabant, Hinc aliæ ſub imperio Pontificis, aliæ ſub ipſorum ciuium regimine permanſerunt, ab imperatoris dominio deficientes. Et cùm tam ſacerdotes quàm ciues imbelles atque armis inaſſueti eſſent, externos ad ſtipendia conduxerunt. Hinc Italia mercenariis militibus & quidem externis diu vſa eſt. Illuſtris inter mercenarios Italos patrum noſtrorum memoria Albericus Romandiolus primus fuit, ex cuius diſciplina tanquam ex equo Troiano

emerſerunt quamplurimi. Illuſtriores verò Brachius & Sfortia, poſt quos per manus alij ſucceſſerunt ad vſque Caroli VIII. Gallorum Regis tempora.

Quòd auxiliares milites inutiliores, ac periculoſiores cæteris ſint.

Capvt VI.

POst hæc de auxiliaribus militibus dicamus, præſertim de iis, qui ab aliquo potentiori in auxilium minùs potentis mittuntur: hi ſunt periculoſiores. Nam ſi is, ad quem mittuntur, ab hoſtibus exuperaretur, inermis penitùs derelinquetur, nec habebit vnde poſſit rurſus vires aſſumere. Sin autem ſuos hoſtes exuperauerit, in eius poteſtate manebit, qui auxilia miſit. Huius rei exemplum nobis attulit annis ſuperioribus Conſtantinopolitanus Imperator, in cuius auxilium cùm mitterentur x. m. Turcarum, poſt victoriam per eos conſecutam, fuerunt vſque adeò imperio infeſti, vt breui admodum tempore de eo actum ſit. Quòd verò auxiliares milites mercenariis periculoſiores ſint, ex eo patet, quoniam ſemper poſt victoriam omnes ſub vnius obedientia coniurati atque vniti ſunt. Quare quamprimùm eius hoſtes exuperauerint, in cuius auxilium mittuntur, tam primùm ſi voluerint, eum ſibi ſubiicient, cui auxilio extiterunt. At mercenarij milites, præſertim ſi ex diuerſis regionibus fuerint, dux etiam ab eis genere differens, non ſic ſub obedientia vnius coniurati eum inuadere poterunt, cui deſeruierunt: potiſſimum vbi ſtipendium, quo militabant, defuerit. Hinc euenit vt mercenarij ob ignauiam, auxiliares verò ob potentiam periculoſi ſint. Fit etiam vt princeps, qui non temeritate, ſed prudentia bellum gerit, potiùs cum ſuis perdere, quàm cum alienis vincere debeat.

Digitized by Google

Quòd mixti milites minùs periculoſi, ac minùs inutiles ſint, quàm mercenarij atque auxiliares, non tamen ita vtiles ſicut proprij.

Capvt VII.

NVnc de mixtis militibus agamus: ſunt itaque mixti, qui partim ex propriis, partim ex mercenariis, vel auxiliaribus conſtant. Nàm qui ex mercenariis, atque auxiliaribus miſcentur, penitùs inutiles habendi ſunt. Eſt enim philoſophorum regula, ſi partes inutiles, ac periculoſæ ſunt, totum ipſum quod ex illis conſtat periculoſum, atque inutile eſt. Quòd verò milites, tum ex propriis, tum ex mercenariis permixti vtiliores ſint, quàm mercenarij aut auxiliares ſeorſum, teſtatur Gallorum potentia, quæ quia mixta ſit ex Heluetiis mercenariis, & Gallis equitibus propriis, longè maior eſt quavis, aut mercenaria, aut auxiliaria ſeorſum. Ludouicus enim Gallorum Rex qui proximè obiit (vt ſuprà dictum eſt) ad Abduam Venetorum exercitum longè maiorem exuperauit, nec aliam ob rem, niſi quia ſuus exercitus ex propriis: Venetorum verò, ex mercenariis dumtaxat, mixtus erat. Præterea exercitus ex propriis permixtus, atque mercenariis longè pollentior eſt, quàm qui mixtus eſſet ex propriis, atque auxiliaribus militibus, minùs etiam periculoſus. Cauſa autem eſt, vt diximus, quia mercenarij vtiliores, atque minùs periculoſi ſint auxiliaribus. Quòd ſi aliquando huius rei contrarium obſeruatio demonſtrauit, id non ratione, ſed temerè, atque fortuna factum eſt, quippe cùm fortuna id agat, quod præter rationem, atque conſilium eſt. Romanorum exercitus qui aliquandò auxiliares, aliquandò præſidia habebat, hos non ex æquo cum propriis, aut in maiore numero habuiſſe legimus, ſed aut minus ſtrenuos, aut ita ad paruum numerũ redactos, vt eorum exercitum iuuare poſſent, lædere verò minimè. Quòd autẽ mixti ex propriis, atque mercenariis militibus minùs his pollentes ſint, qui proprij, teſtatur Carolus VII. Gallorũ Rex, qui cùm vniuerſam Galliam mixto exercitu à fato

aut fortuna ab Anglorum armis liberaſſet, illico propria arma cæteris tutiora, atque pollentiora eſſe animaduertit, vt inde tam pedites, quã equites vtroſque Gallos conſtitueret, & inter illa tempora Gallorum potentia pollentiſſima fuit. Ludouicus verò XI. Caroli filius ob rixas, quæ inter equites, aut pedites exortæ fuerunt, imprudenter peditatum diſſoluit. In quorum vices ad eius ſtipendia Heluetios conducere cœpit, & inter eius tempora Gallorum potentia vſque adeò imminuta fuit, vt Galli hodie ſine Heluetiis nihil ſe poſſe facere arbitrentur.

Quòd ſine propriis armis princeps quilibet non tutè, ſed fortuna, aut caſu imperitet.

CAPVT VIII.

SI itaque propria arma ea ſunt, quæ aut ex propriis ſubditis, aut propriis ciuibus, aut propriis alumnis conſtant: fit vt omnis principatus ſine viribus perinde atque eneruatus ſit habendus, qui ſine propriis armis poſſidetur. Quo fit vt omne regnum atque imperium ſub fortunæ poteſtate contineatur, quod propriis armis decoratum atque munitum non eſt. Modus verò quo optimus atque ſtrenuus princeps arma propria ordinare, atque eligere, quóve exercere, atque ad bella diſponere, ac parare debeat, ex Philippi Alexandri Magni patris, atque Romanorum, ac Spartanorum geſtis facilè intelligi poteſt. Hi enim præcipui fuerunt, qui propriis armis vti non ignorauerunt. Inter noſtra autem tempora Heluetij atque Germani magni militiæ magiſtri habentur.

De conſiderationibus, quæ ei neceſſariæ ſunt, qui bellum adire vult, ex quibuſvis militibus.

CAPVT IX.

POST hæc de his conſiderationibus agendum eſt, quæ ei neceſſariæ ſunt, qui bellum aut pro defenſione, aut pro offenſione gerere intendit. Ariſtoteles itaque philoſo-

Digitized by Google

phorum princeps in Rhetoricorum magnorum libris has quatuor eſſe oſtẽdit, ſine quibus dux nullus niſi temerè victoriam aſſequi poterit. Prima quidem, vt non ignoret copias, & quantæ inpræſentia ſint, & quàm maximæ eſſe poſſint: aut ex propriis armis, aut per ſocios, aut per amicos, aut per fœderatos, aut per ſtipendia, quæ mercenariis militibus dari ſolent: iterum & quales, an in militibus, an in claſſe. Præterea an milites effœminati, an bellicoſi. Inſuper ſi tyrones, an veterani. Ad hæc quales militum duces. Non enim in bellis parum fructus affert ducis fortitudo ac prudentia. Nam (vt prouerbium eſt) potentior is exercitus eſt cenſendus, qui ex ouibus conſtat, modò leo præſit, quàm is, qui ex leonibus, ſi modò ouis dux fuerit. Secunda deinceps cõſideratio ex his ciuitatis geſtis colligitur, quæ in bellis adnotata ſunt. Debet enim qui exercitum ducit, reſpicere quæ bella rex aut ciuitas geſſit, & quomodo finierunt, an cum victoria, an contrà. Hæc etiam ex parte hoſtium conſideranda ſunt. Debet enim dux copias eius conſiderare, cum quo bellum agendum eſt: vt quantæ ſint in præſentia, quantæque eſſe poſſint, aut ex propriis, aut ex mercenariis, aut ex auxiliaribus, quæ per amicos aut ſocios, aut fœderibus iunctos, mittuntur. Ampliùs & quales ſint, an noſtris bellicoſiores, an imbecilliores. Tertia eſt, vt de finitimis hæc eadem conſiderentur, vt quantæ ſint finitimorũ copiæ, quantæque eſſe poſſint, & quales. Inſuper quæ bella finitimi geſſerunt, & quomodo finierunt, vt pax & amicitia ac ſocietas ac fœdus cum melioribus habeantur, cum minoribus verò bellum geratur. Demùm & quartò ad hæc ſcire pertinet bellorum euentus non modò proprij regni hoſtium atque finitimorum, verùm etiam aliorum quorumcumque. Similia enim à ſimilibus fieri conſueuerunt.

Quouſque princeps bellicis rebus ſtudere debet.

CAPVT X.

PRINCEPS verò, vt ex hiſce patet, qui & ſe defendere, & aliena inuadere cupit, nulli arti, nulli ſcientiæ

tiæ ſtudium adhibeat, niſi ipſi militiæ: immo quæcunque facit aut relaxandi gratia, aut cuiuſuis alterius cauſa, omnia in militiæ ſtudium dirigere debet. Siquidem hæc ſola ad eum attinet, qui imperitat, per hanc non ſolùm qui ſucceſſione principes ſunt, conſeruantur, ſed etiam ex priuatis principes euadunt. Franciſcus Sfortia per hanc ex priuato Mediolani princeps creatus eſt. Eius filij, qui hanc partem neglexerunt, quique libidinibus ac voluptatibus ſtuduerùnt, ex principibus priuati facti ſunt: præſertim Ludouicus Sfortia Heluetiis prodentibus, à Ludouico Gallorum Rege turpiter captus, in carcere fœdè periit. Præterea princeps qui ſine armis vitam ducit, inter alia mala, quæ ipſi contingunt, hoc potiſſimum eſt, quòd ab omnibus veluti deiectus contemnitur. Nam inter ipſum & armatum principem ea ratio eſt, quæ inter nudum inermem & veſtitum armatum eſſe videtur. Nullus enim nudum inermem veretur, veſtitum armatum quilibet magnifacit. Cùm prædicaſſet leoni vulpes (vt Æſopus fabulatur) de ipſo homine multa: leo inquit, Vellem ô vulpes hominem videre, fortè enim eum non ita pertimeſcerem, vt tantopere timendum eſſe prædicas. Illis ſic de hominis magnitudine diſſerentibus, quidam homo pauper & inermis occurrit. Leo vulpi inquit, Eſtne hic homo? ſagax vulpes, Non profectò, inquit. Paucis deinde verbis interpoſitis, homo alter occurrit baliſta, gladio, & aliis plurimis armis bene munitus. Tum vulpes: En, leo, hic homo eſt. At leo eum timens, iter, vt potuit, arripuit. Per quæ Æſopus affabulatus eſt hominem atque principem eſſe contemnendum, niſi armis & quidem fortiſſimis fuerit decoratus atque munitus.

Quomodo in pace Princeps militari facultati vacare debeat.

CAPVT XI.

SED non parua ex his quæſtio exoritur. Si enim ſemper militiæ princeps vacare debet, tunc eius vita ſemper in bellis verſari deberet: quare pax non erit bellorum finis.

Digitized by Google

Accedit ad hæc quòd actiones bellicæ (vt Ariſtoteles inquit) non propter ſe ipſas experibiles ſint: ſed hæc dubitatio (vt mihi videtur) eo contingit quòd rudes arbitrentur, aut principem rebus pacis ſtudere non oportere, aut in pace principem non poſſe militiæ ſtudiis incumbere. Nos autem, principes qui in pace ſunt, bifariam militiæ ſtudiis operam dare poſſe aſſerimus, opere atque mente. Opere quidem rurſus bifariam, aut per ludos parando atque exercendo milites, quibus in bellis vti voluerunt. vt Græci in Olympiadibus, & Romani in agonibus faciebant: noſtris verò temporibus Heluetij, atque Germani, qui non aliis ludis vtuntur niſi his, quibus in militia milites dociliores atque aptiores ſint. Huius rei exemplum nobis Vitellotius præbuit. Hic enim quoſdam pedites pacis tempore ita exercuit, atque inſtituit, vt belli tempore omnes quovis modo pollentiſſimos aggredi auderent, & in militia adeo inſtructi ad conflictum proficiſcebantur, vt terga hoſtibus dare nunquàm ſint viſi. Inſuper aut per venationes. Per has enim princeps atque milites magnis laboribus aſſueſcunt. Nam niues, æſtus, atque famem prædæ auiditate perferunt. Equitando quoque, currendo, proſiliendo, aduerſum montem aſcendendo, robuſtiores atque duriores fiunt, cum feris congrediendo, animo quoque promptiores. Præterea ſpeciem non paruam fortitudinis præ ſe fert venatio, & cum re bellica (vt Plato inquit) magnam ſimilitudinem tenet. Adhuc per venationes locorum differentias facilè cognoſcimus, vt planorum, montium, vallium, fluminum, atque paludum; quæ locorum cognitio bifariam nobis vtilis videtur. Primò quia per eam propriæ ciuitatis loca apprehendimus, ex qua meliùs vnde offendere hoſtes, & quonam modo ab eis defendere ciuitatem poterimus, perfacilè cognoſcemus. Deinde quia ex apprehenſione locorum, quæ noſtræ regionis ſunt, cæterarum regionum loca veſtigare animo poterimus, quoniam regio omnis, omni regioni aliqua ratione perſimilis eſſe videtur. Siquidem omnis regio planis, montibus, vallibus, fluminibus, ac paludibus conſtat. Cognita autem locorum differentia, caſtrametari, hoſtes inuadere, exercitum ducere, diem conflictus deligere, vrbes expugnare facilè prin-

Digitized by Google

ceps poterit. Teſtatur rem hanc Proſper Columna tuæ Maieſtatis ſtrenuiſſimus Dux, qui paulò antè paucioribus copiis, atque minore potentia, ob locorum ſcientiam & caſtrametandi peritiam, in agro Mediolanenſi Gallos præter multorum opinionem, glorioſiſſimè ſuperauit. Philopœmenes Achæorum princeps, inter alias multas, quas ipſi laudes tribuunt hiſtorici, hanc ſummopere præfert, quòd tempore pacis in bellicis operibus ſemper fuerit: nam per plana, aut montes, aut valles, aut flumina, aut paludes cum ſuis ambulans, bellicos caſus ſemper ipſis proponebat, dicens, hoſtes ſi illinc venirent, nos autem hîc caſtrametati eſſemus, quis noſtrûm meliùs ad prælium paratus eſſet? Præterea quonam modo ordinem militum ſeruando eos inuadere poterimus, quomodo incolumes repedare. Inſuper ſi retrocederent ipſi, quomodo nos illæſi aſſequi eos poterimus. Vnde caſus omnes qui in bello contingere ſolent, ſemper cum ſuis acerrimè diſſerebat, ſicque eorum opiniones colligendo & ſuam diſputando, adeò meliores menti mandabat, vt nihil periculoſi, atque inopini in bello euenire poſſet, quin paratum remedium, atque promptum haberet. Hunc modum declamatores ſeruant, qui in ficto themate ſe exercent. Nam (vt Caluus ſcribit) declamatio eſt domeſtica exercitatio. Solebant enim Romani adoleſcentes eloquentiæ ſtudioſi, exercendi ingenij gratia, inuehi orationibus in eos, quos ſcirent aliquo crimine poſſe notari. Philopœmenes itaque eodem modo in fictis bellis declamationes conficiebat, vt tempore veri belli parata remedia haberet. Quo igitur modo ex opere princeps temporibus pacis militiæ vacare poſſit, ex hiſce perſpicuum eſt. Quo verò mente, patet, ſi virorum illuſtrium geſta legerit. Ex eis enim princeps apprehendere poterit, quonam modo in bellis, atque conflictibus ſe geſſerunt, quibus è cauſis alter victor, alter exuperatus fuit. Debétque optimus princeps in bellis Illuſtrium aliquem imitari, geſtáque illius omnia memoria firmiter tenere, vt illius imitatione in militia quotidie doctior fiat. Hac ratione Alexander Achillem imitatus eſt, *Scipio* Cyrum. Ex Cyri enim imitatione, ob caſtitatem, affabilitatem, humanitatem, atque liberalitatem, quibus officioſiſſimè

Cyrus vtebatur, Scipio immortalem gloriam conſecutus eſt. Quare ſtrenuiſſimus Princeps, qui & Regnum ſuum defendere, & alienum inuadere cupit, tam pacis quàm belli temporibus, nec opere, nec mente à militia vno temporis momento quieſcat. Ab eo enim qui tutò imperitare cupit, huic potiſſimum ſtudium adhibendum eſt: non tamen adeò, vt res pacis prætereat, quinimo maiore diligentia, vt Romani Duces, rebus pacis, ac virtutum ſtudiis intentus ſit. Oportet quippe, cùm hoc regium, illud tyrannicum ſit.

Modi quibus Principes principatum conſeruarunt.

CAPVT XII.

NON deſunt alij modi, quibus Principes ſuum principatum cõſeruarunt. Nam alij ſubditis arma ſubſtulerunt: nonnulli eorum principatus factionibus diſſecuerunt: alij inimicitias contra ſe fouerunt. Procurarunt verò alij, vt qui à principio ſui Regni hoſtes eſſent, beneficiorum collatione amici fierent. Alij arces, locáque difficilia conſtruxerunt. Alij contrà hæc diruerunt. His enim modis Regna conſeruare crediderunt. Et licèt verus conſeruandi modus ſit per arma propria, milité ſque proprios: attamen operæ pretium fuerit, de vnoquoque horum diſſerere, vt intelligatur quis modus ſit vtiliſſimus.

An bonum ſit à ſubditis qui priùs in armis illuſtres erant, arma auferre.

CAPVT XIII.

FLORENTINI credentes Piſas ſua in poteſtate poſſe facilè conſeruare, Piſanis arma penitùs abſtulerunt. Alij in Regni principio cùm ſubditos inermes comperiſſent, eos armis munierunt, credentes eos, qui à principio hoſtes erant, tempore procedente amicos, ac proprios milites fieri, & per hunc modum Regnum amicis abundans fieri arbitrabantur: nam ſi qui à principio ſuſpecti erant, amici fiunt, & qui

Digitized by Google

amici, in amicitia conſeruantur, Regnum amicorum copiis abundare videbitur. Hinc magna diſceptatio vertitur, an arma auferenda, vel addenda ſubditis ſint. Et dicendum (vt mihi videtur) principatum acquiſitum vel eſſe omnino nouum, vt Mediolanenſium principatus Franciſco Sfortiæ omnino nouus fuit: aut non nouum ſed alteri antiquo, vt membrum alligatum, veluti idem Mediolanenſium principatus à Ludouico Francorum Rege Gallis adiunctus, & Bethicæ (quam Granatam vocant) Regnum à Ferdinando Catholico Hiſpaniarum Rege auo tuo Hiſpaniæ annexum fuit. Siquidem principatus omnino nouus eſt, minus malum eſt, eos, qui à Regni principio hoſtes erant, armis munire, qui verò amici, in eorum armis ipſos ſeruare. Si enim ab hoſtibus arma auferes, te eos ſuſpectos habere oſtendes, & ſic maius in te odium concitabis. Sin verò ab amicis, eos inimicos reddes: omnibus autem factis inimicis, opus erit mercenariis, vel auxiliaribus militibus, quorũ qualitas quàm friuola & periculoſa ſit, paulò antè declarauimus. At ſi nouus ſit, ſed antiquo annexus, tunc Reges, qui imperitant, aut tyrannicè, aut iuſtè dominantur. Si tyrannicè, ab his arma mox auferenda ſunt, qui à Regni principio hoſtes fuerunt: ab amicis verò non illico, ſed tempore procedente, vtile eſt eos imbelles reddere, atque exutos armis meliores efficere, (non enim aduerſari poterunt) & arma propriis militibus relinquenda, quibus regnum nouum antiquo annexum eſt. In his enim ſtandum, atque confidendum. Si verò iuſtè imperauerint, quia ſtudendum eſt, vt omnes tam qui à principio hoſtes, quàm ſuſpectos, beneuolos ſibi faciat, arma auferenda non ſunt, ſed beneficiorum collatione & honoribus ex infenſis amici reddendi ſunt.

An factionibus Principatus conſeruari poſſit.

CAPVT XIV.

DEINDE ſi factionibus Principatus ſeruari poſſit diſſerendum eſt. Florentini Piſtorium factionibus conſeruare crediderunt. Veneti quoque hunc in modum multas

præclaras vrbes ſub ſua ditione diu tenuerunt. In illis tamen ſanguinis effuſionem non permittebant. Concedebant itaque diuiſiones, ciuiles factiones, vt ciues in ſuis ſimultatibus occupati, in dominos conſpirare non poſſent. Hic modus (vt mihi videtur) dum externorum hoſtium metus non eſt, poteſt concedi: at ſi potens aliquis Rex, aut Princeps vicinus hoſtis immineat, hic modus friuolus, & periculoſus habendus eſt. Primò quòd principis eius qui regnat imbecillitatem, atque impotentiam factiones notent. Deinde quia ſi pacis tempore non nihil fructus afferant, tempore belli mirum in modum officiunt, quippe cùm ſemper altera factionis pars aduerſus priorem principem arma libenter aſſumat. Huius rei exemplum nobis affert Genua, quæ ob factiones ab omni (vt ſic dixerim) leuiſſima potentia ſuperatur.

An fouendi, vel delendi inimici ſint.

CAPVT XV.

SED quoniam pro Regni conſeruatione, nonnulli penitùs hoſtes peſſundederunt: alij verò fouerunt: hinc exorta eſt quæſtio, quid de inimicis agendum ſit. Et licèt eo libello, quem de inimicis ſcripſimus, multa de re hac diſſeruimus, tamen quantum propoſito noſtro conuenit, dicamus principes tunc magnos putari, cùm difficultates vincunt, & quo maiores ſuperant, eo maiores exiſtimari: non ergo delendi inimici ſunt, ſed permittendi, modò exuperentur. Ex victoria enim tantam principes videntur gloriam conſequi, vt ab omnibus inter Illuſtres collocari dignum ſit. Appius Claudius dictitare ſolebat, negotium populo Romano magis conuenire, quàm otium: cuius rei rationem Valerius affert, non quòd ignoraret pacem & otium hominibus eſſe iucundum, ſed quòd ſummis imperiis otium eſſet pernitioſum, ex otio namque opes, ex opibus luxus, ex luxu auaritia, voluptatis libidines, & reliqua turpia proueniunt, per quæ declarauit inimicos, vbi non fuerint, eſſe reperiendos, tum vt exuperentur, tum etiam vt otium euitetur, quod viro militari pernitioſum eſſe, Valerius putat. Dionyſius Sy-

Digitized by Google

racuſanus & inimicos fingebat, & eos exuperare enitebatur, vt ex victoria eorum ab omnibus fortis cenſeretur. Hac fictione præcipuè noui tyranni, aut principes indigent: cùm enim hereditarij non ſint, vt poſſint nonnihil gloriæ à ſubditis reportare, in has inimicorum fictiones dilabuntur: hinc prouerbium: Quem fortuna dilexit, aduerſus eum ſuperabilem hoſtem concitat, eo enim deuicto mox amplitudinem vincentis patefecit.

An qui à regni principio hoſtes erant, beneficiorum collatione amici faciendi, an priores amici ſolùm conſeruandi.

CAPVT XVI.

De inimicis etiam magna exoritur quæſtio. Nam noui principes nonnulli beneficiorũ collatione, qui à principio regni hoſtes erant, ad amicitiam reducere enituntur: amicos verò in amicitia cõſeruare, vt Cæſar feciſſe legitur: & quidem non ab ratione, ne ad mercenarios, aut auxiliares confugere milites compelleretur. Nonnulli verò magis his confidunt, qui à regni principio inimici erant quàm his, qui amici: quòd in illis plerumque maiorem fidem inuenerint. Pandulphus Petrutius Senenſis potiùs fauore eorum diu imperitauit, qui à regni principio ſuſpecti fuerunt, quàm eorum qui non ſuſpecti erant, & in eis maiorem fidem ſemper adinuenit. Nec hoc præter rationem eſt. Nam qui à principio ſuſpecti habebantur, nulla alia ratione ſe conſeruare poterunt, niſi quatenus principi placere ſtudent. nec à principe aliud deſiderant, niſi ne ab his deſtrui permittat, qui à principio regni amici fuerunt. Quare cùm hoc ſolo princeps eos ad amicitiam reconciliare poſſit, facilè eos ad ſui bonum conſeruabit. Amici autem non id ſolùm cupiunt, ſed propter officia, quæ in principem contulerunt, ea appetunt, quæ aliquando ſupra principis vires ſunt. Vnde fit vt non facilè eos in amicitia conſeruare poſſit. Princeps igitur, qui principatum nouum aggreditur, quémque viribus ſeruare ſtu-

Digitized by Google

det, eos inſpectare debet, per quos ad principatum venit: & quam ob cauſam ipſius fautores fuerunt. Si enim illius rei cauſa non naturalis affectio fuerit, ſed quòd ſub priore principe non bene ſubdebantur, perdifficile profectò erit eos in amicitia diu conſeruare. Non enim eis eo vſque placere poterit, vt pro eorum cupiditatibus omnino ſatisfaciat. Eos verò qui à regni principio inimici erant, paucis (vt dictum eſt) reducere ad ſe poterit. Eos denique, qui neutri fuerant, longè paucioribus. Quòd ſi omnes & ſuſpectos & amicos, & eos, qui neutri fuerunt, in ſua amicitia facile conſeruare ſit, longè melius ac tutius erit, quàm vt ad auxiliares vel mercenarios milites compellatur. In quorum manibus neque bonum, neque tutum eſt regnum. Hunc modum ſeruauit Aratus Sicyonius, qui (vt Cicero narrat) & ſuſpectos, & inimicos, & amicos omnes in vnum reduxit, vt tyrannum necaret. Alfonſus verò Iberiæ Rex, cùm interempto Petro fratre legitimo Rege amicos ſeruaſſet, ſuſpectóſque reconciliaſſet, prudenter fecit: at cùm eos qui neutri fuerint, deleuiſſet, non bene conſuluit, cùm enim Regnum illud nullis, niſi Regni viribus conſeruare poſſet, & prudentia & beneficiorum crebra collatione ad vnum reducere debuerat omnes, ne in mercenariorum, ac auxiliariorum militum neceſſitatem compelleretur. Hunc modum dum Cæſar apud Romanos ſeruauit, tutò imperitauit: poſtquam verò Regia quædam ac penè tyrannica edere cœpit facinora, coniuratum eſt in eum.

Vtrum arx conſtruenda, an deſtruenda ſit.

CAPVT XVII.

DE arcibus ſemper dubitatum eſt, an conſtruendæne an deſtruendæ ſint à Regibus. Conſueuerunt enim Principes arces, & quidem aggreſſu difficiles in editiſſimis vrbium locis condere, conditáſque cuſtodire, muróſque, ac propugnacula munitiſſima conficere. Primò quidem, vt per ipſas arces ſubditorum impetum aliquando facilè propulſare poſſint. Deinde, vt maiore freno ipſos comprimant, ac detineant.

Digitized by Google

tineant. Demùm vt contra repentinos hoſtium incurſus tantiſper ſe cōſeruare poſſint, donec fortuna res eorum in melius vertat. Roma enim licèt à Gallis & capta, & incenſa, Capitolinæ tamen arcis pręſidio, tandiu ex parte ſeruata fuit, quandiu auro pacem redimeret. Alij militiæ non ignari arces omnes euerterunt, vt noſtra ætate Guido Vbaldus Vrbini Princeps. Hic enim ab exilio rediens omnes ſui principatus arces demolitus eſt. Nicolaus quoque Vitellus in ſua ciuitate duas arces funditus euertit. Bentiuoli cùm Bononiam rediiſſent, omnes arces diruerunt: arbitrantes Regna faciliùs defendi poſſe arcibus dirutis quàm conſtructis. Ariſtoteles verò inutilem, periculoſámque arcem eſſe in optima republica, præberéque eam tyrannidis opportunitatem aſſerit. Vnde Pedianus arcem definiens, dixit arcem eſſe tyranni ſedem. Timoleon Corinthiorum imperator docuit vrbem, quæ arcis præſidio teneretur, vix vnquam ſine tyrannide eſſe poſſe. Quare multorum opinio eſt arcem in libera ciuitate atque in regno, cui Rex & non tyrannus præeſt, inutilem eſſe: in ſubiecta autem vrbe, aut ſubacto Regno neceſſariam. Ego verò nec in libero, nec in ſubiecto Regno, arces vtiles aut neceſſarias eſſe arbitror: nam ſi interdum caſu, aut fortuna, aut pro temporum ratione principi vtiles fuerint, plerumque obfuiſſe legimus. Tyranno quidem non proſunt ad populos compeſcendos. Populi enim ſemper opportunitatem expectabunt, vtputà cùm externus hoſtis inuaſurus eſt, tunc enim arces nec timebunt, nec arma capere contra tyrannum verebuntur. Regi verò minimè: Regis enim arx munitiſſima eſt, vt à ſuis ſubditis ametur. Huic enim nouus Princeps magis quàm conſtruendæ arci ſtudium impendat: in hoc fundamenta iaciat, huc accedat. Nec rurſus Principi proderit qui propriis armis nouum Regnum ſuo antiquo connectit. Siquidem vt Fabius Maximus dictitabat: Munitiſſima huiuſmodi Regni arx eſt, propria ác antiqua eius militia. Præterea aduerſus externos hoſtes, qui pollentiores fuerint, parum aut nihil fructus afferunt, quinimo lædere magis videntur. Si enim externus hoſtis potentior fuerit, arx ſiquid confert, id omne in potentioris vtilitatem poſt victoriam redundabit. Sin verò minùs fortis, arx domino non neceſſaria erit: huius rei exemplo

Digitized by Google

nobis eſt Franciſcus Sfortia, hic enim in ſui Regni principio Mediolanēſem arcem extruxit, verùm ſucceſſoribus plurimum obfuit, qui propriis in militibus vim eorum non collocarunt. Vnde Pyrrhus Athenienſes monuit, vt in poſterum nulli Regum poteſtatem facerent ampliùs arcem ingrediendi, ne opportunitatem præſidij nactus quiſpiam inuaderet: gratum conſilium fuit Athenienſibus, vt qui aliquando cognoſcerent periculoſum eſſe fortibus viris aditum præbere. Temporibus verò noſtris arces nulli ferè prodeſſe videmus, niſi Foroliuianæ Principi, quæ viro ſuo Hieronymo defuncto in arce Foroliuiana ab impetu populari tandiu ſe ſeruauit, quandiu auxilia à finitimis ad eam confluxerunt. Verùm poſtea Cæſare Borgia Foroliuium inuadente, arces ipſi mirum in modum nocuerunt. Concludamus igitur arces aliquando vtiles, plerumque damnoſas nouis Principibus eſſe: nouis enim principibus qui populare odium contemnunt, arces tandem damnoſas eſſe obſeruauimus, populorum verò beniuolentian aliquando ipſis profuiſſe. Princeps autem qui nouum Regnum ſuo antiquiori propriis armis connectit, hęc omnia paruifacere poterit, eius enim potentia non in ſubditis quos acquiſiuit, non in arcibus quæ pro defenſione conſtruuntur, conſiſtere videtur: ſed in propriis militibus, ac copiis, quibus Regnum eſt adeptus. hunc modum magnus Turcarum Imperator ſeruat qui omnibus per omnia ſua Regna arcibus deletis, vim ſuā omnē in propriis copiis repoſuit: vnde hoc ab eo aduerſus noſtros mores dictum ferunt: Muri timidos tutātur & arces. In Alexandri Magni geſtis arces ab eo potiùs dirutas quàm erectas eſſe legimus, quod etiam Darius ante ipſum ſeruauit. Igitur iis diſcuſſis, ac diligenter examinatis perſpicuum eſt eum, qui propriis armis Regnum nouum ſuo antiquiori ac priori connectit, hæc omnia debere pilifacere, ſed in ipſa iuſtitia atque æqualitate ſolùm confidere. Alexander autem, qui Darij Regnum adeptus eſt, omnes ſuſpectos, qui Illuſtriores erant deleuit, cæteros iuſtitia æquauit: poſt cuius mortem ſucceſſoribus ſubditi fidem ſeruarunt. Turcarum Imperator cùm Græciam propriis caperet, omnes Illuſtriores eliminauit: cæteros verò optima iuſtitia in vnum reduxit, ſicque vſque ad noſtra tempo-

Digitized by Google

ra ſeruat. Fortaſſe enim nouis & antiquis Principibus (vt mihi videtur) tutius eſſet dominari, ſi modò in ipſis eorum Regnis, qui vulgò Barones dicuntur, aut nulli, aut pauciores eſſent. Nam cæteros ad vnum conſeruare facile eſt, vt putà ſi iuſtitia, atque beneficiorum collatione eos æquabit.

De locis cuſtodiendis conſiderationes.

CAPVT XVIII.

CVm autẽ arces, atque loca quæ aggreſſu difficilia ſunt vſu venerit, vt cuſtodiantur, cuſtodiendi rationes proponendæ ſunt, quæ (vt Ariſtoteles inquit in Rhetoricorum libris) ſunt præcipuè duæ. Altera ex parte cuſtodum. Altera ex parte locorum. Nam cuſtodes ſcire oportet, quot numero eſſe debeant, & quales, an proprij, an mercenarij, vel auxiliares, ſi experti, ſi fortes. Loca autem quæ & qualia ſint, vt ſciamus vbi præſidia collocanda ſint, & qualia, vt ſi non ſuffecerint, augeantur, ſin autem, ſuperflua ſint, omnino tollantur, & ex eis loca magis opportuna cuſtodiantur.

Digitized by Google

AVGVSTINI NIPHI
DE REGNANDI PERITIA
LIBER TERTIVS.

PROOEMIVM.

SVPERIORI libro de armis, quibus regna ab hoſtium inuaſione defendi debeant, ſatis (vt arbitror) dictum eſt. nunc de modis atque legibus, quibus reges & tyranni populares rebelliones euitarunt, quibúſve à popularibus inſultibus regna præſeruarunt, diſſerendum videtur.

Quibus legibus hæreditarij principes ac electi regna à rebellionibus, atque popularibus inſultibus ſeruarunt.

CAPVT PRIMVM.

NATVRALIS igitur princeps, qui hæreditaria ſucceſſione imperitat, facilè ab inſultibus atque rebellionibus regnum præſeruare poterit, modò nefandas iniurias ſubditis non intulerit, nec nouis legibus, quibus inſueti ſunt, coartauerit. Aſſueti enim regum generi, atque maiorum legibus, rarò à ſuo principe deficere cogitant. Accedit ad hæc quòd facilè ab externis hoſtibus regnum defendere poterit, ſi rex hæc in ſubditis ſeruauerit. Et ſi fugaretur, mox expectatus atque accerſitus perfacilè regnum, quod amiſerat, recuperare ſo-

Digitized by Google

ſet, & quidem maiore à ſubditis beniuolentia exceptus, quàm priùs habebatur. Huius rei exemplum Hercules affert Ferrarienſis princeps. Hic enim ab illa acerrima Venetorum inuaſione, quæ M. CCCC. LXXXIIII. factà eſt, regnum ſuum non ſeruaſſet, niſi quia naturalis princeps erat, & ſubditos ſuos nec nouis iniuriis affecerat, nec nouis legibus onerauerat. Hac quoque ratione principatum ſuum Alfonſus eius filius liberauit ab eo periculoſiſſimo bello, quod Iulius II. Pontifex Maximus aduerſus ipſum anno M. D. X. parauit. Ferdinandus II. Iunior, quem à Neapolitano regno Galli fugarunt, paucis atque inermibus copiis ſolo populorum deſiderio & acclamatu his de cauſis perfacilè regnũ recuperauit. Simili modo principes, qui electione fiunt, regna facilè præſeruabunt, ſi nouis iniuriis populos non affecerint, nec leges quibus vixerunt, nouauerint. Propter hæc Romani Imperatores periere, vt Cæſar primus dictator, qui cùm populum nouis legibus ac iniuriis premeret, à Romanis interimitur. Simili ratione, & alij plurimi, vt Nero, Tiberius, & cæteri id genus.

De modis, quibus noui principatus conſeruantur, quando alicui antiquo ſunt connexi, & propriis alicuius regis armis acquiſiti.

CAPVT II.

DIXIMVS principatum nouum eſſe, aut quia omnino nouus eſt, aut quia vt membrum alicui antiquiori ab aliquo rege propriis viribus connectitur. Nunc de modis atque legibus quibus ipſum regnum nouum alteri antiquiori connexum ſeruetur. Et quidem ſi propriis alicuius regis armis acquiſitum eſſe dicamus. Eſt enim difficultas non parua. Siquidem propter bella, oppreſſiones, & qui à principio amici, & qui à principio inimici erant, omnes aduerſus nouum regem quodam modo conſpirant. Qui à principio quidem amici, quòd ea beneficia à rege non receperint, quibus propter ſeruitia & obſequia ſe ſe dignos arbitrantur: qui verò à principio inimici, propter innumeras oppreſſiones at-

que iniurias, quibus ipſi in bello afficiebantur. Huius rei exemplum nobis affert Ludouicus Gallorum rex, qui cùm leui admodum manu Mediolanenſem principatum occupaſſet, leuiori illicò amiſerat, & quidem nullam aliam ob cauſam niſi quòd populi omnes eius acerrimi hoſtes euaſerunt: & niſi Heluetiorum proditione Ludouicus Sfortia captus fuiſſet, haud facilè principatum recuperare potuiſſet. Pro remediis igitur quibus noui principes noua regna conſeruarunt, primò aſſumamus quòd cùm noua regna antiquioribus ſuis coniunxerint, ea aut ſunt cum antiquioribus regnis moribus, & genere, & idiomate conuenientia, facilè illa ſeruari poſſe hiſtorici dixerunt; præſertim ſi populi antea ſemper regibus parere ſoliti ſunt. Duobus enim modis tantùm, regnum ſeruandum eſſe aſſerunt, & rege, & omni ipſius regia proſapia penitùs extincta, & ſeruatis iis legibus, iis conſtitutionibus, eo ordine, atque his honoribus, quibus viuere ſub priori rege conſueuerunt. Cæſar nobis exemplo eſt, qui dum honores, qui ad populum antea referebantur, retulit, & ſenatui ad ſe venienti aſſurrexit, nec leges, quibus Romani viuere conſueuerint, mutauit, ſecurè imperitauit. Quum verò & honores ex ſua voluntate præſtaret, qui ad populum antea referebantur, & ſenatui ad ſe venienti non aſſurgeret, aliáque populo inſueta faceret, cõiurationem in ſe paſſus eſt. Quas res quum & Gallorum Reges in Borgundia, Britannia, Vaſconia, atque Normandia ſeruaſſent, eas diu facilè tenuerunt. Nam licèt idiomatum differentia aliqua ſit, mores tamen ferè ſimiles ac iidem ſunt. At ſi noua regna alteri connectantur, quod genere, idiomate, ac moribus ab illis differat, Reges non facilè ea ſeruare poterunt, quæ parua manu acquiſierunt. Vt de Regno Neapolitano, ac Mediolanenſi Ducatu perſpicuum eſt. Nonnulli pro eorum cuſtodia milites proprios ordinarunt. Quod licèt vſitatum ſit, & à quamplurimis obſeruatum, tamen & ipſis, & ſubditis damnoſiſſimum eſt. Nam propter nefanda ſcelera atque iniurias, quibus milites vniuerſos ſubditos afficiunt, non modò ad clandeſtinas proditiones, verùm etiam ad publicas rebelliones compelluntur. Veluti exemplo nobis nunc ſunt Mediolanenſes, qui iniu-

Digitized by Google

riis laceſſiti à Franciſci Regis Gallorum militibus, perlibenter contra eum inſultauerunt, ac Proſpero Colunna Duce prudentiſſimo, arma penè cuncti vnanimes ſumpſerunt. Hæc ergo remedia afferuntur ab hiſtoricis, vt Rex ipſe nouum regnum colat, atque inhabitet. Sic enim tutè imperitabit, nec aliquis ſubditorum rebellionem aut proditionem facere audebit. Prætereà beneficia, quæ ex Regis præſentia ſubditi reportabunt, compellent eos in Regem non mali quicquam machinari, ſed diligere, atque vereri. Habent enim ante oculos præſens id, quod & ament & vereantur. Obſeruauit modum hunc magnus Turcarum Rex, qui fugato à Græcia Imperatore, mox ſuam ſedem in Conſtantinopolitana vrbe collocauit, vt ob ſuã præſentiam Græci nunquam conſpirare audeant. Secundum verò remedium, licèt tyrannicum ſit, eſt ad nouum regnum colonias mittere, ad quas eorum ſubditorum bona conferantur, qui Regi ſuſpecti ſunt. Suſpectos verò aut ad tutiora ſui prioris regni loca transferre, aut ipſos viribus expoliatos relinquere: quod Veneti in Cypro inſula effecerunt. Nam licèt rex ipſos ſuſpectos perſeueranter in ſui odium, atque maliuolentiam trahat, adiumentum tamen, quod ex coloniis colligitur, maius (vt dicunt) eo eſt nocumento, quod ipſorum incolarum odio ſequi videtur. Offendit enim eos Rex, quos bonis expoliat, quorum odium atque liuorem non timet. Faueat autem coloniis, quarum fauorem, cùm magnus ſit, complecti debet. Aliud autem remedium, quod rurſus afferunt, & quidem pollentiſſimum eſt, vt Rex ea in regione externum nullum, aut conterraneum potentem, aut æqualem, aut potentiorem regnare permittat. Vbi enim ſolus non imperitabit, collegam, ſuæ gloriæ æmulum habebit, qui ſemper ipſius euerſionem atque maleficium machinabitur. Prætereà ſi externum æqualem, aut potentiorem ea in regione regnare patietur, conterranei omnes, qui minùs potentes ſunt, mox cum externo illo coniurabunt, partique eius omninò fauebunt, quouſque de ſuo principatu ſecuri fuerint: ipſe verò in maximo periculo. Sic enim pendente cauſa, neutrum re vera timebunt. Exemplo ſunt nobis Romani Principes, qui ad externas regiones genere, idiomate, atque mo-

ribus differentes, quas propriis armis occupabant, & illuc colonias interdum deducebant, & potentes aliquando viribus expoliabant, & nullum externorum, qui potuiſſet eis officere, regnare patiebantur. Vnde in Græcia Achæos, atque Ætholos, Macedonum verò regnum pro magna ſui parte imminuerunt, Antiochum fugauerunt, vt ſoli cardines vniuerſæ regionis atque iudices haberentur.

Quomodo Ludouicus Gallorum Rex in poſſidendo Italico principatu multifariam errauit.

Capvt III.

Hinc Ludouici Gallorum Regis errata notantur. Nam quum Mediolanenſium principatum vi recuperaſſet, cæteros Italiæ principes à Cæſare Borgia deleri permittere non debebat, nec eadem in regione, vbi ipſe externus erat, vnius potentiam augeri, nec rurſus pati, vt externus alter ſibi æqualis, aut potentior eandem in regionem pedem inferret. Non enim ferendum erat, vt Ferdinandus Catholicus (vbi ipſe ſolus arbiter erat) quicquam poſſideret, ſed Federicum Regem tributarium potiùs, & ad ſui nutum obnoxium, atque obedientem habere. Erat enim Regale magis, Reges aut facere, aut conſeruare, quàm regnandi cupiditate ſuæ gloriæ æmulum permittere. Præterea eò magis errare viſus eſt, quòd poſtquam paſſus fuerat Ferdinandum Catholicum Regem eſſe ſibi Regni ſocium, cum eo manus conferre non debuerat. Eleganter enim Ariſtophanes monuit leonem in vrbe nutriendum non eſſe: ſed vbi nutritus ſit, ei obſequendum. Debuit etiam hac in noua regione, vbi ipſe externus erat, aliquot annis inhabitare, beneficiorum collatione ciues omnes reconciliare, veluti Magnus Alexander fecit, cùm Regnis Darij potitus eſſet, etiam populorum moribus afflari, ne morum differentia diſſidium pareret, aut ſaltem colonias deducere, vt Romani facere conſueuerunt. Potiſſimum autem (vt arbitror) errauit, quòd Venetos deleri, aut diminui paſſus ſit: tolerabilius enim id fuiſſet, ſi eadem in regione æqualem ſibi regnare non permiſiſſet.

Digitized by Google

miſiſſet. Quòd autem iis & tot erroribus lapſus ſit, teſtis eſt nobis finis: ſemper enim finis principio atteſtatur, & omnium rerum finis (vt Solon dictitabat) teſtis eſt.

Cur Darij Regnum, quod Alexander occupauerat, à ſucceſſoribus ipſius, poſt Alexandri obitum non defecit.

CAPVT IV.

QVONIAM in occupandis vi armorum Regnis non paruæ populis difficultates contingere ſolent, vt nefanda ſcelera, oppreſſiones, aut improbæ iniuriæ, admirabitur propter hæc quiſpiam, cur cùm Alexãder in Aſia Darij Regnum vix iam occupaſſet, poſt eius obitum, à ſucceſſoribus ſuis non defecerit. Videtur enim iure deficere debuiſſe, tum quia eo vix occupato immaturè obiit: tum vel maximè propter difficultates atque iniurias, quibus in occupando populos affecit. Legimus autem nullum in populis poſt Alexandri mortem exortum eſſe diſſidium, præter id, quo ſucceſſores ob proprias ambitiones diſſiderunt. Verùm ſi quis principatuum differentias animaduertit, poterit huius rei cauſam afferre. Eſt enim regnum alterum, quod nobiles (quos Barones dicunt) nullatenus admittit niſi quoſdam ſub magiſtratuum prætextu, quos per tempora mutant, atque deponunt: quale fuit Perſarum regnum, & nunc eſt Turcarum. Alterum, quod ſub eodem Rege nobiles & quidem ſanguine atque proſapia illuſtres habet, vt Gallorum, atque Hiſpaniarum, & noſtrum Neapolitanum regnum. Hæc enim nobiles habent, qui licèt ſub vno Rege contineantur, ſubditos tamen & ipſi poſſident, quibus propriis legibus atque conſtitutionibus imperitant: à quibus quum iuſti atque honeſti ſunt, non minùs quàm Rex amantur, atque honorantur. Primum regnum ab hiſtoricis Seruile: ſecundum verò Dominicum vocari conſueuit. Illud quidem Seruile, quòd ſubditi ſeruorum more ſubdantur, nulliſque dominentur, nec aliud quicquam niſi bene gubernari appetant. Hoc verò Dominicum, qui ſubditi legibus quibuſdam

Regi obediant, ipſi verò aliis dominentur. Hinc eius, quod quærebatur, facilè cauſa reddi poteſt. Nam Seruile regnum, quale Perſarum diximus eſſe, obtineri difficillimum atque maximè arduum eſt. Siquidem ab eius Rege propriis atque peculiaribus armis defenditur. Colliſis verò militibus, qui Regi proprij atque familiares erant, facilè poſſidetur, potiſſimum prioris Regis linea extincta. Hæc enim duo pro illius Regni ſecura poſſeſſione ſatis ſunt. Subditi enim cùm nulli alteri niſi prioris Regis generi credant, fit vt illo penitus abolito, quum neſciant niſi ſeruire, nulli alteri Regi niſi nouo obedire velint. Dominicum verò contrà: obtineri enim facile atque perleue eſt. Cauſa autem, quoniam non omnes nobiles Regi pariter acquieſcunt, atque obediunt. Sed alij ſemper vt ſuſpecti, alij vt læſi conqueruntur. His ergo externo Regi fauorem præſtantibus, facilè regnum à proprio Rege deficit, atque amittitur. Id autem quod arduum videtur, eſt ipſum conſeruare. Non enim tutò ſeruare poterit, niſi his illuſtribus abolitis, qui prioris Regis parti addicti erant. Hoc autem tum non leue, tum crudele eſt, atque tyrannicum. Quare Seruile regnũ obtineri difficile eſt, ſeruari facile. Contrà Dominicum, obtineri facile, ſeruari admodum difficile. Siquis enim Turcarum Regem in bello exuperauerit, tutò eius regnum poſſidebit, modò eius genus penitùs deleuerit. At ſi Hiſpanorum regnum non tutò poſſidere videbitur, niſi & Regis linea, & omnibus qui ſuſpecti erant, & eorum lineis omninò abolitis. Hinc in Hiſpania, atque Gallia non raro rebelliones viſuntur. Adſunt enim in eis domini & quidem genere & dominatione illuſtres, qui non omnes pariter Regi beniuoli ſunt. In Aſia autem, vbi Turcarum Rex imperitat, nunquam. Non enim ibi adſunt, niſi qui aut natura, aut more ſeruiunt. Hac etiam ratione Hiſpanorum, atque Gallorum poſſeſſio Romanis ſemper incerta, atque anceps fuit, & non niſi eorum omnium, qui dominari conſueuerunt, penitùs abolitis, quieta. Patet igitur ex hiſce, quamobrem poſt Alexandri mortem nulla in ſubditis facta ſit rebellio, cúrque regnum nullatenus ab eius ſucceſſoribus defecerit.

Digitized by Google

Quomodo Principatus, qui propriis legibus, & quidem ſub libertate viuere diu conſueuit, ſi ab externo, aut nouo principe occuparetur, ſeruandus eſſet.

CAPVT V.

PYRRHVS Epirotarum Rex vrbes, quas in Græcia obtinuit, non facilè ſeruauit. Alexander verò in Aſia Darij regnum ob aſſignatas cauſas facilè admodum poſſedit. Hinc exorta eſt quæſtio non facilis, quónam modo principatus, qui propriis legibus ſub propria libertate viuere conſueuit, ſeruandus ſit. Romani huiuſmodi principatus aliqua ex parte imminuerunt, vt ferociores & rebelles deponendo, atque omnes, qui roboris quicquam haberent, infirmando. Hunc in modum Græciam poſſederunt, vbi multas præclaras vrbes, multos illuſtres viros, qui hoſtili erant animo, confregerunt. Procedente verò tempore cæteris, qui remanſerunt, iuſtitiam ſeruando, beneficiorum collatione paulatim eorum animos molliendo, atque afficiendo, priſtinæ libertatis tandem obliti, eos diligere atque venerari cœperunt. Sicque multas Græciæ regiones tranquillè poſſederunt. Alter modus & quidem potiſſimus eſt, quem ſuperiùs diximus, vt Rex eas colat atque inhabitet. Non enim in eius præſentia deficere audebunt. Beneficiis etiam, quæ ex eius præſentia reportant, eorum animus molleſcit. Aſſueti verò ſic viuere diu, nihil aliud tandem niſi parere cogitabunt. Tertius verò modus, qui etiam ſuperiùs tactus eſt, ſatis (vt mihi videtur) conueniens eſt, vt ſuis legibus viuere permittantur. Fructus autem ſit tributum & obedientia. Tributum quidem, quod variis annorum numeris Romani ex populis percipere conſueuerunt. Obedientia verò, quatenus eorum reſpublicas, aut ſtatus populares ad paucorum potentiam reducebant, ex ciuibus magiſtratus, qui decuriones dicebantur, creando. Illi enim à Romano populo ad nouum ſtatum inſtituti, vt ſe in ditione ſeruarent, ſemper Romanis, è quibus eorum potentia pendebat, obedire nitebantur. Subditi etiam eorum qui ſibimet parere diu conſueuerunt, per-

libenter ſuis ciuibus ſubiicientur. Eſt enim hoc, quia diu conſuetum quodam modo ipſis naturale. Verùm hic tertius modus aliquando non profuit. Spartani enim Thebas, & Athenas paucorum ſtatus in eis inſtituentes, licèt diu tenuerint eas, tamen tandem amiſerunt. Primus tutior modus eſt, licèt crudelior, ac truculentior. Romani enim vt Capuam, & Carthaginem totiens rebelles tutò poſſiderent, earum principes aut ſuſtulerunt, aut imminuerunt viribus: Numantiam verò funditus ſuſtulerunt. Propter hæc igitur tyranni, & qui apud eos prudentiores habentur, aſſerunt in poſſidendis vrbibus quæ ſub propria libertate propriis legibus viuere conſueuerunt, nullum eſſe magis præſens remedium quàm illarum à principio deſtructionem, ac depopulationem, quarum paulatim increſcente multitudine ſub iugo viuere aſſueta, & minùs feroces, & fideliores fieri. Si enim illæſi dimitterentur, prioris libertatis atque antiquarum legum nunquam obliti, ex quauis leui cauſa, quæ interea contingere poteſt, omnes illicò ad rebellionem commouerentur. Huic exemplum afferunt Piſani, qui cùm per centum annos Florentinis ſubderentur, leuem occaſionem nacti, nondum prioris libertatis obliti, à Florentinis defecerunt. Verùm hæc & tyrannica, & impia ſunt.

Quomodo noui omnino Principatus, qui virtute acquiruntur, ſeruari poſſunt.

CAPVT VI.

SVNT etiam noui omnino Principatus, qui nonnunquam propriis armis, interdum penitùs ſine armis per virtutem acquirũtur, non tamen in principio ſine aſpirante fortuna. A fortuna enim occaſione comparata, per virtutem nonnulli Regnis potiti ſunt: verũ virtus ſine occaſione illud agere non poterit. Oportebat enim ſi Romulus Romanorum Rex ob virtutem euaſurus erat, ac illius vrbis fundator, vt in Alba è Regia ſtirpe oriretur, atque in Romano agro expoſitus eſſet. Præterea Cyro qui Medorum imperio ob ſuam excellentiam potiturus erat, opus fuit in Medos molles, atque

Digitized by Google

effœminatos incidere ob diuturna pacis tempora, & ipſos ſuo Regi non concordes, propter nefanda ſcelera eorum, qui priùs regnauerant. Inſuper & Theſeo, qui Athenienſibus virtutem ſuam oſtenſurus erat, neceſſarium erat eos diſperſos, atque diſſectos reperire. Non ergo virtus ſine occaſione ſufficiens erat, minimè etiam occaſio ſine virtute: nam licèt occaſio ad Regni felicitatem diſponat, prudentia tamen operatur, vt occaſionis tempus cognoſcatur. Vnde Trogus prudentis eſſe aſſerit cùm fortuna pulſauerit, oſtium aperire, & opportunitates, quas ipſa afferat cognoſcere, cognitáſque arripere, & arreptas tandem prudenter ad finem deducere: nam in vita perraræ ſunt, & cùm abierint non ampliùs redeunt. Siquis enim eas occaſiones, quæ à fortuna ſunt, non cognoſcit, nec ad finem deducit, rarenter attollitur, vitámque propter ſegnitiem, atque ignauiam, vt bellua finit. Sed vtcumque ſit, qui per virtutem nouis omnino Regnis potiri eniuntur, principium durum habent, propter nouos ordines, atque leges, quibus Regnum inſtituunt. Nihil enim attentatu difficilius: nihil factu magis ambiguum, nihílque ordinatu periculoſius eſt, quàm ordines, ritus, leges promulgare populis, quibus illi viuere nunquam aſſueti erant. Qui enim leges nouat, eos hoſtes habet, quibus priſcæ vtiles erant: eos verò quibus nouæ leges vtiles eſſent, amicos certos non habent, tum quia aduerſarios pertimeſcunt, pro quibus veteres leges faciunt, tum quia nouis non plenè credunt, non enim, niſi experientia muniantur, eis omnino acquieſcent. verùm vbi ſceptro potiti ſunt, benéque rexerint, ſine difficultate regna propter virtutis lucem poſſident, ac ſeruant. Difficultatem verò quæ circa initia eſt, facillimè ſuperant, ſi propriis armis Regna ceperint. Sic enim leges nouas ferre, aliter diſponere, ordines ſua virtute inſtituere, ſine metu, atque periculo poterunt. Nec enim Cyrus, nec Theſeus populos ad conſtitutiones ſuas ſeruandas compellere potuiſſent, niſi propriis armis, & quidem validiſſimis muniti fuiſſent. Sed ſi inermes ſint, non niſi virtutis excellentia omnibus perſpicua, principij difficultatem vincere poterunt. Hiero Syracuſanus huius rei nobis exemplo eſt, qui materno

Digitized by Google

genere ſordidus, nam ab Hieroclyto nobili ex ancilla ſuſceptus, ob virtutes à Syracuſanis Rex creatus, nec aliud à fortuna nactus, niſi occaſionem, cùm enim Syracuſani oppreſſi eſſent, eũ exercitus ducem delegerunt. Erat enim conſilio cautus, manu quoque promptus. Denique aduerſus hoſtes ſæpè pugnans, ſemper victoriam reportauerat, à Pyrrho Rege multis militaribus donis honeſtatus eſt, pulchritudo corporis inſignis, vires quoque in homine admirabiles fuêre, in ſermone blandus, in negotio iuſtus, in imperio moderatus, prorſus vt nihil ei Regium præter Regnum deeſſe videretur. Harum igitur virtutum ſplendore ex priuata admodum fortuna à Syracuſanis tandem Rex eligitur. Proceſſit autem hoc pacto, exercitus dux creatus, omnes milites qui reipublicæ erant, ſibi proprios, ac familiares effecit: hos quidem largitionibus, illos beneficiis, ſuſpectos etiam deponendo, amicos euehendo: vnde paulatim effectum eſt, vt qui priùs reipublicæ ſtudebant, eius tantummodò commodis operam darent: ciues item, quos ſuſpectos habebat, beneficiorum collationibus omnes ſibi deuinxit. Quibus effectis, ciuitatem ad concionem conuocauit, quibus propoſuit vt Regem ſe facerent, aſſerens id non dominandi, ſed eos bene gubernandi cauſa appetere, cùm ob factiones prauè omnino regerentur. Ciues itaque partim militum metu, partim beneficiorum collatione deliniti eum Regem crearunt. Sic igitur cùm circa initia ſuarum virtutum luce, quæ non ſine fortunæ occaſione fuit, omnem nodum, morámque ſuperaſſet, in poſſidendo Regno, nullam prorſus difficultatem paſſus eſt.

Quomodo noui Principatus, qui fortuna acquiruntur conſeruentur.

CAPVT VII.

QVI verò fortuna ſolùm fauente ex priuatis Reges euadunt, facilè quidem tolluntur, repente verò ruunt. Nam ludens fortuna aliquibus plerumque initium facile, finem verò perdifficilem facit. Euenit autem hoc iis ple-

Digitized by Google

rumque, qui gratis, aut pretio, aut fauore, principatum accipiunt: veluti in Græcia à Romanis ducibus in Ionia, atque Helleſponto nonnulli ciues Principatum acceperunt, Romæ etiam viri humiles, & priuati à militum turba nonnunquam corruptione, atque fauore Imperatores creati ſunt, poſtmodum breui tempore ſublati, nec ab ratione quidem, nam cùm priuatè vixerint, bene regere nec poſſunt, nec ſciunt. Nihil enim difficilius (vt Diocletianus dicere ſolebat) quàm bene imperare: *nec minor* (vt Ouidius) *virtus eſt parta tueri quàm noua comparare, caſus ineſt illic, hîc erit artis opus*. Difficultatem verò auget, quia hi, qui eos crearunt, fideles plerumque non habent. Præterea in naturæ operibus cernimus, vt quæ celeriter creſcunt, celeriter pereant. Vnde & prouerbium eſt, nimium feſtinata non eſſe diuturna. His igitur, qui fortuna fauente, ad imperium aduolant, vt ſe ſeruent, hoc vnum remedium eſt, vt virtutem fortunæ ſociam quoad poſſunt, adhibeant. Sic enim agendo, difficultates, quæ poſtea ſuccedunt, facillimè ſuperabunt. Stabilito verò his artibus imperio, quæ ſibi obſtare videbuntur, deleant. Milites, qui mutabiles erant, deponant. Proprios autem creent. Cæteráque ea ratione diſponant, qua regno ſecuritas, ciuium verò tranquillitas comparetur. Huius rei teſtes ſunt Franciſcus Sfortia, ac Cæſar Borgia: illè quidem fortuna fauente, Mediolanenſium: hic verò patris fortuna vrgente multorum principatu potitur. Verùm Franciſcus ſua virtute, atque prudentia ſe ſecurauit: Borgia verò patris fortuna reflante, regnum amiſit. Cauſa autem eſt: Nam Franciſcus virtutem atque prudentiam cum fortuna coniunxit: Borgia verò crudelitatem, atque ſcelera.

Quomodo qui per ſcelera ad Regnum peruenerunt, ſe conſeruarunt.

CAPVT VIII.

MAGNA inſuper dubitatio nobis exoritur, quonam pacto Agathocles, Sylla, atque cæteri, qui per ſcelera

ad principatum peruenerunt, ſine inſultu, atque rebellione ſe in Regno ſeruarunt. Difficile enim atque perarduum videtur. Quippe cùm & ciues, quos iniuriis affecerunt, & externos nonnullos, qui ad eundem ipſum principatum aſpirant, ſemper hoſtes habeant. Hiſtorici, qui rerum euentus annotarunt, hoc immanitati tribuerunt, quæ bene & malè pro regnandi peritia accommodari poteſt. Aſſerunt enim immanitatem, quæ tota ſimul fit, nonnunquam ad Regni conſeruationem facere. Eſt enim tyrannicum præceptum: vt malum totum ſimul, bonum autem paulatim fiat. Malum enim quod ſubitò fit, temporis diuturnitate tandem è memoria eorum deletur, quibus inferebatur. Bonum autem, quod paulatim confertur, ſemper eorum, qui accipiunt, memoriam recentem ſeruat. Agathocles ergo omnes potentes ciues, qui vel in præſens, vel in futurum officere poterant, ſuſtulit: poſtea in dies beneficia conferendo iis, quorum parentes, aut cognatos, iniuriis affecit, animos deliniuit, atque temperauit: & tandem beneficiorum cumulo ad beniuolentiam deduxit. Hunc modum Sylla ſeruauit, qui, vt dictaturam tutò poſſideret, hoſtes, inimicos, ſuſpectos, potentes, qui aduerſabantur, vel quos aduerſari poſſe ſuſpicabatur, omnes interemit. Cæterorum verò, qui remanſerunt, animos adeò beneficiorum collatione deuinxit, vt depoſita dictatura, ſecurè diu vixerit, nec violenta morte vitam finierit. Verùm quàm impia, quàm tyrannica hæc ſint, nemo eſt qui dubitat: non enim Rege, aut pio viro digna ſunt.

Verſutia, quâ Cæſar Borgia eorum animos permolliuit, quibus innumerabiles iniurias intulerat, quáve eos ad ſummam beniuolentiam reconciliauit.

Capvt IX.

CÆSAR verò Borgia Alexandri VI. Pontificis Maximi filius, cùm in Vmbria, quam vi armorum ſibi ſubiecerat, infinitos amicos, hoſtes, atque ſuſpectos, ſeditioſos, atque magnis factionibus diuiſos inueniſſet, vt eos ad pacem,

pacem, atque obedientiam reduceret, ibi Riminum Orchenſem virum crudelem, truculentum, atque expeditum gubernatorem conſtituit. Cui quum omnem poteſtatem præbuiſſet, mandauit vt inimicos, hoſtes, atque omnes ſuos ſuſpectos deleret, qui regionis tranquillitatem turbarent. Hic paucis admodum diebus omnes ſuſtulit. At Cæſar Borgia cùm cognouiſſet ex illius crudelitate eorum qui remanſerunt, nouos hoſtes, ac ſuſpectos ferè innumeros emerſiſſe, (Nam iniurias quas circa magiſtratus initia ſubditis miniſter infert, ex miniſtri mente: ſed ſi perſeueret, ex principis voluntate proficiſci exiſtimandum eſt) eorum animos in hunc modum reconciliauit, atque ad beniuolentiam reduxit. Ceſenæ itaque aduocatis omnibus, quos ille iniuria affecerat, auditiſque eorum querimoniis, perlectiſque libellis, vt cunctis patefaceret eam crudelitatem non ex ſua, ſed miniſtri mente ortam eſſe, in conſpectu omnium euaginato gladio Riminum ipſum manu propria transfixit. Hinc tantam à ſubditis, qui remanſerunt, beniuolentiam comparauit, vt ad noſtra tempora adhuc eius nomen celebretur. Hac autem ex verſutia quum & ſuſpectos deleuiſſet, & omnes ſibi in amicitiam reconciliaſſet, principatum aliquando diu firmauit. Verùm vlciſcente Deo, illum pariter cum patre ignominiosè perdidit.

De Domino Ciuili quis, & vnde ortus.

CAPVT X.

CIVILIS verò dominus (vt ſuperiùs diximus) is eſt, qui non ſceleribus, nec vi, ſed ſuorum ciuium fauore princeps creatur: nec, vt ad principatum perueniat, virtus, aut fortuna ſola, ſed potiùs quædam, vt ita loquar, fortunata prudẽtia ſufficit. Vnde verò principatus iſte ortũ habeat, dicendũ eſt. In ciuitate ferè omni duo hominũ genera ſunt, & nobiliũ, qui ſemper popularibus dominari appetunt, & populariũ, qui appetunt nihil præterquam non opprimi, nec aliqua in re à nobilibus violari. Hinc rara, aut nulla ciuitas eſt, in qua inter populares & nobiles clam aut apertè ſeditio atque diſſi-

Digitized by Google

dium non ſit. Ex hoc itaque popularium, atque nobilium diſſidio facilè dominus ciuilis exoritur: & quidem interdum nobilium, interdum popularium inſultu, atque motu. Nobilium quidem: nam cùm nouerint ſe populos opprimere non poſſe, nec illis, vt cupiunt dominari, vnum ex ſuo genere honorare, atque præponere cunctis aliis ſtudent, & tanquam omnino principem venerantur, nec ob aliud quippe, niſi vt ſub illius vmbra atque fauore popularibus dominari poſſint. Populares verò, quoniam cùm vident ſe nobilium impotentiæ reſiſtere non poſſe, vnum popularium, aut nobilium Principem ciuilem creant, vt eius auctoritate, atque potentia protegantur. Hunc in modum Florentini Coſmum & Laurentium Mediceen ciuiles dominos crearunt. Senenſes Pandulfum Pertrutium: Bononienſes Anibalem primò, deinde Ioannem Bentiuolum. Hac ratione principatus Genuenſium inſtitutus à populo fuit, & quidem vt popularium vnus præeſſet. Verùm non prætermittendum eſt hunc Principatum tyrannicũ eſſe, aut ad tyrannidem tendere, non enim electione legitima, aut iure hereditario fit.

Modus quo ſe in Principatu ſeruare ſolet Dominus Ciuilis.

CAPVT XI.

IS igitur qui nobilium aura ad Principatum peruenit, eò difficiliùs ſe in principatu ſeruabit, qui popularium fauore princeps fit. Primò quidem, quòd ex nobilibus plures habeat, qui non inferiores, ſed æquales videntur, ita vt nec dominari, nec ad libitum ipſos regere poſſit. Deinde eis ſatisfacere non poteſt niſi multos, quos non debet, iniuriis affecerit. Ad hæc ex inimico populo nullus poteſt ſe tutò ſeruare, cùm plurimi ſint: ex nobilibus verò hoſtibus, ſe Princeps tutum reddere poterit, cùm pauci admodum ſint. Præterea ex parte populi vnum maximè timere debet Princeps, ne ab eis ſolus derelinquatur. At ex parte nobilium, & illud inſuper pertimeſcendum, ne aduerſarij fiant. Ingenio enim ac prudentia longè maiore cùm vigeant, longè ma-

Digitized by Google

gis lædere poſſunt. Deinceps ſine nobilibus Regnum Rex ſeruare poteſt, ſine populis minimè. Præterea nobiles ſine populis non proſunt: at populi ſi volunt, ſine nobilibus & poſſunt, & proſunt. Demùm populus obedire ſemper magis paratus eſt, cùm dominari non conſueuerit. Nobiles magis imperitant, cùm obedire ſit ipſis inſuetum. Quare qui nobilium opibus Principatum occupat, difficiliùs, quàm qui populorum, ſe ſeruare poterit. Verùm nobiles bifariam ſunt, aut qui fortunæ Principis omninò ſe præbent, nec rapaces, aut populorum tyranni fuerunt, & hos princeps & honorare, & amare mirum in modum debet: cùm enim ex ipſius fortuna pendeant, nihil niſi vt placeant excogitabunt. Aut qui Principis fortunæ non ſe obligant, nec omni ex parte dedunt. Siquidem puſillanimitate ac præ timore id agant, permittendi ſunt: immò ad conſilia aduocandi, modò prudentes, nec populorum prædones ſint. Sin autem liuore, aut maliuolentia, principis fortunæ non inhærent: ab his princeps ſe cuſtodiat, hos timeat, & ſemper vt hoſtes habeat. Semper enim cùm poterunt, omni leui occaſione emergente, aperto Marte aduerſabuntur. Qui igitur populari aura Principatum occupat, omni ſtudio, omni ingenio, omníque beneficiorum collatione ſibi eum in amicitia, ac beniuolentia ſeruare ſtudeat. Quod facilè efficiet, ſi eum à nobilibus deuorari non permiſerit, quippe cùm quærat populus præter hoc nihil. Qui verò nobilium fauore, omni ſtudio eniti debet, vt populum ad ſe trahat, & beneficiorum collatione eum alliciat, atque popularium animos molliat: quod quidem facilè aſſequi poterit, modò eos protegat, atque ab oppreſſionibus nobilium defendat. Immo trahet eos ad ſe magis: nam qui ab his beneficia recipiunt à quibus non expectabant, maiore vinculo illis coniunguntur: immo magis, quàm ſi ſuo fauore principatu Principes illi potiti eſſent. Patet igitur ex hiſce omnem Principem, qui tutò dominari velit, hoc aſſequi non poſſe, niſi cum populorum beniuolentia, alioquin in aduerſis rebus remedium inuenire, ſibi perdifficile erit. Hàbis Spartanorum Princeps, dum vniuerſam Græciam bellis agitaret, Romanum exercitum acerrimè ſuſtinuit. Quod quidem agere non potuiſſet, ſi patrium

Digitized by Google

populum hoſtem habuiſſet. Hic enim contempta nobilitate, ſemper cum populo amicitiam firmauit, à multis putans magis lædi poſſe quàm à paucis.

Quo pacto in luto, & quomodo non in luto ædificat, qui in populo confidit.

CAPVT XII.

SED aduerſus hæc, prouerbium tritum eſt, Qui populo confidit, in luto ædificat. Verùm enimuerò hoc eſſe videtur, cùm priuatus aliquis ciuis in populo ſolum fundamentum firmat: creditque vt eo ſolo ab inimicorum turba, aut à Magiſtratuum odio liberari poſſit. Hoc enim pacto Gracchi decepti fuerunt: Catilina etiam deletus. At ſi princeps, qui populo imperitat, vir quidem ſit, qui in aduerſis non facilè cedat, cæteráque parauerit quæ ad reſiſtendum iuuerint, hic ſecurè populo adhibere fidem poterit, in illiſque firmare: & quidem longè magis quàm in nobilibus. Adhibitis enim omnibus, quæ ad reſiſtendum neceſſaria ſunt, meliùs cum multis quàm cum paucis ſtandum eſt. Hunc modum Cæſar, & omnes qui ad Regnum aſpirarunt, ſeruarunt: ſemper enim placere populo ſtuduerunt, à nobilibus autem, ſi fieri poteſt, odio non haberi. Huius rei clariſſimum exemplum præſtiterunt Reges noſtri Aragonenſes, qui populi fauore, ac beniuolentia, Andegauenſium & nobilium factioni facillimè reſtiterunt. Teſtatur & Proſper Colunna, qui Mediolanenſi populo fauente cui acceptiſſimus fuerat, Gallorum copias, paucioribus cum militibus fugauit, atque deleuit.

Quomodo periclitentur ciuiles Principes.

CAPVT XIII.

VERVM periclitantur Principes hi, cùm ex ciuili ad abſolutam tyrannidem peruenire nituntur. Ciuiles enim domini, vt diximus, non abſolutè imperitant, ſed ci-

Digitized by Google

uilibus Magiſtratibus conſentientibus: cùm ergo ad abſolutam dominationem peruenire ſtudent, hoc opus, hic labor eſt, non enim aliquid facere, aut deliberare poſſunt, Magiſtratibus non permittentibus, qui ad officia inſtituuntur. Sed quoniam cùm ad abſolutam poteſtatem peruenire contendunt, tumultus non parui emergunt, temporibus quidem aduerſantibus, facilè aut deſtituendo ac deſerendo, aut aduerſando è principatu eum deturbabunt. Qui ergo ad abſolutam poteſtatem euehi contenderunt, ſtuduerunt diligenter, vt ciues, qui in magiſtratu ſunt, ſemper, atque in omni temporum conditione & ſe & ſuo principatu egeant. Nam licèt non propter beneuolentiam, ſaltem tamen ob neceſſitatem fidẽ ſeruabunt. Declarauit autem rem hanc Cæſar, qui cùm Magiſtratibus indulgentibus ciuiliter dominabatur, tutò regnauit: poſtquam autem ad abſolutam poteſtatem peruenire niſus eſt, coniuratum eſt in eum. Dionyſius Iunior poſt mortem patris quum ciuiliter Syracuſanis imperaret, patienter eum tulerunt: poſtquam autem ad abſolutam tyrannidem venit, in exilium miſſus eſt.

Quomodo Ciuilis dominus poterit ſe ab externis hoſtibus defendere.

CAPVT XIV.

POTEST autem Ciuilis dominus ciuitatem ſuam defendere bifariam. Aut vrbem muniendo, aut arma propria, propriósque milites creando. Munitur autem ciuitas muris, foſſis, arcibus, machinis, atque ciuibus in bellis diu exercitatis. Hoc pacto Germaniæ vrbes interdum ſe à ſuis Imperatoribus defendunt, cùm eas opprimere volunt. Replent enim vrbem omnibus, quæ ad vitam neceſſaria ſunt: muniunt muris, foſſis, vallis, arcibus, machinis, omnibúſque neceſſariis ad reſiſtendum: & ne populi neceſſitate ducti deficiant, ex ære publico parant omnia, quæ ad vitam neceſſaria ſunt, emúntque multa pro eorum artificiis, ne de lucri amiſſione querantur: quæ conficiunt reipublicæ ſunt. Pro laboribus verò, quibus illa ſtruunt, mercedem ex ære

publico ſoluunt. Bello autem confecto, quæ artifices ipſi confecerunt, reſpublica vendit. Habent inſuper ex ciuibus propriis milites, quos rurſus ex publico ære ſuſtentant, eóſque ſemper in exercitio militari ſeruant. Hic ergo eſt primus modus, quo profectò ſi populus fidelis fuerit, & ſi non ſemper, ſtatuto tamen tempore ſaltem poterit dominus Ciuilis vrbem ſuam defendere. Nec obſtat agrorum damnum, aut villarum deuaſtatio. Nam prudens princeps ſimulatis nuntiis, fictis literis, aliiſque ſtratagematis ſemper populo ſpem ſalutis atque victoriæ afferendo, fidos ſibi conſeruare poterit, quouſque damnum illatum ſit. Poſtquam illatum eis fuerit, nihil eſt quod ampliùs timere poſſint: ſicque ipſi nequaquam deficere cogitabunt. Alter modus expoſitus eſt, vt creando milites proprios, fideles, atque amicos, quorum neceſſitas ex ſola principis fortuna dependeat. Nec obſtat ſi pauci ſint, modò ſtrenui, ac veterani, & experti. Heluetij nobis teſtantur, qui propter concordiam & bonum publicũ, ac libertatem, licèt pauci admodum ſint, & in medio magnorum Regum collocati, illis tamen facilè reſiſtunt, etiamſi fœderati eos inuaderent. Alij autem defendendi modi, vt putà per milites aut auxiliares, aut mercenarios, fortuiti ſunt, atque incerti. Quibus verò legibus ac modis hi ſe conſeruare poterunt, qui aut vi, hoc eſt armis, aut dolis, aut factionibus, aut ſeditionibus tyranni euaſerunt, ex hiſce etiam perſpicuum. Non enim de his ſeorſum ſcribere oportuit, cùm ex hiſce ſuorum regnorum etiam conſeruationes pateant.

Digitized by Google

AVGVSTINI NIPHI
DE REGNANDI PERITIA
LIBER QVARTVS.

PROOEMIVM.

CVM ſint quædam, quæ & armis, & legibus conferant, quibus & ſeruantur, & defenduntur regna, hæc breuibus percurrenda ſunt, & quidem per modum quæſtionum, vt more peripatetico fieri ſolet.

An pro Regnorum conſeruatione deceat Principem eſſe liberalem.

CAPVT PRIMVM.

ET primò de liberalitate diſputandum, an pro regnorum conſeruatione deceat Principem eſſe liberalem. Liuius aſſeruit, auaritiam, & luxuriam, duas eſſe peſtes imperij: nec abratione quidem. Nam princeps, qui liberalitatem exercuerit, ex hoſtibus amicos, ex alienis ſuos, ex infidis fidos faciet: peregrinos etiam & in extremis terris agentes, ad ſe amandum alliciet. Alij verò non paruæ auctoritatis viri regnorum conſeruationi obeſſe aſſerunt liberalitatem. Nam ſi eius, vt Ariſtoteles inquit, qui liberalis eſt, vehementer in dando excedere ſit ita, vt ſibi ipſi pauciora relinquantur, fit vt Princeps, qui liberalis eſt, plura aliis quàm ſibi dare co-

gatur. Quare extraordinariis tributis ſubditos grauare compelletur. Quam notam non potuit euitare Alfonſus Rex Aragonum, qui primus ex Aragonia familia hoc regno potitus eſt, alioqui multis virtutibus inſignis. Noſtris verò temporibus Virginius Vrſinus, & Fabritius Colunna dum liberalitatis famam aucupantur, ſuos ſubditos nouis tributis grauare compulſi ſunt, ſéque ære alieno obruerũt. Præterea hoc liberalitatis genus è Principe ipſo fidem, atque auctoritatem detrahit. Delet enim diuitias, quibus auctoritas habetur. Ad hæc ſi plura aliis quàm ſibi liberalis Princeps dare debet, belli neruum elidet, qui, vt Demoſthenes in Philippum, & poſt eum Ariſtoteles in Rhetoricorum libris ſcribit, nummus eſt. Quare ſi bellum ſuſtinere voluerit, grauare ſubditos, ipſóſque nouis tributis opprimere cogetur: vnde fit vt regnum in magno periculo conſtituat. Accedit ad hæc quòd non liberales, ſed parci aut auari magna fecerint. Iulius enim II. Pontifex Maximus cùm per fictum liberalitatis nomen ad imperium perueniſſet, ſpreto liberalitatis nomine, pontificatus vires auxit. Ludouicus Gallorum Rex temporibus noſtris dum multa bella geſſiſſet, populos nouis tributis raro oppreſſit: nec aliam ob cauſam niſi quia parcus erat. Ferdinandus Catholicus auus tuus maternus, qui tot præclaris victoriis potitus eſt, eas aſſequi non potuiſſet, niſi parſimoniæ intentus. Ne igitur Princeps ſubditos deprædari, aut pauper ac contemnendus euadere, aut tandem rapax atque populorum prædo fieri cogatur, liberalitatem abhorrendam cenſent. Nobis verò etſi de ea plura in libello de optimo Principe dixerimus, nunc hæc videntur quòd liberalitas ſit altera vulgaris, quæ reuera prodigalitas eſt: Sapientũ altera, de qua Ariſtoteles multa in Ethicorum libris. Huius duæ ſunt partes, altera in dando quibus oportet, quando oportet, & honeſti cauſa: altera in non capiendo ab his, quibus non oportet. Hinc illud Liuij verum eſt, cùm inquit, Luxuria & Auaritia omnia regna peſſundant. per luxuriam enim non tantùm immodicum luxum, ſed prodigalitatem intelligens, quæ vulgaris liberalitas eſt. Per eam enim compellitur Princeps populos deprædari, pauper ac contemnendus fieri, rapax tandem ſubditorum ac prædo euadere.

Digitized by Google

dere. Vnde non abs ratione ab Ariſtotele dictum eſt prodigũ eſſe, qui ſeipſum perdit. Videtur autẽ ſeipſum perdere, quia patrimonium diſſipat, ex quo vitam ducere debet. Liberalitas autem Principi idonea eſt non ea ex parte, qua aliis plura quàm ſibi erogat, quoniam, vt dictum eſt, bellorum neruum delere cogetur, ſed ea ex parte qua à quibus non debet, non accipit. Hoc enim pacto à pluribus liberalis ſemper habebitur, vt ab his omnibus à quibus, quod non debet, non accipit. à paucioribus autem, non liberalis, vt ab eis ſolis quibus non plura quàm ſibi erogat: hi enim perpauci ſunt. Per hanc etiam partem accidit, Principem ſubditos non deprædari, nec nouis tributis premere, nec pauperem ac contemnendum fieri, nec prædonem euadere, nec à multis odio haberi: Quæ omnia regnorũ conſeruationi podeſſe nemo eſt qui dubitat. Hanc partem aliquando Cyrus ſeruauit. Nam quando liberalitate vti non poterat, beniuolentiam ſuorum humanitate conabatur aſſequi. Proſper quoque Colunna, quem honoris gratia & virtutum ego ſæpius nomino, nouiſſimum hoc liberalitatis genus optimè calluit, ſeruauitque erga ſubditos, & ad hunc diem conſtantiſſimè ſeruat.

De Cæſare, & Alexandro, ac Cyro opponitur, & declaratur quomodo liberales fuerunt.

CAPVT II.

OCCVRRET autem quiſpiam aſſerens Cæſarem, Cyrum, atque Alexandrum ob liberalitatem ad ſummum rerum faſtigium perueniſſe. Reſpondemus liberalem eſſe, aut qui potitus regno liberalis eſt, aut qui in rerum curſu, vt regno potiatur, liberalis iudicatur. Ei qui regno potitus eſt, liberalitas interdum prodeſt, vt Cæſari. Cæſar enim ex liberalitatis nomine ad regnum peruenit. Qui verò potitur iam, liberalitatem vulgarem fugiat. Cæſar enim ſi regno potitus diu vixiſſet, liberalitatémque vulgarem, vt conſueuerat, exercuiſſet, dubio procul ipſi, vt Neroni, eueniſſet. Alexander verò, & Cyrus nec de ſuis, nec de ſubditorũ bonis liberales fuerunt, ſed de hoſtium ſpoliis, quæ in bellis lucrati ſunt. Hæc enim militibus amicis, & quibus videbatur, li-

Digitized by Google

beraliter erogarunt. Præterea dederunt, quæ tenere non poterant, præturas, magiſtratus. In pecuniis verò propriis, quæ ſeruari poterant, parci fuerunt. Debet ergo & qui ad principatum aſpirat, & qui in bellis à militibus beniuolentiam captare velit, liberalitate ſplendere, non ea omnino elargiendo, quæ ſua ſunt, aut ſubditorum, ſed quæ ex præda lucratur.

De crudelitate, ac clementia Principis.

CAPVT III.

DE clementia verò, ac crudelitate etiam addubitatur, an Principi pro principatus conſeruatione clementia magis quàm crudelitas conferat. Nonnulli crudelitatem prodeſſe magis aſſerunt, qua immitis Princeps exiſtimetur à ſubditis. Nam licèt principum quiſque ſtudere debeat, vt ab omnibus clemens habeatur: tamen nonnunquam clementia plurimùm ipſi oberit, ſi ea abutetur. Crudelitas contrà, ſi bene. Vt de Cæſare Borgia vidimus, qui crudelitate magis quàm clementia in vniuerſa Vmbria tumultus ſedauit, & ipſam ad obedientiam, ac fidem reduxit. Præterea ex clementia cædes, rapinæ, opprobria, violationes, furta, & omnium malorum genera exoriuntur, vt in Neapolitano regno nuper vidimus, quæ non modò regni conſeruationi obſunt, ſed pietati ac religioni. Ad hæc nouo Principi periculoſa eſt clementia, neceſſaria autem crudelitas. Sunt enim principatus magnis periculis pleni, quibus cogitur Princeps truculentis vti iniuriis. Vnde Virgilius,

Res dura, & regni nouitas me talia cogunt
Moliri, & latè fines cuſtode tueri.

Profuit autem Cambyſi crudelitas, qui victor non ſolùm non hoſtibus pepercit, ſed ne diis quidem, deorúmve ſacerdotibus. Syllæ quoque vtilis fuit: nam vt ſecurè dictatura potiretur, ſeptem millia Romanorum vno die occidi iuſſit. Aliis verò placet magis clementia, cùm virtus ſit, quæ in parcendo mediocritatem ſeruat. Hæc quoque non minùs quàm fortitudo plurimis ac maximis Imperatoribus profuit,

Digitized by Google

vt Alexandro, Philippo, Xerxi, Cyro, aliiſque plurimis. Viuo Cæſari Romanus populus templum commune cum dea Clementiæ condidit. Nam nullum, vt ſcribunt, manſueti, ac clementis officium vnquam omiſit. Sunt qui dicunt crudelitate in paucos, clementia in multos vtendum eſſe. In paucos quidem crudelitate pro malorum terrore. Oderunt enim peccare mali formidine pœnæ. Clementia verò in multos ad crudelitatis nomen euitandum. Eſt enim crudelitatis nomen adeo infauſtum & odioſum, vt inimicos, & amicos ſuſpectos faciat. Quod verò ad prauorum terrorem in paucos Princeps crudelitate vti poſſit, perſuadent morales philoſophi, qui aſſerunt Principem punire poſſe aliquem ſine culpa, modò adſit punitionis cauſa. Fugat enim Princeps aliquando pro ſui regni ſalute eum è regno, qui aduerſus ſe nihil mali aut fecit, aut excogitauit, modò adſit cauſa exilij, vtputà vel quia de gente ſuſpecta, aut quia filius patris rebellis, aut ob aliud id genus. Vnde Græci oſtraciſmo aduerſus ſuſpectos vtebantur. Ego verò hæc, quæ iſti dicunt, iure dicta eſſe arbitror, modò temporum ratio habeatur. Interdum enim Principi vtile eſt, vt eius qui crudelis eſt nomen vendicet: interdum autem obeſt. Iterum ſubiecti ac perſonæ ratio habenda eſt. Princeps enim in aliquibus crudelitate vtens, nonnihil boni lucratur: in aliquibus verò mali multum. Rurſus regionis ac locorum conſideranda ratio eſt. Quippe cùm quibuſdam regionibus vtilis pro pace inter eos firmanda ſit crudelitas, aliis contrà perniti oſiſſima. Quare clementia atque crudelitas Principi vtilis eſſe poteſt, modò prudentia ac recta ratione temperetur. Clementia enim multa, quæ ex nimia fiducia proficiſcitur, Principem facit incautum atque contemptibilem. Crudelitas verò, quæ ex multa exoritur diffidentia, principem facit intolerabilem. Temperanda eſt igitur crudelitas, atque clementia, ita tamen vt manſuetudo ſemper præcellat. Hinc miſericors & iuſtus dominus à ſacris viris Deus dicitur: in quo animaduertendum miſericordiam iuſtitiæ præponi.

An timeri, vel amari magis Princeps debeat.

CAPVT IV.

EX his quæ dicta ſunt, ea exoritur quæſtio, timeríne, an amari Principem melius ſit. Reſpondent nonnulli eſſe regno melius ac longè tutius Principem timeri, quàm amari. Hinc illud: Oderint, dum metuant. Si enim omnes boni atque grati eſſent, beneficiáque à Principe collata, ſemper cognita, amari tutius ac melius eſſet. Quia verò mali plures quàm boni, proditores plures quàm fideles, ingrati plures quàm grati, mobiles plures quàm ſtabiles, ſimulatores plures quàm veraces, proprij magis quàm regij lucri cupidi, promittentes magis quàm obſeruantes, tutius aiunt eſſe timeri. Qui enim offendere parati ſunt, eos minùs ſuſpiciunt, qui amari magis quàm timeri volunt. Præterea ex obligationis vinculo amor proficiſcitur, eorum beneficiorum, quæ ſubditi acceperunt, quod mali homines ex quauis leui cauſa collidunt. timor verò ex pœnæ imaginatione, quæ nunquam te derelinquit. Sylla ſtuduit, vt vtroque modo haberetur, vtputà pariter & amaretur, & timeretur. Vnde in eius ſepulchrum ſcriptum erat: Nemo me amicus beneficentia, nemo me inimicus in inferenda iniuria ſuperauit. Amabatur ergo ab amicis ob crebram beneficiorum collationem. Timebatur ab inimicis, quia iniuriarum vltor maximus erat. Si autem fieri non poteſt, vt pariter Princeps & ametur, & timeatur, diſtinguendum eſſe arbitror Regem à tyranno. Nam tyranno fortaſſe timeri tutius eſt. Si quidem in tyrannide vinculum timoris firmius eſt, quàm amoris. Regi autem amari longè melius & honorabilius eſſe cenſemus. Nam erga Regem ſubditorum beniuolentia naturalis admodum eſt. Sunt enim amoris genera duo, neceſſarium ſcilicet, & volũtarium. Bonum quidem veluti Deum neceſſitate quadam nobis naturali amamus. Iucunda verò volũtario atque placito amore. Quia igitur Rex per ſe bonus eſt, fit vt neceſſitate quadam admodum nobis naturali eum amemus: Tyrannum autem non niſi voluntate ac placito, videlicet pro beneficiorum ratione diligamus.

Digitized by Google

Cur in Annibalis exercitu, licet ex diuerſis hominum generibus eſſet congregatus, nulla ſeditio viſa fuit: in illo verò Scipionis plurimæ, licèt ex hominibus eiuſdem generis conſtaret.

CAPVT V.

QVOD autem timeri vtilius interdum ſit quàm amari, teſtes nobis Annibal, atque Scipio ſunt. In Annibalis enim exercitu, licèt ex pluribus hominum generibus conſtaret, nullam factam eſſe ſeditionem legimus. In exercitu verò Scipionis plurimas contigiſſe ſcribunt. Illud quidem, quia Annibal timēdus ac terribilis erat. Hoc verò, quia Scipio militibus beniuolus, atque ab eiſdem amatus. Nimia enim beniuolentia milites ſuos ad ſeditionem fecit audaces. Auſi enim fuerunt in Hiſpania ipſi non parere, immo quaſi rebelles fieri. Vnde Fabius Maximus in ſenatu corruptorem Romanæ militiæ Scipionem appellauit. Quem nonnulli volentes excuſare, eſſe nonnullos homines dixerunt, qui longè magis non errare, quàm aliorum errores corrigere valeant. Quare cùm amari in eorum voluntate ſit, qui amant, timeri verò in tyranni voluntate conſtitutum: tyranni inuenti ſunt, qui in eo quod ſuum eſt, non autem in eo quod alienum, ſuæ dominationis fundamenta conſtituerint.

An Princeps timeri poſſit, & non odio haberi.

CAPVT VI.

VERVM ex his non parua rurſus quæſtio exoritur, an Princeps timeri poſſit, non autem odio haberi. Prima quidem fronte hæc nullo pacto inter ſe ſtare poſſe videntur, quòd qui timetur, odio haberi videatur. Verumtamen non ita eſſe argumento nobis eſt Deus, qui ab omnibus timetur, à nullo autem odio haberi poteſt. Argumento etiam ſunt & filij, qui patrem timent, eum tamen odio non proſequun-

Digitized by Google

tur. Poteſt igitur aliquid pariter timeri, ac amari, vt Deus, & pater. Poteſt etiam aliquid timeri, & non amari, vt fulmen. Poteſt etiam aliquid timeri, & odio haberi, vt hoſtis, quando potentia ac fortitudine eſt formidabilis. Denique aliquid timeri poteſt, pariter nec odio haberi, vt Princeps, qui abſque clementia atque commiſeratione iuſta agit, qui ſubditis iniurias non infert, bona eorum non deprædatur, ac cuncta quæ facit, iure ac ratione facit: hic enim non amatur, quia ſubditis beneficia, ex quorum collatione amoris vinculum emergit, non contulit: odio etiam non habetur, quia nihil agit, quod ſit odio dignum: timetur autem, quia nullis delinquentibus parcit.

Vnde coniurationes ortæ, & quæ timendæ, quæve paruifaciendæ.

CAPVT VII.

POST hæc de coniurationibus diſſerendũ, vnde quidem ortæ, quæve pertimeſcendæ. Coniuratio igitur ex parte Principis, ex parte ſubditorum populatium, & ex parte æmulorum ortum habet. Ex parte Principis quidem, cùm ipſe imprudens, ineptus, timidus, impotens, ſine fœderatis, atque beniuolis finitimis fuerit. Ex parte ſubditorum verò, cùm ob iniurias, ob noua tributa, ob nouas leges, quibus erant inſueti viuere, atque ob ſcelera nefanda Principem ſummo odio proſequuntur. Ex parte æmulorum, quando principatus factionibus eſſet diſſectus: ob quas etiam ſubditi eſſent diuiſi. Maximè autem timenda coniuratio ea eſt, quæ ex his omnibus ortum habet, vt ex populari odio, ex Principis flagitiis, ac impotentia, & ex æmulorum inuaſione. His enim tribus concurrentibus, ſemper coniuratio effectum habebit. Qui verò in Principem coniurauerit, nec populo fauente, nec potenti æmulo inuadente, & Princeps ipſe prudens, & potens fuerit, fruſtrà coniurat, aut potiùs in ſui quàm in Principis perniciem conſpirabit. Huius rei exemplum attulerunt Canenſes in Bononia, qui cùm ex coniuratione Annibalem Bentiuolum interemiſſent, mox

Digitized by Google

ipſi omnes à populo, qui Annibalem ſummo amore proſequebatur, interempti ſunt. Procedente verò tempore, Bononienſes cùm Principe carerent, Ioannem Bentiuolum Annibalis filium, qui puer clam Florentiæ educabatur, (credebatur enim fabri cuiuſdam filius) perquiſiuerunt, quem cùm Annibalis interempti filium eſſe diuulgaſſent, mox plaudente populo, Bononiam perduxerunt, & illic omni diligentia educarunt, quouſque Principatum regere potuiſſet: hoc autem factum non eſſet, niſi populus Annibalem patrem amore, ac beniuolentia proſecutus fuiſſet. Quare Principes pilifacere debent coniurationes populo ob beniuolentiam diſſentiente, potiſſimum ſi potens, ac prudens ſit, ac cum pluribus & quidem potentibus fœderibus iunctus. Princeps enim duo timere debet, populum, ne coniuret, & externum hoſtem, ne inuadat. Delebitur enim coniuratio, primùm quidem, ſi Princeps à populo erit amatus, ac veneratus. Deinde verò, ſi proprios milites habuerit, necnon & fœderibus iunctos, & amicos, ac ſocios.

Vnde ortum ſit Gallorum Concilium, quod vulgò Parlamentum dicunt, & ad quid conferat.

CAPVT VIII.

AD tollendam igitur in Gallia inter nobiles & populares ſeditionem, quæ ibi crebrò fieri ſolebat, propterea quòd nobiles plebem opprimere ſtudebant, plebeii à nobilibus opprimi non patiebantur: ſapienter inſtitutum fuit Concilium, quod vulgò Parlamentum dicunt, cui Rex tantam præbuit auctoritatem, vt ab eius Concilij Magiſtratibus, etiam ipſe compelli ac iudicari poſſit: non enim decere videbatur Regem in illorum differentiis iudicem eſſe, ne propter iudicia prolata ab vtriſque odio haberetur. Quæ enim ad gratiam attinent], Regis ſunt. Quæ verò ad iuſtitiam, eorum qui miniſtrant. Euitat igitur eo modo Gallorum Rex omnem prorſus & nobilium, & plebeiorum inuidiam ac maliuolentiam: quum videant ſe ad id iudicium compelli, quo & Rex ipſe compellatur. Nihil enim ad aman-

Digitized by Google

dum Regem magis cogere videtur, vt inquit Socrates, quàm ea iuſtitia, quæ Regi & populis, & nobilibus æqualitatem ſeruat.

Quamobrem nonnulli Romanorum Imperatores, cùm rectè erga populum ſe geſſerint, violenta morte perierint.

CAPVT IX.

MAGNAM dubitationem afferunt nonnulli Imperatores, qui & ad populum, & ad patritios bene ac prudenter ſe habuerunt, & tamen male finierunt: hinc quæritur vnde hoc. Verùm antequam ad eos nominatim deſcendamus, illud animaduerſione dignum eſt, Principes, qui hodie ſunt, duas habere difficultates, ex parte nobilium alteram, qui ſemper opprimere populum appetunt, ex parte populi alteram, qui non opprimi cupit. Romani verò Imperatores habuerunt tertiam, & quidem longè maiorem, quæ ex parte militum erat, qui crudeliter, ac inſolenter & nobiles, & plebem deprædari appetebant. Imperatores ergo, qui populos bene, iuſtéque regebant, quique eos à militibus opprimi inſolenter non permittebant, odio à militibus habebantur, hinc aliquando in eos coniurabatur. Qui verò contrà militibus ipſis hærebant, eorum ſcelera, ac rapinas permittentes, à populis odio habebantur, & inde populi in eos perſæpe conſpirabant. Hinc factum eſt, vt quibuſdam virtus, quibuſdam vitium obfuerit. Pertinax enim grandæuus octuageſimo die Imperij prætorianorum militum imperio & Iuliani ſcelere occiſus eſt, qui tamen modeſtus, iuſtus, atque omni virtute clarus erat. Simili modo & Alexander Seuerus, & gladio barbarico & Scurræ barbari manu belli tempore periit: qui tantum animi habuit, vt putaretur diis immortalibus comparandus. Cauſa verò occidendi eius hæc fuiſſe perhibetur, quòd mater eius relicto bello Germanico, in Orientem ad iactantiam ſui rediret: atque ob hoc eſſet iratus exercitus. Commodus autem, & Caracalla, atque Maximinus truculentiſſimi, rapaciſſimi,

atque

Digitized by Google

atque omni vitiorum genere ſceleſtiſſimi fuêre, quia tamen nefanda militum ſcelera tulerunt, omnes manu populorum male finierunt. Seuerus autem, qui fuit ferociſſimus leo, vulpes autem aſtutiſſima, in conſpectu militum admirabilis, in conſpectu vero populorum terribilis videbatur: res populorum, atque militum adeo compoſuit, & tantis diuerticulis eos oppreſſos, atque occupatos tenuit, vt malum omnino finem non ſortiretur.

Quæ mortes Principum ineuitabiles, quæve euitabiles.

CAPVT X.

POST hæc de ineuitabili Principum morte pauca dicamus, quoniam innumeræ ſunt. Sed ea potiſſimum Principibus ineuitabilis eſt, quæ obſtinatione vnius fieri conſueuit. Illa enim quæ ex Mutij Sceuolæ deliberatione ordinata erat, Etruſcorum Regi ineuitabilis fuiſſet. Qui enim vt alterum perimat, ipſe mori non dubitat, hic ineuitabiliter Regem interimet. Hoc pacto P. Antonius à quodam Centurione, cuius fratrem ignominioſiſſima morte occidi iuſſerat, in medio ſui exercitus ineuitabiliter interimitur. Caueat ergo Princeps alicui acriter officere, iniuriáſque præter modum inferre: nam ſunt qui vt vlciſcantur, non curant mori. Sicut memoria noſtrorum patrum, Mediolanenſium Principi Galeatio euenit: hic enim cùm quendam ſuum ciuem iniuriis affeciſſet, ab illo tandem pertinaciter in ipſo templo, dum ſacra fierent, interimitur. Mortes verò, quæ multorum coniuratione deſtinantur, Principes facilè euitare poſſunt, populo præſertim diſſentiente.

De iureiurando, atque ſeruanda fide.

CAPVT XI.

POSTEA an ſeruanda à Principibus fides ſit, iure dubitatione dignum eſt. Et primò quidem, quia Reges non-

nulli iuſiurandum infringentes, res magnas aſſecuti ſunt, vt Philippus Macedonum Rex, qui ſimulationibus, & mendaciis res magnas geſſit. Annibal etiam & Amilchar, cæterique Aphri ferè omnes nunquam fidem ſeruarunt, qui tamen excelſa ediderunt facinora. Ptolemæus Ceraunus cùm plures res memoratu dignas egiſſet, raro iuſiurandum ſeruauit. Propterea nonnulli hiſtoriarum ſcriptores duplicem contentionem eſſe affirmant. Alteram, quæ viribus & armis: alteram, quæ legibus ac rationibus perficitur. Quæ viribus ac armis agitur, belluarum eſt. Quæ verò legibus, ac rationibus, hominum. Aſſerunt igitur, ſi hæc ſecunda ſatis ſufficiens fuerit, in ea permanendum eſſe, nec ad illam alteram aliquo pacto tranſeundum. Sin verò non ſatis eſſe videbitur, confugiendum eſſe ad primam perſuadent, nec in ipſa quæ legibus, ac rationibus conſtat, perſtandum. Prudentem enim eſſe principem dicunt, qui pro temporum ratione, & homine, & beſtia vti non ignorauerit. Beſtia quidem, cùm leges, & fidem, atque iuſiurandum omittit: arma verò, ac vim ſequitur. Homine autem, cùm prædicta omnia obſeruauerit. Quam rem profectò ſcriptores animaduertentes, Achillem & nonnullos alios vetuſtiſſimos Reges à Chirone centauro educatos eſſe ſcripſerunt, ſignificare volentes, vt ego quidem interpretor, Reges pro temporum, locorum ac perſonarum ratione vti debere vtraque natura: humana quidem, cùm vera dixerit, fidémque ac iuſiurandum ſeruauerit: ferina verò, cùm regnandi cauſa iuſiurandum violare compellitur. Compellitur autem, quia non omnes, cum quibus fœdus eſt, boni ac iuſti ſunt: nam ſi omnes boni ac iuſti eſſent, non niſi humana natura vtendum eſſet. Verùm, quia plures eorum, cum quibus ſocietas eſt, mali ſunt, & infidi, cogitur interdum Princeps iuſiurandum etiam violare. Sed tunc non parum dubitatione dignum eſt, quonam modo tyrannus Regium munus ſeruare iudicari poterit, quod eſt non mentiri, vera dicere iuſiurandum non violare, fidémque non infringere. Nam vt Apollonius inquit, potiùs ſerui quàm liberi hominis eſt mentiri. Apud Perſas etiam, vt Herodotus ſcribit, non Regium, ſed ſeruile erat mentiri. Præterea ſi in iuriſiurandi vio-

Digitized by Google

latione tyrannus deprehendetur, quonam pacto ampliùs amicos, ac fœderatos ſibi per fidem comparabit, ſine quibus regnum ſeruare vix poteſt. Tyrannus itaque regium munus, vt dicunt, ſeruare videri poterit: primò quidem ſimulatione, vt ſi ſe veracem fidem, ac religionem ſeruaturum palam omnibus pollicebitur. Si eos etiam punierit, qui fidem, ac iuſiurandum ſpreuerint. Si inſuper præ ſe ferret veritatis ſtudioſum, iuſti defenſorem, iniuriarum acerrimum hoſtem, cùm enim hæc ſimulauerit, tyrannus vt verax à vulgo habebitur, à pauciſſimis ſimulator. Soli enim ſapientes eum ſimulare intelligent, cæteri omnes id ignorabunt. Poſſem tibi aſtruere qui Reges, & qui potentatus, noſtra & patrum noſtrorum memoria fœdera & ius violando magni & iuſti vulgò habiti ſunt, ſed honoris gratia prætermitto: vulgus enim magis oculis quàm mente, & magis ſenſu quàm intellectu mouetur: at in ſenſu ſimulatio eſt, veritas autem in mente, quare à multis verax cenſebitur, à pauciſſimis ſimulator. Deinde in omnibus fidem ſeruare debet Tyrannus: in paucis iuſiurandum violare, vt ſolùm in his, quæ regnandi cauſa fiunt, quæ pauca admodum ſunt. Quare verax à pluribus habebitur. Inſuper ſi iuriſiurandi violatione tyrannus deprehendetur, nunquam eius rei cauſa deerit, aut teſtes ſui mendacij non inuenient. Nullum enim mendacium, vt ait Plinius, tam imprudens eſt, quod teſte careat. Romani igitur in omnibus iuſiurandum, ac fidem ſeruare iubebant. Nam iuſiurandum affirmationem religioſam eſſe aſſerebant, quaſi Deo teſte factam. Vnde M. Attilius Regulus, qui primo bello Punico à Carthaginenſibus captus fuit, Romam venire ad ſenatum iuſſus, data fide, vt niſi redderentur in via captiui, ipſe Carthaginem rediret. Is Romam venit, nec cenſuit è republica eſſe Carthaginenſium reddi captiuos. Maluit tamen ad ſupplicium redire, quàm iuſiurandum fidémque hoſti datam infringere. In II. item Punico bello vnus ex captiuis, quos Romam Annibal redimendorum ſociorum gratia dimiſerat, domum rediit. Quod vbi innotuit, ſenatus eum cenſuit comprehendendum eſſe, & cuſtodibus publicè datis ad Annibalem quoque ducendum, tanti fidem ac iuſiurandum faciebant Romani. Morales philoſophi in

Digitized by Google

iuſtis bellis concedunt inſidias à Principibus committi poſſe, modò iuſiurandum non violetur. Sertorius autem temporibus difficillimis ad milites multa diſſimulabat, vbi diſſimulatio vſui eſſe videbatur. Cæſar ipſe, vt M. Cicero auctor eſt, ſi ius violandum eſt, regnandi cauſa violandum eſſe dicebat. Et quia ea quæ regnandi cauſa fiunt, pauca admodum ſunt, ideo tyrannus in paucis iuriſiurandi violator exiſtimabitur. Hæc niſi à Sapientibus, qui pauciſſimi ſunt, deprehendentur. Verùm iſtud Cæſaris dictum, tyrannicum: illud M. Attilij Reguli factum, religioſum ac regium fuit.

Quæ faciunt Principem egregium, ac æſtimatione dignum.

CAPVT XII.

QVONIAM nihil eſt quod populos magis Principum voluntati ſubiiciat, quàm auctoritas, ac admiratio: Deinceps quæ res admirabilem & magni æſtimandum Principem faciat, ponamus. Sunt enim quatuor, vt Ariſtoteles in Rhetoricorum libris edocet. Rerum geſtarum gloria ac magnitudo, fidei certitudo ac ſtabilitas, populorum cura, atque rerum honeſtarum profeſſio, Principis facilitas. Noſtris quidem temporibus admirabilem grandia facinora fecerunt, Ferdinandum Catholicum, de quo ſæpiùs locutus ſum, Maternum auum tuum, cuius res geſtas ſi recenſere vellem, hiſtorias non diſputationem componere me oporteret. Primò enim ex paruo magnus Rex Hiſpanorum factus eſt, & quia Principes ſui Regni ſuſpectos habebat, vt illorum animos occuparet, & ab inſultibus & rebellionibus auerteret, Bethicam, quæ à Maurorum Regibus tenebatur, inuaſit. Deinde Hiſpaniarum tyrannos, atque geriones ſuſtulit, prædones, quibus tota regio occupata erat, deleuit, impios expulit, nihilque quod religioſum videretur, prætermiſit. Ad hæc Ludouicum Gallorum Regem Italia cedere coëgit, & ſi apud Rauennam à Gallorum exercitu ſuorum Ducum ignauia vincitur, non tamen turpiter, nec incruenta victoria ceſſit. Quæ omnia ita eum glorioſum, atque admirabilem effecerunt, vt iure ac merito diuinis illis

Digitized by Google

veteribus Regibus æquari poſſit. Glorioſum ac admirabilem & auctoritate dignum etiam Principem facit, fidei ſtabilitas, ac certitudo, quia cum amicis amicitiam, & cum inimicis inimicitias, & cum fœderatis ſemper fœdus ſeruat. Hic enim ſemper, atque ab omnibus in magna auctoritate habetur. Neutrum verò præſtare formidoloſorum hominum eſt, &, vt dicemus, plerumque damnoſum. Egregium etiam, atque admirabilem Principem faciunt rerum honeſtarum oſtentatio, & ſubditorum cura. Oſtentatio quidem, nam Princeps, qui virtutem, & viros in quouis virtutum genere probatos amare ſe oſtendit, non parum admirationis affert: vnde Dionyſius Iunior dictitabat ſe multos quidem alere liberalium artium doctores, non quòd illos admiraretur, ſed quia per illos aliis admirationi eſſe vellet, nec iniuria quidem: nam Princeps tali ingenio, talique natura ab omnibus cenſetur, quali præditi fuerint illi, quos aſſidua conſuetudine, ac amicitia coniunctos habebit; vnde Euripides tyrannos dicit fieri ſapientes ſapientum conſuetudine. Noſtra etiam ætate Laurentius Medices Florentinorum tyrannus, vt ſe omnium virtutum ſtudioſum eſſe præ ſe ferret, viros quauis virtute claros, ſemper ſibi contubernales, & quaſi continuos aſſeclas habuit. Præterea cùm his eſt religionis ſtudium, nihil enim eſt, quod magis Principem veneratione dignum faciat, quàm religionis obſeruatio: hæc enim Numam Pompilium, Herculem, Alexandrum, Æneam, cæteróſque, qui religionis cultum locupletarunt, non ſolùm omni laude dignos effecit, ſed inter deos connumerauit antiquitas. Subditorum verò cura: Rex enim qui curat vt ſubditi mercaturas, opera, agriculturas, commercia, commeatus, necnon omnia, quæ vitæ neceſſaria ſunt, ſecurè agere poſſint, omnibus eſt admirabilis, ac auctoritate dignus. Nam cùm natura hoc nobis præſcribat, vt homo homini ſemper proſit, cura ſubditorum ad ineundam gratiam, beniuolentiámque ſeruandam in Principe commodiſſima eſt. Scribit enim Varro Herculem ſic cognominatum eſſe, quòd hominum adiutor ac defenſor eſſet. Admirabilem etiam & quartò Principem facit facilitas. Nihil enim iucundius, ac admirabilius in populo eſſe poteſt, nihil amabilius, quàm cùm ho-

by Google

mines intelligunt aures eius, qui regnat, ſibi patere, nec querelis ſuis occluſas eſſe. Facetus quidam ſcurra interiocandum dictitare ſolebat, malle ſe cæcutienti, quàm ſurdaſtro domino inſeruire. Nam ſi ille minùs cernit quæ facit, magis è re ſua eſſe poteſt, quàm ſi minùs audit quæ dicit. Facilitas Philippi Macedonum Regis multarum ciuitatum animos conciliauit, adeò vt plures beniuolentia ac facilitate quàm armis ſubegerit. Ferdinandum etiam primũ Neapolitanum Regem admirabilem, ac maxima auctoritate præditum faciles ac benigni mores effecerunt. Nunquam defuit quin omnibus ſe & curatorem & patrem oſtenderet: facilis omnibus, ac eodem vultu ſemper hilaris, iucundus, modeſtus, ac comis adeo fuit, vt nulli aut vultu, aut verbis vnquam ſe durum atque aſperum præbuerit. Facilis ergo Princeps eſſe debebit, ſed non adeò vt in contemptum veniat, animóſque ſubditorum corrumpat. Antoninus quidem Commodus quòd gladiatoriis armis ſæpiſſimè in ludo, deinceps & in amphitheatro publicè cum gladiatoribus dimicaſſet, ab omnibus contemptui eſt habitus.

De neutram in partem Principis inclinatione: & an Achæi neutri eſſe debuerant.

CAPVT XIII.

CVM dictum ſit principem non neutrum, ſed determinatum eſſe debere aut ad amicitiam, aut ad inimicitias, hinc ardua quæſtio exoritur, vtrum Romanis & Antiocho inuicem bellum gerentibus, atque hinc inde ad Achæos legatis miſſis, Achæi ipſi neutri an alteri partium inhærere debuerint. Romanorum quidem legatus ita Achæis locutus eſſe dicitur. Quod autem iſti dicunt non interponendos eſſe vos bello, nihil magis alienum à rebus veſtris eſt: Sine gratia enim, ſine dignitate præda victoris eritis. Quod quidem non abſque ratione à Liuio poſitum videtur. Quoniam autem Achæi quauis partium potétiores ſunt, aut æquipotentes, aut minùs potentes. Siquidem minùs potentes, & neutri inhærebunt, rectè Liuius inquit, præda victo-

Digitized by Google

ris eritis. Sin verò potentiores fuerint, nihilominus inhærere debebunt. Nam vndecumque parta victoria, Achæi non ſub iuriſdictione ipſius victoris, ſed victor potiùs ſub ipſorum iuriſdictione remanebit. Sin autem Achæi æquipotentes fuerint, vtile ipſis erit, vt alteri earum partium inhæreant. Primò quidem quia victorem adeo coniunctum habebunt, vt quouis caſu inſurgente, nunquam deſciſcere cogitet, niſi ingratus, atque natura prauus fuerit. Vnde & prouerbium eſt: Qui indigentibus expetita non præſtat auxilia, cum quoque neceſſitatis tempore ab aliis ſolere deſtitui. Quare Achæi alterutris auxilium præſtare debent. Ab iis enim qui auxilium præſtiterunt, niſi prorſus ingrati fuerint, auxilium, quum opus erit, inuenient. Deinde ſi non inhæſerint, victor, cui æquales erant, ex victoria maior remanebit ac potentior: quare in dies Achæi fieri poterunt victoris præda, illo videlicet potentiori facto. Neutra igitur inclinatio periculoſa eſt, ac plerumque fallax. Huius autem rei exemplo nobis ſunt Veneti, qui ſuperioribus annis parui admodum lucri cauſa neutros ſe præbentes, Ludouicum Mediolanenſium Principem à Ludouico Gallorum Rege debellari permiſerunt: qui non multò pòſt victoris præda fuerunt, victi ab ipſo Rege ad Abduam. Quòd ſi Solon neuter eſſe voluit, non errauit: quoniam, vt Plutarchus inquit, omnia dixit, atque egit, quæ ad concordiam ferrent. Hoc enim pacto in neutram partem pendere aliquando profuit. Vnde Solon hanc ob rem communi pugnantium conſulto, & diſcordiarum tranſactor, & legumlator egregiè declaratus eſt. Siquidem non pro bello, ſed pro pace neutrum ſe præbuerat.

De Principe optimo. De mediocri, atque penitùs inutili.

CAPVT XIV.

QVIS verò Princeps optimus, quiſve bonus, ac mediocris, & quis omnino abiectus, atque inutilis ſit, exponamus. Princeps itaque nullus eſt dicendus, qui conſilij capax non ſit, cùm Principem agere ſit prudentis. Princeps igitur qui per ſeſe omnia noſcens, conſilio pollet, nec in

agendo aliorum conſiliis eget, hic optimus atque excellentiſſimus eſt, & natura Princeps. Dicebat enim Cyrus imperium nemini conuenire, qui quibus imperat, melior, ac prudentior non ſit. Qui verò in agendo aliorum conſiliis, ac monitis vtens rectè agit, hic mediocris & non parua laude dignus: diſcernere enim inter hoc & illud, vt Ariſtoteles inquit, prudentis eſt. At qui nec ipſe videt, nec per ſe conſilio pollet, nec recta monenti credit, nec conſilia diſcernit, hic omninò inutilis eſt, & natura ſeruus. Vnde Ariſtoteles, auctore Heſiodo,

Optimus ille quidem, qui per ſeſe omnia noſcens,
Præceptor ſuus ipſe ſibi meliora peregit.
Ille bonus rurſum monitus, qui recta ſequetur.
Qui non ipſe videt, nec credit recta monenti,
Hic nulla in parte vtilis eſt.

Prudentis verò principis potiſſimum ſignum erit, eorum hominum qualitas, qui conſiliarij appellantur. Si enim boni ac prudentes fuerint, Principem prudentem eſſe ſignificant, qui eorum virtutem bene nouerit: ſin ignaui, ac rudes, ignauum, ac rudem eſſe Principem indicabunt.

De conſiliis & conſiliariis.

Capvt XV.

NVnc de conſiliis & cõſiliariis dicamus. Conſiliarios itaque, quos Rex à ſecretis habere debet, primò prudentes eſſe oportet, & hiſtoriarum, ac rerum omnium peritos: nam conſiliarij primum opus eſt, quæ agenda ſunt, conſilio inquirere ac veſtigare. Secundum, de his, quæ recto, onſilio adinuenta ſunt, diligenter quid melius, quidve peius ſit, diiudicare. Demum conſultationem ſuam proferre. Hæc autem nemo niſi prudens efficere poteſt, qui & hiſtoriarum ac rerum fere omnium peritus ſit. Deinde Principem ſummo amore proſequi debent: nam, vt Ariſtoteles inquit in Rhetoricorum libris, ſapiens, niſi amauerit, rectum conſilium dare non poterit. Conſiliarij beneuolentia erga Principem cenſetur, ſi omnia ſua conſilia in Principis & populi bonum

bonum dirigit. Qui enim in ſui tantummodò bonum, hic & Principis & populi tyrannus eſt: nec in eo Princeps confidere debet: quippe qui ſui non Principis bonum curat, ac intendit. Demùm virtute ac ſanctimonia clari eſſe debent. Conſiliariorum enim prauitas nonnunquam res Principum in diſcrimen adducit. Ob ipſorum enim prauitatem plerumque diſcordes ſunt, vt in bene conſulendo alter alterum excellere videatur. Hanc ob cauſam prudens Princeps eis iniungere debet, vt nihil niſi vera dicant ſi contra opinionem Principis fuerint, ne propter diſcrimen falſa ac damnoſa perſuadeant. Enitatúrque Princeps aut eos Conſiliarios à ſecretis habere, qui amici inter ſe ſunt, aut curare vt amici fiant. Nam qui publica ac regia miniſtrant, amici & collegæ eſſe debent. Vnde M. Æmilius Lepidus, & Fuluius Flaccus cùm odio inter ſe graui diu conflictati eſſent, à populo cenſores facti, mox amici fuerunt, arbitrantes ſe non poſſe publica bene agere cum odiis. Regij igitur conſiliarij ſunt qui & ſapientes, & regis amici, & ſtudioſi ſunt à communi virtute clari. Conſilium verò Principis, quod laudari ſolet, eſt quod ex Principis prudentia oritur. Non enim bonũ eſt, vt prudentia Principis ex conſilio proficiſcatur, ſed, vt Chilon inquit, conſilium ex prudentia Principis. Conſilia enim quæ ex prudenti principe ſunt, firma, & veluti leges ſunt habendæ. Quæ verò ex prudentia conſiliariorum, periculoſa ſunt, & minimè firma. Ad hæc quæ in conſiliis deliberantur, priùs bene diſcutienda ſunt. Nam, vt Scipio Africanus dictitabat, turpe eſt Regi ac viro ſtrenuo dicere, non putaram. Nihil enim à Rege agi oportet, quod non priùs certo conſilio & definito excogitatum ſit. Vegetius inquit, Cùm primùm Imperator errat, ſtatim errorem ſequitur pœna, & nullus datur emendandi locus. Prætetea eſt neceſſarium, vt quæ in conſiliis decreta ſunt, euſque ſecretè teneantur, quouſque executioni mandentur. Nam ſi damnoſa hoſtibus fuerint, ipſis ignorantibus erunt pollentiora. Sin autem noſtris gentibus vtilia, magis placebunt: quæ enim delectant, improuiſa magis placent. Præterea ſi antequam executioni mandata ſint, manifeſtarentur, fieret, vt hodie vnum, cras aliud deliberaretur. Forſitan enim Principis mens muta-

Digitized by Google

retur, aliis aduerſantibus, & non ita vt deliberatum eſt, ſentientibus. Regium enim eſt primò conſulere, deinde bene ac ſapienter deliberare: demùm deliberata immutabiliter executioni mandare. Mutabilitas enim in deliberationibus, vt inquit Socrates, arguit & Conſiliariorum & Principis imprudentiam atque ignauiam. Vnde & prouerbium eſt, Res noſtras viris inſtabilibus minimè committendas eſſe. Et ſi diceres, ponamus Regem adhibita optima diligentia in conſiliis etiam male deliberaſſe, nunquid ſi eius deliberatio executioni mandata eſſet, cognito errore eam reuocare debeat. Sentiunt nonnulli, Reges errare non poſſe, adhibita omni diligentia in conſulendo. Sed quod iſti aſſerunt, non eſt reſpondere. Supponimus enim adhibitam eſſe omnem diligentiam, ſed eos erraſſe. Propterea alij dixerunt Regem eam reuocare debere: quippe cùm humanum ſit peccare, ſtulti verò in peccando perſeuerare. Sed ſi ita eſſet, tunc de regia auctoritate multùm diminueretur. Quoniam, vt dictum eſt, in deliberando mutabilitas Principis imprudentiam atque ignauiam arguit. Quòd ſi nobilis quiſpiam vir iniuriam alicui fecerit, ac ne ſuam nobilitatem obſcurare videatur, ei, quem iniuria affecit, ſatisfacere refugit: & hoc nullam aliam ob cauſam, niſi quia mutabilitatem illam exiſtimat ſuæ nobilitati derogare: quanto minùs Rex ea, quæ ſemel executioni mandata ſunt, reuocare debebit? Quapropter alij dixerunt deliberationes regias poſtquam executioni mandantur, ſiue iuſtæ, ſiue iniuſtæ ſint, nullatenus reuocandas. Nam Reges quoad poſſunt, ſuam auctoritatem & reuerentiam tueri ac ſeruare debent. Alij arbitrati ſunt eiuſmodi deliberationes, quanquam executioni mandatæ ſunt, à Regibus reuocandas eſſe, non quidem perſuaſione alicuius eorum, apud quos auctoritas valere videtur, ſed aliquanto tempore interpoſito noua quædam emergentia ſimulaſſe reges debent, & propter illa oſtendere ſe deliberationes mutaſſe. Nunquam enim deſunt modi, quibus auctoritate ſeruata, illas mutare poſſint. Ego verò eas deliberationes quæ executioni mandatæ ſunt, non reuocare, nec perſuaſione alicuius eorum, apud quos auctoritas regia valere debet, nec alterius cuiuſuis hominis, magnanimum, atque

regium puto. Reuocare verò illas, ſi iniuſtæ atque iniquæ ſint, pium atque religioſum. Ex hiſce patet quàm prauus ſit hodie noſtrorum Principum error, qui non his, aut philoſophis, aut iureconſultis conſiliariis vtuntur, qui prudentia, & virtute, & beniuolentia clari ſunt, ſed plerumque his, qui & praui, & rerum omnium imperiti, & non Regis, ſed ſuorum commodorum amici ſunt. Si enim praui homines ſint boni conſiliarij eſſe non poſſunt. Nam, vt omittamus, quòd natura auari, & vt Græci Poëtæ dicunt, Dorophagi, hoc eſt munerum comeſtores, (habent enim, vt Diogenes facetè dictitabat, cereum naſum, vt quacumque ex parte munus olfecerint, illò nares vertant) ſunt canino ſtudio, vt Columella inquit, contra innocentes pro nocentibus lucri cauſa allatrantes. Vnde Philippus Alexandrum monuit ne fidos putet, quos pecunia conciliat. Præterea ſi hiſtoriarum indocti ſint, qui nihil toto vitæ curriculo legerint præter Bartoli & Baldi, & aliorum ſimilium commentaria, inque his omnia contineri ſtultè exiſtiment, ſunt imprudentes, atque omnium prorſus rerum imperiti. Demùm mali homines, qui non regum ac ſubditorum bonum ſed proprium ſuum commodum inhiant, regij conſiliarij eſſe non poſſunt: quoniam quicquid agunt, lucri cauſa agunt. Non ergo prauis hominibus, ſed bonis legum magiſtris, aut philoſophis, aut iureconſultis Reges vtantur, qui & prudentes, & rerum omnium periti ſint, & qui ſe & ſubditos ament. Hi quidem ſunt, quos à ſecretis habere, in quibus confidere, & quibus regiam ſuam maieſtatem committere debent.

Quomodo adulatores fugiendi, quo pacto permittendi ſint.

CAPVT XVI.

MAGNA quæſtio ſemper fuit, an adulatores permittendi, an omnino fugiendi ſint. Ex vno videntur neceſſarij. Nam ſi omnes in conſpectu Principis ea dicere vellent, quæ ipſi ſentiunt, etiamſi contra Principis ordinem fuerint, de Principis auctoritate multùm diminuerent. Sin

Digitized by Google

autem omnes adulatores eſſent, qui Principi aſſentarentur, cùm Principibus ſua multùm placeant, nunquam ſe errare diſcernere poſſent. Propterea, vt Quintus Curtius inquit, adulatores Principum frequentiùs opes quàm hoſtes euertunt. Adulator quidem cum coruo tum nominis, tum & facti ſimilitudinem habet. Nam veluti coruus mortui hominis oculos deuorat, ſic & adulator viuentis hominis mentem obcæcat. Hinc illud Demoſthenis, Melius eſt incidere in coruos quàm in adulatores. Illi enim mortuorum cadauera: hi verò viuentium animas deuorant. Nam vel commendat adulator nonnunquam reprehenſione quæ digna ſunt, vel reprehendit plerumque quæ omni laude ſunt maiora: vt ſemper profectò in eius ore ſit aut prauorum laus, aut bonorum contemptus: quippe cùm ea ſola ſpectet quæ Principibus placeant, corporum vmbras imitatus, ſingulis eorum dictis obſequens & arridens. Ex his igitur quæ ſuperiùs dicta ſunt, patet, an adulatores permittendi ſint. In conſiliis enim quæ à ſecretis fiunt, à Principe nullo pacto adulatores, qui aſſententur, permittendi ſunt. Vnde Ageſilaus Lacedæmoniorum Rex adulatores non ſecus inſectandos eſſe dicebat potiſſimum in conſiliis, quàm propriæ vitæ inſidiatores. Lyſimachus Rex nullam aliam ob cauſam Philippidem Athenienſem comicum Poëtam ſumma beneuolentia complexus eſt, niſi quia in opinionibus Regis, quæ illi proponebantur, ab adulatione ſemper plurimum aberat. Darius Timogaram, qui in omnibus conſiliis ei indulſerat, decreto publico morte mulctauit. Poſt autem eam deliberationem, quam ex conſilio Princeps elegerit, nullum in ſuam præſentiam niſi adulatorem permittat. Nam deliberatio firma & ſtabilis eſſe debet. Deliberationes enim Principum vt leges habendæ ſunt. Eos autem, qui eius opinioni, quæ poſt conſilium apparuit, aduerſantur, tanquam hoſtes habeat. Hi enim ſunt qui de Principis maieſtate detrahunt. Vnde Princeps, qui propriam auctoritatem ſeruare voluerit, nullum conſulere permittat niſi ipſe quæſierit. Conſilium enim non quando alij afferunt, ſed quando ipſe voluerit, accipiendum eſt: nec contrà Principi quis conſilium afferre debet, niſi ipſe quærat. Vnde Ariſtoteles Calliſthenem monuit, vt cum

Alexandro aut quàm rariſſimè, aut quàm iucundiſſimè loqueretur, conſiliúmque cùm ille non quæreret, non afferret. Præterea adulatores qui deliberationes Principum laudant, illis non paruam præbent auctoritatem: perſuadent enim vt ſubditi credant. Quare poſt deliberationem adulatores permittẽdi, in conſiliis autem vt hoſtes fugiendi.

De ſplendore Principum.

CAPVT XVII.

SED an Principi ſplendor luxus ac rerum pompa conueniant, non parua quæſtio eſt. Verùm dicamus ſplendorem Principibus bene conuenire, non autem luxuriam. Eſt enim ſplendor, vt Ariſtoteles inquit, cibi, veſtitus, famulorũ, equorum, domeſticarúmque rerum omnium, quæ ad vitæ vſum eſſe ſolent, rationabilis mediocritas. Defectus, qui in his eſt, modicitas & ſordes dicitur. Hunc defectum tanquam extremum deteſtantur philoſophi. Exceſſus verò, quo quis in his magis quàm dignum ſit, facit, aut plus quàm facultates valeant, excedit, luxuria dicitur. Nimia enim aut cibi, aut veſtitus, aut aliarum rerum, quæ ad vitæ vſum ſpectant, profuſio, luxuria à Marco Tullio vocatur. At pompa fuſior quàm luxuria res eſt: nam & nuptiarum, & ſacrorum, & funerum pompa eſt. Sunt res huiuſmodi & Principi & regno damnoſiſſimæ. Regno quidem; nam, vt Liuius inquit, luxuria & auaritia duæ peſtes ſunt, quæ vrbes & imperia omnia euertunt: vbi luxuriã non ad venerea, ſed ad prodigalitatem ac luxum retulit. Principi verò primò quidem, quia, vt Lycurgus inquit, pompa & luxus auctoritatem Principis & fidem necat: quippe cùm per luxum diuitiæ & mores, quibus fides conſtat, deſtruantur. Hinc Solonis lex apud Athenienſes erat, pompam omnem, omnémque luxuriam comprimendam eſſe. Deinde ex nimia veſtium luxuria nimióque in cæteris, quæ ſunt ad vitæ vſum, luxu magni Imperatores in ſceleratiſſimam tyrannidem compulſi fuerunt. Nero qui Romanorum imperium & deformauit, & minuit, inuſitatæ luxuriæ ſumptuúmque profuſione, vt qui exemplo Caij Ca-

ligulæ in calidis & frigidis ſe lauaret vnguentis, ac retibus aureis piſcaretur, in ſæuiſſimam tyrannidem ſe conuertit. A. quoque Vitellius cùm Neroni ſimilis eſſe vellet, tandem ob tyrannidem, in quam ob ſumptuum exuperantiam deuenerat, à Veſpaſiani ducibus occiditur. Commodus cùm ob luxuriæ profuſionem in tyrannidem compelleretur, nihílque ſimile diuini ſui patris Antonini haberet, ſtrangulatus occubuit. Quare, vt ait Socrates, Principes non pulchros ac venuſtos, ſed fortes ac prudentes eſſe oportet. Apud Æſopum aues regem ſibi creare deſtinantes, Pauo orabat vt ſe ob veſtium & pennarum luxum ac pulchritudinem eligerent. Eligentibus eum omnibus, Monedula oratione ſuſcepta inquit, Si te regnante Aquila nos hoſtiliter inuaſerit, quomodo nobis opem feres? Per quæ affabulatus eſt Æſopus, Principes non propter pulchritudinem atque luxum, ſed ob fortitudinem ac prudentiam eligendos eſſe.

Digitized by Google

AVGVSTINI NIPHI
DE REGNANDI PERITIA
LIBER QVINTVS.
PROOEMIVM.

SVNT qui Principes infelices eſſe probant, eorum omnino vitam infelicem aſſerentes, quòd ambitioſa, anxia, turbulenta, maximis cruciatibus, calamitatibúſque, ac malis facinoribus obnoxia, expoſitáque ſit. nec iniuria quidem. Nam in Principibus nihil purum, nihil ſyncerum, nihil caſtum, nihil denique abſolutum reperies. Inuenies enim quoſdam humanos, ſed libidinoſos, alios prudentes, ſed crudeles, hos iuſtos, ſed auaritiæ deditos, nonnullos magnificos, ſed raptores, quoſdam liberales, ſed ira feruidos, & impotentes. Quare ita in eis infecta ſunt omnia, vt longo interuallo virtutes à vitio ſuperentur. nec id ab ratione eſt. Nam ſi priuatorum, quibus minima quædam licent, qui legibus coërcentur, maxima pars vitiorum mole vrgetur: quid in tanta Principum licentia, quibus libido lex eſt, putas contingere? Si enim Heſiodi ſententia, difficile eſt bonum eſſe, vera eſt in priuatis, longè magis in Principibus, quos plura vitiorum irritamenta ab exercitio virtutum auertunt. Et ſi in aliquibus aliquis virtutis ſplendor legitur, ſcripto-

Digitized by Google

rum nonnullorum aſſentatio, qui adulationis præmia à Principibus expectabant, ex parua virtutis ſcintilla maximum incendium excitauit, verbis amplificando, quod re exiguum erat. Habent preterea Principes ea, quibus facilè deteriores fiant, primùm peccandi licentiam, deinde rerum copiam, amicos improbos, ſatellites deteſtabiles, miniſtros auariſſimos, aulicos ſtolidos atque inconſultos, quibus non modò mali eſſe facilè poſſunt, verùm etiam quaſi compelluntur. Saturnum quem Ægyptij ad imperium aſſumendum cogebant, locutum eſſe memorant, Neſcitis amici quid mali ſit imperare? gladij pendentes ceruicibus imminent, haſtæ vndique, vndique ſpicula, ipſi cuſtodes timentur, ipſi comites formidantur: & quod maximum eſt, omnis ætas in imperio reprehenditur. Antoninus Pius, quem per omnem vitam philoſophantem inter omnes, qui vnquam imperarunt, palmam tuliſſe virtutis hiſtoriæ narrant, vitæ ſanctimonia omnes excelluit: ab Hadriano tamen ad imperium adoptatus, magis doluiſſe, quàm lætatus eſſe traditur. Iuſſúſque ex priuatis hortis in domum Principis migrare, inuitus acceſſit. Et cùm ab eo domeſtici quærerent, cur tam mœſtus in tantam adoptionem tranſiret, reſpondit ſe imperij pondus atque ſæuitiam vereri. Diocletianus cùm poſt depoſitum imperium in priuata villa agro colendo intentus degeret, rogatus à Licinio vt ad imperium rediret: præponens horti, quem plantarat, dulcem ac iucundam curam imperio, illud recuſauit, & oſtenſo horto dixit, quàm dulcis & iucunda ea vita eſſet, quàm verò anxia & infelix imperio

perio

Digitized by Google

perio cõſtituta. Sylla depoſita dictatura, quam tot laboribus, tótque ſceleribus, ac proborum virorum cædibus adeptus fuit, vitam priuatam imperio prætulit. Quare infelices eſſe Principes probarunt, quòd & ſapientes viri, & ij, qui & ipſi ſummi & boni Principes fuerunt, imperium contempſerint. Ego verò ſicut cibi, potus venereorúmque appetitum cùm è natura ipſa prodeat, malum non appellarem: ita nec imperandi cupiditatem, quæ, vt Cicero tradit, nobis natura inſita eſt. Animus enim bene à natura inſtitutus, & ſubeſſe refugit, & præeſſe cupit. Indidit enim nobis ſiue deus, ſiue parens natura laudis ac gloriæ deſiderium, quam potiſſimum præſtantia & imperiis conſequi videmur, quibus eminentia quædam ac animi excellentia indicatur. Cernis duce natura geſtire animum noſtrum ac lætari, cûm reliquos etiam bonarum artium ſtudioſos certamine antecellit. Etenim gloria quadam extollimur, ſi prudentia, conſilio, doctrina, vel arte egregia cæteris præſtamus. Quia igitur in ſingulis rebus inſita nobis eſt ſupereminentiæ appetitio, atque imperandi cupiditas, hæc infelix cenſenda non eſt. quippe cùm quæ natura nobis inſunt, omni culpa ac reprehenſione vacent. Quare quemadmodum cibi, potus, ac venereorum vſus, ſi ad voluptatem referatur, crimine non caret. Ita ſiquis principatu præter rationem abutatur, vituperabitur. Fit enim qui Rex eſt, ſi tyrannicè ſuum regnum adminiſtrarit, tyrannus veluti. Contrà tyrannus fit Rex ſi tyrannicam gubernationem in regiam permutauerit. Iccirco iis potiùs qui abutendo principatum, ad vitia tor-

Digitized by Google

quent, crimen ac delictum aſcribendum eſt. Quid enim vtilius, quid optabilius tribuit nobis Deus, quid ad virtutis ſtudia propenſius, quàm eam facultatem poteſtatémque, qua liberales eſſe, benefici, magnifici, qua multorum commoda procurare, & tum in homines, tum in ipſos deos pietatem exercere valeamus? Hac datur oppreſſos protegere, afflictos erigere, ſubminiſtrare egenis, amicis opem ferre, pręmia tribuere virtuti, & demum omnibus mortalibus prodeſſe: quod diuinum eſſe ſolum putauit antiquitas. Quamobrem felices naſci Principes pro maiore parte putat in Rhetoricorum libris Ariſtoteles, ſi modò ſuam felicitatem nouerint, nec eam in malum peruerterint. Iuſti quidem exoriũtur. ſed ſi iniuſtè regnauerint, iniuſti fiunt. Naſcuntur inſuper liberales. ſed ſi bona ſubditorum erogauerint, fiunt illiberales. Inſuper & temperati. ſed ſi crudelitatis ſcelera exercuerint, intẽperantes euadunt. Et vniuerſaliter Principes omnes ſuapte natura naſcuntur boni. ſed mali fiunt, ſi, quæ regis ſunt, malè miniſtrauerint. Vnde Auguſtus, Veſpaſianus, Titus, Antoninus Pius, Traianus, M. Aurelius, Alexander, Seuerus bene à natura inſtituti, quia imperium honeſtè ac feliciter exercuerunt, optimi ac feliciſſimi Principes habiti ſunt. Quia igitur nihil eſt quod Principes magis felices reddat, quàm ſi honeſtè regnauerint, (Nam cæteras felicitatis partes quaſi natura duce aſſequuntur) ideo de honeſto regnandi genere diſſerendum. nec de omni, ſed de eo tantùm, in quo videlicet vnus tantummodò præeſt. De republica enim alibi fortaſſe dicemus.

Digitized by Google

Triplex regnandi genus eſt.

CAPVT I.

DE honeſto igitur regnandi genere differentes, primò quot regnandi genera ſint, diſtinguamus. Sic enim quod honeſtum regnandi genus ſit, apparebit. Eſt igitur regnandi genus triplex, vnum quidem per ſucceſſionem, alterum per electionem, tertium per tyrannidem. Tyrannicum quidem regnandi genus omne illud eſt, quod non per ſucceſſionem, nec per electionem procedit, ſed per omnem quemuis alium modum ex his, quos in primo libro enumerauimus, per fortunam, ſcelera, arma, vim, dolum, ſeditionem, factionem, ac ciuium fauorem. Verùm cùm electio duplex ſit, altera legitima, altera illegitima; tunc honeſtum regnandi genus per electionem eſt, quum & præcedit legitima electio, & ſequitur optima ſubditorum gubernatio, & eorum, quæ regni ſunt, optima adminiſtratio. Honeſtum verò regnandi genus per ſucceſſionem eſt, quum & ſucceſſionem præceſſit optima educatio, & ſequitur optima ſubditorum gubernatio, atque eorum, quæ regni ſunt, optima diſpoſitio. Quare quæ ſit optima circa ſubditos gubernatio, & eorum, quæ regni ſunt, optima adminiſtratio. Deinde quæ legitima electio. Poſtremò quæ optima educatio ſit, videamus.

Quæ optima circa ſubditos gubernatio, quæve eorum, quæ regni ſunt, optima adminiſtratio.

CAPVT II.

OPTIMA igitur gubernatio, ac eorum, quæ regni ſunt, optima adminiſtratio eſt, quæ fit per ſapientiã, temperãtiam, iuſtitiam, atque fortitudinem. Per ſapientiã quidem, cùm qui ſubditos gubernat, ac res regni adminiſtrat, ſecundũ Deũ gubernat ac miniſtrat. Secundũ Deum verò gubernare, ac res regni adminiſtrare eſt, vt Plato inquit, diuina cognoſcere, & res regni ac ſubditorum pertractare, vt ipſi Principes ad diuina dirigantur. Sic enim Reges ſapiẽter ſubditos guberna-

Digitized by Google

bunt, réſque regni optimè adminiſtrabũt, ſi hæc humana ducant ad diuina. Per temperantiam verò, cùm ea ratione Rex ſubditos gubernauerit, ac res Regni adminiſtrauerit, vt nulla cupidine, vt Plato inquit, ſuperetur, ac eius exemplo cunctos ciues emendatiores reddat. Vnde Socrates, Ne putes alios compoſitis & moderatis moribus vitam ducere oportere, Reges autem licentioſis & incompoſitis: ſed tuam temperantiam & moderationem aliis exemplum ſtatue, vtpote qui ſciant perinde ciuitatis mores eſſe ac Regum. Proinde quid magis eſſet contra maieſtatem, quàm qui aliis imperet, ſuis voluptatibus nequeat imperare? Iſocrates ad Nicoclem Cyprium Regem, Tibi ipſi impera non minùs quàm aliis, cámque virtutem Rege digniſſimam exiſtimes, ſi voluptati nulli inſeruiueris: verùm cupiditatibus omnibus magis quàm ciuibus imperaueris. Hoc pacto eſt ſubditos gubernare, ac res regni per temperantiam adminiſtrare. Per iuſtitiam verò, cùm Rex, vt inquit Plato, per omnem vitam verax eſt, neminem lædit, vnicuique quod ſuum eſt, tribuit, nulli facit, quod ſibi ipſi noluerit, nihílque præter legem in ſubditos fieri permittit, nec ipſe facit. Per fortitudinem denique, impauidè ac intrepidè bona agat, mala vitet: per eandem ſubditos, ſi oportet, vt inquit Ariſtoteles, ſecundum leges viuere compellat. Vnde tertio Politicorum libro inquit, Principem oportere eſſe potentem, ac fortem, vt non ſolùm prauis hominibus reſiſtere, ſed eos & fugare, & penitùs delere poſſit.

Quæ ſit legitima Regis electio,

CAPVT III.

LEGITIMA verò Regis electio, vt Ariſtoteles Politicorum tertio deſcribit, eſt, quæ libera eſt. Non enim quæ vi, aut corruptione, aut largitione empta eſt, legitima nuncupari debet. Inſuper & quæ ab his oritur, in quibus auctoritas eſt eligendi. Si enim ab his electio fieret, in quibus auctoritas eligendi non eſſet, vana, ac omninò illegitima eſt habenda. Demùm legitima dicitur, cùm ex omnibus aliis qui eligendi ſint, is eligitur, qui aut eſt, aut vide-

Digitized by Google

tur cæteris ſapientior, temperatior, iuſtior, ac fortior. Cùm enim electio conſilium, rationem, & deliberationem ſupponat: quæ tria, vt inquit philoſophus, non ſunt niſi eius, quod eſt, aut videtur melius: euenit vt electio legitima tunc ſit, cùm qui eligitur, ſecundum virtutem ſit, aut videatur melior. Dico vt ſit, aut videatur melior, quia electio non ſemper eius eſt, quod revera bonum eſt, ſed eius, quod apparet bonum. Hæc pauca de legitima electione. Nam plura eſſent dicenda, quæ ſacris viris, ac iurecõſultis relinquimus.

Quid optima educatio ſit.

CAPVT IV.

OPTIMA denique Regis educatio à Socrate apud Platonem in Alcibiade primo, ſub exemplo educationis Regum Perſarum perpulchrè deſcribitur. Inquit enim Socrates, Nunquid audiſti quanta ſit Lacedæmoniorum Regum dignitas? quorum vxores publicè obſeruantur ab Ephoris, hoc eſt præfectis, vt quoad fieri poteſt, Rex non ab alio latenter quàm Heraclidarum genere oriatur. Perſarum verò Rex adeo excellit, vt nemo ſuſpicetur Regem ex alio quàm ex ipſo genitum eſſe. Quamobrem Regis vxor non alio quàm metu cuſtoditur. Poſtquàm verò natus eſt, primogenitus qui ſuccedit in Regno, ante omnia eum diem omnes homines, qui ſub Regno ſunt, celebrant, atque ita in poſterum quot annis natalem Regis ſacris, ac feſtis, omnis Aſia colit. Deinceps nutritur puer, non à quauis nutrice, verùm ab eunuchis, qui reliquorum circa Regem optimi videantur, quibus & alia, quæ ſpectant ad curam pueri demandantur, ac præcipuè vt natum pulcherrimum reddant, componentes membra eius atque dirigentes: atque hæc facientes magno in honore habentur. Cùm autem pueri ſeptimum ætatis annum impleuerint, ad equeſtris artis magiſtros proficiſcuntur: deinde venationibus exercẽtur. Anno verò quartodecimo puerum ſuſcipiunt, quos pædagogos Regios appellant. Sunt ij profectò electi ex omnibus Perſis ætate ſua præcipui, quatuor: quorum primus ſapientiſſimus magicam Zoroaſtri Horomazi filij docet, eſt autem illa Deo-

rum cultus, atque idem tradit Regia inſtituta. Secundus iuſtiſſimus admonet, vt in omni vita ſit verax. Tertius temperatiſſimus ne vlla cupidine ſuperetur, vt liber viuere conſueſcat, ac re vera Rex imperans primùm iis, quæ in ſe ſunt, nec vlli ſeruiens. Quartus fortiſſimus impauidum illum, & intrepidum reddit, nequando quidpiam metuens ſeruus fiat. hęc Socrates de optima educatione. Quàm verò abiectæ, quã ridiculæ ac leues ſint hodie Regum educationes, ex hiſce patet. Quare nemo mirari debet, ſi Reges hodie ſceleratiſſimi ſint. Nam licet, vt Ariſtoteles inquit in Rhetoricorum libris, veriſimile ſit probum ex probis eſſe, nõ tamen ita plerumque euenire aſſerit, niſi bene educatus ſit: attendere ergo debent Reges non minus ad propriorum filiorum educationem, quàm agricolæ ad herbarum, atque ſtirpium culturam: ſicut enim herbæ ac ſtirpes bonæ euadere non poſſent, niſi bene ab agricolis excultæ fuerint; ſic nec filij Regum, viri probi euadere, niſi ab optimis pædagogis optimè educati fuerint. Non enim, vt Ariſtoteles inquit, ad virtutem capeſſendam ſatis eſt genus, aut generis ſemen, ſed neceſſarium eſt vt is qui ex optimo ſemine naſcitur, optimè educatus ſit diúque in virtutũ actionibus aſſueſcat. Hactenus de optima educatione. Patet igitur honeſtum regnandi genus tunc eſſe, quando & ſubditi, & res Regni, per ſapientiam, temperantiam, iuſtitiam, ac fortitudinem gubernantur: modò per legitimam electionem, aut per optimam ſucceſſionem Rex veniat.

Exitus Tyrannorum.

Capvt V.

NVnc qualis ſit Tyrannorum exitus exponamus. Tyrannorum itaque exitus hic eſt. Primò vt conſcientia ſcelerum ſemper crucientur, qua, vt Seneca ait, nullum eſt grauius ſupplicium. poſtea vt à bonis viris ſemper odio habeantur. Hac ratione Diomedem Thraciæ, ac Buſyrim Ægypti Tyrannos Hercules perſecutus fuit, Melanchrum Pithacus Mitylenæus, Nearchum Myſium Zeno Eleates, Nicoclem Arantus, ac cæteri cæteros. Deinde vt ſemper in me-

tu ſint. Dionyſius enim Syracuſanus filias, quas tonſtriculas effecerat, cùm adoleuiſſent, pertimuit, & candentibus iuglandium putaminibus, barbam ſibi & capillum exurebat, ne collum, aut guttur tonſori committeret. & allocuturus populum, cùm ſingulos quoque formidaret, ex alta turri concionabatur. Poſtmodum vt carnifices ſemper ſint: vnde Ptolemæus Philadelphus dicere ſolebat, cùm multa alia incommoda tyrannus habeat, tum maximè quòd vtilitatis cauſa, inſontes impunè interficere compellatur. Antiſthenes dicebat carnifices humaniores eſſe tyrannis, quoniam à carnificibus nocentes, à tyrannis verò innocentes necarentur. Deinceps vt è Regnis exulent. Romani enim è quibus virtutum omnium exempla ſumenda ſunt, incredibili ſtudio, ſummáque impenſa ciuitates, atque prouincias à tyrannis liberarunt. Titus Flaminius Nabim tyrannum deleuit, & non multo pòſt Philippum tyrannum etiam illuſtri pugna apud Cynocephalas Scoluſæ locum ſuperauit. Titus Quintius Conſul Rege Philippo profligato liberauit Corinthios, Locros, Phocenſes, Euboicos, Achæos, & alios quamplurimos. Ad hæc, vt & impunè occidantur. Iuuenalis: Ad generum Cereris ſine cæde, & vulnere pauci Deſcendunt Reges, & ſicca morte tyranni. Vnde Alexander Phereus, cùm ob tyrannidem omnes haberet ſuſpectos, tandem ab vxore ob metum pellicis interfectus, ac eius cadauer à ciuibus tractum, ac laceratum eſt. Polycrates Samiorum tyrannus, cùm nihil vnquam aduerſi ſibi contigiſſet, tandem in montis vertice crucifixus eſt. Poſtremò, vt in infernas Acherõtis pœnas trudantur: vnde Plato in Gorgia: tyranni autem iniuſti, ac impij, apud inferos detruſi ſunt, vbi Acherontis pœnæ parantur. Hic eſt igitur exitus tyrannorum.

Honeſti Regis finis.

CAPVT VLTIMVM.

HONESTI verò Regis finis, primò eſt virtus: hæc, vt Ariſtoteles inquit, eſt omnium honeſtarum actionum finis, hac homo homini præſtat, per hanc antiquitas Reges heroas fecit, ac ipſos inter Deos annumerauit. Quoniam

Digitized by Google

nihil áliud exiſtimabat eſſe Deum, quàm prodeſſe mortalibus. nec iniuria quidem, nam, vt ait Strabo, mortales tunc maximè Deos imitantur, cùm benefici ſunt. Deinde eſt perennis gloria, atque honeſtus honor, quem nullo vnquam tempore aboleri poſſe Homerus ſentit. Gloriam enim eſſe expetendam plures philoſophorum ſentiunt, veluti, Quæ virtutis, laborum, periculorum merces quædam eſſe videatur. Hinc Ariſtoteles Principem cui non ſatis eſt præmij honor, & gloria, tyrannum fieri aſſerit. Iſocrates ad Nicoclem Cypriorum Regem: pluris faciendum eſt bonam gloriam, inquit, quàm diuitias filiis relinquere, hæ enim mortales, illa immortalis, & diuitiæ gloria acquiri poſſunt, gloria autem diuitiis non acquiritur, ac hæ etiam à malis, gloria verò à virtute præditis ſolùm poſſidetur. Poſtea eſt rectè factorum conſcientia, ac memoria, hanc ſapienti viro ſat eſſe plures philoſophi putauerunt, qui gloriam non eſſe expetendam aſſeruerunt. Huc ſpectat illa Bruti ſententia, qui ad Ciceronem ſcribens: quid enim igitur eſt melius, quàm conſcientia rectè factorum, & libertate contentum negligere humana? quod enim maius, aut honeſtius præmium, quam gloriam à mortalibus maiorem ferre poſſumus, quàm ſcire nos rectè egiſſe? quæ laurea, quis triumphus clarior eſſe poteſt? nec profectò maledicum, nec obtrectatorem formidat, qui ſuæ virtutis eſt conſcius. Demetrius Phalereus cùm audiſſet ſtatuas, quæ ſibi ab Athenienſibus erectæ fuerant, ob inuidiam diſiectas eſſe, ridens inquit, ſtatuas quidem inuidi euertere potuerunt: virtutes autem, & præclara geſta, quarum præmio imagines illæ extiterant, nequaquam abolere potuerunt. Præclara quipe vox, & magno atque erudito viro digna. Declarauit enim vera præmia meritorum conſcientia præberi, quæ nec inuidia pertundi, nec locio, aut ventris illuuie inquinari poteſt. Demùm præmium vltimum, quod honeſto Regi paratur, à Deo eſt. Deus enim optimus non ſatis præmij eſſe putans, quicquid in terris mortalibus tradi poteſt, hos Reges, qui pietatem, iuſtitiam, cæteráſque virtutes coluerunt, & ciuitates, & populos, gentes, nationes optimè gubernarunt, ſempiterni æui participes reddit, vt æterna cum numinibus vita fruantur.

FINIS.

Digitized by Google

AVGVSTINI NIPHI SVESSANI
OPVSCVLORVM PLITICOORVM PARS SECVNDA,
DE HIS QVÆ AB OPTIMIS Principibus agenda ſunt,
AD LVDOVICVM ATQVE ELVERIAM Ferdinandos à Corduba, Principes Sueſſanos.

GRAVISSIMVM *onus, & longè meis humeris impar,* Illuſtriſſimi Principes, *ſuſcepiſſe videor: quòd de his, quæ ab optimo principe agenda ſint, ſcribere propoſuerim. Quum qui de huiuſmodi rebus verba facturus ſit, non niſi principem eſſe oporteat. Hinc Xenophon Socraticus hoc argumento ductus, de his quæ à Cyro agenda eſſent ad ipſum ſcribens, à Cambyſe patre inſtitui Cyrum filium inducit. Alexander quoque Macedo nouæ militiæ documenta à*

Digitized by Google

Philippo patre apud Oneſicritum accepit. neque par quidem, aut honeſtum videtur monumentis litterarum tradere: qualis erga ciues gubernandos Princeps eſſe debeat, quæve eius inſtitutiones, aut quæ ab ipſo agenda ſint, viro præſertim priuato, qui principatus prorſus ſit expers. quid enim, vt Diocletianus dicere ſolebat, difficilius eſſe poteſt, quàm bene imperare? Siquidem, vt auctor eſt Xenophon, homo animalium omnium in eius rectorem, atque cuſtodem, ingratiſſimus eſt: huc accedit ſententia illa vetuſtiſſima, lupum auribus tenet, qui imperium gerit. Hinc fit, vt de his, quæ ab optimo principe agenda ſint, rectè copioséque dicere non poſſit niſi is, qui naturali quadam ac prope diuina ſyderum poteſtate, & vernacula, atque domeſtica inſtitutione, & aſſiduo vſu ac exercitatione magnarum rerum, quæ in gubernandis populis quotidie geruntur, plurimùm iuuetur. Proinde ſummopere vereor ne mihi id idem accidat, quod olim Phormioni peripatetico contigiſſe M. Tullius refert: ille enim cùm coram Annibale de re militari perorasſet, cúmque omnes, qui aderant, illius facundiam admirarentur: Annibalem libero ſermone ita exorſum, multos ſe deliros ſenes ſæpe vidiſſe, ſed qui magis quàm Phormio deliraret vidiſſe neminem: nec profectò ab ratione, quis enim æquo animo ferre poſſet rei militaris philoſophum penitùs rudem, inexercitatúmque ſemper educatum in vmbraculis philoſophiæ, de imperio rebúſque bellicis coram Annibale differentem: qui tot annos cum Romano populo omnium gentium victore, ambiguo Marte certauerat? Nonne ego vobis velut Phormio alter ludibrio futurus ſum, qui de his, quæ ab optimo principe ſunt agenda ſcribere conſtituerim, vobis inquam, quibus hæc omnia ſint exploratiſſima: nam cùm in his cognoueritis, quæ vobis à teneris an-

Digitized by Google

nis quaſi vernacula diſciplina peculiariter cognita fuerunt: videbor ob hanc ipſam rem, profectò, vt in Græcorum prouerbio eſt, noctuas Athenas mittere, vel ſus Mineruam docere. Præterea, qui hunc libellum legent, nonne me & ambitioſum & ſuperbum cenſebunt: quippe cùm qui de his ſcribere conſueuerunt, non niſi & philoſophorum principes extiterint? vt ad Antigonum Euphantus Olympius, ad Ptolemæum Philadelphum Strato Lampſacenus, ad Dionyſium Plato, ad Alexandrum Ariſtoteles, & alij quamplures, quorum frequens meminit hiſtoria. Verùm, Principes Magnanimi, *illud non ignorandum eſt ea, quæ hoc in libello ſum dicturus, non inde trahere originem, aut vt vos inſtituam, qui olim & natura & maiorum placitis, quibus hæc domi naſcuntur: eſtis optimè inſtituti, aut vt doceam quæ à vobis agenda ſint, quæ tot annos vernacula ac domeſtica doctrina, per tot principum ſeriem propagata quàm maximè hæc edocti videmini: ſed quoniam, vt auctor eſt Ariſtoteles, interdum paruis magna mouentur, modò à magnis deſiderentur, & parui homines magnis rebus perſuadent, modò vera, iuſta, honeſta ac religioſa præcipiant, vt Plato Dionyſio vel Maximo tyranno, Alexandro Pindarus, etſi regum ſummus eſt habitus. Ptolemæo Stilpo, Mithridati Methrodorus, Archelao Euripides. Ego verò qui iuſta, honeſta, religioſa, ac vobis ſummopere expetenda, animo conceperim: de his ſcribere non verebor, præſertim cùm ex hoc meo libello amorem erga vos obſeruantiámque ac ſingularem pietatem facilè cognoſcere poteritis. Moneo tamen vos, vt libellum lectitetis: Demetrius enim Phalereus Ptolemæum regem admonebat, vt conſcriptos de regno, imperióque libros lectitaret; nam quæ amici non audent reges monere, ea in libris deſcripta eſſe.*

Huiuſmodi igitur libellum, licèt munuſculum paruum ſit, affero, rogóque ſimul cum animi promptitudine libelli vtilitatem accipiatis. Lycurgus tenuiſſima Lacedæmoniis ſacrificia inſtituit, quo ſemper ex his rebus quæ adeſſent, deos frugaliter faciléque colere poſſent: Artaxerxi pauperior homo pomum obtulit, cùm iucundè accepiſſet, per Solem dixit, hic mihi videtur vrbem tradidiſſe. Sic credatis ex paruis magna effici poſſe. Valete.

FRANCISCVS PALMERIVS ROMANVS ad Ludouicum Principem Sueſſanum.

Sceptra Ioui debent reges: at iúſque piúmque
Philoſopho, monſtrat qui rationis iter.
Si Niphi monumenta coles, Dux inclyte, vinces
Traiani titulos, Cæſaris Imperium.
Felix philoſopho, felix quoque principe Sueſſa,
Ciuibus æqua tuis hic iubet, ille docet.

IDEM AD ELVERIAM FERDINANDAM Principem Sueſſanam.

Aureus aſtrifero remeat Saturnus Olympo:
Et reparant vires fulgida ſigna nouas.
In te vna eſt, cunctis, quod non vetus addidit ætas:
Quicquid fortunæ, quicquid & ingenij.

AD EANDEM.

Hic veras animi dotes, & Principis artes
Perlege: regnandi tu quoque munus habes.

Digitized by Google

AVGVSTINI NIPHI DE PRINCIPE LIBELLVS.

Quas virtutes quáſve actiones Strato Lampſacenus principibus tribuat.

CAPVT PRIMVM.

IGITVR Strato Lampſacenus, *Principes Magnanimi*, vir quidem magna eloquentia ſummáque doctrina, in eo libro quem ad Ptolemæum Ægypti regẽ de regia philoſophia inſcripſit, eaſdem principum & priuatorum virtutes ac actiones eſſe perſuaſit, corporis quoque exercitationes eaſdem: argumento quòd quæ vni bona ſunt, omnibus bona eſſe videntur, veluti eædem quoque viro bono, & ciui bono virtutes ſunt.

Quòd non eædem principibus, & priuatis viris virtutes actionéſque inſint.

CAPVT II.

EGo verò non ita ſentio, vt eædem principibus, & priuatis viris virtutes actionéſque inſint, velim. Non enim acuta illa quæ à Dialecticis ſubtiliùs diſputantur, principi cõuenire videntur, neque etiam ea, quæ præter communem hominum opinionem à Stoïcis diſſeruntur, neque abdita Democriti, aut obſcuriora illa Pythagoræ, quæ multorum annorum ſilentium deſiderabant. Vt ex hoc etiam in-

Digitized by Google

telligamus corporis exercitationes non omnes ad principes pertinere, ſed earum quaſdam principibus, quaſdam verò priuatis hominibus conuenire. Quid enim Alexandrum, vt regnum rectè gubernet, aut vt ſtudioſè inſtitutus ſit, iuuerit cum tigribus, pardis, apris, vrſis, ac leonibus certare, quibus, cùm aliquid ocij à ſummis negociis nactus, venationis ſtudio ſummopere delectatus ſe exercebat. Quid Cæſarem aut vt ſe, aut vt rempublicam Romanorum rectè inſtituat, diſputare illa aut Dialecticorum, aut Stoïcorum, aut Pythagoricorum, aut Democritorum abdita. Proinde, vt Ariſtoteles inquit, non eſt eadem virtus boni viri, & boni ciuis, quemadmodum non eadem virtus eſt, qua quis ſimpliciter bonus eſt & bonus nauta, nec ergo boni principis & boni ciuis vel boni hominis eadem virtus habenda eſt.

Quæ Anaxarchus principibus tribuat.

CAPVT III.

ANAXARCHVS vir intrepidus, ea à principe optimo agenda eſſe autumat, quibus rectè ciues ſuos gubernare poſſit, ideo eius ſummum bonum potentias, & diuitias aſſerit. His enim ſolis & ſibi & cunctis principes ſatis eſſe autumat. His inſuper reges inter deos, & homines medij ſunt, vt Liuius inquit, nec ab ratione; nam, vt inquit Horatius, omnis res, virtus, fama, decus diuina humanáque pulchris diuitiis parent, quas qui conſtruxerit, ille clarus erit, fortis, iuſtus, ſapiens, etiam rex, & quicquid volet. Illud etiam Verris huic conſonat, cùm inquit, nihil eſſe tam ſanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia poſſit. Et illud Euripidis, pecunia ingens generis humani bonum exiſtimatur. Illud quoque moratiſſimi Senecæ, cui diuitiæ ſuperſunt, huic nihil prorſus deeſſe creditur. Bias interrogatus quidnam faciens homo delectatur, lucrans reſpondit. Quibus illa Apulei ſententia, quæ in apologia eſt, clara videtur, cùm inquit, tanti re vera es, quanti haberis.

Digitized by Google

Quòd diuitiarum ac propriorum bonorum ſtudium optimis principibus non conueniat.

CAPVT IV.

EGo autem non ea principibus conuenire dixerim, quibus & periere, & regna non raro amiſerunt. Vt Midas qui auro inhians fame mortuus regno priuatur. Et Craſſus diuitias ſitiens apud Arenam à Parthis interimitur. Nec ea, *Principes lucidiſſimi*, vobis aut aliis dabo, quæ Cæſares tyrannos immaniſſimos effecerunt: vt enim medicus languentis vtilitati, non ſuæ conſulere debet, ita Rex eorum, quibus imperat: aliter non vtique rex habendus eſſet, ſed tyrannus, qui pecuniis & diuitiis ſtudens omnia pro vtilitate ſua metitur: ſiquidem, vt Socrates apud Platonem autumat, tyrannus eos, quibus dominatur, in voluntatem ſuam compellere vi, ac potentia nititur: Rex virtute & liberalitate. Optimus princeps, vt ait Plato, ſic beatam ciuium vitam ſibi præponere debet, vt ſit ciuitas virtute honeſta, gloria ampla, copiis locuples, opibus firma. Vt enim optimus pictor non hic habendus eſt, qui oculos, & faciem, quamquam potiora ſunt, penicillo exornat, verùm totam imaginem colorum varietate honeſtat: non enim eam Veneris imaginem, quam vltimam Apelles pinxit, perfectam dixerunt, in qua non niſi faciem & pectus politiſſima arte perfecit: reliquas autem corporis partes inchoatas reliquit. Ita non is rex aut princeps optimus dicendus erit, qui vtilitati ſuæ ſolummodò ſtudet, ac nullum niſi vtilitatis cauſa diligit: bonum autem ciuitatis negligit, aut inhianter vſurpat. Vnde Plato, principi non proprium bonum, ſed publicum cogitandum: non partem ſolùm ciuitatis quandam, ſed totam eſſe curandam dicere ſolebat. Literarij ludi magiſtri, qui minis ac verberibus in pueros nimis ſæuiunt, hebetiores illos, tardioréſque reddunt: & in odium diſciplinarum, bonarúmque artium eos compellunt, quos nimia formidine coërcent. Verbis verò ac verberibus obdurant: vt peſſima quædam mancipia, quæ plagis conſueſcunt, ingenia quoque puerorum

Digitized by Google

nimia ſeueritate emendationis deficiunt. Et, vt ait Quintilianus, cùm deſperant, dolent, & diſciplinam ipſam odio habent: ſic dum omnia timent, nihil conantur malúntque ignorare, quàm tanta cum difficultate perdiſcere: eodem pacto vecordes & ignaui fiunt ciues qui tyranni rapinam atque ſæuitiam ſemper formidare coguntur. Nec eorum ſtudiis principes operam eſſe dandam iudicauerim, quibus cùm nimium inſudauerint, infeliciſſimi fiant, omniáque ipſis infirma, & inſidiarum plena. Alexander Phereus cùm nimis tyrannidi indulgeret, ab vxore perimitur, cuius cadauer ciues ſumma lætitia affecti populariter metu liberati, vncis ferreis tractum laceratúmque feris atque alitibus expoſuerunt. Dionyſius Syracuſanus filias quas tonſtriculas effecerat, cùm adoleuiſſent, timuit, & candétibus iuglandium putaminibus barbam ſibi & capillũ exurebat, ne collum aut guttur tonſori committeret: & allocuturus populum cùm ſingulos quoque formidaret, ex alta turri cõcionabatur. Ptolemæus Philadelphus dicere ſolebat, cùm multa alia incommoda Tyrannus habeat, tũ maximè quòd vtilitatis cauſa, inſontes interficere impunè liceat. Antiſthenes dicebat, carnifices humaniores eſſe tyrannis, interrogatus quonam modo, rationem reddit: Etenim à carnificibus nocentes, à tyrannis verò innocentes necantur. Nec ea conuenire principibus vt ſe ciuéſque ſuos optimè gubernent, putauerim, in quibus cùm exceſſerint, à bonis viris odio ſemper habentur, & ab eiſdem ſolio extrudũtur. Hac ratione Hercules Diomedem Thraciæ tyrannum è regno pepulit: ſimili quoque argumento Buſyrim Ægypti tyrannũ interfecit, Caccũ quòd boues abegiſſet, & Antæum brachiorum amplexu peremit. Sic & geſtorum Herculis æmulus Theſeus pleroſque facinoroſos homines tyrannóſque truculentiſſimos necauit. Fuerunt etiam ex ſapientibus, qui contra Tyrannos pugnauerunt, vt Pittacus Mytilenæus contra Melanchrum, Zeno Eleates contra Nearchum Myſium, Aratus contra Nicoclem Tyrannum, Dion contra Dionyſium, Apollonius Tyaneus contra Domitianum, Marcus Cicero contra Antonium & Catilinam, Armodius & Ariſtogitonus contra Hippiam. Romani etiam è quibus virtutum omnium exempla ſumenda ſunt, incredibili ſtudio, ſummáque

Digitized by Google

máque impenſa ciuitates atque prouincias à tyrannis liberarunt. Titus Flaminius Onabim Tyrannum aperto marte deleuit. Et non multò pòſt Philippum etiam tyrannum illuſtri pugna apud Cynocephalas Scoluſæ locum ſuperauit, vt Alcæus in epigrammate aſſerit. Titus Quintius Conſul rege Philippo cæſo, liberauit Corinthios, Locros, Phocenſes, Euboïcos, Achæos, & alios quamplurimos. Darius Xerxis pater, cùm ſubditis ſibi populis tributa ſtatuiſſet, principes prouinciarum ad ſe accerſiuit, & an grauiora eſſent tributa percontatus eſt, cúmque illi reſpondiſſent, mediocriter ſe habere, dimidium vnicuique remitti iuſſit, exiſtimans multo regalius eſſe dare, quàm auferre. Alcamenes Telecri quodam rogante quomodo regnum quis optimè ſeruaret, ſi lucrum, inquit, non multifecerit.

Quæ principis partes ſint, & quòd prudentia optimis principibus neceſſaria ſit.

CAPVT V.

OPTIMI itaque principis partes tres ſunt: duæ quidem, quibus optimus ſit princeps, quarum altera eſt qua ſubditos populos rectè gubernet, ſcilicet prudentia: altera, qua pœnas & præmia pro meritis tradat, iuráque omnibus diſtribuat, vt leges iubent, videlicet iuſtitia. Quæ partes, vt Ariſtoteles inquit, regiæ virtutes ſunt, atque ipſis & ſubditis communes. Tertia verò priuata, qua vir bonus ſit: hac ſubditis populis præſtare debet, non ſolùm, vt vir bonus ſit, benè beatéque viuat, ſed etiam vt ab eis honoretur, tanquam eis melior & dignitate prior: nam, vt Plato in Menone inquit, qui bonus vir eſt, is diuinus habetur. Quòd autem optimis principibus prudentia neceſſaria ſit, eo patet: nam niſi ipſe princeps prudentia præditus fuerit, nec gubernare, nec regere ſubditos populos rectè poterit. Proinde niſi eius actiones ſua prudentia metiretur, (cùm prudentia virtus ſit, qua quidem recta ratione bona proſequi, maláque euitare poſſimus) quonam pacto aduerſa fugere, proſperáque complecti optimus ipſe princeps poterit? Deinde prudentia am-

Digitized by Google

pla virtus eſt, quippe quæ non ad ſe ſolùm ſed etiam ad alios extenditur, quo quidem nihil optimo principi conuenientius eſſe poteſt. Cùm princeps non ſit vt ſibi, ſed magis vt aliis proſit, ab ipſo Deo excelſo hominibus inſtitutus, vt Homerus ait. Ariſtoteles quoque prudentiæ partes tres ſtatuit: memoriam, quæ cùm earum rerum ſit, quæ olim geſtæ ſunt, hanc profectò principi conuenire cenſendum eſt, vt omnia à quibus aut ipſe, aut ſuorum ciuium aliquis cauere aut allici debeat, cùm redeunt, metiatur, complectatúrque quæ imitanda ſunt: turpia verò, quæ fugienda ſunt, abhorreat. Prouidentiam, quam cùm futurorum ſit, ne quicquam euenire poſſit, quod à principe non prouiſum contingat, maximè optimo principi idoneam putandum eſt. Mentem denique quæ & futurorum & præteritorum cognitio eſt: & vt princeps futura & præterita conciliet pariter, vt conueniens ipſi videtur, & vt non verba, ſed legum intentiones intueatur, ſecundum quas regat, pro arbitrióque iudicet. Hac virtute cùm princeps ciues ſuos gubernauerit, regiè, vt inquit Ariſtoteles, eos gubernare videbitur, non aliter quàm animus corporis membra, corpúſque ipſum regit. Quamobrem non minùs lepidè quàm verè prudentem vitæ noſtræ ducem eligendum eſſe monent philoſophi, qui agendorum peritus ſit, perinde atque ad tentandum mare peritus nauclerus, & ad agros colendos prudens agricola, & ad ignotum iter peragendum, qui ipſum nouerit. Non enim aliter princeps ſuorum eſt cuſtos, quàm oculus corporis: ſiquidem vt oculus pedum progreſſus, ita humanas ciuium actiones dux prudens ab offendiculo dirigit. Quòd ſi ad ea opera quis ſpectabit, quæ prudentiæ ſunt, omnia principi conuenire dubio procul comprobabit. Nam prudentiæ primum opus Ariſtoteles autumat, agenda conſilio inquirere, ac veſtigare: ſecundum de his, quæ recto conſilio adinuenta ſunt, diligenter quid melius, quídve peius ſit, diiudicare: tertium rectè inuenta indicatáque præcipere, ac facienda curare. Hæc enim nullus à principe amouere poteſt, niſi temeritas affuerit, qua gubernet. Dictitabat Cyrus imperium nemini cõuenire, qui quibus imperat, melior ac prudentior non ſit. Philippum Alexandri patrem Theophraſtus memoriæ prodidit, non

Digitized by Google

ſolùm dignitate, ſed etiam prudentia aliis regibus præſtitiſſe. Ageſipolis Pauſaniæ, turpe, inquit, eſt, ô Athenienſes, eos, qui ſint Græcorum duces, minùs quàm Megarenſes prudentes eſſe.

Quòd optimis principibus iuſtitia conuenientiſſima ſit.

CAPVT VI.

NEC minus optimum principem decet iuſtitia pollere, qua rectè pœnas & præmia pro meritis diſtribuat: nam iuſtitia virtus eſt, qua homines iuſta volunt, & agunt. Proinde ampliſſima virtutum eſt iuſtitia, quæ non ad ſe ſolùm, ſed etiam ad alios extendi videtur. Eſt enim virtus, vt inquit Ariſtoteles, qua ſinguli ſua ſecundum leges poſſident. Vnde fit, vt proprium optimi principis munus ſit iuſtitia, qua neminem lædat, vnicuique quod ſuum eſt, tribuat: nulli faciat, quod ſibi ipſi noluerit. Quæ cùm à Ioue dono regibus data ſit, vt teſtatur Homerus, eam princeps ſic complecti debet, vt per ipſam vniuerſis lex habeatur. Quamobrem non iniuria Plutarchus Demetrium Antigoni filium reprehendit, quòd expugnatoris cognomen ambitioſè affectauerit, cùm id à regio decore ſit alienum. Laudat Ariſtidem, qui quamuis inops, & ignobilis eſſet, iuſti tamen cognomen per virtutem eſt aſſecutus, quod nulli regum aut imperatorum ante eum obtigerat. Plato etiam in Gorgia de Ariſtidis laudibus ita inquit: vnus autem Græcorum omnium probatiſſimus Ariſtides Lyſimachi filius extitit. Hunc ob iuſtitiam, quam ſeruauit, ad beatorum inſulas mittit ſolum. Hoc argumento motus Nigidius figulus iuſtitiam fingit in cælo collocatam eſſe inter Leonem & Libram, quòd è mortalibus quondam receſſerit, & ad ſuperos remeaſſet: quoniam mortales ipſam contempſerint. Quæ non ob aliud dicit, niſi vt iuſtitiam oſtendat, eſſe numen inter cæleſtia connumerandum. Hanc ob cauſam veteres poëtæ, qui primi omnium philoſophati ſunt, plura finxerunt de iuſtitia, vt innuerent iuſtitiam eſſe cæleſtem virtutem. Vnde & Plato philoſophorum ſummus iuſtitiam bonorum omnium maxi-

Digitized by Google

mum eſſe ait à Deo hominibus datum, vt in libris de republica, ac etiam de legibus non ſemel affirmat. Ariſtoteles verò, quia iuſtitia eſt ad ſe, & ad alios, teſtimonio Euripidis ita præclaram eſſe dicit, vt neque Lucifer, neque Heſperus tanto ſplendore refulgeat. Principes, qui iuſtitiam coluerunt, tutò vixerunt, ſine inſidiis quieuerunt, mortem, exilia incendia non metuerunt: nam volentibus imperabant, qui vinculis beneuolentiæ gubernati, ſtabilem obedientiam erga rectorem ſeruabant. Contrà verò, qui iniuſtè atque impiè licentioſéque ciues ſuos gubernabant, & ipſis ciues inuito animo ſubiciebantur, & ſeditionibus leui occaſione capta perſæpè fluctuabant: vnde vera eſt M. Tullij ſentẽtia, cùm ait, nihil principibus infelicius eſſe, quàm velle agere quæcũque poſſunt. Aſſerítque eos animo miſeros eſſe habendos, qui omnia ſibi licere exiſtimant. Nec verum nec ſanum eſſe cenſeo, in quod Anaxarchus ad Alexandrum prorupit, An ignoras Iouem ita regibus ſtatuiſſe, vt quicquid agerent, æquum iuſtúmque eſſet? Quam quidem ſententiam nec diuinus Plato in Gorgia laudauit, cùm Homeri auctoritate tyrannos, reges, potentes, ciuitatum gubernatores, qui ob peccandi licentiam grauiſſima prophaniſſimáque peccata cõmiſerint, omnes ad inferos detruſit. Nero Romanorum Imperator, cùm ſibi omnia licere perſuaſiſſet, non antè imperij licentia abuti deſtitit, quàm ab infeſta multitudine ad mortem compelleretur. Pericles ad Symonidem quoddam iudicium minus iuſtum efflagitantem dixit, neque illũ eſſe bonum poëtam poſſe, ſi præter numerum caneret, neque ſe bonum principem ſi præter iura faceret. Ageſilaus, Imperium non mihi, ſed ciuitati ac ſociis gero, ac tunc quidem verè iuſtéque dux imperat cùm iuribus paret. Theopompus ad eum qui rogarat quomodo quis regnum ſecuriſſimè tueretur: ſi amicis, inquit, libertatem iuſta loquendi conceſſerit, & ſubditos qui iniuria afficiantur, pro viribus non neglexerit.

Digitized by Google

Quòd optimi principes bonis ac iuſtis miniſtris vti debeant.

Capvt VII.

NEc poſſunt ſe iure defendere principes qui hodie imperitant, quòd non ipſi, ſed eorũ miniſtri iniuſta agant: nam hoc ipſo ſuis ciuibus eſt iniuriam facere, quo illis gubernandis miniſtros præfecerint, qui & iura vendant, & ciuium bona abſque vlla cauſa peſſundant, & religiones prophanãt, & omnia pro arbitrio ac licentia agunt, nec pœnæ, nec appellationis aut prouocationis metu. Plura enim ſunt, vt ait Flauius Syracuſanus, quæ principis nomen ac celebritatem deturpant. Potiſſimum ſunt diſpenſatores auari: miniſtri atque ſatellites deteſtabiles. Vnde Pythagoras: qui malos non plectunt miniſtros, volunt bonis iniuriam inferri. Et Seneca à Pythagora idem mutuatus ait: qui parcit malis, probis nocet. Cato & Phocion miniſtris eorum, & quidem amicis præcipuis non ſemel reipublicæ cauſa acerrimè aduerſabantur. Heroes quidem priſcis ſæculis ideo diuinis honoribus à gentibus ac nationibus colebantur, quòd nullos iniuſtè, impiè aut crudeliter gubernare permitterent: quin eos coërcerent, atque vlciſcerentur. Romani etiam olim celeberrimi iudicati ſunt, quòd iniuſtos nullibi regnare aut gubernare paterentur. Ægyptiorum reges ex ſua ipſorum lege iudices iureiurando alligabant, ne quid iniuſtè, etiam ſi rex imperaret, iudicarent. Antiochus tertius ad miniſtros ſcripſit, ſi quid contra leges facere iuſſerit, ne ſibi tanquam ignaro pareant. Cambyſes iudicem quendam ſuum miniſtrum alioquin ſibi cariſſimum, quòd iniquam ſententiam tuliſſet, è veſtigio comprehendi, ac eius pelle diſcerpta tribunal conſterni iuſſit. Qua ratione eorum ſentẽtiam approbo, iuſtos principes eſſe dicentium, qui vltores ſunt eorũ, qui aliena inuadunt, aut iniuſtè gubernant. Vt enim iuſtis miniſtris adeſſe, ita iniuſtis obeſſe optimi Principis eſt officium. Nam cùm regna à Deo principibus credita ſint, cauere debent, ne prauo quopiam fortè vtantur ad rerum adminiſtrationes, quæ

Digitized by Google

enim in illis perperam fecerit, eorum rationem reddet Deo; qui peccandi licentiam ipſi indulſerint. Princeps ergo eum ſuorum populorum gubernatorem eligere debet, qui, vt inquit Bion, non ditior, ſed illuſtrior à publica adminiſtratione diſcedit. Sed quoniam non ſolùm regiæ virtutes communes ac publicæ, quibus prudenter regant, iuſtéque pro meritis præmia ac pœnas tradant, iuráque vt leges iubent, diſtribuant, optimis principibus neceſſariæ ſunt: ſed priuatæ quoque, quibus, vt boni viri ſint, à ſubditis populis tanquam meliores honorentur, amentur, ac vt numina colantur.

Quòd modeſtia optimis principibus maximè opportuna ſit.

CAPVT VIII.

QVARE optimos principes modeſtos eſſe oportet: eſt enim modeſtia circa honores, vt Ariſtoteles inquit, laudabilis mediocritas. Oratores verò non ſolùm ad honorum mediocritatem pertinere ipſam autumant, ſed ad morum quoque probitatem, quinimmo etiam ad vultus decorem, vt illud Terentij indicat, & vultu Soſia adeo modeſto, adeo venuſto, vt nihil ſuprà: vnde M. Tullius libro primo ad Herennium modeſtiam definit, quòd ſit in animo continens moderatio cupiditatum, non ſolùm in factis, ſed etiam in dictis, quam modeſtiam in principe philoſophi ſummopere laudarunt: nam ſic circa honores mediocres erunt, non appetentes ab eorum ciuibus adorari, genibúſque flexis orantes audire: qui enim hæc appetit, nec iuſtus eſt, ſed ambitioſus. Modeſti profectò fuerunt ſeptem Sapientes, quorum alter alteri ob modeſtiæ obſeruantiam auream menſam ceſſit, vt inquit Valerius. Godefridus etiam Chriſtianorum dux in illa Hieroſolymitana expeditione, à cunctis modeſtiſſimus eſt habitus, quòd auream coronam poſt victoriam reiecerit. Nec eos principes modeſtos eſſe cenſeo, qui credunt ſeſe in magiſtratu non eſſe, niſi à populis ſubditis adorentur. Eſt enim honor externum bonum momentarium, atque citò euaneſcens: Magiſtratus verò animæ bonum: quo fit vt non magiſtratus honoris, ſed contrà honor

potiùs magiſtratus ſit gratia: cùm ordine naturæ imperfectiora propter perfectiora ſint, vt Ariſtoteles inquit. Priſci ſcriptores imaginem Demetrij Antigoni regis filij multis laudibus extulerunt, vt quæ animi indicium oſtenderet, per eam natus ad modeſtiam videbatur, & ad gratiam conciliandam, terrorémque incutiendum. In morum probitate modeſtus fuit Alexander, & erga milites & erga Mandanium Indum philoſophum, & erga Diogenem Cynicum, aſſerens regium eſſe eos, à quibus etiam malè audiret, benignitate, ac liberalitate lenire. Modeſtiſſimus fuit Philippus Alexandri pater, qui Diogenis loquendi licentiam tuliſſet. Cùm enim Cheronam vrbem inuaſiſſet, cum aliis captiuis ductus eſt ad eum Diogenes, quem cùm rogaſſet, quiſnam eſſet, audacter reſpondit, Explorator ſum inſatiabilis auiditatis tuæ. At modeſtus rex nihilo commotus, riſit, illúmque liberum dimitti iuſſit. Modeſtus inſuper fuit Titus à cuius vultu nemo triſtis recedebat. Modeſtiſſimus etiam Iulius Cæſar habitus eſt, vt ex multis rebus ab eo geſtis clariſſimè cognoſcitur. Modeſtus etiam Antiochus rex Aſiæ fuiſſe videtur, qui poſtquam à L. Scipione victus Tauro tenus in regnum compulſus eſt, dixit ſecum benignè Populum Romanum egiſſe quòd nimis magna cura eum liberaſſet. Modeſtiſſimum etiam fuit reſponſum Tiberij Cæſaris, qui prouincias tributo onerandas eſſe dicentibus, & id etiam per literas ſuadentibus, reſcripſit, boni paſtoris eſſe tondere oues, non deglubere. Illud quoque Alcamenis Telecri modeſtiſſimum fuit: ſiquidem quodam dicente ipſum parcè viuere amplas ſatis diuitias poſſidentem, Nempe illum qui multa poſſideat, inquit, non ex libidine, ſed ex ratione viuere decet. Modeſtus quoque habitus fuit Caius Marius: nam cùm ei duplex triumphus decerneretur, ſine ſuo collega Catulo noluit triumphare, quamquam ille à Romano populo minùs triumpho dignus iudicaretur. Græci ſcriptores Annibalis modeſtiam multis laudibus efferunt, quòd neque cùm in Italia bellum gereret, nec poſtquam in Africam rediit, aut cubans cœnaſſet, aut amplius vini ſextario indulſiſſet, ſummáque etiam modeſtia reſpondere conſueuiſſet omnibus qui eius alloquio vterentur. Laudant in-

Digitized by Google

ſuper Dionis Syracuſani modeſtiam, quòd rerum potitus, nec menſam, nec veſtem mutauerit, ſed eodem habitu, victúque contentus extitit, quo vtebatur, cùm in Academia cum Platone, & eius condiſcipulis verſaretur. Modeſtia cõuenientiſſima eſt priuatis hominibus & principibus. Nam, vt Hippoſthenes inquit, qui homo natus eſt, eum cõmunis fortunæ meminiſſe oportet, qui verò rex eſt natus, vt mortalis ſit an imaduertat. Socrates dictitabat ventum folles inflare: ſtolidos autem res bonas, & ſuperbiam.

Quòd optimus princeps manſuetudine carere non debeat.

CAPVT IX.

OPTIMVS inſuper princeps manſuetudine minime carere debet, quæ circa iram moderatiua mediocritas exiſtit. Nam iræ nimia vacuitas, informidabilem: nimia verò iracundia inamabilem principem efficit. Ob poteſtatis enim excellentiam, optimum principem formidabilem eſſe oportet. Ob beneficentiæ largitatem amabilis omnibus videri debet. Verùm, vt Pythagoras dicebat, princeps potiùs eligere debet, vt qui ſecum verſentur, eum venerentur & ament, quàm timeant. Amorem enim reuerentia & obſeruantia: timorem odium ſequitur. Philon verò, cum poteſtatis excellentia Principem benignitatem & manſuetudinem ſeruare debere aiebat, vt non formidoloſus, ſed reuerentia dignus videatur. Plutarchus verò inquit, beneuolentia non timore & minis, ſed manſuetudine & beneficiis comparatur. Ageſilaus Spartanorum rex cùm adoleſcens quidam in propatulo eius filiam, quam deperibat, oſculari auſus eſſet, illi ſupplicium non intulit: inſtigatus verò ab vxore, vt ei malum daret maximum, ſupplicium de eo ſumere negauit, dicens: ſi amicos & bene erga nos affectos pœna tormentíſque affecerimus, quidnam inimicis machinabimur? Verùm hoc tantùm apud vxorem valuit, vt ab ea Ageſilaus minimè contemneretur. Fuit verò Ageſilaus manſuetus & in alio: nam temulentum quendam in conuiuio poſt multa conuicia in faciem ſuam petulantiſſimè ſpuentem manſuetè tulit.

Digitized by Google

ſit. Quippe qui poſtridie cùm factus ille ſobrius reſciuiſſet, quæ perpetrarat, ac ſibiipſi mortem conſciſcere decreuiſſet, eum à flagitio prohibuit, & bono illum animo eſſe iuſſit, data illi omnium, quæ in eum commiſerat, venia. Cato cenſor peſſimum Imperatorem dictitabat eum, qui ſibi ipſi non poſſet imperare: iraſcentem quoque à furioſo, tempore ſolùm diſtare ſentiebat. Naucrates iracundos perſimile quod lucernis pati dixit, etenim hæ copia olei non lucem, ſed flammam fundunt. Ariſtoteles, vt fumus oculos offendit, & quod iacet ante pedes videre non ſinit, ſic ira rationem obumbrat, & quod ex ea ſine labore peruenturum eſt, non permittit mente capere.

Quòd innocentia optimis principibus accommodatiſſima ſit.

CAPVT X.

PROINDE optimi principes ea ſemper virtute excelluerunt, quæ innocentia eſt, aculeo veluti apum rex, ſemper caruerunt. Habet enim innocentia cum ipſa iuſtitia magnum admodum commercium. Nam, vt M. Tullius inquit, Innocentia eſt animi affectio, quæ nemini nocere vult. Vnde & Plato in libris de republica ait, Virum probum ad rectè viuendum ſibi ipſi ſatis eſſe. rectè autem agere nihil aliud eſt, niſi cum virtute & officio viuere, & ſibi, ſuiſque prodeſſe, alienis verò non obeſſe. Qui enim neminem lædit, neminíque iniuriam infert, hic eſt ille quem ab omni diſcrimine tutum etiam ſolum & inermem Horatius cecinit. Hic eſt ille, cui tutò fidendum eſſe Plato ait, quíque teſte Theagio poëta Siculo, omni auro, omníque argento potior exiſtit. Præclara virtus eſt innocentia iuſtitiæ comes, quæ non ſolùm homine, ſed Deo quoque digna ſit, vt vetuſtiſſimus poëta Orpheus inquit. Sicut enim Deus auctor, atque artifex omnium bonorum eſt, ſic rex quoque efficiat, vt proſit omnibus, noceat nemini. Reges qui ab innocentia abſunt, manifeſtas pœnas luunt, nec vnquam quieto animo eſſe poſſunt. Plures legimus fuiſſe innocentes, qui magni duces ob innocentiam à priſcis habiti ſunt, vt Euagoras

Digitized by Google

rex Cyprius, qui quamdiu vixit, neminem vnquam iniuria aliqua affecit, & in omnes ſemper iuſtum imperium exercuit. Epaminondas quoque Thebanus quamquam multis virtutibus excelluit, innocentia tamen omnes ſuæ ætatis exuperauit. Maior Scipio Africanus innocentiſſimus fuit, qui tantum ab iniuria abſuit, vt ne captiuorum quidem corpori vnquam illuſerit, nec minus putabat egregium hoſtem innocentia quàm armis ſuperare. Pomponius Atticus quemadmodum Cornelius Nepos ſcribit, ea fuit innocentia, vt neminem vnquam aut dicto laceſſiuerit, aut facto proteruo læſerit. Phocion Athenienſis pro eius mirifica innocentia tantùm apud Alexandrum valuit, vt Athenienſes æquis conditionibus ei conciliauerit, & magnos illos ciues à deditione atque ſupplicio liberauerit. Innocentem lædere crimen penè omniũ maximum iudicatur: quod quidem & numina & probi etiam homines vlciſcantur. Archias ſola clarioris carminis inuidia Archilocum poëtam occidit: verùm cùm ſolennia de more Apollini celebrarentur, frequénſque populus in templum conueniſſet, clara Apollinis voce Archias, quòd recenti innocentis poëtæ cæde pollutus eſſet, vt templum egrederetur, iuſſus eſt: quo quidem egreſſo, ſic deferente Deo, pœnas dedit: obrutus à concurrente populo ſaxis, vel, vt alij ſcribunt, ad ſepulchrum poëtæ ductus iugulatúſque inferias innocenti vati ſanguine parentauit. Ariſtoteles quoque 2. magnorum Rhetoricorum libro inquit: portò Deus iniuria vexatis opitulari creditur. Innocentem offendere tanti eſt, vt omne antè actæ vitæ decus obſcuret, vt exemplo Cecilij Metelli facilè patet: qui cùm Dalmatis nihil delinquentibus bellum intuliſſet triumphandi ſolùm cupiditate pellectus, Romam vt triumpharet rediens, à militibus, & ab vniuerſo populo fuit irriſus. Gloriantur etiam reges ob id quoque quod rectum putant iniurias, quæ innocentibus inferuntur, vlciſci. Vnde Æneas apud Virgilium ait,

——Tune hinc ſpoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere Pallas
Immolat, & pœnam ſcelerato è ſanguine ſumit.
Hoc dicens ferrum aduerſo ſub pectore condit.

Digitized by Google

Et Dido etiam inquit,

Vlta virum pœnas inimico à fratre recepi.

Et non modò illuſtres innoxii ſanguinis vindictam inter laudes ſuas connumerari volunt: ſed obſcuri quoque atque in ſeruitute conſtituti. Cùm enim Aſdrubal Amilcharis gener Hiſpanum quendam virum clarum & innocētem interemiſſet, eius ſeruus occaſionem nactus nequaquam vitæ ſuæ parcens, Aſdrubalem gladio tranſegit: qui cùm à militibus, quibus ille ſtipatus erat, comprehenſus eſſet, inter tormenta riſu exultabat, quòd iniuriam iuſtè vltus eſſet.

Quòd clementia optimis principibus conuenientiſſima ſit.

CAPVT XI.

QVIA verò Clementia comes eſt iuſtitiæ, & cum ipſa innocentia optimum habet commercium: cùm virtus ſit, quæ in parcendo delinquentibus mediocritatem ſeruat, iuſtos principes clementes eſſe oportet. Hæc in principe adeo laudatur, vt nihil magis principe dignum excogitari poſſit. Profuit quoque plurimis, maximiſque Imperatoribus Clementia non minùs quàm fortitudo; vt Romanis Imperatoribus, Alexandro, Philippo, Xerxi, aliiſque plurimis, & maximis. Viuo Cæſari Romanus Populus templum commune cum dea Clementiæ condidit: nam nullum, vt ſcribunt, manſueti ac clementis officium vnquam omiſit. Fuit & clementiſſimus maior Scipio, qui cùm repetundarum pecuniarum poſt victoriam Romæ poſtularetur, poſſétque inimicos longè ſuperare: clementer eis parcens voluntarium exilium ſubire maluit, patriáque cedere, quàm inteſtina clade illi nocere. Præterea nulla virtus eſt, quæ diis immortalibus magis ſimiles quàm clementia principes efficiat: quæ quidem homines non ſolùm diligere amaréque principes compellit, verùm venerari quoque, & ſi fas eſt dicere, adorare.

Digitized by Google

Quòd in principe pietas atque religio fulgentiſſimæ ſint.

CAPVT XII.

HVc accedunt in principe fulgentiſſimæ pietas atque religio: quas eſſe comites iuſtitiæ atque æquitatis primò earum definitiones oſtendunt. Nam ſi pietas agnitio Dei eſt, vt Hermes Triſmegiſtus ait, rectè eam comitatur religio, quæ ex opinione etiam multorum philoſophorum ſcientia diuini cultus eſſe dicitur, vt Plutarchus affirmat. Atque quem admodum Ariſtoteles in libris Rhetoricis autumat, principem oportet ita pietati atque religioni animum intendere, vt minus ab eius ciuibus timeatur ne quid iniuſtè ipſi patiantur, non enim in illum conſpirare audebunt, cui Deum fautorem vindicémque fore exiſtimāt. Quàm verò principes deceat & Dei agnitio, & diuini cultus obſeruantia, Alexander docuit: nam cùm accepiſſet ſeruum quendam ſuum, qui in eum grauiter deliquerat, in aſylum perfugiſſe, ad Megabiſum litteras dedit, vt illum, ſi ex aſylo egrederetur, manciparet, & vinctum ad ſe mitteret: ſin minus id fieri poſſit, in aſylo nullam vim ei afferat, quando per religionem non liceret. Templum quoque Dianæ Epheſiæ quòd aſyli ius etiam haberet, Alexander ad ſtadium perduxit, & opulentiis compluribus auxit. Marcus etiam Antonius illud mirificè amplificauit. Alexandro eidem illi Magno cùm Hieroſolymitanos euertere decreuiſſet, venit in ſomnis, quemadmodum Ioſephus narrat, vt ſacerdotem, & templum veneraretur, poſtea cùm ipſi ſacerdos obuius factus eſſet, flexis genibus piè illum veneratus eſt, ductúſque ad templum, ſacrificauit. Ex hac veneratione non minorem gloriam conſecutus quàm ſi vrbem ſibi vi armiſque ſubegiſſet. Perſæ poſtquàm Chriſtianæ Religioni obtemperare cœperunt, per quam, Chriſto duce, omnis eorum cæcitas fuit depulſa, proprias matres, filias, ſorores nefandis nuptiis ſibi iungere deſierunt. Derbices quoque ac Maſagetæ ſenectute parentes propinquóſque confectos aliis eduliis fœdo ac veſano ſacrificio miſce-

Digitized by Google

re. Scythæ etiam humanis carnibus veſci, ac filios impiis ſacrificiis iugulare. Omnibus etiam laudibus apud veteres pietatis laus excellentior in regibus ſemper eſt habita, quod etiam ex Virgilio cernere poſſumus, qui Æneam pium ſemper canit, conqueritúrque,

Inſignem pietate virum tot adire labores.

Quin etiã optimi reges victis hoſtibus ſubactiſq; regionibus templis, fanis, delubris ſacrariiſque nimirum pepercerunt, etiam eorũ deorum, quos neque nouerant, neque venerabantur, vt Ammianus Marcellinus refert. Sapor Perſarũ rex ſacris Chriſtianis neutique initiatus extitit, attamen cùm victor in virgines quaſdam Chriſtiano ritu diuino cultu ſacratas incidiſſet, cuſtodiendas intactas inuiolatáſque iuſſit, & priſtino more nullo prohibente religioni inſeruire præcepit. Viri fortes, qui piè ac religioſè numina, Deúmque ipſum coluerunt, magnas victorias conſecuti ſunt, vt Timoleo, qui poſteaquàm tyrannos Siculos deiecit ac ſubſtulit, Fortunæ condidit templum quàm magnificentiſſimè. Pytho quoque qui Eotym interemit: hic enim admirãtibus Athenienſibus, & honore ac laude proſequentibus, quòd Eotym interemiſſet, Diis, inquit, habenda eſt gratia, quibus auctoribus patratum facinus egregiè eſt. Principes verò qui ſacra violare ſunt auſi, turpiſſimo mortis genere diẽ obierunt. Vt Cambyſes Perſarum rex, omnium religionum perſecutor, templorum, & ſacrorum euerſor inſatiabilis, ſacrarum imaginum veſana peſtis nobis oſtendit: qui tandem ex equo proſiliens elapſo ſponte ſua gladio è vagina femur ſibi ipſi tranſegit, quo ex vulnere paulò pòſt magno cum dolore interiit. Xerxes Darij filius antequàm nauali prælio cum Græcis congrederetur, quatuor militum millia ad diripiendum Delphici Apollinis templum miſerat, vt numina etiam bello ſuperare poſſe videretur: non multò pòſt ipſe primò in Thermopylis à Leonida Spartanorum rege ſuperatur, deinde à Themiſtocle duce vincitur: poſtremò Mardonio præfecto relicto amiſſa claſſe in regnum vna nauicula ſe recepit, & cùm ob ignauiam ac vecordiam cõtemptui neglectuíque ſuis omnibus eſſet, ab Arthabano eius præfecto trucidatur. Milites verò omnes, qui templum euerterunt, ad vnum vſque

Digitized by Google

imbribus, procellis, fulminibúſque deleti ſunt, vt vix nuntius tantæ cladis euaſerit. adeò vt facilè omnes intelligerent nullas eſſe mortalium vires aduerſus infinitam Dei potentiam. Brennus Gallorum dux, cùm templum Delphici Apollinis aggredi conatus eſſet, eius exercitus tandem proſtratus terræmotu, grandinibus, imbribus, ac tempeſtate conſumitur, & ipſe tanti ſceleris dux ſeipſum pugione traiecit. Onomacus cùm noctu theſauros eiuſdem templi conaretur effodere, repente maximo terræmotu perterritus, è templo euolauit. Antiochus rex, cùm nocturnum exercitum ad diripiendum Dodonei Iouis templum duxiſſet, multis finitimis concurrentibus, lapidibus obrutus eſt, & omnis eius exercitus trucidatus interiit. Sed ne vos, Principes benigniſſimi, multis demorer, concludendum eſſe ſtatuo principem decere eſſe & pium, & religioſum, alioquin pœnas impietatis ac ſcelerum ſuorum, Deo iubente, eſſe daturum.

Quòd humanitas reluceat in principe.

CAPVT XIII.

ATQVI cùm natura hoc nobis præſcribat, vt homo homini ſemper proſit: humanitas virtus eſt in principe ad ineundam gratiam beneuolentiámque ſeruandam commodiſſima, & iuſtitiæ comes egregia. Scribit enim Varro Herculem ſic cognominatum eſſe, quòd ſemper hominum adiutor ac defenſor eſſet; vnde etiam nomen Alexandri dictum putant. Ingenui quidem animi eſt homines adiuuare, eíſque quibuſcumque rebus poſſumus prodeſſe, atque opitulari. qui enim beneficium dat, & Deum imitari videtur, & ſemper omnibus prodeſt. Hæc ex omnibus moralibus virtutibus principibus magis conuenit, quippe qui pluribus prodeſſe poſſunt, vt auctor eſt Ariſtoteles in Magnis Rhetoricis. Clarus humanitate fuit maior Scipio; vt eius vox ſignificauit, cùm dixit malle ſe ciuem vnum ſeruare quàm mille hoſtium perdere. Alexander magnus in quo omnis virtus inuenta fuit, cùm Darij nuncij gratias ei egiſſent, quòd tam clementer, tam caſtè, atque humanè ſe geſſiſſet in con-

regem ac filias eius, quas captiuas haberet, reſpondit: Nunciate Dario omnia quæ libenter atque humanè egi, non amicitiæ eius me tribuiſſe, ſed naturæ meæ. Bellum enim cum captiuis ac fœminis gerere non ſoleo: armatus ſit oportet, quem oderim. Clarus atque illuſtris vir apud Athenienſes Cimon, equarum monimenta quarum opera victor in Olympiacis ludis coronatus fuerat, iuxta eius ſepulchrum magna impēſa collocari voluit, ne ingratus vlla ex parte mutis etiam animalibus videri poſſet. Pericles Athenienſis Anaxagoræ diſcipulus, cùm ei à pleriſque vitio datum eſſet, quòd negligentiùs in eius præceptorem ſe geſſiſſet, cùm hic ad eius aures rumor percrebuiſſet, confeſtim ad eum perrexit, & ſupplex effuſis lachrymis eum orauit, vt ſi vitæ iam pertæſum eſſet, nec vlterius viuere deſtinaſſet, ſua ſaltem cauſa conſilium mutaret, ſibíque viuere decerneret, quando eiuſmodi conſiliorum ſocio plurimum egeret: cui cùm reſpondiſſet Anaxagoras, ô Pericle, qui lucerna indiget oleum inſtillat: erubuit tunc Pericles quaſi ingratitudinis atque inhumanitatis accerſeretur. Humaniſſimum quoque fuit Ariſtonis reſponſum, laudante enim quodam Cleomenis reſponſum, quòd interrogatus quid bonum regem facere oporteat, dixerit, Amicis quidem benefacere, inimicis autem malè: & quanto, inquit, melius eſt ô bone, amicis quidem benefacere, inimicos verò ſibi conciliari. Illud enim iuſti, hoc verò humani officium eſt, vt Socrates dictitabat. Vnde Valerius: ſpecioſiùs aliquanto iniuriæ beneficiis vincūtur, quàm mutui odij pertinacia penſantur.

Quòd gratioſiſſima principibus ſit facilitas.

CAPVT XIV.

GRATIOSISSIMA inſuper & principibus, & regibus ea virtus eſt, quam facilitatem appellant. nihil enim iucundius his, qui reguntur eſſe poteſt, quàm cùm intelligant aures illius, qui regnat, eis patere, nec querelis eorum clauſas eſſe. Facetus quidam ſcurra interiocandum dictitare ſolebat, malle ſe cæcutienti, quàm ſurdaſtro domi-

Digitized by Google

no inſeruire: nam ſi ille minus cernit quæ facit, magis è re ſua eſſe poteſt, quàm ſi minus audit quæcunque dicit. Princeps, qui facilè audit, multorum iniurias cohibet. vnde M. Tullius: Accedit ad ſapientiam & virtutem multos audire, monemur enim ſæpenumero aliorum dictis, & perdiſcimus quæ nobis obſcura ſunt. Mutamúſque ſententiam in melius, & errata noſtra, ſiqua ſunt, corrigimus. M. Antonius cognomento Pius, qui omnium Cæſarum optimus habitus eſt, ſæpè ſapientes atque optimos viros clam accerſiri iubebat, & ſeorſum remotis arbitris ab eis ſciſcitabatur quid de ſe quiſque ſentiret, loqueretúrve, & ea emendabat, quæ iure optimo reprehenſa viderentur. Facilitas Philippi Macedonum regis multarum ciuitatum animos conciliauit: adeo vt plures beneuolentia & facilitate quàm armis ſubegerit. Alexander eius filius ſuapte natura facilis erat: principes verò, qui ſub eo militabant, illum nonnunquam difficiliorem reddebant. vt ex eis patere poteſt, quæ Dinochrates Macedo Architectus ætate ſua omnium maximus, vt Alexandrum alloqueretur, commentus eſt. Facilis ergo princeps eſſe debet, ſed non adeo vt ſuæ grauitati deroget ac contemptum pariat, animóſque ſubditorum populorum corrumpat. vnde Terentius: & ſi ego meis me omnibus ſcio etiam apprime obſequentem, ſed non adeo, vt facilitas mea corrumpat illorum animos.

Quòd præclara ac luculentiſſima in principe ſit honeſtas.

CAPVT XV.

PROINDE præclara, ac luculentiſſima in principe eſt honeſtas, qua eius animus firma electione ea omnia agere conſtituat, quæ ſecundum virtutem ſunt. Hanc Zeno Eleates ingenij præſtantiam eſſe exiſtimauit, & hanc ſolam, bonum appellauit, quandoquidem hæc vna virtutum omnium ſummam in ſe complectitur. Ariſtoteles verò id honeſtum eſſe putat, ex quo ſplendor aliquis, atque illuſtris honor in eos perueniat, qui id geſſerint. Quam in ſententiam veniunt Platonici, dicentes id honeſtum eſſe, detracta omni vti-

Digitized by Google

vtilitate, ſine vllis præmiis fructibúſve per ſe ipſum poſſit iure laudari. Honeſtatem ergo principi conuenire eo probatur, quòd qui honeſti principes ſunt, ſe ipſos cognoſcunt, vt ait Socrates apud Platonem, aliena relinquunt, quæ minùs vtilia, ac neceſſaria ſunt: & in primis cogitant ſe ſolos ex omnibus animalibus rationis compotes eſſe. Hæc, vt arbitror, diuinæ mentis munera omnibus principum honeſtis actionibus adiicienda, atque accumulanda ſunt, & vt honeſtum præcipuè vitæ genus eligant, per quod non modò viaticum huius terrenæ peregrinationis aſſequantur, ſed etiam ab omni vitiorum labe ac turpitudine immunes ac liberi ſint, & vniuerſos ciues quibus cum verſantur, inſtituant: nedum ſibi ipſis noceant. Hac virtute præſtitit Sertorius, qui honeſtatem etiam in conuiuiis ſeruabat: nec videre quicquam turpe, aut audire vnquam poterat: ſuíſque perſuaſerat vt ab omni maledicto atque ſcurrilitate abſtinerent, certaréntque inter ſe placitis ſalibus, facetíſque iocis.

Quòd principum contubernales bene morati, & non adulatores aut ſcurræ eſſe debeant.

CAPVT XVI.

POST hæc contubernales diligenter animaduertant principes, ne male morati ſint, aut adulatores atque aſſentatores, aut ſcurræ atque hiſtriones. Interrogatus Hermogenes rhetor inſignis ac philoſophus egregius, vbi magis virtus compararetur: reſpondit inter bonos. Nec ab re philoſophus ille ſic reſpondit, ſiquidem bonos bene operantes cernimus, eorúmque exemplo ad honeſtè itidem agendum inducimur, eóſque docentes habemus, vt eorum etiam inſtitutis atque perſuaſionibus ſtudioſiores euadamus. Demũ à bonis viris vitia emendantur: nam ſi quos viderint turpiter agentes, eos modeſtè atque benignè corripiũt, optimis exhortationibus à vitiis retrahunt. Teſtimonium huic afferunt nobis magni duces, quorum legimus virtute aliqua clarum fuiſſe neminem, qui in ſui contubernio aliquem ſapientem non habuerit familiarem atque domeſticum, cui auſcultaret,

Digitized by Google

quémque maximarum rerum conſiliis adhiberet, atque hunc ipſum obſeruaret veneraretúrque. Ariſtippum Cyrenaicum habuit Dionyſius Syracuſanus quamuis ad ſcelera natus eſſet. Stilponem Ptolemæus Ægyptiorum rex. Menedemum Eretrienſem atque Bionem Boryſthenitam obſeruauit Antigonus. Attalo regi gratiſſimus fuit Lycon Troadenſis. Antiocho ac Ptolemæo perfamiliaris admodum extitit Demetrius Byzantius. Metrodorus Scepticus Mithridati regi tanta beneuolentia coniunctus fuit, vt vulgò regis pater appellaretur. Alexander Oneſicritem in primis dilexit, & Anaxarchum maiorem in modum obſeruauit, quem etiam vnum verebatur. Omitto Ariſtotelem, cui ab ineunte ætate à patre Philippo in diſcipulum Alexander ipſe erudiẽdus eſt traditus. Macedonum rex Archelaus Euripidem tragicum tanta beneuolentia complexus eſt, vt eidem conſilia omnia crederet. Imperatores Romanos conſulto prætereo, qui doctiſſimi penè omnes extitere & eruditos quoſque gloria, dignitate, ac muneribus affecerunt. Nec tamen maiorem Africanum ſilentio prætereundum eſſe cenſeo. Hic Quintí Ennij poëtæ ſtatuam ſepulchro ſuo collocari iuſſit: vt poſteri perpetuò cernerent, quanti fecerit poëtam illum. necnon & Polybium philoſophum egregium omnibus in locis, in quibus aliquid præclari geſſit, ſemper comitem aſſeclámque habuit. Nec prætereundos eſſe arbitror Hadrianum, & M. Antonium ex Romanis etiam principibus, qui ſemper doctis viris quamplurimùm tribuere erant ſoliti. Sed ex his demùm concludendum cenſeo regum atque principum comites eſſe debere optimos viros, doctos, ac ſapientes, qui conſilio, & auctoritate adiuuent, & regiam dignitatem illuſtrent. Erit autem nobis teſtis Cyneas Theſſalus vir dicendo grauis ac ſuauis: hunc Pyrrhus Epirotarum rex magno in honore habuit, & eo oratore ad complures ciuitates vſus eſt: de quo dicere ſolebat, plures à Cynea oratione vrbes, quàm à ſe armis expugnatas eſſe. Proinde functione eorum familiarium, qui probi & ſapientes ſunt, præclara facinora principes facere ſolent. Pericles in expeditionibus foris opera potiſſimum & imperio Menippi vti ſolebat: Ephialti artibus domi Areopagi ſenatum ſenſim de-

Digitized by Google

primendo humiliorem effecit: Auctore Charino, bellum aduerſus Megarenſes, vt decerneretur, obtinuit. Contrà verò, vbi principum contubernales, ac familiares praui fuerint. Princeps enim qui inter prauos verſatur, eos prauè agentes cernit, eorum exemplo ad prauè agendum incitatur, habétque illos ad vitia inſtigantes, nec ab eis à vitiis emendatur: quinimo potiùs laudatur, cùm virtutes ab ipſis dentur vitio. Quocirca, vt optimorum contubernium bonum eſt ad virtutem præſidium: ita quoque prauorum conſuetudo ſumma eſt principum pernicies. Atteſtatur huic rei Iulius Cæſar, qui rerum potitus mitiſſimè ſe geſſit, ſed familiarium inſolentia, quibus vtebatur, effecit, vt Tyrannidis nota ei inureretur, atque in populorum odium tandem detruſus eſſet. Tigranes Ponti rex principio mitis ac placidus fuit: demùm peſſimorum contubernalium vanis adulationibus aſſentationibúſque illectus, & potentia ac ſuperbia, & aliis non modò acerbus ac durus, ſed etiam inſolentiſſimus vel ſibi ipſi redditus eſt. Adulatores, vt Quintus Curtius dixit, Principum opes frequentiùs quàm hoſtes euertunt. Adulator vt Coruus lædit, Coruus quidem corporis oculos, adulator verò animi mores offendit: ob hanc rem Antiſthenes dictitabat, melius eſſe incidere in Coruos quàm in adulatores, illi enim mortuorum cadauera, hi verò viuentium animas deuorant: nam vel cõmendat nonnunquam reprehenſione quæ digna ſunt, vel reprehendit plerumque, quæ omni laude ſunt maiora, vt ſemper profectò in eius ore ſit aut prauorum laus, aut bonorum contemptus: quippe cùm ea ſola ſpectet, quæ principibus placent, corporum vmbras imitatus ſingulis eorum dictis applaudens. Princeps, qui adulationibus aures præbet, is omninò ſuus eſſe deſinit, ex aliorum namque aſſentationibus omnia potiùs quàm ex ſe, & ſua conſcientia metitur. Adulationes, vt Democritus inquit, à timore manant, nihilque beneuolentiæ in ſe habent. Eſt enim adulator, vt Ariſtoteles autumat, ſimulatus amicus. Hinc Socrates: lupi canibus, adulatores amicis ſimiles, diſſimilia tamen cupiunt. Ageſilaus Lacedæmoniorum rex adulatores non ſecus inſectandos eſſe dicebat, quàm propriæ vitæ inſidiatores. Iſocrates affirmat, nul-

Digitized by

lam principibus peſtem adulatore pernicioſiorem eſſe. Lyſimachus rex nullam ob aliam cauſam Philippidem Athenienſem comicum poëtam ſumma beneuolentia complexus eſt, niſi quòd ab adulatione vir ille plurimùm aberat. Athenienſes ex veteribus legibus adulatores capitali ſupplicio puniebant: & Timagoram Darij adulatorem conſilio publico morte mulctarunt. Tiberius Romanorum Imperator adulationum acerrimus hoſtis, cùm à quodam dominus appellaretur, palam denunciauit ne ſe ampliùs dominum contumeliæ cauſa nominaret. Calumniatorum verò atque delatorum vocibus nec faciles nec difficiles nimium ſint principes: vt enim nimia facilitas illos ad calumniam inuitat, ſic nimia difficultas à veritate abſterret: monendíque in primis erunt, vt vera loquantur, & increpandi admodum, ſi ambigua aut ficta comminiſcantur. Princeps enim, vt Domitianus Cæſar dicere ſolebat, qui vanos delatores non coërcet, vltro eos ad nequitias impellit. Menander, quicunque calumniis citò fidem adhibet, profectò & ipſe, vt moribus malus ſit, & puerilem mentem habeat, neceſſe eſt. Socrates verò delatores atque calumniatores comprimendos eſſe cenſuit, & falsò accuſantibus talionis pœnam ſtatuit, vt eam in ſe ipſos vltionem formidarent, quam in alios innocentes meditarentur. Memnon pro Dario rege aduerſus Alexandrum bellum gerens, cùm militem quendam mercede conductum multa de Alexandro ipſo nefaria turpiáque iactantem lancea percuſſiſſet: ego, inquit, te paſco, vt pugnes contra Alexandrum, non vt illi maledicas. Ieron neminem eorum dictitabat eſſe importunũ, qui loquendi libertate apud ſe vterentur: ſed qui ſermonem arcanum efferent. Scurræ atque hiſtriones à principum contuberniis non minùs exigendi ſunt quàm furaces homines: nam iſti pecunias, illi virtutes deprædantur. Iſti prodigalitatem vt lucrentur, illi vt principibus placeant, auaritiam laudant.

Digitized by Google

Quòd principis munus ſit vera dicere, atque veritatem in omnibus rebus indagare, & eam inuentam defendere.

CAPVT XVII.

PROINDE optimi principis munus eſt vera dicere, atque veritatem omnibus in rebus indagare, eámque inuentam defendere. Eſt enim, vt præclarè ait Pindarus Lyricorum poëtarum elegantiſſimus, virtutis maximum principium veritatem diligenter tueri. Polemon dicebat multò ſuauius eſſe dicere vera quàm audire. Pythagoras interrogatus quid faciant principes Deo ſimiles, dixit, Vera dicere. Socrates verò ſapientiſſimus veritatem & virtutem idem eſſe dicebat. Sicut enim illa nec creſcit, nec minuit, ſic virtus ſemper eadem inuenitur. Bonus vir præ animi virtute nunquam mentitur: cauebit quoque, ne aliorum vanitates pro veris referantur. Iuſtitiæ quidem munus eſt neminem fallere: Prudentiæ verò ne fallaris cauere. Sapientis quoque officium Ariſtoteles eſſe affirmat, non mentiri, & mentientem poſſe manifeſtare. Ignaui etiam atque puſilli timoréque compulſi eſt, mentiri: magnanimi autem vera profiteri, vt inquit Chæremon, cùm neminem timeat. Serui verò, vt inquit Apollonius, potiùs quàm liberi hominis, mentiri eſſe videtur: ideo, vt Herodotus ſcribit, turpiſſimum ac ſeruile fuit apud Perſas mentiri, & non modò lingua, ſed etiam vultu, oculíſve. Eſt enim vultus, vt M. Tullius in Piſonem ait, quaſi tacitus quidam mentis ſermo. Mendax, quo verbis ſuis vtitur alium in finem, ad quem illa ſibi data ſunt, ſuorum verborum peruerſor eſt: quo verò hominem, ſibi proximum decipit, eſt inhumanus: at quo verba, eius menti diſſonant, ipſe iniquus eſt. Ariſtoteles ex mendacio hoc mendaces lucrari ait, quòd ipſis deinde verum dicentibus non credatur. Veritatis præcipui amatores Pomponius Atticus & Cornelius Nepos fuerunt. Illum quidem ob veritatem omnes amabant, atque verebantur inſimul. Cornelius verò ex veritate tantùm auctori-

Digitized by Google

tatis aſſequutus eſt, vt nemini ſuſpectus eſſet: nam veritas, vt inquit Ariſtoteles, virtus eſt, qua quis qualis ipſe ſit cùm verbis, tum rebus palàm oſtendit. Qui præclara & maiora quàm ſint mendacio gaudens, gloriam aut lucrum affectans confingit, iactator eſt, & arrogans. Qui verò quæ ſunt, aut negat, aut minuit, diſſimulator. Diſſimulare autem aut ſimulare poſſunt aliquando principes, vt Sertorius temporibus difficillimis ad milites diſſimulabat, vbi diſſimulatio vſui eſſet. Fleuit etiam Cæſar Pompei Magni capite detruncato, cùm id ipſi Ptolemæus offerret. Annibal in militum conflictu riſit. Mentiri autem, vt arbitror, non decet. Et ſi ex philoſophis nonnulli putauerunt licere imperatoribus ac ducibus in magnis periculis, non tamen in alicuius perniciem, mentiri, ſed pro multorum ſalute, quis inficiabitur? Chilon vnus ex ſeptem Sapientibus pro amici ſalute falſum teſtimonium dicere conceſſit. Verùm cùm ad vitæ finem perueniſſet, rem illam in dubium reuocauit.

Quòd optima ac lucidiſſima ſit in principe liberalitas.

CAPVT XVIII.

OPTIMA etiam ac lucidiſſima in principe eſt liberalitas, qua opinetur pecuniis non modò iuſtè, ſed etiam liberaliter eſſe vtendum. Cùm iuſto ſatis ſit aliena non capere: liberalis autem de ſuis ad hominum vtilitatem, vt elargiri poſſit, cogitabit. Liberalitas principem atque eius actiones omnes ſummopere commendat, & lucidas facit, quæ in dandis, capiendiſque pecuniis mediocritas eſt, & magis in dandis, vt Ariſtoteles ait, liberalitas laudatur. Nam viri liberalis eſt potiùs dare, quibus oportet, quàm non capere, vnde non oportet, aut capere vnde oportet. Eſt enim ipſius virtutis potiùs beneficia conferre quàm ſuſcipere: qui beneficia confert, & honeſta agit, & gratia præterea ſequitur eum, qui dat, non eum qui capit, & laus etiam non mediocris. Liberales principes maximè omnium ſtudioſorum, vt ait Ariſtoteles, amantur: proſunt enim multis. Prodigi principes accipiunt è quibus non debent: fiúntque ad capien-

Digitized by Google

dum proni, quia erogare cupiunt. Cùm enim ipſis facultates defuerint, ex alienis dare coguntur: qui cùm dare percupiunt, ſine vllo diſcrimine & vndique capiunt. Vituperat autem hos Ariſtoteles philoſophorum maximus, quòd eorum dona illiberalia ſint, cùm nec honeſta, nec honeſti gratia, nec vt oportet, conferantur. Verùm quos pauperes eſſe oportet, interdum diuites faciunt: his verò qui vita ac moribus ſtudioſi ſunt, nihil præſtare ſolent. Adulatoribus atque ſcurris, ac hiſtrionibus multa erogant. Crates diuitum prodigorum pecunias ficis in præcipitiis, & præruptis locis plantatis comparabat, ex quibus homines nihil, ſed tantùm Corui, & Milui capere poſſent: ſic & horum pecuniis meretrices & adulatores fruuntur. Auaritiam ſapientes vti morbum peſtiferum atque incurabilem deteſtantur, cui cùm principes nimis indulgent, praui fiunt ac impij, tyranni euadunt, ciuitatum templorúmque expilatores. M. Cato in oratione, quam pro emendandis moribus ad Quirites habuit, ait: luxuria, & auaritia duæ peſtes ſunt, quæ omnia magna imperia euertunt. Bion ſophiſta auaritiam omnium vitiorum metropolim eſſe dicebat. Timon Miſanthropus dixit auaritiam & inanem gloriam malorum omnium eſſe elementa. Hæc animi perturbatio non modò multitudinis odium in principes concitat, ſed etiam nonnunquam ſubitam vltionem inuitat. Achæus Lydiæ Meoniæque rex auito crimine auaritiæ ardebat. Is quĩdem grauia populis tributa ſemper imperabat, in quibus exigendis ſæuus atque inexorabilis erat: verùm cùm tantum onus populi ferre nequirent, nocturna teſſera inter ſe data, ſubito hominum concurſu, illum cum omni familia trucidarunt. M. Craſſus qui apud Parthos nimiæ auiditatis pœnas dedit. Hic quidem pluribus virtutibus ornatus fuerat, quas omnes ſolius auaritiæ ſordibus obſcurabat. Mithridates Ponti Rex Aquilio Duci auaritiam exprobrauit, cùm ei capto aurum in os fudit. Iugurtha Romanum populum etiam carpſit, cùm dixit rempublicam Romanam venalem eſſe, ſi emptorem inuenire poſſet. Cneium Pompeium quem Magnum inſtar Alexandri cognominarũt, ob liberalitatem Romani penè omnes complexi ſunt: cuius patrem ob auaritiæ ardorem ſum-

mo odio habuerunt. Cæſar dicere ſolebat ſe liberum pectus habere, nec pudere imperatorem, qui cuncta bona in animi cultu ponit, honeſtam paupertatem profiteri. Reges enim ac principes, quibus nihil deeſſe poteſt, non pecunias contrahere, ſed illis liberaliter vti debent. Artaxerxes Xerxis filius Satibarzanem cubicularium quiddam minùs iuſtum ab ſe petentem cùm animaduertiſſet, illúdque triginta millibus Daricorum æſtimare, quæſtorem iuſſit ad ſe triginta millia Daricorum afferre, ac cùm illi traderet: accipe ô Satibarzane, inquit, hæc enim cùm tibi dedero, pauperior non ero: at ſi quod petieras feciſſem, iniuſtior. Thebanus Pelopidas dictitabat, ſibi diuitias, non ſe diuitiis ſeruire. Antiphon contra auaros dicebat: Sunt quidam, qui præſentem vitam non viuunt, verùm multo ſtudio tanquam alteram victuri laborant, interim eos tempus ſemper flùens, & volans deſerit, atque decipit. Theocritus dicebat, multos diuites curatores eſſe, non dominos pecuniarum. Qua ratione fit, vt alea, omnéſque ludi, quibus pecuniæ diſſipantur, non ſolùm pernicioſi, verùm etiam deteſtabiles principibus ſint: aleatores enim graſſatoribus deteriores ſunt. Siquidem, vt inquit Ariſtoteles, aleatores ab amicis, quibus dare oportet, lucrantur: graſſatores vt furentur, magna pericula ſubeunt. Lex fuit apud Ægyptios, vt aleator ab omnibus accuſari poſſit. Inter probra, ſcelera & immanitates Neronis hoc etiam notatur, quòd quadragenis ſeſtertiis in punctum biſſenum alea luſerit. Octauius Auguſtus omnium Cæſarum fortiſſimus à Romanis ciuibus notatus eſt, quòd aleæ indulgeret.

Quòd magnificentia ſolis regibus ac principibus conueniat.

CAPVT XIX.

MAGNIFICENTIA præterea virtus eſt, quæ ſolis regibus atque principibus conuenit, cùm ſit circa ſumptuum magnitudinem rationabilis mediocritas. Hæc ad duo præcipuè ſe extendit, & ad Dei atque Sanctorum cultum, quos ob virtutum excellentiam vltra communem ho-

Digitized by Google

minum conſuetudinem inſignes heroas vocant, vt templorum conſtructiones, dedicationes atque ſacrificia. & ad publica, vt eſt publici epuli pro beneuolentia concilianda exhibitio, vrbium, & munimentorum pro reipublicæ vel patriæ defenſione conſtructio, & cæterorum id genus adminiſtratio. Alexander cuidam pauperi vrbem cùm dono dediſſet, magnificus minimè eſt iudicatus, cùm in eo, quèm non oportebat, tãtos ſumptus fecerit. Magnifici fuêre Ægyptij reges, qui ſepulcrorum Pyramides tantæ altitudinis extruxerunt, vt vertice cælum tangere viſæ fuerint. Iulius Cæſar hac virtute veluti compluribus aliis pleroſque principes anteiuit. M. Agrippa magnificus etiam à Romanis habitus eſt, quòd non ſolùm Cloacas perfeciſſet, ſed etiam templum omnium deorum, quod Ioui vltori vouerat, ſummis opibus conſtituendum locauerit. Sylla quoque magnificus habetur, quòd Theatrum Tarquinij Priſci Perfeciſſet. Magnificentiáque ſuper alias præclariſſimum oſtendit principem in condendis vrbibus. Etenim Romulus ex paſtore ob hanc cauſam Romanorum rex factus eſt. Hanc gloriam multi antiquorum regum quæſiuerunt, vt Thitonus, qui Ceſiam vrbem ſtatuit: Semiramis Babylonem, regno cùm ſucceſſiſſet Nino, Miletum Heleus, Mirnam Amazonum regina, Teum Atamas, Antiochus Soter Antiochiam. Sardanapalus quamuis famæ ſuæ prodigus eſſet, hac tamen gloria carere noluit, Anachilem enim & Tharſum vno eodémq; tẽpore ædificauit. Alexãder regiis virtutibus affatim cõcinnatus huius magnificentiæ laude noluit carere: nam vrbes complures cõdidit. Annibal Attaxata Armeniæ pone Araxẽ. Romani innumeras colonias per vniuerſum terrarum orbem deduxerunt. Sed cùm non omnibus principibus datum ſit, vt vrbes condere poſſint, ſatis magnificus princeps eſſe poterit, dummodo ad benignitatem atque beneficentiam ſuorum ciuium inſtaurandam promptiſſimè ſeſe exhibuerit. Nam vt Anaxagoras Clazomenius Periclem Athenienſem inſtituens, dicebat: Magnificentia ad popularem potentiam capeſcendam plurimum valet. Socrates regem ſuum monebat propter hanc cauſam, vt magnificus eſſet. Huius rei teſtes erunt Perſæ, qui Cyrum tanquam patrem venerati ſunt, quòd fuerit ma-

gnificus. Cambyſem ſummo odio perſecuti fuerunt, quem tyrannum vocarunt, quòd puſillus atque imperio difficilis extiterit.

Quòd magnanimitas optimis principibus neceſſaria ſit.

CAPVT XX.

MAGNANIMOS quoque principes eſſe oportet: cùm ea virtus ſit, ſine qua reges ac principes nequaquam rectè imperare poſſunt. Hinc ſcitum illud Alexandri: Mori enim præſtat, quàm precario imperare. Ille enim precario imperat, qui hac virtute caret. Nec ab re quippe: nam, vt Ariſtoteles inquit, magnanimitas virtus eſt, qua honorem aut dedecus, fortunámque tum proſperam tum aduerſam æquo animo ac moderatè ferre poſſumus: Quæ quidem in principe luculẽtiſſima ſunt. Hac enim puſilla & modica ſemper euitabũt. Domitianus magnanimitatis ſtudium abhorrẽs cùm ſingulis diebus, certis horis, omnibus clam ſemotis ſtilo ferreo muſcas inſectabatur: à poſteris vituperabilis redditus, & magnæ dementiæ notatus eſt. Magnanimus magna præclaráque omnia agit, forti atque inuicto animo, nec lucrum mercedémve aliquam expectat: ſed ſola honoris ac laudis gloria, vt inquit Plato, cõtentus eſt. Magnanimus nec contrahitur aduerſis, nec effunditur lætitia, nec dolore remittitur, nec nimia cupiditate quicquam petit, nec dum fruitur, nimis inſultat, nec alteri inuidet. Magnanimus præ cordis excellentia nequaquam admiratur: nihil enim magnum ducit, quod per naturam fieri poſſit: ſeruátque ſemper ſtabile iudicium: verus eſt, nec ſimulare nititur, palam odit, palámque amat: manifeſtè loquitur: nihil clam agit. occultare enim veritatem timidi eſt. Contumaces comprimit, ſubiectis indulget, exemplo Cæſaris qui poſt Pharſalicam victoriam dicebat nihil ſe libentiùs facere, quàm ſupplicibus ignoſcere, & veniam petentibus impartiri. Alexander magis quàm Philippus hac virtute laudatur: quòd bella ſemper aperto marte gereret, Philippus dolis omnia tractaret. Cæſar non ſolùm Heluetios, ſed etiam Gallos omnes

Digitized by Google

magnanimitate laudauit, quòd aperti homines ſint, & non inſidioſi, & qui virtute, non dolo contendant: execratur autem Aphros, quòd dolis & inſidiis, non virtute, aut animi magnitudine decertent. Magnanimus omnibus benefacere cupit, vt inquit Socrates, & officia ſua cunctis communicat. Anaxilaus interrogatus quid beatiſſimum in rege putaret: reſpondit beneficentia ac magnanimitate ab aliquo nunquam ſuperari. Magnanimus ad munera præſtandum promptior eſt, ad accipiendum tardior. Beneficio enim deuinciri eum pudet: & ſi accipit, cum maiori menſura reddit, vt villico ſuo præcepit Heſiodus. Cotys ei qui ſibi pardalim largitus erat, leonem contrà, ne beneficio deuinciri videretur, dono dedit. Fabricio conſulatum gerenti Pyrrhi medicus epiſtolã miſit, qua pollicebatur, ſe Pyrrhum veneno, ſi iuſſerit, necaturum: ſed eam Fabricius epiſtolam remiſit ad Pyrrhum animaduertere iubens, quàm malus & amicorum eſſet iudex & hoſtium. Poſteaquam verò Pyrrhus inſidiis deprehenſis, medicum quidem ſuſpendit, Fabricióque captiuos abſque redemptionis pretio reddidit, gratis Frabricius non accepit, ſed totidem illi reſtituit, ne mercedem recepiſſe videretur. Magnanimus precantibus perfacilis eſt, & æquiori animo ſemper obſequitur: nouit enim vetus prouerbium, Magna mercede emit, qui deprecatur, neque paruum accipit pretium qui rogatur. Magnanimus cum clarioribus libenter decertat: pudet enim cum ignauis, ignobiliſſimíſque certare, quæ virtus in Cæſare plurimùm illuxit. Magnanimus iniuriæ quamprimum obliuiſcitur, niſi eam ſubitò vlciſcatur, quam etiam virtutem Cæſar ſeruauit. Omnia enim memoria tenaciter cùm teneret, iniuriarum quidem ſolummodò quamprimum obliuiſcebatur, niſi eam ſubito vlciſceretur. Sed ne longior in hac parte ſim, concludendum eſt ex Iſocratis mente, qui regi ſuo præcepit, vt magno ac præſtanti animo quæcumque ab eo agenda eſſent, ageret, nihil ſtudij nihilque curæ ac laboris prætermitteret, vt quanto opibus ac potentia præſtaret, tanto dignitate, virtute atque animi excellentia, cæteros omnes antecellere ſtuderet.

Digitized by Google

Quòd fortitudo maximè principem deceat.

CAPVT XXI.

FORTITVDO quoque maximè principem decet, cùm ſit mediocritas quædam, vt Ariſtoteles inquit, in metuendo & audendo. hanc enim ſic mediocrem laudant philoſophi: vnde Iſocrates, fortitudo cum prudentia prodeſt, ſine hac plurimum obeſt. Plutarchus verò, audacia cum ratione in rebus periculoſis ſuſcepta, laudanda eſt: fortitudo enim eſt: impetus autem ſine ratione temeritas dicendus eſt. Ageſilaus de fortitudine atque iuſtitia percontatus, vtra ſit melior, nihil inquit fortitudine indigeremus, ſi omnes iuſti eſſemus. Ariſtoteles primo magnorum Rhetoricorum volumine inquit: ſi virtus benefaciendi vis eſt, maximas eas eſſe virtutes neceſſe eſt, quæ plurimum aliis conferunt, quapropter iuſtos ac fortes maximè laudant, cùm alij bello, alij etiam in pace vtiles hominibus ſint. proinde eodem loco ait, fortitudinem eſſe legibus adminiſtratiuam, quo fit vt bello, & in pace fortitudo principi neceſſaria ſit. tertio verò Politicæ Ariſtoteles inquit principem oportere eſſe potentem ac fortem, vt non ſolùm prauis hominibus reſiſtere, ſed eos quoque aut fugare, aut delere poſſit. Præterea nulla virtus maiorem laudem, & plura munera accipit quàm fortitudo. quis enim ex prudentia, aut temperantia munus ex publico accipit? Iuſtitia autem odium atque inuidiam potiùs contrahit quàm gratiam ac beneuolentiam. Fortitudo autem contrà omnium animos atque oculos in ſe conuertit, noménque honeſtatis vel ſola ſibi vendicat. Quot munera, quot præmia, quot honores, à Regibus, Imperatoribus, Ducibus, ac populis viris fortibus ſtatuuntur: teſtes ſint coronæ militares, haſtæ, torques, armillæ, pedeſtres equeſtréſque ſtatuæ, trophæa, orationes, triumphi, & alia multa, quibus viri fortitudine præſtantes in præliis honeſtantur. Antiquitas fortes viros tanquam deos venerabatur, vt Athenienſes Caſtorem & Pollucem, Thebani Herculem, Indi Bacchum. Picturæ ad eorum memoriam inuentæ fuerunt, quòd teſti-

Digitized by Google

monium fortitudinis afferant. Meſſala tabulam picturæ illius prælij, in quo Carthaginenſes & Hieronem in Sicilia vicerat, in latere Hoſtiliæ Curiæ propoſuit, vt ab omnibus clariùs cerneretur. Scipio Aſiaticæ victoriæ tabulam poſuit in Capitolio. Hæc itaque eo dixiſſe volumus, vt concludamus principem oportere eſſe fortem, ſed longè magis iuſtum: quam ſententiam approbat maior Scipio, cùm dixit: Mater mea me imperatorem peperit, non autem bellatorem.

Quòd temperantia in principe fulgentiſſima ſit.

Capvt XXII.

Cvrent etiam reges ac principes omnes, vt ea virtute fulgeant, quæ temperantia dicitur à Peripateticis: eſt autem temperantia virtus per quam homines ad corporeas ipſas voluptates ita ſe habent, vt leges iubent. Hac enim principum vita, moréſque caſtigatiores erunt, & eorum exemplo cunctos ciues emendatiores reddent. vnde Socrates: ne putes alios compoſitis & moderatis moribus vitam ducere oportere, reges autem licentioſis & incompoſitis, ſed tuam temperantiam & moderationem aliis exemplum ſtatue, vtpote qui ſciant, perinde ciuitatis mores eſſe ac regum. Hanc virtutem Ariſtoteles verſari autumat circa ea, quæ corpori ſunt neceſſaria, vt ſunt vitæ alimenta, & venerea: cùm enim princeps circa hæc moderatus fuerit, eum temperatum dicemus. Qui enim voluptates ſequitur, & exceſſu gaudet, ac in turpi electione perſiſtit, hic inſanabilis eſt habendus: Propterea Pythagoras mori multo ſatius eſſe cenſebat, quàm animam intemperantia atque incontinentia contaminare. Incontinentes atque intemperati fuerunt Cirenaïci, qui ſummum bonum in ea voluptate poſuerunt, quæ ex gaudio, ac lætitia proficiſcitur. Stoïci autem nimis ſeuerè nobiſcum agunt, qui affectus omnes non temperandos, ſed radicitus euellendos eſſe putant. Peripatetici eum temperatum eſſe dicunt, qui quæ debet, & vt debet, & quando debet, concupiſcit. Hæc temperantia digna principe eſt, cùm eam comitentur modeſtia, verecundia, pudor,

abſtinentia, caſtitas, continentia, honeſtas, moderatio, ſobrietas, pudicitia, quæ clarum, nitidum, candidum, purum principis animum reddunt, omnibus virtutum officiis peragendis non aliter aptum, quàm aër caligine, nebulíſque vacuus ad lucidiſſimos Solis fulgores recipiendos eſt idoneus. Nam, vt Socrates apud Platonem in conuiuio inquit, tunc oculus mentis clariſſimè cernit, cùm corporis oculus deflorescit, ſedantur enim tunc corporeæ voluptates. Pericles Athenienſium princeps, qui Sophocli in prætura collega erat, eius intemperantiam increpans, inquit, non ſolùm prætoris manus à pecunia, ſed etiam oculos à libidinoſo aſpectu continentes eſſe debere. Turpiſſima eſt principi intemperantia, quæ circa guſtus ac tactus voluptates, triſtitiáſque exuperat. Principem enim reddit pecoribus ac iumentis perſimilem, immo illis indigniorem, qui enim intemperantiæ ſe dederit, omni carere ratione cenſetur: nam, vt Plato in Protagora, voluptatibus ſuperari extrema inſcitia eſt. Proinde quid magis eſſet contra maieſtatem, quàm qui aliis imperet, ſuis voluptatibus nequeat imperare? Hoc Diogenes Cynicus Alexandro regi exprobrauit, cùm ſe his dominari dixerit, quæ Alexandro dominabantur. Iſocrates ad regem ſuum, tibi ipſi impera, non minùs quàm aliis, eámque rege digniſſimam exiſtima: ſi voluptati nulli inſeruiueris, verùm cupiditatibus omnibus magis quàm ciuibus imperaueris. Scipio Maior poſtquam vi Carthaginem cepit, cùm quidam milites virginem formoſam de multis electam captiuis adduxiſſent, illi tradituri: libenter, inquit, accepiſſem, ſi priuatus, & non Imperator eſſem.

Quòd optimo principi litteræ, vſque ad aliquid conuenientiſſimæ ſint.

CAPVT XXIII.

De diſciplinis verò, quæ optimis ipſis principibus conueniant, Ariſtoteles omnium ſapientum magiſter diſtinguit, quòd quædam liberales ſint, quòd ſint libero homine dignæ, hæ enim cùm vtiles ſint, nequaquam eum, qui

illis occupatur, ſordidum ac vilem reddunt. Aliæ verò ſunt illiberales, quæcunque artes aut diſciplinæ corpus, aut mentem ad vſum atque virtutum opera reddunt inutilem, quæ quòd mentem occupatam teneant, abiectámque reddant, corpus etiam ad animæ mentiſque officia deteriùs afficiant, mercenarias ac ſordidas appellant philoſophi. Liberales verò, quæ libero homine atque optimo principe dignæ ſunt, ab Ariſtotele quatuor enumerantur, litteræ videlicet, gymnica, muſica, atque pictura. hæ enim viro libero atque ingenuo, optimóque principe dignæ videntur, modò in illis ingenuus vir non nimium ſe attriuerit. Plato enim in Gorgia eum vituperat, qui philoſophiæ omnium diſciplinarum venuſtiſſimæ nimium ſe præbuerit. Nam licet cùm quis illam in iuuenta attigerit, venuſta res ſit, atque gratioſa, præſertim ſi eam moderatè deguſtauerit, tamen ſi ſupra modum tempus in ea contriuerit, hominum eſt corruptela. Etenim quamuis quis optimo à natura ſit ingenio præditus, ſi diutiùs per ætatem iam prouectam philoſophetur, neceſſariò omnium rerum imperitus euadet, quarum omnino clarum, bonum, excellentem virum oportet habere peritiam. Siquidem & legum ciuilium & verborum, quibus in conſuetudine, cœtúque hominum tam publicè, quàm priuatim vti decet, voluptatum præterea cupiditatúmque humanarum, & vt breuiter comprehendam, morum prorſus fiunt ignari. Sunt igitur diſciplinæ iſtæ ingenuo viro, ac optimo principe dignæ, cùm illas in iuuenta moderatè deguſtauerit: nam penitus ſeſe tradere, ac eas ad extremum vſque velle proſequi, ingenui viri ac optimi principis eſt corruptela: ſunt etiam dignæ principe ingenuóque viro, modò has non lucri cauſa, aut vanæ gloriæ cupiditate, ſed ſui gratia vel amicorum, & propter virtutem principes didicerint. Sine enim his optimus princeps nunquam bene habere poterit, nam cùm homines non ſolùm in negotiis, ſed etiam ocio cum laude verſentur: (vtroque enim humanæ vitæ opus eſt) fit, vt in otio delectabiliùs verſari debeant. eſt enim expetibilius, cùm per ſeipſum & voluptatẽ, & fœlicitatem habeat, quæ in negotiis eſſe nequeũt. qui enim negotiũ agit, alicuius finis gratia id agit tanquã qui deſit. Finis autem fœlicitas eſt,

Digitized by Google

quam non cum dolore, ſed cum voluptate omnes eſſe pu-
tant. Otium ergo negotio præferẽdum eſt. Decet ergo opti-
mum principem ſecundum aliquam ſuæ vitæ partem in otio
degere. nec id ipſum quidem in ioco ponere honeſtum eſt;
nam ſic neceſſe foret iocum eſſe vitæ finem. Quinimmo ioci
vſus potiùs in negotiis quàm in otio idoneus eſſe videtur:
qui enim laborant effetæ redduntur corporis vires. relaxan-
di igitur cauſa eſt iocus. Iocus ergo adhibetur, vt labori-
bus medicinam temporis opportunitate ſeruata afferat. Fit
igitur vt iocus nequaquam otio, ſed potiùs negotiis conue-
niat: patet igitur ad otium ipſum tranſigendum, oportere
optimos principes quædam addiſcere ac erudiri. Quare di-
ſciplinæ, in quibus honeſtum, atque præclarum, & feli-
ciſſimum otium relucet, quatuor ſunt, literæ, pictura,
gymnica, & muſica. Sine enim litteris otium fœlix eſſe
non poteſt, otium enim ſine literis mors eſt, & viui ho-
minis ſepultura. Maior Scipio ab re militari & reipu-
blicæ adminiſtratione otium ad literarum ſtudia con-
uertens, dictitabat ſe quando otioſus eſſet, plura facere.
proinde homo illiteratus inſtar picti aut marmorei hominis
exiſtit, vt philoſophi autumant. Quanti verò apud principes
olim litteræ fuerunt, teſtes ſunt Xerxes, Philippus, Alexan-
der, Ptolemæus, Antigonus, Archelaus, Cæſares denique
Romani, principes omnes, qui pariter militarem ac litera-
riam diſciplinam percalluerunt. Hi enim tanti literas feciſſe
memorantur, vt libros & literas regiam ſupellectilem, & præ-
cipua ornamenta duxerint. Nec ab ratione quidem, nam cùm
cætera tempore ſeneſcant, ſola litterarum monimenta tem-
poris diuturnitatem non ſentiunt. Videntur etiam litteræ &
ad rem familiarem, & ad diſciplinam, & ad ciuiles actio-
nes quamplurimas admodum vtiles. Præterea nulla in o-
tio honeſta exercitatio eſſe poteſt ea quæ crebris ſermoni-
bus quotidie cum optimis atque eruditis viris agitur. Hac
ratione reges omnéſque principes bene inſtituti, cùm litte-
ras non nimis calluerint, ſine litteratorum conſuetudine o-
tium non eligunt: eſt enim, vt Theognidem poëtam dice-
re ſolitum Ariſtoteles meminit, virtutis non mediocris exer-
citatio cum viris bonis conſuetudinem habere, vt ſi vel tan-

tillum,

Digitized by Google

tillum à maximis rebus ſeſe obtulerit otij, præſente ac viuente virtute fruantur. Principibus quidem longè alia ratio cum litteris eſt, quàm his qui diu noctúque cum magiſtris mutis, hoc eſt cum ſapientiſſimorum libris aſſidua eſt diſceptatio, ac literaria palæſtra. Quibus ſi principis regio non abundat, aliunde accerſendos iubeat. Sicut enim princeps venator, ſi in eius regione canem optimum non inuenerit, Epiroticum, aut Laconicum magna impenſa magnáque diligentia exquiret: ſic princeps ſi regionis ſuæ idoneos indigenas non habebit, toto orbe terrarum perquiſito: omni ſtudio omnique munificentia ac liberalitate alliciat inuitétque. Cum his enim conuerſetur, cum his viuat, in eorum verbis animum intendat, operámque impendat, ac ſi viuentes libri continuo adeſſent. nam princeps tali ingenio talique natura ab omnibus iudicabitur, quali prædití fuerint illi, qui aſſidua cõſuetudine & amicitia cõiunctos habebit. Hanc ob cauſam Dionyſius Iunior dictitabat, ſe multos quidem alere liberalium artium doctores: non quòd illos admiraretur, ſed quia illos aliis admirationi eſſe vellet.

Quòd optimo principi picturæ cognitio idonea ſit.

Capvt XXIV.

Picturæ etiã cognitio non minùs litteris digna principe eſſe videtur, nec minùs vtilis, hæc enim in litterarũ figuris, geometricarúmq; figurarũ deſignatione conſiſtit, quæ ad Coſmographiã, Topographiã, Chorographiã neceſſaria eſt. Proinde pro ſolidis atq; planis dimetiẽdis latitudinibus, atq; profunditatibus deprehendẽdis, quænam facultas ipſa pictura vtilior eſſe poterit? Hæc autem quàm dulcia, quámve iucunda, atque vtilia principibus ſint, præſertim his ducibus, qui in bellicis ſe exercent, nemo eſt qui dubitet. Paulus Æmilius victo Perſe Athenas pertranſiens, ab Athenienſibus pro filio inſtituendo inſignem philoſophum ac pictorem pariter petiit, ad quem Methrodorum miſerunt, qui & philoſophiam & picturam apprimè callebat. Alexander philoſophos atque pictores miro proſequebatur amore:

quod quidem ex hoc cernitur. amabat Alexander præter pellices ſuas omnes Campaſpen quandam nomine, quæ non tantùm facie ſed totius quoque corporis membris omnium ſpecioſiſſima habebatur: rogauitque Apellem vt eam nudam ſibi pingeret. Annuit pictor, & eam nudam ſibi exhibendam curauit: qua viſa tanta huius formæ cupiditate correptus eſt, vt in eam ad inſanos vſque amores exarſerit. huius rei certior factus rex, illam è veſtigio Apelli dono dedit: & delitias tori ſui placidóſque amoris affectus eidem tradidit, ac pertulit vt ea quæ modò regis fuiſſet, quamprimùm pictoris fieret. quod quidem maximo nobis argumento erit, vt credamus Alexandrum non minùs pictores quàm philoſophos dilexiſſe. Præclara etiam & admodum iocunda res principibus eſſe videtur in eiuſmodi artificum operibus probandis eruditos oculos habere: indecorum enim eſſet, ſi in eis deciperentur. huiuſmodi eruditos oculos habuiſſe Philippum, Alexandrum, Cæſarem, & pleroſque alios reges atque Imperatores non ſemel ab hiſtoricis fertur. Alexander edicto cauit, ne quis effigiem ſuam præter Apellem, (quem cæteros antecellere iudicabat) pingeret.

Quòd muſica optimo principi conſona ſit.

CAPVT XXV.

MVSICAM etiam non modò Ariſtoteles ingenuis viris dignam eſſe cenſet, ſed Plato quoque qui Muſicam ad animi exercitationem vtilem eſſe affirmat, non aliter quàm ad corporis gymnicam. verùm ſicut aſſidua corporis exercitatio hominem hebetiorem ingenio efficit, ſic continua Muſice animum effeminat, & corporis vires eneruat. Lycurgus Muſicen à natura hominibus traditam eſſe dicit ad tollendos faciliùs humanos labores: & hac ratione ductus in re militari tibias conſtituit, vt bellatores redderet promptiores alacrioréſque in laboribus periculiſque ſubeũdis: quæ quidem res aliquando vſui fuit. Lacedæmoniorum enim acies in prælio contra Meſſenios iam inclinabant, & ſuccubuiſſent prorſus, niſi Tyrtheus tibiæ modulis in ſpondeum

mutatis eas erexiſſet, & ex victis victores reddidiſſet. Græci muſicam in ſuis regibus imperatoribúſve valdè optauerunt: nam Cimon in conuiuio Themiſtocli prælatus eſt, quòd iocundè ad lyram ceciniſſet: cùm ille eam recuſaſſet. Et inter Epaminondæ Thebani virtutes in primis laudant, quòd præclarè ad citharam & ad tibias cantaret. Priſci etiam ad manſuefaciẽdos feros hominum mores quaſi pharmacon muſicam adinuenerunt. ſic Amphion, ſic Orpheus, ſic Solon poëmata ac Muſicam ad continendum hominum mores induxerunt. Orpheus quoque, Linus, Emolpus, Silenus, Thamyras & qui tales fuerunt dulciloquo poëmate permulcente muſica & penè animos euocante ſacra cecinere. Et quamquam Romani in ſuis principibus eiuſmodi facultates non deſiderabant, argumento quòd illuſtrium virorum animum effeminarent, & corporis robur eneruarent; tamen Ariſtoteles, & Plato in viro ingenuo has laudant. neque enim virum ingenuum aut Marſiæ aut Timothei ſimilem præcipit. At ne otio diuina animi vis retundetur; ludis verò, ac iocis relaxetur paulùm, libentiùs quoque alacriúſque ad alias grauiores diſciplinas redeat. In his enim diſciplinis optimis principibus ſatis, vt arbitror, erit, ſi aures, atque oculos adeò eruditos habuerint, vt de eis verum iudicium afferre valeant. poſſe enim caueri ſatis videri debet, ſatis etiam erit, ſi quando quippiam otij à magnis negociis nacti fuerint, ad iocundiora aliqua feſſi rebus ſeriis, & longo tædio affecti proficiſcantur. Cùm enim otioſus fuerit princeps, neque militauerit, neque horum aliquid fecerit, quæ fœlix otium faciunt, nihil eum ab Agaſonibus differre dictitabat Teres Sitalici pater. verùm, vt diximus, non tanto otio abundare debent principes, vt philoſophi, qui omnem ætatem litteris indulgent. principes enim in maximis gentium populorúmque rebus agendis ſeneſcere debent.

Quod gymnica optimo principi accommodatiſſima & pulcherrima ſit, & potiſſimum venatio.

CAPVT XXVI.

QVANTVM verò gymnica virtus viro ingenuo conueniat, facilè cognoſcitur ex his. nam vt Ariſtoteles & Plato dixerunt, vt litteræ, pictura & muſice ad animi exercitationem, & ad otij tranquillitatem atque decorum vtiles ſunt, ſic ad corporis gymnica: & vt continua muſica animum effeminat, ita aſſidua corporis exercitatio hominem ingenio hebetiorem efficit. Gymnica facultas apud Græcos erat, qua homines in ludo quinque artes exercebant, videlicet curſum, ſaltum, palæſtram, & iaculationem, quæ Ariſtoteles viris ingenuis etiam conuenire credidit, modò ſint honeſta, nec mollia, nec violenta, ſed moderata: nam ſic ad robur & ad fortitudinem conferunt. verùm inter exercitationes, vt Platoni placet, conuenientiſſima videtur venatio, quæ claris principibus ſemper fuit gratiſſima, & quaſi eorum peculiare ſtudium, nec quidem immerito: ſpeciem enim non paruam fortitudinis præ ſe fert, & ſimilitudinē quandam cum re bellica tenet. Venatores etiam magnis incommodis aſſueſcunt. nam niues, æſtus, famémque prædæ auiditate perferunt: equitando quoque, currendo, proſiliendo, aduerſum montem aſcendendo duriores robuſtioréſque fiunt, & feris congrediendo animo quoque promptiores. Et quamquam Ariſtoteles meditationi maximarum rerum nō idoneam eſſe arbitretur venationem, Plinium nepotem teſtem habemus, qui gloriabundus ad Cornelium Tacitum in montibus & ſiluis non magis Dianam quàm Mineruam errare ſcribit. Plato 7. lib. de legibus venationem ita partitur, aliam quidē aquatilium, volucrum aliam, & terreſtriū aliam, nec ferarum ſolùm, verùm etiam hominum: horúmque nō bellicus tantummodò, ſed etiam qui per amicitiā, & alius quidem laudē, alius vituperationē habet. rapinæ quoque latronū, caſtrorúmq; venationes ſunt. harū venationum Plato eam prætulit, quæ meliores iuuenum animos facit, quæ cōtra vituperat. hinc aqua-

tilium venationẽ & noctu interdiu dat vitio, quòd hæc pyratas hominũ prædones, venatores efficiat. tandem etiam furti latrociniiq́ue venationẽ magnopere vituperat, quòd iniuſtum ac illiberale ſit. Volucrum venationem non prohibet, ſed eam tanquam ſeruilem magis quàm liberam inſectatur: iccirco ingenuis viris terreſtriũ venationem ſolam relinquit. non eam tamen quæ eſt dormientiũ, quæque vicibus quibuſdam interpoſitis fit, nocturnáque vocatur, & otioſorum hominum eſt. nec eã etiam ex qua laboris plurimũ reſidet, quæque retibus, ac laqueis agitur. non enim conſtantis animi eſt hoc pacto ferarum domare atrocitatem, ſed viribus: ſolam ergo quadrupedum omnium optimam colligit, quòd equis, canibus, corporíſque viribus agatur, nec iniuria: nam quibuſcumq; diuina curæ eſt fortitudo, ij quadrupedes omnes curſu, vulneribus, telis, dextræ inquã virtute proſternere debẽt. Sicut enim in re bellica præſtantior victoria eſt, vbi collatis ſignis, & aperto marte decernitur, quàm vbi hoſtes dolis, atque inſidiis capiuntur: ſic etiam in venatione gratior præda eſt, quæ canum hominúmque virtute cadit, quàm quæ laqueo, aut alia fraude ſtrangulatur. Illud quidem ingenuæ nobilitatis ac magnanimitatis eſſe cernitur. Hoc autem ignauæ ruſticitatis, ac puſillanimitatis. illud fortitudinis ſpeciem præ ſe fert, hoc autem auaritiæ. Ideo Plato edicto cauit, ne quis venatorem nocturnum retibus & canibus ſuis fidentem venari alicubi ſinat. Alexander Macedo vbi ab acie, & armis quies aliqua aderat, aſſidua venatione oblectabatur. Sylla poſtquam depoſita dictatura priuatam vitam elegit, Cumas ad proprios agros profectus, etiam venationi indulſit. Pelopidas Thebanus vir animi virtute, & corporis robore excellens primam militiæ ſuæ inſtitutionem à venationis meditatione accepit. Viriatus Luſitanus ex paſtore venator, ex venatore Imperator factus eſt. Philopœmenes Achæorum dux, vt fortitudinem ſeruaret, & milites militatem facultatem edoceret, quoties ab armis otium nactus eſſet, cum militibus venationi operam dabat. Perſarum reges, quorum Maieſtas auguſtior, ſanctiórque habebatur, venatione etiam gloriabãtur. Antiochus qui ſecundò aduerſus Parthos exercitum duxit, ex venatione magnam

Digitized by Google

ac plurimam laudem acquiſiuit. Romani omnes eorum magnanimitates in magnis venationibus oſtenderunt. Venatio hominem caſtũ efficit, nam dum venationibus indulget, luxuria abſtinet. imò poëtæ Dianam nudam virginémque, ac virginum catetua ſtipatam finxerunt, quòd qui venationibus nimis intenderit, rarenter voluptatibus, atque luxuriæ operam dabit. Venatio à periculis liberat, vt Mithridates nobis teſtatur, qui antidoto à veneno, venatione autem ab inſidiis ſe liberauit.

Quòd rerum geſtarum hiſtoria optimis principibus neceſſaria ſit.

CAPVT XXVII.

PRVDENTEM verò oportere eſſe principem, eo ſuperiori capite teſtati ſumus, quòd cùm tres optimi principis partes ſint, præcipua ac ferè tota prudentia ſit, quam quaſi murum atque telum, vt Pythagoras inquit, optimi principis eſſe oportet. Mens enim prudẽs, vt inquit Socrates, maximum in minimo corpore eſt. Prudentiæ verò tres ſunt partes, præteritorum memoria, præſentium intelligentia, futurorum verò prouidentia: nam, vt Iſocrates teſtatur, prudentem virum decet præterita meminiſſe, præſentia agere, futuris verò conſulere. Memoria autem præteritorum, notitia rerum geſtarum eſt, quam hiſtoriam Græci appellant, quæ nec earum rerum ſolùm eſt, quas princeps ipſe in vita geſſit, ſed quæ etiam in eius ſubiectis populis acciderunt, nec his ſolis, ſed aliis qui regibus vniuerſi olim & nunc ſubiciuntur. in hiſtoriis enim non ſolùm res geſtæ, virorum, principum, regum, ac imperatorum narrantur, ſed & regio quoque ſæpè, vt inquit Cicero, aut pugna deſcribitur: interponuntur etiam conciones, & hortationes. hinc eam temporum teſtem, vitæ magiſtram, memoriæ vitam, veritatis lucem, vetuſtatis nunciam appellat. hæc Regibus, Ducibus, Imperatoribus omnibúſque principibus ex eo maximè neceſſaria eſt, quòd per eam omnium virtutum exempla, & imitationes quæque clariſſimarum actionum depromantur. Si enim corporum ſimulacra, atque ef-

figies artificum manufactæ iuuenum animos excitare ſolent, ad eorum imitationes, quorum illæ imagines ſunt, quanto magis id hiſtoriæ rerúmque geſtarum monimenta aſſequentur? quando non corporis liniamenta, formæque ſpeciem, ſed animum mentémque exprimunt, quo fit, vt tanto ſimagini hiſtoria, quanto corpori animus præſtet. Ob hiſtoriarum inſcitiam ab Ægyptiis Græci ſemper pueri, & nunquam ſenes dicti ſunt, quoniam, vt in Timæo Plato, iuuenis animus eſt, in quo nulla eſt ex vetuſtatis commemoratione priſca opinio, nulla cana ſcientia. vnde M. Tullius: neſcire autem, quod antequam natus ſis acciderit, id eſt ſemper eſſe puerum. quid enim eſt ætas hominis niſi quum memoria rerum veterum cum ſuperiorum ætate contexitur. ex memoria rerum geſtarum optimus princeps nouas leges ſancire, aut ſancitas antiquare, aut interpretari, bonum & æquum cognoſcere, atque iudicare poterit. qui enim pro reipublicæ conſeruatione, vel noui ſtatus permutatione leges ferre vult, ei neceſſarium eſt ſcire, vt Ariſtoteles inquit, primò quot rerum publicarũ genera ſint, deinde quæ vnicuique conferant, quibúſve extingui ſoleant, amplius qualis ſtatus olim reipublicæ vtilis fuit, deinceps aliorum ſtatuum oportet conditiones ſcire, & quæ quibus conueniant, non ignorare: peregrinationes quoque, quibus multarum gentium mores atque conſuetudines cognoſcere poteris. quæ non niſi ex rerum geſtarum memoria, hiſtoriis, atque annalibus cognoſci poſſunt. Princeps igitur qui hiſtorias percalluerit, non ſolùm ad bonum publicum ſed ad priuatum leges ferre poterit: nec nouas ferre tantùm, ſed etiam priſcas aut mutare, aut interpretari, atque æquum & bonum iudicare. Princeps hiſtoricus facilè præſentia agere poteſt. nam ſicut ſenex ea quæ in iuuenta contingebant, cùm in ſenecta denuo acciderint, caſtigatiùs, atque prudentiùs aget: ita princeps, qui plurimarum hiſtoriarum peritus eſt, quæ ſibi & aliis, qui ſibi ſubiciuntur, in vita acciderint, moderatiùs, atque conſultiùs gubernabit, ſiquidem qui hiſtorias non ignorauerit, aliorum annis longè ſenior ſit, quàm qui ætate antiquior eſt. proinde hiſtoricus princeps futuris conſulere, in concionibus iudicare, in declarationibus dicere, vt Ariſtoteles in-

quit, facilè poteſt. Siquidem futura præteritis plerumque ſimilia ſunt, quippe cùm omnia circulo redeant, vt Plato ſcribit: nihil enim noui, quod olim aut ipſum aut illi perſimile non fuerit. Ex memoria præteritorum quæ nihil aliud eſt, niſi hiſtoria, prouidentiam futurorum nactus Quintus Fabius, nomen Maximi apud Romanos ſibi vendicauit: Numa Pompilius ex priuato viro ac penè ruſtico Romanorum rex euaſit. Qua ratione fit, vt vniuerſæ prudentiæ vis in rerum geſtarum notitia ſit habenda: ſiquidem princeps ex ea ſola, veluti antiquiſſimus ſenex, præſentia agere, & futuris conſulere facilè poteſt. Principes, qui rerum geſtarum peritiores fuerunt, præclariora facinora egerunt, vt C. Cæſar, qui non ſolùm hiſtoriarum fuit peritus, ſed magnus quoque magiſter: Alexander, Scipio, qui nunquam Polybium philoſophum & hiſtoricum dereliquit: Ptolemæus Philadelphus, Epaminondas, Pericles, & inter tyrãnos Dionyſius Senior, qui etiam hiſtorias ſcripſit. Quare principi duos oculos opus eſſe arbitror, alterum corporis, quo à præcipitiis, alterũ hiſtoriam, quæ animæ eſt oculus, quo ab aduerſis ſe ſeruet.

Quòd optimis principibus eloquentia neceſſaria non ſit, non tamen eius ignari penitùs eſſe debeant.

CAPVT XXVIII.

AD DVBITATVM verò olim, & nunc illud eſt, an dicẽdi peritia, quam Græci rhetoricam, noſtri oratoriam, ſiue eloquentiam dicunt, optimis ipſis principibus pro gubernandis populis neceſſaria res ſit. Ariſtoteles omnium meo iudicio ſapientum magiſter, ad Alexandrum regem ita ſcribit: abſurdum eſt eum qui rerum geſtarum gloria cæteris antecellat, videri humillimum quibuſdam, & in dicendo cedere. præſertim, cùm non ſis neſcius eos, qui in populari principatu verſentur, res omnes ad populum: qui verò ſub vnius imperij ductu conſtituti ſint, ad rationem, orationémque referre. M. verò Tullius, præclarum mihi quidem, inquit, videtur adeptus is, qui qua re homines beſtiis præſtant, ea in re hominibus ipſis antecellit. proinde intueri

eos omnes licet, qui optima inter Græcos republica vſi fuerint, oratione atque eloquentia cunctis præſtitiſſe: quod quidem plurimorum exemplis Plutarchus Cheroneus comprobauit in eius Politica: potiſſimum Periclis, cuius rempublicam gubernandi ratio verbo quidem, vt Thucydides inquit, popularis eſſe videbatur, re autem vi & facultate orationis vnius omnium primi viri regebatur imperio. Huius enim tãta fuit dicendi facultas, & vis, vt non modò gloriam illi, ſed etiam ſalutem ciuitati ferret. eius enim dicto audiens ciuitas, ſuam ipſius conſeruabat felicitatem, alienis & exteris abſtinebat. Proinde mores principis non ſatis ſunt ad perſuadendum ſubditis, niſi princeps ipſe oratione & eloquentia præditus ſit, quæ vna ſuadeat, afficiat, flectat, ducátque multitudinem. qui enim rempublicam regere vult, mentem is ſecum velut gubernatorem habere debet: orationem verò vt clauum, quæ accepta mentis imperia demum in alios edat. Præterea reges magni Ioue ſati, vt inquit Homerus, tam & ſi ſceptris & purpura nobiles, ſatellitibus conſtipati, deorum demum oraculis inflati & tumidi vulgus territare ſoliti, ac ſibi ſubiicere, volebant tamen verborum oratores effici, gratiámque dicẽdi nequaquam aſpernabantur, conciones, in quibus clari ſolent effici viri, non negligebant: nec Iouem duntaxat conſilij præſidem, bellicoſúmque Martem, aut militarem Mineruam, obſeruabãt, ſed Calliopen quoque venerabantur, quæ regibus veneranda comes accedit, ferociam atque duriciem vulgi ſuadela atque pudore leniens. Propter quæ Plutarchus non modò vtilem optimis principibus eloquentiã eſſe cenſet, ſed etiam neceſſariam: niſi, vt inquit, quiſpiam dicere velit nauim à gubernatore duntaxat dirigi, non à clauo quoque; & equitem eſſe, qui equum in gyros verſet, non etiam frenum: ita ciuitatem quoque principum vita & moribus regi, non & oratione. Quæ cùm eſſe nequeant, eloquentiã optimis principibus neceſſariã eſſe putat. Ego verò eloquentiã optimis principibus regibúſque ipſis, atque imperatoribus longè magis cõuenire cenſerem, quàm veſtium decorem, vt Ariſtoteles quoque ad Alexandrum ſcribens arbitratur. Siquidem eloquentia optimi principes viris: veſtium autem ornatu ac pompa mulieri-

Digitized by Google

bus placere videntur, amplius dicendi grauitate viris grauibus, veſtium pompa iuuenibus ſe offerunt. Eſſe tamen optimis legitimiſque principibus neceſſariam nec philoſophi putant, nec ego aſſererem. His verò, qui aut tyrannidem exercuerunt, aut eam obtinere decreuerunt, neceſſariam fuiſſe, teſtes ſunt Phalaris, vterque Dionyſius, Alexander Pheræus, Dion Syracuſanus, Pericles, cæteríque oratores, qui tyrannicæ facultati ſtuduerunt. vnde Menander mores principis longè magis populis perſuadere cenſet, quàm orationem. Quam ob rem vera eſt Euripidis ſententia: vtinam miſerum mortalium genus elingue, & infans ſit, réſque ipſæ pro voce hominibus ſint, quo qui grauitate præſtant orationis, pro nihilo habeantur. Athenis quondam, duobus architectis propoſitis ad opus quoddam publicum affabrè faciendum, vter eſſet præſtantior cùm quæreretur, alter diſertior & qui ad orandum ſcitior, atque comptior eſſet, orationem iam inde ab initio meditatus, ad populum eam de ædificio & opere habuit, affecit demum & mouit: alter verò arte quidem longè præſtantior, cæterùm dicendi imperitus, verborum inops, viri inquit Athenienſes, quæ iſte pulchrè diſſeruit, equidem re efficiam. eodem modo legitimus princeps, non eloquentiam, ſed gubernandi artem callere debet, réque efficere, quæ oratores pulchrè diſſerere conſueuerunt. Regium enim eſt, vt inquit Sophocles, pauca dicere, longè plura audire, atque maiora facere. vnde, cùm L. Volumnius Ap. Claudio collegæ cauillanti quòd ipſum ex muto eloquentem reddidiſſet: mallē, inquit, te à me ſtrenuè facere, quàm me abs te ſcire loqui didiciſſe. Et idem Volumnius cùm noui conſules creandi eſſent, perſuaſit prudentes rerúmque peritos Fabium Max. & Publicum Decium linguæ rudes rempublicam adminiſtrare: collegam verò ſuum Appium Claudium, qui eloquentia pollebat, vrbanam præturam gerere. Proinde eloquentia pro ſtudioſa Principum virtute neceſſaria non eſt. Qui enim, vt Ariſtoteles inquit in magnis rhetoricis, orationis copiam habent, magna peccandi licentia abundant, ipſi enim ſe omnes abſque damno iniuriari poſſe arbitrantur, ſi orationis copiam habeant, qua ſe defendant. Signum autem huius ſunt Principes, qui orationis

Digitized by Google

copia abundarunt, vt Phalarides, Dionyſij, Diones, Alexandri, Cæſares, cæterique id genus, qui omnes ſceleratiſſimi Tyranni extiterunt. Inſuper nec pro gubernandis ſubditis neceſſaria videtur, cùm ſatis ſit ipſa prudentia, qua non legum verba, ſed intẽtiones proſpiciat. Præterea nec neceſſariam cenſet Ariſtoteles eloquentiam, vt Princeps pro meritis præmia & pœnas tradat, bonáque, vt leges iubent, diſtribuat, nam pro his iuſtitiam ſatis eſſe arbitratur: nec pro gubernandis exercitibus, res neceſſaria videtur eloquentia, nam, vt Ageſilaus Lacedæmoniorum rex dicebat, Imperatori neceſſaria hæc ſunt: aduerſus hoſtes audacia: erga milites beneuolentia, in opportunitate verò prudentia. In eloquentia ergo, atque dicendi peritia, principibus ſatis (vt arbitror) erit, ſi aures atque linguam adeo eruditas habuerunt, & vt de eis verum iudicium afferre valeant, & vt ne decipiantur, cauere poſſint. optimi enim principes, non in eloquentia, ſed in maximis gentium, populorúmque rebus agendis ſeneſcere debent: quod quidem, vt Ariſtoteles & Plato autumant, facilè efficere poterunt, ſi virtutem, ſi prudentiam, ſi iuſtitiam percalluerunt, nam non eloquentia, ſed grauitate, auctoritate ac virtute potiùs perſuadent.

Quæ virtutes, quæuę actiones principibus mulieribus lucidiſſimæ ac deſideratiſſimæ ſint.

CAPVT XXIX.

MAGNA etiam ac mihi ſemper admodum difficilis quæſtio illa fuit, quæ virtutes, qui quoque affectus atque actiones ingenuis ac principibus mulieribus lucidæ ac deſideratæ ſint. non enim quæſtio hæc à philoſophis (vt videtur) diluta eſt, quinimò nec tentata. nam ſi veterum libri voluantur, & diligenter legantur, quæſtio hæc non clarè diluta eſt. Apud enim auctores principibus ingenuſque in mulieribus aliquando laudata fortitudo, ob quam Camillam venatricem ac ſtrenuam, Polyxenam, atque Chias mulieres laudauerũt. Arpalicem Thraciam ſummis honoribus extulerunt, quòd Lycurgum patrem ſenem à Gethis captum, collecta ſtatim multitudine, celeriùs quàm de femina ſperare

filia, Quinti Fuluij Flacci vxor à Romanis cunctis caſtitate prælata eſt. Nec laudibus caruerunt mulieres quamplurimæ, quæ hoſtes atque inimicos ad pacem atque ad amicitiam conciliarint, vt Cæltæ & ex Ionibus Pieria. Ob literarum autem diſciplinam ſummis honoribus laudauerunt Iſidem, quę non ſolum diſciplinam percalluit, ſed etiam (quod præſtantius eſt) apud Ægyptios litteras inuenit, quas poſtmodum nobis Latinis Nicoſtrata Ionij Archadum regis filia, aut eadem Carmenta Euandria, non ſolùm dedit, ſed etiam earum coniunctiones ac ſonos edocuit. Ob eloquentiam verò Pithei vxorem Hortenſiam, Hortenſij oratoris filiam: Corneliam Scipionis Africani filiam, cuius per multa ſecula poſt eius mortem extabant epiſtolæ elegantiſſimo ſtilo perſcriptæ: Aſpaſiam quoque quæ per Socratis tempora eloquentia & litteris mirum in modum excelluit, à qua Socratem philoſophum tantum ſe quædam didiciſſe non pudeat confiteri: Pericles quoque ab eadem rhetorica ſe didiciſſe fatetur. Ameſiam quoque, atque Gaiam Aphraniam Lucij ſenatoris vxorem, quòd apud plures magiſtratus cauſas dixerint, & orauerint. Ob poëſim Argiui Teleſillidam, Mitylenæi Sappho, Romani Probam laudauerunt. Fuerunt quoque honoratæ Laſchenia Matinea, & Axiothea Phlyſia, quòd ſub Platone philoſophatæ ſint. Ob verò prudentiam Xenocritam Cumæam, Clodiam Romanam, Eryſonam, & Cæphenam Cyri quoque filiã, Dionyſij matrem, Calphurniam admirati ſunt. Ob liberalitatem autem P. Buſam canuſinam ditiſſimam laudarunt. Venerati quoque ſunt ob amorem cõiugalem fidémque erga viros mulieres Tyrrhenas: Valeriam Meſſallorum ſororem, Antoniam Minorem, Corneliam P. Emilij vxorem. Proinde eas mulieres ſummis laudibus extulerunt, quæ non in otio vixerunt, vt Gaiam Martiámque Romanas. Quo fit, vt non facile nobis ſit diſcernere, quæ principum ingenuarúmque mulierum, virtutes, actiones, atque affectus eſſe debeant. Ariſtoteles in magnis rhetoricorum voluminibus, viris ac mulieribus quaſdam communes eſſe virtutes aſſerit, vt fortitudinem, iuſtitiam, & cæteras, de quibus dictum eſt: temperantiam verò propriã ac præcipuam mulieribus tribuit, quam moderatio, modeſtia, pudicitia, caſtitas,

continentia, abſtinentia, ſobrietas, taciturnitas, comitantur. Mundicia quoque, vt ait Cicero libro 1. Officiorum, non odioſa, neque exquiſita mulieribus ingenuis gratioſa res eſt. vnde Vegetius, viris pulueres, ſudores, & labores, mulieribus mundicia. ornatus etiam, modò moderatus, atque modeſtus ſit, vt Cato pro lege ſtatuit. Cæteræ autem virtutes, vt iuſtitia, fortitudo, & id genus in mulieribus ipſis, vt Ariſtoteles inquit, inualidæ ac abrogatæ ſunt, nec mulieribus lucidæ ac idoneæ, niſi quo virorũ virtutibus aut neceſſitatibus, vt inquit Socrates, ſubminiſtræ ac aſſeclæ ſunt: actiones verò principum ac ingenuarum mulierum, vt auctor eſt Ariſtoteles, non illiberales ac mercenariæ eſſe debent, ſed quæ otium tollant, & magnificentiam, ſeruent. Affectus autem quos in mulieribus ingenuis principibúſque philoſophi laudauerunt, ſunt tolerantia aduerſitatum virorum: non enim Alceſte atque Penelope tantam ſibi gloriam comparaſſent, niſi Alceſte Admeti, Penelope Vlyſſis aduerſitates tuliſſent. Amor quoque erga viros coniugalis affectus eſt omnibus mulieribus laudatiſſimus, quando non ſine verecundia eſt, nam neque amorem neque timorem abſque verecundia laudauit Homerus, ſed vbique amare præcipit cum modeſtia & pudore. eo quidem modo timere Helenam Priamum inquit, ita dicentem:

O metuende mihi ſemper ſempérque tremende,
Chare ſocer,

per quæ innuit ingenuam mulierem virum oportere amare cum timore, ac pudore. Pythias Ariſtotelis filia interrogata, quem ex coloribus putaret pulcherrimum: reſpondit, qui ex pudore prouenit. Herodotus mulier ſimul cum veſte exuit pudorem. Iulia Caij Cæſaris filia Pompeium Magnum eius virum hoc pacto amauit. Porcia quoque Catonis filia, Brutum, quem cùm interemptum audiſſet, ardentes ore carbones haurire non dubitauit, muliebri ſpiritu virilem patris exitum imitata. Hipſicratea etiam Mithridatem coniugem ſuum modeſto hoc amore proſecuta eſt. Proinde affectus lucidiſſimus eſt fides erga viros, ob quem laudarunt Turiam Quinti Lucretij vxorem, Sulpiciam vxorem Lentuli, vt dictum eſt. Rurſus laudauerunt eum affectum, qui eſt commi-

Digitized by Google

ſeratio, & pietas, per quas honorauerunt Antigonam Oedippi filiam, Claudiam Veſtalem. Laudarunt quoque mãſuetudinem, nam vt ira ingenuis mulieribus turpiſſima res eſt, ita manſuetudo pulcherrima. Laudauerũt inſuper earum mulierum æmulationem, quæ ſecundum virtutem vixerint, quæ enim ſtudioſas ac honeſtas imitari æmularique nititur, ipſa quoque glorioſa habenda eſt. Diuina quoque atque admirabilis res eſt conſtantia, quæ eſt in non metuendis periculis, cùm honeſtæ mulieres honeſti gratia eam adeunt, veluti in Sempronia Graccorum ſorore annotatur. Quòd ſi virtutes hæ, actiones atque affectus hi cum forma ac proceritate coniunctæ fuerint, mulierem principem ingenuámque, amabilem, claram, nitidam, candidam, puram, beatam ac fœlicem reddunt. Alceſte Admeti vxor: Penelope verò Vlyſſis, quæ his actionibus, his virtutibus, his quoque affectibus vixerunt, immortalem gloriam non immeritò ſunt conſequutæ: Chryſeida verò atque Clytæmneſtra, quia non his vixerunt, ab omnibus, vt Ariſtoteles inquit, fuerunt inhonoratæ.

Quis optimus princeps ſit, breuibus concluditur.

CAPVT XXX.

PATET igitur ex hiſce eum optimum principem eſſe, qui prudenter imperans, ceteróſque virtute antecellẽs, pœnas beneficiáque pro meritis cuique tradiderit. Quo enim prudenter imperat, vt inquit Ariſtot. anima eſt, ſubditus verò corpus. proinde ſubditos populos, non vt verba, ſed vt legum intẽtiones iubẽt, gubernabit. Propter quod Plato dictitabat, principi nõ aliter neceſſariam eſſe ſapientiam, atque prudentiã, quàm corpori animã. nam dicebat nihil peſtilentius eſſe poteſtate, quam ignorantia comitatur. Quinto verò libro de republica inquit, ſi ciuitas debeat eſſe fœlix, aut philoſophos regnare, aut reges philoſophari oportere. Pericles cùm Athenienſibus imperaſſet, ſibiipſi dicebat, Pericles animaduerte quòd liberis & Græcis, & Athenienſibus imperaturus ſis: quæ non ob aliud dicebat, niſi vt ſapienter atque prudenter imperare niteretur. Quo verò princeps ſubditis virtute antecellit, eo princeps eſt habendus. quo enim virtute ſubditis

præſtat, eo in gubernando minus errare contingit: præterea vniuerſi naturalis ordo hic eſt, vt meliùs deteriora gubernet, qua quoque lege & Deus qui cunctis melior eſt, cuncta regit atque gubernat. Proinde qui vitiis ſubditus eſt, aliorum ſcelera corrigere non debet, vnde Cyrus, vt diximus, dictitabat imperiũ nemini cõuenire, qui quibus imperat melior non ſit. Theophraſtus quoque Philippum Alexandri patrẽ memoriæ prodidit, non ſolùm ſubditis prudẽtia & moribus ac dignitate, ſed aliis quoque regibus præſtitiſſe. Plato dictitabat tales ſubditos eſſe ſolere, quales principes fuerunt. Ariſtoteles verò dicebat principem, qui ſubditis virtute non præſtiterit, ſeruum natura eſſe: violentia verò vel fortuna principem. Quo denique pœnas beneficiáque pro meritis tradiderit vt optimus iuſtitiæ amator, ſpe præmij ad virtutes ſubditos alliciet, metu verò pœnæ eos à vitiis repellet. Et in hoc Deo, qui ipſi ſceptrum dedit, vt Homerus teſtatur, perſimilis habetur: ſubditi verò populi, quo à principe prudenter gubernantur, ei libenter, ac prudenter obediunt. quo princeps ipſis eſt melior, ei debitos honores exhibent: at quo beneficia ac pœnas pro meritis princeps tradit, boni ſperant, mali timent.

Quales eſſe debeant ij, quorum opera maximis in rebus agendis principes ſint vſuri.

CAPVT XXXI.

QVOD ſi opus aliquod ingens principi curandum occurrerit, ad quod conficiendum opera, & diligentia multa opus ſit, & quidem vltra eius vires ac prudentiam, annitendum eſt, vt optimos amicorum ſuorum, quibus rem perpetrãdam committat, deligat, vel ex idoneis omnino eos deſumat, qui facilitate atque manſuetudine maximè præſtent, vt qui non per contentionem ſibi inuicem refragando, ſed conſentientes atque concordes negotium ſint abſoluturi, prudentia quidem ſine ſtudio æmulationis adhibita: quam viam Diomedem ſecutum narrant, qui caſtra hoſtium exploratum cùm mitteretur, poſthabitis fortioribus eum ſibi delegit ſocium, qui prudentia maximè præſtaret. Pelopidas, cùm

Digitized by Google

cùm ſe ipſum ad dicẽdum cauſam atque legationem, parum idoneum intelligeret, Epaminondam virum dicendi peritum adiutorem ſibi ſocium delegit. Callicrates cùm ad alliciendum oratione populum parum eſſet natus, & à gratificandi ratione alienus: lepidum quendam ac obſequioſum philoſophum deſumpſit. Nicias cùm ad labores tolerandos imbecilli, inefficacique corpore ſe eſſe cognouiſſet, Lamachum induſtrium ac robuſtum delegit. ſicque in ceteris omnibus, in quibus princeps ſe eſſe minus idoneum nouerit, agere debet. His artibus Gerionem admirãdum accepimus, qui multa crura, pleraſque manus, oculóſque habere dicebatur. vnico tamen animo atque conſilio cuncta adminiſtrabat. optimus enim princeps ſui ipſius naturã experiri debet, nam ſi quid offeratur agendum, ad quod curandum ſe magis idoneos futuros intelligat, illis, vt qui plus valituri, & rem commodiùs tractaturi ſint, adminiſtrationem, & munus cõmittat.

Quòd principes qui ſecundum has quas diximus virtutes, egerint, honeſtum honorem, perennémque gloriam conſequantur, tanquam primum actionis præmium.

CAPVT XXXII.

HÆc igitur, Illuſtriſſimi Principes, à vobis agendà eſſe colligimus, quæ ſi egeritis, hæc vobis præmia parantur: primũ quidem perennis gloria, atque honeſtus honor, quem nullo vnquam tempore aboleri Homerus ſentit: vnde Iſocrates ad regem ſuum, pluris faciendũ eſt bonam gloriam, quàm diuitias filiis relinquere: hæ enim mortales, illa immortalis, & diuitiæ gloria acquiri poſſunt, gloria autem diuitiis non acquiritur: ac hæ etiam à malis, gloria verò à virtute præditis ſolùm poſſidetur. Gloriam eſſe expetendam cõplures philoſophorum ſentiunt, veluti quæ virtutis laborum periculorúmque merces quædam eſſe videatur: vt in magnis rhetoricæ voluminibus Ariſtoteles aſſeuerauit. Ob virtutes enim quibus principes bene beatéque vixerunt, ſubditiſque populis beneficia contulerunt, inter heroas, ipſos connumerauit antiquitas, dedicauitque ipſis tanquam diis ſacra, memora-

Digitized by Google

tiones, decantationes, locorum primos conſeſſus, excelſa ſepulchra, ſtatuas, imagines, publicos victus, ac immenſa munera, quæ non cum vitæ terminis nominis memoriam interire patiuntur, ſed cum omni poſteritate adæquandam parant. Hinc Ariſtoteles, principem cui non ſatis eſt præmij honor & gloria, tyrannum fieri aſſerit. Proinde gloriam & honorem ex his, quæ rectè egeritis, cùm nacti eritis, non adulatores, qui videntur, & non ſunt amici, ad vos proficiſcentur: ſed vndique amicorum, quos & diligitis, & à quibus ſummopere diligimini, veluti aquarum illuuiones ad vos confluent, quo nihil felicius, nihil iucundius, nihil denique delectabilius eſſe poteſt: hi inquam vos adamabunt, hi veſtrarum laudum præcones erunt. & profectò quid optabilius quàm ab optimis viris, honeſtiſſimiſque ciuibus, qui vobiſcum vixerint, vos vnicè coluerunt, ſummo loco haberi, & vobis principibus ſummopere ſibi gratulari?

Quòd eorum principum qui bene beatéque vixerint, ſecundum præmium iocundiſſimum ſit rectè factorum conſcientia atque memoria.

CAPVT XXXIII.

SECVNDVM verò præmium, quod vobis ex hiſce paratur, rectè factorum conſcientia ac memoria eſt, quæ non ſolum earum rerum gratioſiſſima eſt, quæ cùm aderant oblectabant, ſed etiam quæ affligebant, modò per virtutem geſtæ ſint. Hanc ſapiēti viro ſat eſſe complures philoſophi putauerunt, qui gloriam non eſſe expetendam aſſeruerunt. Huc ſpectat illa Bruti ſententia, qui ad Ciceronem ſcribit: quid enim eſt melius quàm memoria rectè factorum, & liberalitate contentum negligere humana. Quod enim maius aut honeſtius præmiū, quam gloriam à mortalibus maiorem ferre poſſimus, quā ſcire nos rectè egiſſe? quæ laurea, quis triūphus clarior eſſe poteſt? nec profectò maledicum, nec obtrectatorem formidat, qui ſuæ virtutis eſt cōſcius. Demetrius Phalereus Theophraſti auditor, cùm audiſſet eius ſtatuas, quæ ei ab Athenienſibus erectæ fuerant, ob inuidiam diſiectas eſſe:

Digitized by Google

ridens ait, ſtatuas quidem euertere inuidi potuerunt: virtutes autem, & præclara geſta, quibus præmio imagines illæ extiterunt, nequaquam poterunt abolere. præclara quippe vox & magno atque erudito viro digniſſima. Declarauit enim vera præmia conſcientia meritorum præberi, quæ nec inuidia pertundi, neq; lotio, aut ventris illuuie inquinari poteſt. Hac contentus Scipio negligens triumphum, voluntarium exilium ſubire maluit. Hac M. quoque Aquilius, Themiſtocles, Thraſybulus, Pittacus Mitylenæus ſola, vt optimo præmio ſuarum virtutum contenti ſunt. Conſcientia enim ac memoria rectè factorum licet exilis, ac paruus ſenſus ſit, eo iocundiſſimus, atque voluptificus magis eſt, quòd quantulus ipſe fuerit longè maius laborum præmium eſſe videtur longo imaginum ordine, quæ ſenſibus omnino carent. Declarat autem hoc eius contrarium: nam vt Pythagoras dicebat, grauiora mala patitur conſcientia tortus, quàm ſuppliciis affectus.

Quòd optimorum principum, qui bene beatéque vixerunt, tertium præmium ſit æterna vita, ac beatitudo.

CAPVT XXXIV.

PRÆMIVM verò tertium quod vobis paratur, ſi has virtutes à vobis iampridem comparatas in poſterum iugiter exercueritis, à Deo eſt. Deus enim optimus non ſatis præmij eſſe putans quicquid in terris mortalibus tradi poteſt, hos qui pietatem, iuſtitiam ac ceteras virtutes coluerunt, & ciuitates, populos, gentes, nationes optimè gubernarint, ſempiterni æui participes reddit, vt æterna cum numinibus vita fruantur. Hæc eſt illa beatitudo quam Plato in Gorgia congruum virtutis præmium eſſe exiſtimat. Hinc Platonici aſſeuerant, regum principúmque fœlicitatem longè maiorem eſſe quàm priuatorum: quando maiori virtuti maiora præmia debentur. Atqui regia virtus longè excellentior eſt: per eam enim princeps non ſolùm ſe ipſum beatum facit, verùm etiam complures alios ad virtutem dirigit. Hinc quoque Plato principes monet vt iuſtitiam ac pietatem colant: quibus vir-

Digitized by Google

tutibus immortalitatis præmia expoſita ſunt. Iniuſtis autem atque impiis principibus Acherontis pœnæ parantur. Agenda igitur à vobis ceteriſque optimis principibus, Heroes magnanimi, honeſta, iuſta, modeſta, pia, religioſa, & quæcunque Prudentiam, Innocentiam, Clementiam, Facilitatem, Manſuetudinem, Liberalitatem, Magnificentiam, Magnanimitatem ac Temperantiam præ ſe ferunt, quibus ſi litteræ, Muſica, Gymnica ac Pictura ipſa coniunctæ fuerint, diuinam Maieſtatem repræſentabunt.

FINIS.

Digitized by Google

AVGVSTINI NIPHI SVESSANI

OPVSCVLORVM POLITICORVM PARS TERTIA,

AD ILLVSTRISSIMVM FERDINANDVM PRIMVM SANSEVERINIVM Salernitanorum Principem.

INTER *Medicamentorum genera*, Ferdinande Illuſtriſſime, *quibus periti Medici vtuntur: præcipuum mihi videtur illud, quo eos præſeruare ſtudent qui aut aliquo morbi genere laborare ſolent, aut aliqua cæli grauitate infirmari poſſent. Et cùm ex omnium Sapientum conſenſu acceperimus, nullam maiorem aut pernicioſiorem peſtem vniuerſo terrarum orbi euenire poſſe, quàm vt qui naturalis ac legitimus princeps eſt, Tyrannide labefactaretur: hac enim non ipſe modò, ſed & omnes qui ſub eius viuunt imperio, ad ſummam perniciem deducantur neceſſe eſt: non abſurdum nobis viſum eſt, ſcilicet tibi, vt ab huiuſmodi tam atroci morbi genere caueres,* Commentariolum *hunc quem de Rege & Tyranno inſcripſimus dedicare. quem ſi licet (licere au-*

tem puto Seni, Philoſopho, tui amantiſſimo) moneo atque hortor vt omni qua vales diligentia perlegas. In ea enim incidimus tempora, vt qui principes hodie habentur, niſi bonis ac regiis præceptis inſtituantur, in tyrannidem facillimè dilabantur. Habes enim in eo quid Rex, quidve tyrannus ſit: atque quonam modo alter ab altero diſtet: nec non præcepta Regia omnia, quibus legitimus Princeps obedire tenetur, ne Regiam ſuam poteſtatem in tyrannidem conuertat. Quibus ſi obtemperaueris, ſpero, cùm ob tuam excellentem doctrinam, qua ſupra ætatem ſapis: tum ob genus, quod ex ſerie tot Illuſtrium Principum ducis, qui nunquam hac pernicioſa labe infecti fuere: nec non ob tuam optimam indolem, ſummámque ad virtutes propenſionem: vſque adeo te ab huiuſmodi deteſtabili morbo præſeruatum iri, vt præſentem temporum iniquitatem facilè vincas. Vale.

CARBONIS EPIGRAMMA.

Rege nihil melius: nil peius Niphe Tyranno
Scribis. & hoc populis conſuluiſſe fuit.
Magna quidem virtus, ſed maior principis huius,
Qui tam præclarum condere iuſſit opus.
Tu Princeps, Tu magne, tuum complectere Niphum:
Heroes titulis ſic nituere ſuis.
Notus ita extremis Iuuenis Pellæus in oris,
Et qui Phryxæa vellera vexit ouis.
Et niſi Mæonius ceciniſſet Pergama vates,
Æacides nullo nunc in honore foret.
Inde licet domitum teneas mitiſſimus orbem:
Si tamen hæc deſint munera, ſauus eris.

Digitized by Google

AVGVSTINI NIPHI DE REGE ET TYRANNO LIBELLVS.

Quot dominationum genera.

CAPVT PRIMVM.

DOMINATIO (vt in Libro de regnandi peritia diximus) altera eſt in qua vnus imperitat: Altera in qua plures. Siquidem vnus, hæc Græcè dicitur Monarchia: quæ rurſum bifariam eſt. Nam ſi qui imperitat, commune bonum procurat, & qui ſubduntur, liberè ac volentes ſubiiciuntur: hæc Græcè Baſilia, Latinè Regnum nuncupatur. Si autem qui dominatur, proprium ac priuatum bonum intendit, & qui ſubduntur vi ſubiiciuntur: hæc Tyrannis appellatur. At ſi imperitauerint plures, dominatio hæc Politia Græcè dicitur. In qua ſi præſint pauci qui optimi, atque virtute præditi ſolùm ſunt, & propter bonum commune: hæc Græcè dicitur Ariſtocratia, Latinè optimatũ potẽtia. Si præfuerint pauci, qui potẽtiores, atque nobiliores, quique ditiores ſunt, & propter proprium, ac priuatum bonum dominantur: hæc Græcè Oligarchia, Latinè paucorum poteſtas appellatur. At ſi multi præfuerint, hi autem propter commune bonum ſecundum leges dominantur: hæc dominatio Timocratia Græcè, Latinè Reſpublica dicitur. Hæc à nonnullis bona ratione Iſonomia vocatur, quaſi iuris æqualitas. Sin autem proprium bonum intenderint, ac præter leges vi dominentur: poteſtas hæc Democratia hoc eſt popularis poteſtas, vocanda eſt. Quibus patet ſex eſſe

Digitized by Google

ſimplices dominationes: dico ſimplices, quoniam (vt Plato aſſerit) ſunt dominationes etiam mixtæ: veluti ea quæ ex Ariſtocratia & Timocratia conſtat: ampliùs & ea quæ conſtat ex Democratia & Oligarchia, & cæteræ id genus: de quibus alibi diſſerendum eſt: nunc verò ſatis ſit ſex eſſe Dominationes, quarum tres ſunt Tyrannicæ: vt ea quæ per excellentiam Tyrannis appellatur, & Oligarchia quæ paucorum poteſtas eſt: & Democratia quæ popularis Dominatio appellatur. Quæ verò Baſilia hoc eſt Regnũ dicitur, & Ariſtocratia, & Timocratia ſiue Iſonomia, Dominationes ſunt Regiæ: cùm qui regnant ſecundum leges propter bonum commune imperitant. Sed prætermiſſis his dominationibus, quibus plures præſunt: de Regno déque Tyrannide, atque de Rege & Tyranno nobis ſermo futurus eſt.

Quid tyrannus ſit.

CAPVT SECVNDVM.

TYRANNVM autem ſummi Philoſophi Ariſtoteles & Plato definierunt eſſe, qui nolentibus atque ſe longè melioribus dominatur. Tyrannidem verò, quæ ex paucorum potentia ac populari componitur. Huius rei argumento nobis eſt, quod dominatio pernicioſiſſima his eſt, qui ſub ea ſunt: vtpote ex duobus compoſita malis, & tranſgreſſiones & delicta continens quæ ex ambabus illis proueniunt. Quòd autem Tyrannis illa mala contineat quæ ſunt paucorum potentiæ, perſpicuum eſt. Habet enim ex illa finem diuitias, vt per has ſolas permaneat, conductóſque cuſtodes retinet, vt populo ſuo nulla in parte confidat, vt arma ciuibus ſuis adimat, vt multitudinem populi conculcet, vt ex vrbe hoſtes pellat, & vacuam habitatoribus ciuitatem vt nouos inquilinos recipiat, reddat. Quòd autem ea mala, quæ popularis potentiæ ſunt etiam in ſe habeat, perſpicuum eſt: habet enim Tyrannis ex populari vt nobiles vexet, clam euertat, & tanquam aduerſarios & machinatores aduerſus potentiam ſuam in exilium pellat. Vnde Periandri conſilium Thraſybulo Tyranno datum ſupereminentes ſpicas decerpere:

Digitized by Google

pere: tanquam opportunum ſemper ſit eminentiores ciuium de medio tollere. Quibus perſpicuum, Tyrannum eum eſſe, qui nolentibus atque inuitis dominatur: non enim qui ſubduntur eum dominum deſiderabunt, qui diuitias omnium ſurripit, qui populo non confidit, qui arma ciuibus adimit, qui populi multitudinem cōculcat, qui peregrinos mercede conducit, & vacuam habitatoribus ciuitatem reddit, qui nobilitatem vexat, & quandoque clam emungit, & perſæpe per vim pecunias extorquet, & viros virtute & facundia præditos tanquam aduerſarios aut necat, aut in exilium extrudit. Amplius & eum eſſe, qui melioribus ſe dominatur, quippe cùm Tyrannus omnium ſit peſſimus: Nam (vt in fabulis eſt) ſicut qui circa templum Lycæi Iouis humana viſcera cum aliarum victimarum inciſa viſceribus guſtauerit, Lupus efficitur: ſic Tyrannus (vt Socrates inquit apud Platonem, octauo de Republica) cuius imperio vulgus obtemperat, à cognato ſanguine non abſtinet, ſed falſis confictiſque criminibus in iudicium illos protrahit à quibus timet, & iniuſta cæde cruentat, ac nonnullos expellit, enecat alios: ſicque tandem ex homine Lupus fit. Præterea vt Ptolemæus Philadelphus dicere ſolebat, Carnifices eſſe humaniores Tyrannis, qui vtilitatis cauſa inſontes impunè interficere compelluntur. Quare rectè Plato & Ariſtoteles Tyrannum definierunt, quòd ſit is, qui nolentibus ac inuitis & melioribus ſe dominetur.

Plura eſſe Tyrannorum genera.

CAPVT III.

VERVM Tyrannorum genera Ariſtoteles tria eſſe affirmat. Primum quidem eorum, qui ſecundum patrias leges, ac conſuetudines dominantur: quos barbari eligunt, aut per electionem, aut per ſucceſſionem, vt ab his ſecundum patrias leges, ac conſuetudines gubernentur. Ob id enim quia ad ſeruiendum magis aptæ ſunt Barbarorum, quàm Græcorū atque Latinorum nationes, & quidem magis quæ Aſiam, quàm quæ Europam incolunt, cùm æquo animo ſeruile iugum perferant, dominationes huiuſmodi Tyrannicæ

Digitized by Google

ſunt. Ob id verò, quia moribus & legibus patriis conſiſtunt, habētque à propriis ciuibus cuſtodiam, ad Regiam poteſtatē accedunt. Quippe cùm reges à propriis ciuibus cuſtodiantur: Tyranni verò ab externis mercede conductis cùm contra ciuos cuſtodiam parent: Reges etiam ſecundum leges & volentibus: Tyranni verò inuitis, & præter leges dominentur. Alterum verò eorum, qui eligebantur ad fugandum hoſtes, aut ad ſedandam ſeditionem: & hi aut pro tempore, aut pro vitæ curriculo, aut ad finem vſque rerum gerendarum eligebantur: qualem elegerunt quādoque Mitylenæi Pittacum, ſuos aduerſus exules, quibus præerant Antimenides, & Alcæus Poëta, vt ipſemet in ſuis carminibus meminit. Increpat enim quòd ciues maleficū Pittacum, ciuitati in tempeſtate & aduerſa laboranti fortuna præfecerint Tyrannum ſimul collaudantes. Similem huic elegerunt Romani Q. Cincinnatum quò ſeditionem in ciuitate ortam ſedaret. hanc Sylla priùs: deinde C. Iulius Cæſar perpetuam occupare conati. Dicta eſt autem dictatura hæc, quæ vim Regiæ poteſtatis obtinuerat, cuius dicto omnes ſtarent, ac per hoc Tyrannici ſpecies dominatus, cùm tamen honeſti prætextu velaretur. Eſt enim partim Regia, partim Tyrannica: quatenus quidem volentibus, & ſecundum leges eſt, Regia videtur: quo verò ampla poteſtate pro arbitrio dominantis eſt, Tyrannica apparet. Eſt & tertium Tyrannorum genus eorum qui nullis legibus ſubiacendo, paribus ac melioribus, non ad ſubditorum, ſed ad propriam vtilitatem dominantur. Hæc dominatio propriè Tyrannidis nomen vendicat, cùm peſſima ſit, & ſuper inuitis, cùm nemo liber ſponte ſua huiuſmodi ſeruitutem ferat. Quare de hoc tertio nobis ſermo erit. Nam de primis illis duobus dicemus, cùm de Rege fiet ſermo.

Tyrannus vnde ortus.

CAPVT IV.

SED vnde ortus Tyrannus: Socrates apud Platonem octauo libro de Republica reſpondet eſſe natum ex nimia

Digitized by Google

populi licentia, ac ſcelerum impunitate. Nam exceſſus omnis penitùs in contrarium verti conſueuit, in temporibus, in arboribus, in animalibus, & Rebuſpublicis maximè. Nimia autem libertas maximæ ſeruituti contraria eſt. Quare non ab re nõ ex alia Republica, quàm ex populari Tyrannis exurgit, extrema videlicet libertate, grauiſſima acerrimáque ſeruitus. Ariſtoteles verò Tyrannos naſci putat interdum ex populorum ducibus, cùm fidem adepti fuerint ab initio, propter calumnias contra nobilitatem iactas: populus enim ne à nobilibus iniuria afficiatur, vnum ex ducibus popularibus Tyrannum conſtituit. Aliquando ex electis ad principales magiſtratus: antiquitus enim populi conſtituebant diuturniores adminiſtrationes, & procurationes, ex quibus facilè hi qui magiſtratibus præerant, Tyranni euadebant. Nonnunquam verò ex paucorum potentia eligentium vnum aliquem ad maximos magiſtratus. Dionyſius Syracuſis ex fauore populi apud quem multùm poterat, electus eſt. Qui circum Ioniam Tyranni fuerunt, ex electis ad principales magiſtratus fuiſſe dicuntur. At Phalaris & Panetius in Leontinis, Cypſellus Corinthi, & Piſiſtratus Athenis, ex honoribus, atque paucorum potentia Tyranni euaſerunt. Nos verò in libro de Regnandi peritia hominem ad Tyrannidem peruenire multifariam diximus: Nam & fortuna, vt Æneas, Cyrus, & Darius; & virtute, vt Saturnus & Numa; & ſceleribus, vt Agathocles, & Ecelinus; & armis, vt Ninus Aſſyriorum Rex primus, & plerique Reges qui hodie ſunt; & dolo, vt alter Piſiſtratus, vt Dionyſ. Iunior; & factione, vt Sylla & Cæſar; & ſeditione, vt Solõ Athenis, Orgilai fratres apud Delphos, & noſtra ætate, Laurẽtius Medices Leonis decimi Pontificis Maximi pater, vir prudentiſſimus, apud Florentinos: Ioannes Bentiuoſus apud Bononienſes, Pandulfus Petruccius apud Senenſes. Tamen omnes iſti modi in duos redigi poſſunt, cũ interdum vi, interdum ſeditione Tyrannus emergat. Nam cùm in ciuitate ferè omni duo hominum genera ſint, & nobilium qui ſemper popularibus dominari appetunt, & popularium qui nihil præterquam non opprimi cupiunt, nec aliqua in re à nobilibus violari: ex hac diuiſione Tyrannus exoritur, interdum ſanè nobilium, interdum popularium inſul-

catione atque motu, tum vel maximè nobilium: nam cùm nouerint ſe populos opprimere non poſſe, nec illis vt cupiunt dominari, vnum ex ſuo genere honorare, atque præponere cunctis aliis ſtudent, & tanquam omnino principem venerantur: nec ob aliud quippe, niſi vt ſub illius aura atque fauore popularibus dominari poſſint. Per hunc modum Romana nobilitas Cæſarem creauit Conſulem, & Hieronem Siculi Tyrannum conſtituerunt. Populares verò, contrà cùm vident ſe nobilium potentiæ reſiſtere non poſſe, vnum popularium aut nobilium dominum creant, vt eius auctoritate, atque potentia protegantur: & hoc modo Romani populi Coriolanum conſulem elegerunt. Vi autem, nam alij euaſerunt Tyranni, cùm per arma regnum aliquod ſibi ſubiecerunt, veluti memoria noſtrorum patrum Franciſcus Sfortia Mediolanenſium Dux. Alij fauore militum, vt multi Cæſares, & Ægyptiorum Reges, qui dicebantur Soltani. Apud Romanos enim pluribus temporibus qui erant militum Duces, Imperatores creabantur: ſimili ratione & apud Ægyptios Soltani.

Abuſu patriarum legum qui per ſucceſſionem Reges ſunt, in Tyrannidem deueniſſe: fugatóſque eſſe ob id è Regnis, atque Rebuſpublicis cauſidicos.

CAPVT V.

QVONIAM, vt Ariſtoteles inquit, Reges dominari magis affectantes, patria iura tranſgrediẽdo, legibúſq; abutẽdo Tyranni euadũt, vt Phidon apud Argos, & Tarquinius apud Romanos, patriarũ nimirum legum abuſum, iuriſque tranſgreſſionẽ potiſſimam Tyrannidis cauſam extitiſſe iudicandum eſt: & ob id Plato in Gorgia cauſidicos omnes è Rebuſpublicis eiecit, quòd plerumque leges peruertendo maléque interpretando, honeſtam Tyrannidem edoceant. Eadem ratione Cato Cenſorius (vt Plinius meminit) in illa nobili trium Sapientiæ procerum ab Athenis legatione, audito Carneade, quamprimùm legatos cenſuit eſſe dimittendos, quoniam illo viro argumentante, quid veri eſſet, non

Digitized by Google

facilè diſcerni poſſet. Quòd autem per cauſidicos mundus ferè totus in Tyrannidem verſus ſit: teſtis eſt aurea ipſa ætas, in qua cùm nec leges, nec cauſidici fuerint, Reges ariſtocraticè gubernaſſe, ſummáque cum pace homines vixiſſe accepimus. Cùm verò poſt legum ortum cauſidici cœpiſſent abuti legibus, omnis aurea ætas in ferream ac Tyrannicam inuerſa eſt. Quam rem M. Tullius his verbis deteſtans inquit: *cùm noſtræ Reipublicæ detrimenta conſidero, & maximarum Ciuitatum veteres animo calamitates colligo: non minimam video per diſertiſſimos homines inuectam eſſe partem incõmodorum.* Ita eſſe, Romanorum Reſpublica aſtipulatur, quæ ariſtocraticè regiéque gerebatur, cùm cauſidici oratoréſque omnes per Catonem Cenſorium expulſi eſſent: cùm verò per nepotem Catonem Vticenſem reuocati, ſeditionibus atque inteſtinis tyrannicíſque bellis, vt Plinius inquit, fuit conflictata. Athenienſium quoque Reſpublica antequam cauſidici legibus abuterentur, iuráque peruerterent, Ariſtocratia erat: poſtquam verò dicendi copia in ipſam inuecta eſt per Gorgiam Leontinum Oligarchia euaſit, Tyrannicáque poteſtas. Ad hæc regiones, regnáque teſtantur, in quibus cauſidici non ſunt: videmus enim in illis viuere, veluti in aureo ſæculo, vt in Æthiopia, Ægypto, Arabia, Turcarum regnis, atque apud Heluetios, in quibus cauſidici non ſunt, qui iura detorquendo, legéſque malè interpretando Tyrannidem edoceant, longè latéque patet. Fabulatur etiam Plato auctoritate poëtarum in libris de legibus, Iouem Minoem, Æacum, atque Rhadamantum, in Tartarea regna delegaſſe, veritum ne deorum regnum litibus perturbarent. Inſuper ob eandem cauſam Spartani Reges cauſidicos omnes è Regnis pepulerant: quippe qui viderent eos magis ad Tyrannidem, quàm ad ciuilem vſum iura inflectere. nec ob aliam cauſam Lycurgus à Lacedæmoniis ſæpè lapidibus petitus, aliquando publico furore eiectus, ab Alexandro oculo priuatur, & tandem extra patriam profugus moritur. Solon quoque eadem de re exul Cypri degit, nec illi in patria humari contigit. Ob id etiam Caduidus Scytharum Rex interemit Anacharſim fratrem: cùm enim in Scythiam Græcas leges tuliſſet, moréque ſuo interpretaretur,

tiones, decantationes, locorum primos conſeſſus, excelſa ſepulchra, ſtatuas, imagines, publicos victus, ac immenſa munera, quæ non cum vitæ terminis nominis memoriam interire patiuntur, ſed cum omni poſteritate adæquandam parant. Hinc Ariſtoteles, principem cui non ſatis eſt præmij honor & gloria, tyrannum fieri aſſerit. Proinde gloriam & honorem ex his, quæ rectè egeritis, cùm nacti eritis, non adulatores, qui videntur, & non ſunt amici, ad vos proficiſcentur: ſed vndique amicorum, quos & diligitis, & à quibus ſummopere diligimini, veluti aquarum illuuiones ad vos confluent, quo nihil felicius, nihil iucundius, nihil denique delectabilius eſſe poteſt: hi inquam vos adamabunt, hi veſtrarum laudum præcones erunt. & profectò quid optabilius quàm ab optimis viris, honeſtiſſimiſque ciuibus, qui vobiſcum vixerint, vos vnicè coluerunt, ſummo loco haberi, & vobis principibus ſummopere ſibi gratulari?

Quòd eorum principum qui bene beatéque vixerint, ſecundum præmium iocundiſſimum ſit rectè factorum conſcientia atque memoria.

CAPVT XXXIII.

SECVNDVM verò præmium, quod vobis ex hiſce paratur, rectè factorum conſcientia ac memoria eſt, quæ non ſolum earum rerum gratioſiſſima eſt, quæ cùm aderant oblectabant, ſed etiam quæ affligebant, modò per virtutem geſtæ ſint. Hanc ſapiẽti viro ſat eſſe complures philoſophi putauerunt, qui gloriam non eſſe expetendam aſſeruerunt. Huc ſpectat illa Bruti ſententia, qui ad Ciceronem ſcribit: quid enim eſt melius quàm memoria rectè factorum, & liberalitate contentum negligere humana. Quod enim maius aut honeſtius præmiũ, quam gloriam à mortalibus maiorem ferre poſſimus, quã ſcire nos rectè egiſſe? quæ laurea, quis triũphus clarior eſſe poteſt? nec profectò maledicum, nec obtrectatorem formidat, qui ſuæ virtutis eſt cõſcius. Demetrius Phalereus Theophraſti auditor, cùm audiſſet eius ſtatuas, quæ ei ab Athenienſibus erectæ fuerant, ob inuidiam diſiectas eſſe:

Digitized by Google

ridens ait, ſtatuas quidem euertere inuidi potuerunt: virtutes autem, & præclara geſta, quibus præmio imagines illæ extiterunt, nequaquam poterunt abolere. præclara quippe vox & magno atque erudito viro digniſſima. Declarauit enim vera præmia conſcientia meritorum præberi, quæ nec inuidia pertundi, neq; lotio, aut ventris illuuie inquinari poteſt. Hac contentus Scipio negligens triumphum, voluntarium exilium ſubire maluit. Hac M. quoque Aquilius, Themiſtocles, Thraſybulus, Pittacus Mitylenæus ſola, vt optimo præmio ſuarum virtutum contenti ſunt. Conſcientia enim ac memoria rectè factorum licet exilis, ac paruus ſenſus ſit, eo iocundiſſimus, atque voluptificus magis eſt, quòd quantulus ipſe fuerit longè maius laborum præmium eſſe videtur longo imaginum ordine, quæ ſenſibus omnino carent. Declarat autem hoc eius contrarium: nam vt Pythagoras dicebat, grauiora mala patitur conſcientia tortus, quàm ſupplicijs affectus.

Quòd optimorum principum, qui bene beatéque vixerunt, tertium præmium ſit æterna vita, ac beatitudo.

CAPVT XXXIV.

PRÆMIVM verò tertium quod vobis paratur, ſi has virtutes à vobis iampridem comparatas in poſterum iugiter exercueritis, à Deo eſt. Deus enim optimus non ſatis præmij eſſe putans quicquid in terris mortalibus tradi poteſt, hos qui pietatem, iuſtitiam ac ceteras virtutes coluerunt, & ciuitates, populos, gentes, nationes optimè gubernarint, ſempiterni æui participes reddit, vt æterna cum numinibus vita fruantur. Hæc eſt illa beatitudo quam Plato in Gorgia congruum virtutis præmium eſſe exiſtimat. Hinc Platonici aſſeuerant, regum principúmque fœlicitatem longè maiorem eſſe quàm priuatorum: quando maiori virtuti maiora præmia debentur. Atqui regia virtus longè excellentior eſt: per eam enim princeps non ſolùm ſe ipſum beatum facit, verùm etiam complures alios ad virtutem dirigit. Hinc quoque Plato principes monet vt iuſtitiam ac pietatem colant: quibus vir-

Digitized by Google

tutibus immortalitatis præmia expoſita ſunt. Iniuſtis autem atque impiis principibus Acherontis pœnæ parantur. Agenda igitur à vobis ceterisque optimis principibus, Heroes magnanimi, honeſta, iuſta, modeſta, pia, religioſa, & quæcunque Prudentiam, Innocentiam, Clementiam, Facilitatem, Manſuetudinem, Liberalitatem, Magnificentiam, Magnanimitatem ac Temperantiam præ ſe ferunt, quibus ſi litteræ, Muſica, Gymnica ac Pictura ipſa coniunctæ fuerint, diuinam Maieſtatem repræſentabunt.

FINIS.

Digitized by Google

AVGVSTINI NIPHI SVESSANI

OPVSCVLORVM POLITICORVM PARS TERTIA,

AD ILLVSTRISSIMVM FERDINANDVM PRIMVM SANSEVERINIVM Salernitanorum Principem.

INTER *Medicamentorum genera*, Ferdinande Illuſtriſſime, *quibus periti Medici vtuntur: præcipuum mihi videtur illud, quo eos præſeruare ſtudent qui aut aliquo morbi genere laborare ſolent, aut aliqua cæli grauitate infirmari poſſent. Et cùm ex omnium Sapientum conſenſu acceperimus, nullam maiorem aut pernicioſiorem peſtem vniuerſo terrarum orbi euenire poſſe, quàm vt qui naturalis ac legitimus princeps eſt, Tyrannide labefactaretur: hac enim non ipſe modò, ſed & omnes qui ſub eius viuunt imperio, ad ſummam perniciem deducantur neceſſe eſt: non abſurdum nobis viſum eſt, ſcilicet tibi, vt ab huiuſmodi tam atroci morbi genere caueres*, Commentariolum *hunc quem de Rege & Tyranno inſcripſimus dedicare. quem ſi licet (licere au-*

tem puto Seni, Philoſopho, tui amantiſſimo) moneo atque hortor vt omni qua vales diligentia perlegas. In ea enim incidimus tempora, vt qui principes hodie habentur, niſi bonis ac regiis præceptis inſtituantur, in tyrannidem facillimè dilabantur. Habes enim in eo quid Rex, quidve tyrannus ſit: atque quonam modo alter ab altero diſtet: nec non præcepta Regia omnia, quibus legitimus Princeps obedire tenetur, ne Regiam ſuam poteſtatem in tyrannidem conuertat. Quibus ſi obtemperaueris, ſpero, cùm ob tuam excellentem doctrinam, qua ſupra ætatem ſapis: tum ob genus, quod ex ſerie tot Illuſtrium Principum ducis, qui nunquam hac pernicioſa labe infecti fuere: nec non ob tuam optimam indolem, ſummámque ad virtutes propenſionem: vſque adeo te ab huiuſmodi deteſtabili morbo præſeruatum iri, vt præſentem temporum iniquitatem facilè vincas. Vale.

CARBONIS EPIGRAMMA.

Rege nihil melius: nil peius Niphe Tyranno
Scribis. & hoc populis conſuluiſſe fuit.
Magna quidem virtus, ſed maior principis huius,
Qui tam præclarum condere iuſſit opus.
Tu Princeps, Tu magne, tuum complectere Niphum:
Heroes titulis ſic nituere ſuis.
Notus ita extremis Iuuenis Pelleus in oris,
Et qui Phryxæa vellera vexit ouis.
Et niſi Mæonius ceciniſſet Pergama vates,
Æacides nullo nunc in honore foret.
Inde licet domitum teneas mitiſſimus orbem:
Si tamen hæc deſint munera, ſanus eris.

Digitized by Google

AVGVSTINI NIPHI DE REGE ET TYRANNO LIBELLVS.

Quot dominationum genera.

CAPVT PRIMVM.

DOMINATIO (vt in Libro de regnandi peritia diximus) altera eſt in qua vnus imperitat: Altera in qua plures. Siquidem vnus, hæc Græcè dicitur Monarchia: quæ rurſum bifariam eſt. Nam ſi qui imperitat, commune bonum procurat, & qui ſubduntur, liberè ac volentes ſubiiciuntur: hæc Græcè Baſilia, Latinè Regnum nuncupatur. Si autem qui dominatur, proprium ac priuatum bonum intendit, & qui ſubduntur vi ſubiiciuntur: hæc Tyrannis appellatur. At ſi imperitauerint plures, dominatio hæc Politia Græcè dicitur. In qua ſi præſint pauci qui optimi, atque virtute præditi ſolùm ſunt, & propter bonum commune: hæc Græcè dicitur Ariſtocratia, Latinè optimatũ potẽtia. Si præfuerint pauci, qui potẽtiores, atque nobiliores, quique ditiores ſunt, & propter proprium, ac priuatum bonum dominantur: hæc Græcè Oligarchia, Latinè paucorum poteſtas appellatur. At ſi multi præfuerint, hi autem propter commune bonum ſecundum leges dominantur: hæc dominatio Timocratia Græcè, Latinè Reſpublica dicitur. Hæc à nonnullis bona ratione Iſonomia vocatur, quaſi iuris æqualitas. Sin autem proprium bonum intenderint, ac præter leges vi dominentur: poteſtas hæc Democratia hoc eſt popularis poteſtas, vocanda eſt. Quibus patet ſex eſſe

Digitized by Google

ſimplices dominationes : dico ſimplices , quoniam (vt Plato aſſerit) ſunt dominationes etiam mixtæ : veluti ea quæ ex Ariſtocratia & Timocratia conſtat : ampliùs & ea quæ conſtat ex Democratia & Oligarchia, & cæteræ id genus : de quibus alibi diſſerendum eſt : nunc verò ſatis ſit ſex eſſe Dominationes, quarum tres ſunt Tyrannicæ : vt ea quæ per excellentiam Tyrannis appellatur , & Oligarchia quæ paucorum poteſtas eſt : & Democratia quæ popularis Dominatio appellatur. Quæ verò Baſilia hoc eſt Regnũ dicitur, & Ariſtocratia, & Timocratia ſiue Iſonomia, Dominationes ſunt Regiæ: cùm qui regnant ſecundum leges propter bonum commune imperitant. Sed prætermiſſis his dominationibus, quibus plures præſunt : de Regno déque Tyrannide, atque de Rege & Tyranno nobis ſermo futurus eſt.

Quid tyrannus ſit.

CAPVT SECVNDVM.

TYRANNVM autem ſummi Philoſophi Ariſtoteles & Plato definierunt eſſe, qui nolentibus atque ſe longè melioribus dominatur. Tyrannidem verò, quæ ex paucorum potentia ac populari componitur. Huius rei argumento nobis eſt, quod dominatio pernicioſiſſima his eſt, qui ſub ea ſunt: vtpote ex duobus compoſita malis, & tranſgreſſiones & delicta continens quæ ex ambabus illis proueniunt. Quòd autem Tyrannis illa mala contineat quæ ſunt paucorum potentiæ, perſpicuum eſt. Habet enim ex illa finem diuitias, vt per has ſolas permaneat, conductóſque cuſtodes retinet, vt populo ſuo nulla in parte confidat, vt arma ciuibus ſuis adimat, vt multitudinem populi conculcet, vt ex vrbe hoſtes pellat, & vacuam habitatoribus ciuitatem vt nouos inquilinos recipiat, reddat. Quòd autem ea mala, quæ popularis potentiæ ſunt etiam in ſe habeat, perſpicuum eſt : habet enim Tyrannis ex populari vt nobiles vexet, clam euertat, & tanquam aduerſarios & machinatores aduerſus potentiam ſuam in exilium pellat. Vnde Periandri conſilium Thraſybulo Tyranno datum ſupereminentes ſpicas decerpere:

Digitized by Google

pere: tanquam opportunum ſemper ſit eminentiores ciuium de medio tollere. Quibus perſpicuum, Tyrannum eum eſſe, qui nolentibus atque inuitis dominatur: non enim qui ſubduntur eum dominum deſiderabunt, qui diuitias omnium ſurripit, qui populo non confidit, qui arma ciuibus adimit, qui populi multitudinem cõculcat, qui peregrinos mercede conducit, & vacuam habitatoribus ciuitatem reddit, qui nobilitatem vexat, & quandoque clam emungit, & perſæpe per vim pecunias extorquet, & viros virtute & facundia præditos tanquam aduerſarios aut necat, aut in exilium extrudit. Amplius & eum eſſe, qui melioribus ſe dominatur, quippe cùm Tyrannus omnium ſit peſſimus: Nam (vt in fabulis eſt) ſicut qui circa templum Lycæi Iouis humana viſcera cum aliarum victimarum inciſa viſceribus guſtauerit, Lupus efficitur: ſic Tyrannus (vt Socrates inquit apud Platonem, octauo de Republica) cuius imperio vulgus obtemperat, à cognato ſanguine non abſtinet, ſed falſis confictiſque criminibus in iudicium illos protrahit à quibus timet, & iniuſta cæde cruentat, ac nonnullos expellit, enecat alios: ſicque tandem ex homine Lupus fit. Præterea vt Ptolemæus Philadelphus dicere ſolebat, Carnifices eſſe humaniores Tyrannis, qui vtilitatis cauſa inſontes impunè interficere compelluntur. Quare rectè Plato & Ariſtoteles Tyrannum definierunt, quòd ſit is, qui nolentibus ac inuitis & melioribus ſe dominetur.

Plura eſſe Tyrannorum genera.

CAPVT III.

VERVM Tyrannorum genera Ariſtoteles tria eſſe affirmat. Primum quidem eorum, qui ſecundum patrias leges, ac conſuetudines dominantur: quos barbari eligunt, aut per electionem, aut per ſucceſſionem, vt ab his ſecundum patrias leges, ac conſuetudines gubernentur. Ob id enim quia ad ſeruiendum magis aptæ ſunt Barbarorum, quàm Græcorũ atque Latinorum nationes, & quidem magis quæ Aſiam, quàm quæ Europam incolunt, cùm æquo animo ſeruile iugum perferunt, dominationes huiuſmodi Tyrannicæ

ſunt. Ob id verò, quia moribus & legibus patriis conſiſtunt, habétque à propriis ciuibus cuſtodiam, ad Regiam poteſtatē accedunt. Quippe cùm reges à propriis ciuibus cuſtodiantur: Tyranni verò ab externis mercede conductis cùm contra ciuos cuſtodiam parent: Reges etiam ſecundum leges & volentibus: Tyranni verò inuitis, & præter leges dominentur. Alterum verò eorum, qui eligebantur ad fugandum hoſtes, aut ad ſedandam ſeditionem: & hi aut pro tempore, aut pro vitæ curriculo, aut ad finem vſque rerum gerendarum eligebantur: qualem elegerunt quādoque Mitylenæi Pittacum, ſuos aduerſus exules, quibus præerant Antimenides, & Alcæus Poëta, vt ipſemet in ſuis carminibus meminit. Increpat enim quòd ciues maleficū Pittacum, ciuitati in tempeſtate & aduerſa laboranti fortuna præfecerint Tyrannum ſimul collaudantes. Similem huic elegerunt Romani Q. Cincinnatum quò ſeditionem in ciuitate ortam ſedaret. hanc Sylla priùs: deinde C. Iulius Cæſar perpetuam occupare conati. Dicta eſt autem dictatura hæc, quæ vim Regiæ poteſtatis obtinuerat, cuius dicto omnes ſtarent, ac per hoc Tyrannici ſpecies dominatus, cùm tamen honeſti prætextu velaretur. Eſt enim partim Regia, partim Tyrannica: quatenus quidem volentibus, & ſecundum leges eſt, Regia videtur: quo verò ampla poteſtate pro arbitrio dominantis eſt, Tyrannica apparet. Eſt & tertium Tyrannorum genus eorum qui nullis legibus ſubiacendo, paribus ac melioribus, non ad ſubditorum, ſed ad propriam vtilitatem dominantur. Hæc dominatio propriè Tyrannidis nomen vendicat, cùm peſſima ſit, & ſuper inuitis, cùm nemo liber ſponte ſua huiuſmodi ſeruitutem ferat. Quare de hoc tertio nobis ſermo erit. Nam de primis illis duobus dicemus, cùm de Rege fiet ſermo.

Tyrannus vnde ortus.

CAPVT IV.

SED vnde ortus Tyrannus: Socrates apud Platonem octauo libro de Republica reſpondet eſſe natum ex nimia

Digitized by Google

populi licentia, ac ſcelerum impunitate. Nam exceſſus omnis penitùs in contrarium verti conſueuit, in temporibus, in arboribus, in animalibus, & Rebuſpublicis maximè. Nimia autem libertas maximæ ſeruituti contraria eſt. Quare non ab re nõ ex alia Republica, quàm ex populari Tyrannis exurgit, extrema videlicet libertate, grauiſſima acerrimáque ſeruitus. Ariſtoteles verò Tyrannos naſci putat interdum ex populorum ducibus, cùm fidem adepti fuerint ab initio, propter calumnias contra nobilitatem iactas: populus enim ne à nobilibus iniuria afficiatur, vnum ex ducibus popularibus Tyrannum conſtituit. Aliquando ex electis ad principales magiſtratus: antiquitus enim populi conſtituebant diuturniores adminiſtrationes, & procurationes, ex quibus facilè hi qui magiſtratibus præerant, Tyranni euadebant. Nonnunquam verò ex paucorum potentia eligentium vnum aliquem ad maximos magiſtratus. Dionyſius Syracuſis ex fauore populi apud quem multùm poterat, electus eſt. Qui circum Ioniam Tyranni fuerunt, ex electis ad principales magiſtratus fuiſſe dicuntur. At Phalaris & Panetius in Leontinis, Cypſellus Corinthi, & Piſiſtratus Athenis, ex honoribus, atque paucorum potentia Tyranni euaſerunt. Nos verò in libro de Regnandi peritia hominem ad Tyrannidem peruenire multifariam diximus: Nam & fortuna, vt Æneas, Cyrus, & Darius; & virtute, vt Saturnus & Numa; & ſceleribus, vt Agathocles, & Ecelinus; & armis, vt Ninus Aſſyriorum Rex primus, & plerique Reges qui hodie ſunt; & dolo, vt alter Piſiſtratus, vt Dionyſ. Iunior; & factione, vt Sylla & Cæſar; & ſeditione, vt Solõ Athenis, Orgilai fratres apud Delphos, & noſtra ætate, Laurẽtius Medices Leonis decimi Pontificis Maximi pater, vir prudentiſſimus, apud Florentinos: Ioannes Bentiuolus apud Bononienſes, Pandulfus Petruccius apud Senenſes. Tamen omnes iſti modi in duos redigi poſſunt, cũ interdum vi, interdum ſeditione Tyrannus emergat. Nam cùm in ciuitate ferè omni duo hominum genera ſint, & nobilium qui ſemper popularibus dominari appetunt, & popularium qui nihil præterquam non opprimi cupiunt, nec aliqua in re à nobilibus violari: ex hac diuiſione Tyrannus exoritur, interdum ſanè nobilium, interdum popularium inſul-

facilè diſcerni poſſet. Quòd autem per cauſidicos mundus ferè totus in Tyrannidem verſus ſit: teſtis eſt aurea ipſa ætas, in qua cùm nec leges, nec cauſidici fuerint, Reges ariſtocraticè gubernaſſe, ſummáque cum pace homines vixiſſe accepimus. Cùm verò poſt legum ortum cauſidici cœpiſſent abuti legibus, omnis aurea ætas in ferream ac Tyrannicam inuerſa eſt. Quam rem M. Tullius his verbis deteſtans inquit: *cùm noſtra Reipublicæ detrimenta conſidero, & maximarum Ciuitatum veteres animo calamitates colligo: non minimam video per diſertiſſimos homines inuectam eſſe partem incõmodorum.* Ita eſſe, Romanorum Reſpublica aſtipulatur, quæ ariſtocraticè regiéque gerebatur, cùm cauſidici oratoréſque omnes per Catonem Cenſorium expulſi eſſent: cùm verò per nepotem Catonem Vticenſem reuocati, ſeditionibus atque inteſtinis tyrannicíſque bellis, vt Plinius inquit, fuit conflictata. Athenienſium quoque Reſpublica antequam cauſidici legibus abuterentur, iuráque peruerterent, Ariſtocratia erat: poſtquam verò dicendi copia in ipſam inuecta eſt per Gorgiam Leontinum Oligarchia euaſit, Tyrannicáque poteſtas. Ad hæc regiones, regnáque teſtantur, in quibus cauſidici non ſunt: videmus enim in illis viuere, veluti in aureo ſæculo, vt in Æthiopia, Ægypto, Arabia, Turcarum regnis, atque apud Heluetios, in quibus cauſidici non ſunt, qui iura detorquendo, legéſque malè interpretando Tyrannidem edoceant, longè latéque patet. Fabulatur etiam Plato auctoritate poëtarum in libris de legibus, Iouem Minoem, Æacum, atque Rhadamantum, in Tartarea regna delegaſſe, veritum ne deorum regnum litibus perturbarent. Inſuper ob eandem cauſam Spartani Reges cauſidicos omnes è Regnis pepulerant: quippe qui viderent eos magis ad Tyrannidem, quàm ad ciuilem vſum iura inflectere. nec ob aliam cauſam Lycurgus à Lacedæmoniis ſæpè lapidibus petitus, aliquando publico furore eiectus, ab Alexandro oculo priuatur, & tandem extra patriam profugus moritur. Solon quoque eadem de re exul Cypri degit, nec illi in patria humari contigit. Ob id etiam Caduidus Scytharum Rex interemit Anacharſim fratrem: cùm enim in Scythiam Græcas leges tuliſſet, moréque ſuo interpretaretur,

Digitized by Google

in ſtudiis venationis à fratre Rege occiditur. Simili, vt arbitror, cauſa Phocion ab Athenienſibus, & Demoſthenes, vt nonnulli dixerunt, à Philippo veneno necantur. nec videtur rationi diſſonum Petrum Vineum ex Vincis rure Sueſſano oriundum, ciuem verò Campanum, vt ex memoria noſtrorũ accepimus, à Federico Imperatore ob eandem cauſam occæcatum fuiſſe. Ariſtoteles verò cauſidicos vna ratione permittit, alia ratione è regnis atque Ariſtocraticis Rebuſpublicis fugat. vt iudices qui cauſas decernant atque decidant, permittit, eóſque ſextam ciuitatis partem conſtituit, & quidem cæteris excellentiorem. vt verò cauſas dicant, atque patrocinentur, è Regnis rebúſque publicis abegit. Nec ab ratione quidẽ, nam pro decidendis atque decernendis cauſis ſumma legum atque conſuetudinum peritia, vt litigantium dolus deprehendatur, neceſſaria eſt: pro dicendis autem, ſimplicitas mirum in modum prodeſt. Seruarunt peripateticum huiuſmodi conſilium longo tempore Areopagitæ, è quibus fortaſſe Turcarum Imperator edoctus, vſque ad noſtra tempora ſeruat. Nos verò proſintne Regnis, Regibúſque ipſis cauſidici, an obſint, diu dubitauimus: ducimúrque tandem in hanc ſententiam: cùm longè plures praui quàm officioſi exiſtant, vt explodantur: ſiqui verò cum eloquentia legibúſque ipſis ſapientiam, hoc eſt moralem philoſophiam coniunxerint, hi nobis, vt M. Tullij verbis vtar, viri & Regibus & ſuis & publicis rationibus vtiliſſimi ferè videntur. Quare qui ita ſe legibus armant, vt non oppugnare commoda regni, ſed propugnare poſſint, hi non modò è regnis fugandi non ſunt, ſed vt iubar ſplendidiſſimũ ſpectandi, & tanquam numina obſeruandi. Sed de his hactenus. Illud tamen certiſſimum eſt, iurium abuſum, legúmque patriarum tranſgreſſionem fuiſſe potiſſimam cauſam regibus, vt Tyranni euaderent, veluti Parthorum reges, qui dicebantur Arſacidæ, Thebanorum, qui Labdacidæ vocabantur. Hæc quoque cauſa eſt, vt multi Principes qui hodie ſunt, ſceleratiſſimi Tyranni ſint effecti, atque ab omnibus exiſtimentur: quippe qui non modò leges patrias tranſgrediantur, verùm etiam iura ipſa vendant, atque peſſundent.

Digitized by Google

Plures priſcis temporibus, quàm nunc Tyrannides fuiſſe.

CAPVT VI.

HInc facilè patet cur apud priſcos plures quàm nunc Tyrannides fuerint. Euenit enim primò, quia populi plerumque eundem prætorem ac militum ducem creabant. hinc qui prætor erat facilè ex prætore prædo efficiebatur, præturáque ipſa in tyrannidem facilè vertebatur. Deinde quia antiquitùs dicendi facultas non eſſet, qua homines hominibus præeſſe poſſint: ſuperueniente autem facultate dicendi in magiſtratibus, eligere cœperunt populi eos qui cùm rerum bellicarum eſſent imperiti, Tyrannidem inuadere non audebant. quinimo ſummo odio Tyrannos proſequebantur, quòd eloquentes qui habebantur facilè Tyrannis reſiſtebant, vt apud Romanos Iunius Brutus & Cicero, & apud Athenienſes Plato & Solon. Demum quòd vrbes eſſent paruæ, populíque pro maiori parte rura incolerent, magis agrorum colendorum quàm bonorum communium ſtudioſi, qui cùm rudes eſſent & imbelles, eligebāt prætores, qui & ſagaces & bellicoſiores erant, adeo vt facile ipſis eſſet Tyrannidem occupare, & quidem eo potiſſimum quòd vulgus fidem illis adhibebat: fauebant enim popularibus contra diuites, & adhibita illis fide omnibus tandem dominabantur: vt Athenis Piſiſtratus per factionem contra Pædiacos ſuſceptam, & Megaris Theogenes armentis opulentorum occiſis, quæ iuxta flumen paſcentia repererat: & Dionyſius Daphneum & diuites accuſans. hi enim propter inimicitias nobilitatis ſibi fide à populo præſtita, omnes Tyranni emerſerunt.

Omnium dominationum breuiſſimam ſuapte natura eſſe Tyrannidem.

CAPVT VII.

QVEMADMODVM verò omnium dominationum minùs diuturna ſuapte natura ſit Tyrannis, non eſt ex his quæ diximus, difficile colligere: Dominationum enim tres violentæ, tres etiam naturales videntur. Paucorum potentia, popularis ſtatus, ac ea, quæ per excellentiam Tyrannis dicitur, dominationes ſunt inter inuitos: nam qui præſunt & nolentibus, & melioribus ſe, præſunt, & imperant. Regnum, Timocratia, & optimatum potentia poteſtates ſunt naturales: ſi quidem qui præſunt & volentibus, & his qui ſe imperfectiores ſunt imperitant. Eſt enim naturale, vt qui melior eſt, ac maturior, volentibus præſit, & imperfectioribus minùſque idoneis præponatur. Violentum contrà nolentibus, & melioribus dominari. At cùm Tyrannis ea mala aggreget, quæ paucorum potentiæ, atque popularis ſtatus ſunt, fit vt maximè ſit violenta, atque breuiſſimo tempore permanſura. Præterea accedit ad violentiam, quòd Tyrannus ab omnibus bonis viris ſemper odio vehementer habeatur. Hanc ob cauſam Diomedem Thraciæ, ac Buſyrim Ægypti Tyrannos Hercules inſectatus eſt: Melanchrum item Pittacus Mitylenæus: Nearchum Myſium itidem Zeno Eleates: Nicoclem Aratus, & cæteri cæteros. Fieri autem non poteſt, vt quos boni viri odio proſequuntur, diu dominentur. Fit inſuper Tyrannis eo dominatio violentior, quo magis qui licentiùs dominatur, contra Dei voluntatem imperitat. Vnde Plato in Gorgia: Tyranni quòd iniuſtè ac impiè dominentur, breui admodum tempore apud inferos à Ioue detruduntur, vt Acherontis cruciatibus affligantur. quin etiam præ nimio timore quo ſubditos vrgent, breuiſſimus eſt plerumque Tyranni dominatus. *Nulla eſt enim imperij vis* (vt Cicero inquit) *tanta, quæ premente metu poſſit eſſe diuturna*. Quare rectè Ariſtoteles omniũ gubernationum breuiſſimo tempore durare ait Tyrannidem, quòd maximè omnium dominationum violenta

Digitized by Google

lenta ſit. nec deſunt exempla : nam quæ diuturnior Ortagoræ , & filiorum eius fuit , qui apud Sicyonios Tyrannidem exercuere ? hæc enim ad centeſimum vſque annum peruenit. Quæ verò apud Corinthum Cypſelidarum, annos tres & ſeptuaginta & menſes ſex durauit. Atque Piſiſtratidarum Athenis non fuit perpetua : bis enim ex Tyrannide pulſus fuit Piſiſtratus. Itaque ex annis triginta tribus, ſolos annos ſeptem & decem Tyrannidem exercuit. Filij verò eius annos decem & octo. qui omnes quinque & triginta conſurgunt. Ex reliquis verò illa quæ apud Syracuſas, Hieronis & Gelonis non longa fuit : hæc enim annis non amplius quàm duodeuiginti durauit. Gelon enim ſeptem annis cùm Tyrannidem exercuiſſet, octauo defunctus eſt. Hieron autem , decem. Thraſybulus verò menſe decimo excidit. Cæterarum verò Tyrannidum pleræque breui tempore durauerunt , vt ex Romanorum Regibus facilè quiſpiam perſpicere poterit.

Cur noſtris temporibus cùm poteſtates ferè omnes Tyrannicæ ſint, diu durent.

CAPVT VIII.

SED magna contra ea quæ diximus , dubitatio exiſtit: nam regna non ſunt , vt Ariſtoteles inquit , ampliùs. Sed ſi quæ ſunt Monarchiæ , Tyrannides magis ſunt dicendæ; ob id quia Rex eſt qui volentibus, & his qui ſe imperfectiores ſunt imperitat. At plurimi hodie & ſtudiis ſunt & virtute pares : quare fit vt ſponte Regi non pareatur. Quod ſi Monarchiæ hodie ferè omnes Tyrannicæ ſunt, cur plurimæ ipſarum diu durauerunt: vt Tyrannis Turcarum, quæ ad ducenteſimum ferè annum peruenit: Taceo noſtrorum Regum dominationes , quarum aliæ vltra ſeptingentos , aliæ vltra octingentos annos durauerunt. Ariſtoteles ſapientum magiſter cauſam aſſignauit : huiuſmodi namque dominationes non omnino Tyrannicæ, ſed proximæ Regnis ſunt: Tyrannicæ quidem ſunt, quòd nationes barbarorum magis ad ſeruiendum aptæ ſint: cùm enim ſeruile iugum ferant,

Tyrannicæ ſunt. Sunt verò Regna, quòd Reges volentibus imperitent, & à ciuibus ſuis cuſtodiantur, & quòd ſecundum leges patrias, morémque auitum aliqua ex parte dominentur. Ampliùs erga ſubditos quadam mediocritate vtuntur, ſúntque plurimi eorum qui ſuccedunt militaris rei ſtudiis plurimum vacantes: ex quibus magna facinora aſſecuti admirationem non paruam ſibi compararunt. Huic rei aſtipulantur Tyrannis Ortagoræ, & filiorum eius, & illa Cypſelidarum: durauit enim multo tempore Ortagoridarum Tyrannis, quòd medioctitate quadam erga ſubditos vterentur Tyranni, multáque legibus ſeruientes agebant, & quia Caliſthenes militari rei aptiſſimus erat, nec facilè contemnendus habebatur: plurium verò conſuetudine, & vſu familiari, atque cura auram popularem, & gratiam emerebat. fertur etiam eundem Caliſthenem coronaſſe Iudicem, qui ſuæ victoriæ aduerſabatur. Tyrannis verò Cypſelidarum, quæ circa Corinthum fuit, plurimum etiam durauit: nam Cypſelus ductor populi fuit, & ideo hic gratia apud multitudinem præ ceteris polluit, vt à principio principatus ſine vlla corporis cuſtodia in dominatione perſeueraret. Periander verò eius filius magis Tyrannicè ſe geſſit, ſed erat vir bello egregius. Tyrannides ergo quæ hodie ſunt, durare poſſunt aut quia ad regni rationem accedunt, aut quia qui dominantur ac ſuccedunt, præter cæteros egregij ſunt, & armipotentes. Huic rei nobis argumento eſt Sardanapalus, qui cùm eſſet mollis, ac effœminatus, & militaris prorſus facultatis imperitus, ac à cunctis contemnendus, poſt M. & C C C. annos in ipſo finitum eſt Aſſyriorum regnum. Memoria etiam noſtrorum patrum Franciſci Sfortiæ filij, cùm neglexiſſent artem patris, & libidinibus, & voluptatibus ſtuduiſſent, ex principibus priuati facti ſunt. In Turcarum Tyrannide obſeruauimus ſucceſſorem armipotentem non modò Tyrannidem non imminuiſſe, ſed valde locupletaſſe. nec iniuria id quidem: nam qui ſe defendere, & aliena inuadere cupit, vir militaris eſſe debet.

Digitized by Google

Internæ cauſæ quibus periere Tyrannides, & primò de Contumelia.

CAPVT IX.

QVONIAM Tyrannis (vt deduximus) breui admodum tempore permanet, nunc quot, & quibus cauſis internis pereat exponamus. poſtea quot, quibúſve ſeruetur adiiciemus. Nam licet plurimæ internæque cauſæ eſſe poſſint, ex parte tamen ſubditorum omnes in tres rediguntur. Sunt igitur hæ: Contumelia, quæ continet omnes iniuriarum ſpecies, quibus Tyrannus ſubditos afficere ſolet: Metus, quo ſubditi ipſi Tyrannum nimium timent: & Contemptus, quo ſubditi à domino ſpernuntur. Ex parte verò principis vna, vt cùm imprudens, ac meticuloſus fuerit. Quòd quidem contumelia, argumento nobis ſunt Harmodius, & Ariſtogiton, qui contra Piſiſtrati filios propter contumeliam inſultauerunt. Harmodius quidem ob iniuriam, quæ à Piſiſtrati filiis ſorori illata fuit. Ariſtogiton verò propter Harmodium. Eadem ratione Tarquinius Tyrannide priuatur propter ſtuprum vi cū Lucretia admiſſum. etiam aduerſus Periandrum Ambraciæ Tyrannum inſidiæ factæ ſunt, quòd cùm biberet, puerum, quem amabat, interrogaſſet, an eſſet à ſe prægnans. Pueri enim affines ob hanc iniuriam contra Periandrum inſurrexerunt. Pauſanias Philippum trucidauit, quòd contumeliam ſibi illatam ab Attalo, qui Philippo officio vel affinitate coniunctus erat, non vltus fuerit. Amyntas occiſus eſt à Darda, quòd iactaret ſe ætate illius eſſe abuſum. Eunuchus quoque ab Euagora Cyprio interimitur, quòd mulier eius filium tenuerat. P. Antonius à quodā Centurione, cuius fratrem ignominioſiſſima morte occidi iuſſerat, in medio ſui exercitus ineuitabili fato interimitur. Memoria noſtrorum patrum cùm Galeatius Mediolanenſium Princeps Andream Lampugnanum iniuriis affeciſſet, ab illo tandem dum ſacris adeſſet pertinaciter in ipſo templo enſe necatus eſt. noſtris temporibus Bonifacius Viſcontius F. ſecundum Mediolanenſium Principem Galeatij nepotem letali vulnere percuſſit,

Digitized by Google

quòd mortem (vt ferunt) ſuo conſanguineo ab Hiſpano quodam illatam, vltus non fuerit.

Metu etiam Tyrannidem interdum dirui.

CAPVT X.

QVOD inſuper & propter metum Tyrannis diruatur ex eo patet: nam qui puniri metuunt mouent interdum ſeditionem, edúntque clamores contra Tyrannum, vt per ſeditionem euadant. Sic Xerxem Artapanes metuens ob calumniam à Dario, quòd eum non iubente Xerxe ſuſpendiſſet, mouit ſeditionem contra Xerxem. Apud Rhodum impoſitis pecuniis, quæ conductis militibus ſoluerentur, potentes quidem in populo pro ſe eas retinebant: Præfecti autem claſſis cùm pecunias non haberent, ac nihilominus nauigare ex lege cogerentur, veriti pœnam iudicij, conſpirationem inierunt ad popularem ſtatum euertendum. Regni noſtri primates cùm ſuos ſubditos contra regni leges tributis grauaſſent, ac multis iniuriis affeciſſent, veriti pœnam iudicij, coniurarunt in primum Ferdinandum huius Regni bonum Regem, vt per coniurationem euaderent. Nec ab ratione communis metus Tyrannidem diruit, quippe cùm in vnum cogat etiam eos qui priùs inimiciſſimi erant. Hac ratione Heluetij in prælio ad ſummam vnionem ſtruuntur, nec loco cedunt, nam ſoli timent hoſtes inuadere, ac ab eiſdem opprimi: Itali verò diſſoluti propter audaciam facilè in hoſtes irrumpunt. At ſubditi cùm in vnum coguntur animoſiùs tyrannum inuadunt. Erginus in Orchomeno tyrannidem exercens, cùm animo agitaſſet omnes ciues necare, atque vrbem peregrinis incolendam permittere, ob metum facta vnione in ciuibus (vt quidam ferunt) interemptus eſt à populo.

Digitized by Google

Contemptu quoque Tyrannidem diſſolui.

CAPVT XI.

NEc minus propter contemptum diſſoluitur Tyrannis. Dion enim cùm à Dionyſio poſteriore contemptus eſſet, in eum conſpirauit. In Cæſarem, multóſque Romanorum Imperatores, quia contempſerunt Senatum, ac populũ, coniuratum eſt. nec iniuria profectò, nam quilibet vult aut eſſe, aut videri aliquid: quare ſi contemnitur mouere ſeditionem compellitur. Nec ſolùm homines ob contemptum inſultant, ſed Dij quoque, veluti Maro fabulatur Iunonem ob iniuriam ſpretæ formæ contra Troianos iratam fuiſſe.

Timiditate ac imprudentia Tyranni nonnunquam Tyrannidem dirui.

CAPVT XII.

QVOD verò propter metum ac imprudentiam Tyranni interdum Tyrannica ipſa dominatio deleatur; Ariſtoteles Philoſophorum princeps teſtatur, cùm ait, corruptionis Tyrannidis, in qua per genus ſucceditur, potiſſimam cauſam eſſe, quòd imprudentes & timidi ſuccedant. hi enim quia molles ac effœminati, & ignari ſunt, ab omnibus tanquam inutiles contemnuntur. Quis enim inermem Tyrannum magnifaciet? quippe quum inter ipſum, & armatum Tyrannum ea ratio ſit, quæ inter nudum inermem, & veſtitum ac armatum hominem. nullus enim nudum inermem veretur, veſtitum armatum quilibet multifacit. Cùm prædicaſſet leoni vulpes (vt Æſopus fabulatur) de ipſo homine multa, vt de magnitudine déque potentia, Leo inquit, Vellem ô vulpes hominem iſtum tuum videre, fortaſſe enim eum non ita pertimeſcerem, vt tantopere timendum eſſe obgannis. Illis ſic de hominis fortitudine differentibus, quidam pauper homo, & inermis occurrit. Leo vulpi inquit, Eſtne hic homo? Sagax vulpes, Non profectò, reſpondit. paucis deinde verbis inter-

poſitis, alter homo occurrit baliſta, gladio, & aliis plurimis armis bene munitus. tum vulpes: en Leo, hic homo eſt. at Leo eum timens iter vt potuit arripuit. Per quæ Æſopus fabulatus eſt, Tyrannum contemnendum eſſe, niſi armis, & fortitudine fuerit fulcitus. Quis autem imprudentem & ignarum Tyrannum magno æſtimabit? dicebat enim Socrates non pulchros, non venuſtos, ſed fortes ac prudentes oportere eſſe principes. Apud Æſopum aues Regem ſibi creare deſtinantes Pauo orabat, vt ſe ob veſtium, & pennarum luxum, ac pulchritudinem eligerent. eligentibus eum omnibus, Monedula oratione ſuſcepta inquit: ſi te regnante Aquila nos hoſtiliter inuaſerit, quo modo nobis opem feres? Per quæ affabulatus eſt Æſopus, Principem non propter pulchritudinem, atque luxum, ſed ob fortitudinem, ac prudentiam eſſe eligendum. Aſtipulatur his omnibus Sardanapalus, quē cùm inter mulieres penſa diuidentem vidiſſet Arbactus (ſi modò hæc fabula non fuerit, quamquam ſi non in illo, attamen in alio hoc verum eſſe poteſt) eum interemit, in quo ob molliciem, imprudentiam, ac pauorem Aſſyriorum Tyrannis finita eſt. Sunt inſuper & aliæ internæ cauſæ innumeræ, quibus Tyrannides defecerunt, quas cùm ſint diligenter ab Ariſtotele explicatæ, bona fronte prætermiſimus: complexi autem ſumus potiores ad quas cæteræ reducuntur.

De externa cauſa per quam plerumque Tyrannis perditur.

CAPVT XIII.

CVM de internis cauſis, quibus Tyrannis ipſa corrumpitur dixerimus, reſtat nunc vt dicamus de externis. nā Tyrannis (vt Ariſtoteles inquit) vno quidem modo corrumpitur (veluti vnaquæque Rerumpublicarum) propter ſimilitudinem ab exteriori cauſa, vt ſi aliqua Reſpublica contraria prudentior, ac robuſtior ſit, quæ velit hoſtiliter ipſam inuadere. nec immeritò; nam (vt Heſiodus inquit) veluti figulo figulus ſuapte natura nequaquam contrarius eſt, cùm ſit ſimilis, ſed quatenus alter alterius lucrum demit: ita quoque

Digitized by Google

nec Tyrannis ſuapte natura Tyrannidi contraria, ſed vel ſimilis eſt: contraria verò quatenus altera alterius bonum impedit. nec ſolùm Tyrannis Tyrannidem corrumpit propter ſimilitudinem, ſed etiam Regia poteſtas, atque optimatum gubernatio propter contrarietatem gubernandi: quem in modum Lacedæmonij, atque Syracuſani per id tempus quo Syracuſana Reſpublica rectè gubernabatur multas euerterunt Tyrannides. hac quoque ratione Diomedem Thraciæ, ac Buſyrim Ægypti Tyrannos Hercules perſecutus fuit. Romani etiam incredibili ſtudio, ſummáque impenſa ciuitates, atque prouincias à Tyrannis liberarunt. Titus Flaminius Nabim Tyrannum deleuit,& non multò pòſt Philippum Tyrannum etiam illuſtri pugna apud Cynocephalas Scoluſæ locum ſuperauit. Titus Quintius Conſul Rege Philippo profligato, liberauit Corinthios, Locros, Phocenſes, Euboicos, Achæos, & alios quamplurimos.

Quibus remediis Tyrannus ſuam Tyrannidem ab externa cauſa defendit, & primò ex parte fortitudinis.

CAPVT XIV.

POST hæc de his, quibus conſeruantur Tyrannides diſſerendum, nec ab his recedemus, quæ præcepit Ariſtoteles, & primò de remediis, quibus ab externa cauſa Tyrannus ſuam Tyrannidem tuetur. Ariſtoteles itaque cùm Tyrannis inuaditur ab ea potentia externa, quæ & robuſtior, & prudentior eſt, nullum euaſionis remedium eſſe aſſerit. Non enim ob prudentiam eius, qui tyrannidem tenet, ſeruari poterit, ſi quidem inuadens ipſa potentia prudentior, ac ſapientior eſſe ſupponitur. Nec ob fortitudinem, nam inuadentis potentiam robuſtiorem ac fortiorem eſſe ſumpſimus. Quare ſi inuadens ipſa potentia vult, & poteſt, Tyrannidem dubio procul omni ex parte ſuperabit. Omnes enim qui rem aliquam agere volunt, modò poſſint, agent quæ volunt. Sed quoniam letalibus morbis remedia proſunt ſaltem (vt Quintilianus inquit) ne ægroti de vita deſperent, nos in libello de regnandi peritia duo præcipuè remedia attulimus: alterum

ex parte fortitudinis, alterum ex parte prudentiæ, & hæc quidem ne Tyrannus de ſalute deſperet. Ex parte fortitudinis quidem, vt Tyrannus in pace & bello à teneris annis, nihil præter arma exerceat, iugique labore ad fortitudinem habendam nulli aſſuefiat rei, niſi armis: immo quæcunque facit, aut relaxandi animi, aut cuiuſuis alterius gratia, omnia in fortitudinis opus, & aſſuefactionem dirigat. Si quidē hæc ſola ad eum attinet, qui imperitat: per hanc non ſolùm qui ſucceſſione Tyranni ſunt, conſeruantur: ſed etiam ex priuatis principes euadunt, vt de Hierone Syracuſano, & Franciſco Sfortia perſpicuum eſt. Perſarum Reges vt filij fortitudini aſſuefierent, cùm ſeptimum ætatis annum impleuiſſent, ad equeſtris artis magiſtros proficiſci iubebant: deinde venationibus exerceri: demum ſub fortiſſimo pædagogo erudiri, vt intrepidum ac animoſiorem redderet, nequando quidpiam metuens ſeruus fieret.

Remedium ſecundum ex parte prudentiæ in militibus.

CAPVT XV.

EX parte prudentiæ verò, tum in militibus, tum etiam in locis cuſtodiendis. In militibus quidem, primò vt Tyrannus, qui ſuam dominationem tueri, ac defendere cupit, ſcire debeat ſuam Tyrannidem ſub fortunæ poteſtate haberi, niſi propriis armis armatus, benéque munitus ipſe fuerit. Sūt autem propria arma, non quidem mercenaria, aut auxiliaria, ſed quæ aut ex propriis ſubditis, aut propriis ciuibus, aut propriis alumnis conſtant, quales Tyranni Turcarum alumni ſunt hi, quos Iannizzeros vocant. Modus verò quo ſtrenuus Tyrannus arma propria ordinare, atque eligere, quóve exercere, atque ad bella diſponere, ac parare debet, ex Philippi Alexandri Magni patris, atque Romanorum, Spartanorúmque geſtis facilè colligi poteſt. Deinde, vt non ignoret ſuas copias, & quantæ in præſentia ſint, & quàm maximæ eſſe poſſint, aut ex propriis armis, aut per ſocios, aut per amicos, aut per confœderatos, aut per ſtipendia quæ mercenariis militibus dari ſolent. Iterum & quales, an in militibus, an in claſſe.

Digitized by Google

claſſe. Præterea an milites molles effœminati, an bellicoſi. Inſuper ſi tyrones, an veterani. Ad hæc quales militum Duces: non enim in bellis parum fructus affert Ducis fortitudo, ac prudentia: Nam (vt prouerbium eſt) potentior exercitus eſt cenſendus ex ouibus ſub leone, quàm ex leonibus ſub oue. Demùm vt non ignoret geſta quæ in bellis annotata ſunt: debet enim qui exercitùm ducit reſpicere quæ bella per ſua arma geſſit, quóve modo, an cum victoria, an contrà deſierunt. Hæc etiam ac totidem ex parte hoſtium conſideranda ſunt: inſuper ex parte finitimorum totidem ſpectanda, vt quantæ finitimorum copiæ ſint, quantæque eſſe poſſunt, & quales, rurſus quæ bella finitimi geſſerunt, & quomodo finierunt, vt fœdus cum melioribus habeatur, cum minoribus verò bellum geratur. Demùm ad hæc ſciendum pertinet bellorum euentus non modò propriæ Tyrannidis, hoſtiúmque, atque finitimorum, verùm etiam aliorum quorumcunque: ſimilia enim à ſimilibus fieri conſueuerunt.

Remedium tertium ex parte prudentiæ in locis cuſtodiendis.

CAPVT XVI.

IN locis verò cuſtodiendis, nam arces atque loca aggreſſu difficilia, ac muri cuſtodiendi diligentiſſimè ſunt. cuſtodiendi verò rationes (vt Ariſtoteles inquit in Rhetoricorum libris) ſunt præcipuè duæ, altera ex parte cuſtodum, altera ex parte locorum. Cuſtodum quidem vt Tyrannus cõſideret quot numero eſſe debeant, & quales, an proprii alumni, an mercenarij, vel auxiliares, ſi experti, ſi fortes. Locorum verò, vt ſpectet quæ, & qualia ſint, vt intelligat vbi præſidia collocanda ſint, & qualia, vt ſi non ſuffecerint augeantur, ſin autem ſuperflua ſint omnino tollantur, & ex eis loca magis opportuna cuſtodiãtur. Plura autem in libello de regnandi peritia diximus quæ locus hic non deſiderat.

Modi quibus Tyranni ſuam dominationem ab internis cauſis, vt ab inſultibus, ſubditorum rebellionibus, ac ſeditionibus tueri enixi ſunt ſecundum iuniores.

CAPVT XVII.

CVM de remediis dixerimus, quibus Tyranni externis hoſtibus reſiſtere poterunt; nunc de modis, quibus ab internis cauſis, vt ab inſultibus, ſubditorum rebellionibus, ac ſeditionibus, dominationes ſuas tueri enixi ſunt, dicendum nobis eſt. Et primò quidem ſecundum iuniores, de quibus in libello de regnandi peritia diligenter. Deinde ſecundum Ariſtotelem. At de primo, dicamus tyrannos multifariam ab inſultibus popularium dominationes ſuas ſeruaſſe. Nam alij à ſubditis arma penitus ſuſtulerunt, vt Alexander Pheræus in Theſſalia, & Florentini in Hetruria, qui vt Piſanos ſub ſua ditione tenerent, ab eis arma penitus abduxerunt. Nonnulli ſuam Tyrannidem factionibus diſſecuerunt, vt Candaules in Sardis, atque etiam Veneti qui inteſtinas ciuiléſque factiones, in multis præclaris vrbibus, quæ ſub ſua ditione ſunt, concedebant, vt ciues in ſuis ſimultatibus occupati, in dominos conſpirare non poſſint. Alij inimicitias contra ſe finxerunt, veluti Dionyſius Syracuſanus, vt ex victoria inimicorum non contemnendus haberetur à ſubditis: ſimili ratione Hecathæus Cardianorum Tyrannus hanc artem ſeruauit, vt à Cardianis ſtrenuus haberetur. Procurarunt alij, vt qui à principio ſui regni hoſtes eſſent, beneficiorum collatione amici fierent, vt Cæſar circa initia ſui Imperij. Quod & Creon Thebis, & memoria noſtrorum patrum Pandulphus Petrutius, mira diligentia ſecuti ſunt. Alij vtroſque ad amicitiam traxerunt, vt eos, qui à principio hoſtes, & eos, qui à principio amici erant, vt Aratum Sicyonium feciſſe memorat M. Tullius. Alij arces locáque difficilia conſtruxerũt, vt per ipſas ſubditorum impetum aliquando facilè propulſare & maiori fræno ipſos comprimere, ac detinere poſſint.

Digitized by Google

Quem modum ferè omnes noſtrorum temporum Tyranni ſeruant. Alij contrà, hæc omnia diruerunt, & in propriis militibus vim omnem collocarunt, per quos ſubditorum impetum longè faciliùs propulſare, & maiore fræno comprimere potuerunt. Quem modum Philippus Macedonum Rex ſecutus fuit, atque Turcarum Tyrannum ſeruare audimus, qui omnibus per omnia ſua regna arcibus deletis, omnem vim ſuam in propriis copiis repoſuit. Romani ciuitates quas ſuæ ditioni adducebant, aliquando ſeruarunt, fortiores deponendo, atque omnes, qui roboris quicquam haberent infirmando, interdum eas reducendo ad paucorum potentiam, vt ab illis tributa reciperent. Alij Tyrannides ſeruarunt per immanitatem, vt Sylla & Agathocles, qui vtẽtes contra hoſtes immanitate, & erga amicos beneficentia, Tyrannides diu tenuerunt. Sed cùm de his diligenter dictum ſit in libello de regnandi peritia, modos Ariſtotelis proſequamur.

Modus primus, quo Tyranni ſuam dominationem ab internis cauſis, vt ab inſultibus atque rebellionibus, enixi ſunt tueri.

CAPVT XVIII.

TYRANNIDES itaque (vt Ariſtoteles inquit) duobus modis inter ſe maximè diuerſis ſeruari conſueuerunt. Quorum alter eſt is, quem per ſucceſſionem traditum plurimi Tyrannorum obſeruarunt. Plurima autem præcepta modi huius Periandrum Corinthium conſtituiſſe ferunt. Multa quoque ex Perſarum gubernationibus aſſumi poſſunt. Sunt autem præcepta hæc pernicioſiſſima, quippe cùm ſint per accrementũ Tyrannidis: nam nullum ſcelus prætermittũt vt Tyrannidem retineant, leges etiam quas promulgant ſiue iuſtæ ſiue iniuſtæ fuerint, ipſas, modò ſit Tyrannidis ſalus, ab omnibus ſeruari volunt. Præcepta autem ſunt numero quindecim, primum potentiores interimunt, quoniam ſiue diuitiis, ſiue virtute potentes fuerint, contra Tyrannum inſurgere poſſunt. Vnde Periandri conſilium Thraſybulo Tyranno datum, ſupereminentes ſpicas decerpere, tanquam oppor-

tunum ſemper ſit eminentiores ciuium de medio tollere. ſeruauit præceptum huiuſmodi Agathocles Syracuſis. Deinde ſapientes delent, nam qui ſapientes ſunt artes nonnunquam inueniunt, quibus explodant Tyrannum, vt Aratus Sicyonius inuenit contra Nicoclem Tyrannum, & contra Melanchrum Pittacus Mitylenæus, & Zeno Eleates contra Nearchum Myſium. Præceptum huiuſmodi Licinius Imperator ſectatus eſt, qui litteris adeo infeſtus fuit, vt ſapientes atque litteratos viros tanquam peſtem publicam inſectaretur. Domitianus eadem de cauſa Philoſophos omnes ab Italia ſummouit. Inſuper ab omnibus cauent ex quibus conſueuerint neceſſitudines vel ſocietates oriri inter ciues, amicitiæ quoque, & fides, vt ſodalitates ſunt, diſciplinæ, comeſſationes, & alia id genus. quam rem Alexander Pheræus in Theſſalia, & Buſyris in Ægypto obſeruarunt. Omnia quoque faciunt ex quibus ciues inter ſe quàm maximè incogniti ſint, vt ſcholas prohibere, ſcholaſticóſque conuentus tollere. Cognitio enim fidem generat inter ipſos. Accedit quòd per ſcholas ſcholaſticóſque conuentus, homines ſapientes fiant, ſapientes autem magnanimi ſunt, atque magnifici: quare facilè in Tyrannum conſpirarent. ſeruant præceptum huiuſmodi barbari Reges potiſſimum, qui Aſiam, atque Africam incolunt. hi enim vt liberè dominari poſſint, omnes ſcholas, omnéſque ſcholaſticos conuentus diſſiparunt. Noſtri verò Tyranni qui in Europa dominantur, ſcholas atque academias permittunt, nihili faciunt tamen ſapientes, ne ab illis de Tyrannide accuſentur. extollunt verò cauſidicos aliquando, vt ab illis honeſtam Tyrannidem ediſcant. rurſus ſatellites ſuos mittunt, & per vrbem hac illac verſari iubent, vt aſſueſcant ſubditi animum ſubmittere per continuam ſeruitutem, vt faciebat Periander Corinthi, & Melanus eius filius Epheſi. Inſuper per vrbes exploratores diſſeminant, ne lateant quæcunque quis dixerit, aut fecerit quemadmodum Syracuſis hi qui deductores nuncupantur, & auricularij, quos ſubmittebat Hieron vbicumque congregatio vel conuerſatio aliqua foret. ſeruabant hæc Barbari Tyranni vt Perſæ, quominus latere poſſint quæcunque quis agat. Præfectus quidam Sueſſæ adeo diligenter per exploratores hominum vota percipiebat, vt à

Digitized by Google

vulgo dæmonium habere exiſtimaretur. Calumniari etiam inuicem ciues faciunt, committereque amicos cum amicis, & plebem cum nobilitate, & diuites inter ſeipſos: propter factiones enim minus inſurgent, quippe cùm virtus diuiſa minor ſit. Veluti in aliquibus ciuitatibus Senenſes, Genuenſes, Florentini, & Veneti per factiones fecerunt. & Clearchus Heracleæ, & Gabrinus Cremonæ. Subditos præterea ad paupertatem redigunt, ne ſumptus facere poſſint in cuſtodias aduerſus Tyrannum, vt Hiſticus & Ariſtonicus in ſuis Tyrannidibus ſeruarunt. Quinimmo eos quotidianis moleſtiis occupant, ne ad conſilia contra Tyrannum ineunda vacare poſſint. Exemplum huiuſmodi ſunt Pyramides Ægypti, & donaria Cypſelidarum, & Olympi ædificatio à Piſiſtratidis facta, & Polycratis opera circa Samum. Hæc enim omnia inſtituta fuerunt ad ocium & quietem populorum tollendum, & ad inducendum paupertatem per tributorum penſionem, vt etiam Syracuſis factum eſt: Dionyſio enim dominante contigit Syracuſanos in quinque annorum tempore cunctas facultates ſuas in ſoluendis tributis conſumpſiſſe. Hæc vtraque præcepta ad vnguem nonnulli primatum noſtri regni ſeruāt: redigunt enim ſubditos ad paupertatem, ac ipſos moleſtiis premunt, vt ex pecuniis perceptis dominationes emant, quippe cùm noſtris temporibus potiſſimum Neapoli dominationes venales ſint, adeo vt per pecuniam etiam ſcurræ, lenones, fœneratores, proxenetæ, & qui muliebria paſſi ſunt, atque iudices & cauſidici domini facti ſint. Premunt quoque ſubditos negotiis, & bellis contra finitimos, vt indigeant continuo duce fauente, & vt diuertantur à conſpirationibus contra ipſum. quam partem non modò Tyranni ſed Reges etiam ſeruant, vt Ferdinandus Catholicus circa initia ſui regni; vt enim animum primatum diuerteret, Bæticum regnum inuaſit. Seuerus vt in conſpectu militum admirabilis, & in conſpectu populorum terribilis videretur, tot & tantis diuerticulis populos & milites occupauit, vt malum omnino finem non ſortiretur. Commodus verò Caracalla, atque Maximinus, quia præceptum huiuſmodi neglexerunt, omnes manu populorum malè diem obierunt ſuum. Poſtea amicis diffidunt: nam amici (vt plurimum) potentes ſunt, vt etiam

ipſi omnibus dominari appetant. Præceptum huiuſmodi Pãdulfus Petrucius ſeruauit Senis, qui magis iis qui hoſtes, quàm iis qui amici ab initio erant confidebat. Quod Phalaris Agrigenti, & Milo Piſæ circa initia ſuarum Tyrannidum effecerunt. Præterea permittunt habere mulieres quæcunque voluerint contra viros, atque ſeruos manumittunt. nam cùm mulieres libertate, & ſerui manumiſſione gaudeant, ſintque magna ciuitatis pars, Tyrannus ciuitatem pro maiori parte beniuolam habebit: ita nec viri conſpirare audebunt inuitis mulieribus, & ſeruis, ne virorum ſecreta Tyrãno reuelent. Tarentinæ, atque Crotoniatæ mulieres propter maximam libertatem, quam à dominis habebant, non minore cura Tyrannum quàm viros obſeruabant. quam artem inueniſſe Mamertum Catanæ Siciliæ vrbi, & eam poſt ipſum Hipponem Meſſanæ vrbi ſecutum eſſe tradunt. Deinceps adulatores, aſſentatoréſque magnifaciunt, atque ipſis beneficia conferunt. ſeducunt enim populum: nam laudantes Tyranni deliberationes, ei non paruam præbent auctoritatem, perſuadent enim vt ſubditi credant. hanc ob cauſam (vt Ariſtoteles inquit) paucos probos amicos habent, cùm gaudeant adulationibus, quæ libero homine dignæ non ſunt. Quia igitur adulatores Tyrannis vtiles ſunt, vt praui ad praua; (vt ſonat prouerbium, clauus clauo) ſapientes ac probi viri contrarij: ideo præceptum Tyrannicum eſt adulatores extollere, atque ipſis beneficia conferre. Antigonus cùm Aſiam & Orientis partem occupaſſet, vt à populis auctoritatem acciperet, aſſentatoribus, atque adulatoribus multum tribuit. quam partem, vt ferunt, ſeruauit Antiochus Syriæ Rex. Primates noſtrorum temporum nonnulli in propriis dominationibus à ſubditis precariò, vel vi pecunias emungunt, ac extorquent, quas poſtea vt ſe liberales præbeant, adulatoribus effusè erogant. Quin etiam nullo honeſto, nullóque libero homine delectantur: ſe enim ſolùm eſſe tales putant Tyranni. Oderunt ergo illos tanquàm ſuæ poteſtatis euerſores, qui honeſtati vel libertati ſtudent: minuere enim videntur excellentiam, qua ſubditis ſe præferunt. Periander Corinthius eos, qui honeſtati ſtudebant, ſimulatores appellabat: qui verò libertati, proditores. Dionyſius Platonis vitam, quæ honeſtiſſima erat,

Digitized by Google

vituperabat, atque in eius faciem expuit. Peregrinos quoque in conuiuia, atque familiarem vſum magis recipiunt quàm ciues, quaſi hos habeant hoſtes, illos verò non aduerſantes. partem hanc Polycrates, & Syloſon fratres in Samo obſeruarunt, & Regni noſtri Primates plurimi hodie ſeruant: ciues enim ſuos nihili faciunt, peregrinos honorant. mollitudini indulgentes non eminentem virtutis effigiem, ſed adumbratam in dandis officiis conſectantur. Pſitacus ex Oriente in Occidentem delatus, vbi huiuſmodi aues naſci non conſueuerunt, admirabatur ſeſe in maiori pretio, & honore haberi, quàm in natali ſolo conſueuiſſet: nam cauea eburnea argenteis contexta virgis continebatur, ſuauiſſimiſque alebatur cibis: quod cæteris auibus Occidentalibus, quæ neq; in forma, neque exprimendis humanis vocibus erant inferiores, non contingebat. tunc Turtur inquit: hoc nulla eſt admiratione dignum. nulli enim in patria meritus honor exhiberi ſolet à dominis, ſed peregrinis dumtaxat, liberalis animi ſimulatione. Hæc & multa huius generis plura pro dominatione retinenda à Tyrannis fiunt: quinimmo nihil prauitatis omittunt vt Tyrannidem tueantur.

Reductio omnium horum præceptorum in tria.

CAPVT XIX.

ETSI quindecim præcepta ſint, quibus Tyranni pro dominatione retinenda ſeruantur, omnia tamen tribus generibus comprehenſa ſunt. Coniectat enim Tyrannus tria. Primum quidem vt animum imminuat ciuium: nemo enim parui animi contra Tyrannum inſurgit. Alterum verò, vt ciues inter ſe diffidentes reddat: non enim euertitur Tyrannus, niſi inter ciues fides, & amicitia coaleſcat. hanc ob cauſam viros bonos temerario motu & inconſiderato perſequitur quaſi peſtiferos, ſuæque Tyrannidi aduerſarios: non ſolùm quia ſponte prauis non obſequuntur ſtudiis tum ſeruituti minimè acquieſcentes, verùm quia fides ipſis & inter ſe & ab aliis plurima adhibetur. accedit quòd nec ſeſe, nec alios in Tyrannum conſpirantes accuſent. Vnde ſi quis liberè vocem emit-

tat, ſententiámque de Repub. dicat, quæ vox Tyrannis infeſtiſſima eſt, Tyranni ipſi ſub pectore iracundiam retinent, & ſi ad præſens videntur ignoſcere, tamen in poſterum iram ſeruant. Quod tetigit Virgilius in 12. his verſibus:

Es germana Iouis Saturníque altera proles,
Irarum tantos voluis ſub pectore fluctus.

Homerus Calchanta inducit loquentem de Agamemnone. Regum iræ ita ſe habent, vt etiamſi ad præſens indulgere videantur, ſtimulos tamen iracundiæ in futurum tempus reſeruent, primo quoque tempore vlciſcantur: quapropter Calchas ille liberè ſententiam ſuam dicere verebatur, ac nunquam dixiſſet niſi Achilles ei impunitatem promiſiſſet. Tertium, vt omnium vires, potentiámque deprimat atque debilitet. cauſa autem eſt, quòd nullus deficientibus facultatibus impoſſibilia aggrediatur, ita neque Tyrannidem tollere, ſi potentia deſit. Ad quos ergo fines referantur Tyrannorum conſilia, tres iſti ſunt, ad quos vniuerſa Tyrannica præcepta redigi potuerunt, partim ne confidant inter ſe ciues, partim vt potentia eis deſit, partim vt puſillanimes efficiantur.

Modus ſecundus quo Tyranni ſuam dominationem ab internis cauſis, vt ab inſultationibus ac rebellionibus tueri enixi ſunt.

CAPVT XX.

ALTER verò modus hic priori contrarius eſt: nam primus erat per Tyrannidis accrementum, hic autem per decrementum, vt per reductionem Tyrannidis ad Regiam gubernationem, quæ ſecundum rectam rationem fit. Apprehenſus eſt autem hic modus ex regnorum corruptionibus: legimus enim innumera ferè regna ideo corrupta fuiſſe, quia Reges qui ſucceſſerunt gubernationem ſuam regiam quotidie magis, ac magis verterunt ad Tyrannicam amentiam: veluti Argiuorum regnum in quo Abantiadæ Reges erant, & Perſarum vbi Achemenidæ imperitarunt, & Ægyptiorum in quo Ptolemæi regnarunt, & Pharaones, & Latinorum in quo

quò præerant Murrhani, & Albanorum, in quo Syluij reges fuerunt, & Moloſſorum regnum quod plus cæteris durauit: Hæc enim regna, & alia ferè innumera corrupta fuerunt, quoniam qui regnabant, regiam ſuam poteſtatem ad Tyrannidem conuerterunt. vt igitur Regni modus corruptionis vnus eſt gubernationem ipſam Regiam magis ad Tyrannicam: ita Tyrannidis conſeruatio eſt ad Regiam gubernationem magis ipſam referre. vnum tamen Tyrannus præ cæteris potiſſimum ſpectare conſueuit, vt potentiam retineat per quam non modò volentibus, verùm etiam nolentibus, ſi aliqui fuerint, dominari poſſit: potentia enim abiecta ſimul abiiciatur & Tyrannis neceſſe eſt. Tyrannus ergo omnia regia facere enitatur, modò de potentia nihil imminuat: nam per hanc etiam nolentibus dominari poterit. Hanc artem Antiochi qui Syriæ, & Arabarchæ qui Arabibus, & Libyarchæ qui Libycis imperitarunt diligentiſſimè obſeruarunt, & ad noſtra tempora Reges noſtri qui in Europa dominantur omni conatu ſequuntur, alij tamen magis, & alij minus, & propterea pluribus annis per ſucceſſionem regnarunt. Turcarum Reges propter hanc cauſam c c. annis imperitarunt: enixi ſunt enim dominationem ſuam ad regiam reducere: ſolam autem potentiam militarem ſeruant, & quæ aliàs diximus, vt poſſint etiam inuitis dominari. Cætera autem quæ agunt Regia eſſe videntur.

Præcepta Tyrannica per reductionem ad regiam gubernationem eſſe nouemdecim.

CAPVT XXI.

NVNC præcepta per partes explicemus: ſunt autem numero XIX. Primum, vt ſe præbeat communium commodorum curam habentem. Tot enim ac tantas Tyrannus largitiones effundere non debet, vt ciues moleſtè ferant: extorquentur enim pecuniæ à ſubditis, qui egeſtate laborantes velut tempeſtate quatiuntur: nec ſcortis quorum libidine quaſi eminentes feruntur, peregrinis minimèque, & hiſtrionibus erogare debet, ſed rationem eorum reddere

Digitized by Google

quæ accepit, & expenderit, quod factum eſt à quibuſdam Tyrannis: ſic enim adminiſtrans non Tyrannus, ſed legitimus gubernator, & æquus videbitur. nec formidandum quòd quandoque ſibi deſint pecuniæ, cùm ſit dominus ciuitatis, & omnium bonorum quæ ſunt ciuium. hac ratione pecunias ac diuitias ciuibus elargiri prodeſt Tyrannis magis, quàm domi ſuæ reconditas relinquere. minus enim cuſtodes ipſi ciues contra Tyrannum inſurgent: cùm enim pecuniæ apud ciues fuerint, nec ipſas Tyrannus niſi ad bonum publicum extorſerit, minus contra ipſum inſilient. præterea ſi in Tyranni domo pecuniæ reconditæ fuerint, ipſo extra ciuitatem vel ad bellum proficiſcente, vel ad aliquid id genus agendum, ciues qui in ciuitate reſident, magis inſurgere, ac theſaurum ſubripere poterunt. Declarant hoc nobis Medorum Tyranni, qui cùm in domibus plurimas pecunias reconditas haberent, ipſis ad venationes euntibus, ac extra ciuitatem per aliquot dies manentibus, omnes à ciuibus fuerunt dirutæ, atque inter ipſos per portiones partitæ. Seruarunt rem hanc mirificè Romani, qui aurum in colle Tarpeio reconditum à Metello ſeruari iuſſerunt. Deinde ſi eas congregare voluerit, redditus & impenſas patefaciat, tùm gratia diligentis adminiſtrationis: tum etiam (vt ſi quando opus foret) illis vti poſſit ad belli neceſſitates, ita vt omninò ſeipſum cuſtodem, & quæſtorem præbeat, ac ſi illæ propriæ non ſint, ſed communes & publicæ. Seruauit rem hanc diligenter Nicocles, qui fuit Sicyoniorum Tyrannus: cùm enim de redditibus & impenſis ſemper palam rationem redderet, omnibus vt pecuniarum quæſtor, & cuſtos viſus eſt. Arideus quoque Pamphiliæ idem ſeruabat. Poſtmodum, vt ſe nec aſperum, nec difficilem oſtendat, ſed cum grauitate honeſtum, & quidem non talem, vt timeant obuij, ſed magis vt reuereantur. Aſperitas enim timorem, timor autem odium parit. At grauis honeſtas reuerentiam ſibi vendicat. Ex hoc enim quòd quis alicui obuius fit, cui bonum ineſſe putat, quod ſibi deſit, eum reueretur, triſtatúrque aut quia illud non habet, aut quia non eo modo. Quare rectè Ariſtoteles Tyrannum ſe reddere talem debere inquit, vt videatur ſubditos in aliquo excellenti bono excellere, quod ipſis deſit,

per quod reuerentur. Difficile autem (vt Ariſtoteles inquit) eſt hoc aſſequi his Tyrannis, qui contemnendi ſunt. Quare ſi non contemnendus, nec terribilis videri debet, opus eſt, etſi non aliarum virtutum, ſaltem ciuilium curam Tyrannum habere, vel ſaltem eam de ſeipſo opinionẽ facere. Qui enim virtutum curam habet, propter excellentiam earum non erit diſpiciendus. Quòd ſi virtutum curam habere non poterit, vt ciuium inhæreſcat mentibus ipſum de virtutibus curam habere enixè ſtudeat. Nam licet hoc bonum non ſit, vt ne deſpicatui habeatur bonum eſt. Aſſecuti ſunt rem hanc plurimi, quatenus viros bonos in quouis virtutum genere probatos amare ſe, tùm eminentem virtutis effigiem conſectari oſtentarunt. Hoc enim cunctis non parum admirationis affert: vnde Dionyſius Iunior dictitabat, ſe multos quidem alere liberalium artium doctores, non quòd illos admiraretur, ſed quia per illos aliis admirationi eſſe vellet. nec iniuria quidem, nam Princeps eo ingenio iis innatæ naturæ ſeminibus educatus ab omnibus cenſetur, quibus præditi fuerint, quos aſſidua conſuetudine, ac amicitia coniunctos habebit. Vnde Euripides Tyrannos ſapientes fieri dicit ſapientum cõſuetudine. Noſtra etiam ætate Laurentius Medices Florentinorum ciuilis dominus, vt ſe omnium virtutum ſtudioſum præferret, viros quauis virtute claros fouit, ſempérque ſibi contubernales conuiuas, & aſſiduos propemodum aſſeclas habuit. Inſuper nec ipſe nec ex aſſeclis aliquis ciuibus contumeliam faciat: inſolentia enim domeſticorum fuit potiſſima cauſa mortis C. Cæſaris. Commodus, Caracalla, atque Maximinus, quia nefanda militum ſuorum ſcelera tulerunt, omnes à populis interempti. Deinceps mulieres ſuas erga cæteras mulieres vt benè ſe habeant, diligenter curet. Nam & per contumelias mulierum permultæ iam Tyrannides perierunt. Tyrannus enim qui curat, vt vxor ſua vxoribus ſubditorum familiaris ſit, totam ferè ciuitatem beniuolam reddit. Seruabat partem hanc peregregiè Periander Corinthi, & Gelon in vniuerſa Sicania, quorum vxores præ nimia familiaritate omnes ferè mulieres ciuitatis beneuolas habuerunt. Præterea circa corporis voluptates, maximam moderationem adhibeat, vel ſaltem illas fugere videatur, vt Hip-

Digitized by Google

parchus & Piſiſtratus eius pater Athenis effecerunt. nõ enim oppugnari, nec facilè contemni poteſt, qui ſobrius, ſed qui ebrius eſt, neque qui vigilat, ſed qui dormit. Contrarium autem faciunt nonnulli Tyranni: non ſolùm enim ſtatim ab aurora id agunt, conuiuantúrque per dies plures, verùm etiam videri volunt ſe ita facere, vt tanquam fœlices beatóſque ſubditi admirentur: quod feciſſe Auguſtum ferunt, qui cum pueris duodecim, totidémque puellis conuiuebat. Quin etiam muniat atque ornet ciuitatem, vt curator, & non Tyrannus videatur. Confirmet quidem, arces, atque muros conſtruendo: ornet verò, ſedilia publica parando, ædes, porticus, atque ſublimia habitacula ordinando, ciues, atque mores ciuilium inſtituendo. Seruauit rem hanc Romulus, atque Dionyſius Syracuſanus, atque Procopius Conſtantinopoli. Inſuper etiam erga Deorum cultum, & religionem vehementer ſe curioſum præbeat: minus enim formidabunt populi nequid contra iuſtitiam fiat, ſi religioni deditum illum exiſtimabunt Deíque timorem habere: minúſque contra illum audebunt inſurgere, quaſi Deum propitium atque fautorem habeat. præceptum hoc Alexander ſeruauit, qui metu religionis Hieroſolymitanorum ſacerdotem veneratus eſt, & manè ante omnia Diis ſacra faciebat. L. Sylla quoque tempore bellorum Apollinis imaginem ferebat in ſinu, quam imminente diſcrimine oſculabatur, & velut adiutricem inuocabat. Sacerdotes Ægyptij, qui inſulas habitabant, per ſimulatam religionem, adumbratámve virtutis imaginem Tyrannidem per CCCCC. annos pacificè tenuerunt. Debet autem adeo religioſus videri, vt ſine improbitate ab omnibus exiſtimetur. Qui enim religione effectus videtur, & in aliis improbus, hic ridiculo omnibus eſt. Rurſum eos viros honoret, qui aliqua in re laudabiliter ſe geſſerint, ita vt non exiſtimeat vnquam ſe magis honorari à ciuibus ſuis in libertate degentibus potuiſſe, quàm à Tyranno honorantur: ſic enim potiùs Tyrannum, quàm paucorum potentiam, vel popularem ſtatum deſiderabunt. Hanc viam primus Ferdinandus noſtri Regni Rex diligenter eſt ſecutus: nam qui in armis, aut literis laudabiliter ſe geſſerunt, omnes honoribus, diuitiis, atque dominationibus honorare conſueuit. Et Gor-

Digitized by Google

dianus quoque dum regnauit, ſemper ita ſeruaſſe legitur. Honores etiam ipſemet tribuat, noxios autem à iudicibus mulctari ſinat. Ita enim ſibi beneuolentiam abſque odio cõparabit. Vnde Xenophon ad Hieronem: meum hoc conſilium eſt, vt quæ res in ſe moleſtiam habere videantur, eas aliis faciendas præcipiendáſque mandet, quæ verò gratiam comparant, eas pro ſe exequatur qui in poteſtate eſt. Quam artem optimè calluit Critias Tyrannus Athenienſis. Hic enim nunquam pœnas aut animaduerſiones niſi per iudices inferebat, gratias autem ipſe dabat. Quod & Ferdinandus primus Apuliæ Rex etiam ſemper feciſſe fertur. Poſt hæc vnum præ cæteris perrarò extollit, ſed plures inter ſe æmulãtes fouet: nam certatim cuſtodient & ſeruabunt, vix enim erunt vnanimes. Quod Gelon in Sicilia imitatus eſt, & Machanidas in Lacedæmone. Non eum prætereà euehit, qui moribus audax eſt: nam huiuſmodi homines aptiſſimi ſunt ad inuadendum. Quare ſi aliquos attollunt, timidos, atque omnino moribus remiſſos efferunt. Quod Buſyris in Ægypto fecit, & Anaxileus in Rhegio. Potentiam quoque paulatim à ſuſpectis imminuere, ac non vno ſimul impetu auferre Tyrannus ſolet. Alij aſſerunt immanitatem, quæ tota ſimul fit, nonnunquam ad regni conſeruationem facere: eſt enim Tyrannicum præceptum, vt malum totum ſimul, bonum autem paulatim fiat. Malum enim quod ſubitò fit, temporis diuturnitate tandem è memoria eorum deletur, quibus inferebatur. Bonum autem, quod paulatim confertur, ſemper eorum, qui accipiunt, memoriam recentem ſeruat. Quam partem & Sylla, & Agathocles ſeruarunt. Sed hæc vtraque præcepta vtilia Tyrannis ſunt. Hoc quidem Agathoclicum circa Tyrannidis initia, illud autem Peripateticum Tyrannide iam multis annis poſſeſſa: Tyrannide enim iam poſſeſſa, ſi permodica fiet potentiæ ablatio ab aliquo potenti, minore perturbatione afficietur ipſe: id enim quod parum eſt, nihil eſſe putatur. Ab omni contumelia abſtinet, præcipuè tamen à duabus, ne in corpus flagris, flagelliſque, neve in ætatem libidine inſultet, dehoneſtando eum, quem honorare debet. Corporis enim flagellum ſeruile eſt, quod liberi homines non facilè ferunt. Hominum verò vituperatio

odioſa: hanc ob rem poſſent ciues inſultare. Maximè autem hæc cauere debet erga eos homines, qui honorem magnifaciunt. Nam in pecunias illatam iniuriam auari homines grauiter ferunt. Aduerſus verò honorem illatam & qui boni ſunt viri, & qui honorem magnifaciunt permoleſtè tulerunt. Quapropter aut huiuſmodi non vtendum eſt, aut animaduerſiones patrio more, ac ſine vlla contumelia faciendæ. Et ſi aduerſus ſenes, atque honoratos viros animaduerſio facienda eſt, non ex licentia, ſed ex amore, & beneuolentia fiat. Deinde hoc dedecoris, quod infertur, impenſione maiorum honorum eſt redimendum. perpulchrè artem hanc calluit Ariſtagoras Mileti, & Clyſthenes Sycione. Et maximè cauent iniurias inferre his qui ad vim inferendam contra Tyrannum inſurgunt, & qui ita diſpoſiti ſunt, vt ampliùs viuere non curent, cùm occiderint: ſine enim vlla cura propriæ ſalutis irruunt qui per indignationē & iram aggrediūtur. Quemadmodum & Heraclitus inquit, durum eſſe dicens pugnare aduerſus iram: pro paruo enim pretio vitam ponit iratus. Vnde Tyrannorum mortes quæ ab huiuſmodi hominibus fiunt, ineuitabiles ſunt, veluti illa P. Antonij à Centurione, & illa Galeatij Mediolanenſium Principis ab Andrea Lampugnano: iſti enim vt vlciſcantur non curant mori. cùm ciuitates etiam ex duabus conſtituerint partibus, ex inopibus ſcilicet & opulentis, maximè de vtriuſque partis ſalute cogitant, & alteros ab alteris nulla iniuria affici permittunt. Quicunque tamen eorum potentiores ſunt, hi præcipuè à Tyranno vendicandi, atque tanquam proprij adiunguntur. cùm enim hoc fecerit, neque ſeruorum liberationem facere compelletur, neque arma adimere: altera namque pars Tyranni potentiæ adiuncta ſufficiens erit ad ſuperandum eos, qui contrà inſurgerent. Nec ignorauit hāc artem Phalaris Agrigenti, & Candaules in Sardinia. Et tanquam patremfamilias & regem ſe putari ſtudent ab illis qui ſubduntur, nec pro ſe capientem, ſed pro communis vtilitatis tutela, & cura. Quemadmodum Romanis Auguſtus pater patriæ, & Traianus creditur. Et egregios viros per familiaritatem ſibi coniungunt: plebem verò in obſequio retinent, per fauorem & gratiam. & mediocritates in vita ſequuntur in omnibus. Erunt enim propter

Digitized by Google

hæc dominatione pulchriores ac optabiliores, nam non abiectis, ac afflictis, ſed bonis ac officioſis imperare videbuntur: etiam nec formidabiles, nec odio habebuntur, & dominatio longior, ac durabilior erit. Seruauit præceptum huiuſmodi Dionyſius Iunior, qui vt diximus, aſſerebat ſe multos ſapientes probóſque viros alere: non quòd illos admiraretur, ſed quia per illos aliis admirationi eſſe vellet. Et moribus tales ſe demonſtrant, vt vel rectè ſe habeant ad virtutem, vel ſemiboni ſaltem ſint. Quod Cyrus diligenter aſſecutus eſt. His igitur præceptis ab internis cauſis vt ab inſultationibus, ac rebellionibus Tyranni dominationem tueri conſueuerunt. Poſt hæc de Tyrannorum miſeriis diſſerendum.

Bonos poſſe eſſe Tyrannos, ſed perdifficile.

CAPVT XXII.

TYRANNI igitur boni eſſe poſſunt, nam nonnulli ex Tyrannis Reges facti ſunt, reducendo quæ Tyrannica erant, ad mediocritatem, vt Theopompus: perdifficile tamen id eſſe nemo dubitare debet. Nam ſi veteris Heſiodi ſententia vera eſt, Difficile eſt aliquem hominem bonum eſſe, id longè magis Tyrannis ipſis perdifficile erit, quos plura vitiorum irritamenta ab exercitatione virtutum ſeducunt. Præterea ſi priuatis hominibus paruula licent, qui legibus coërcentur, & maxima pars vitiorum mole vrgetur, quid in tanta Tyrannorum licentia contingere putas, quibus pro lege appetitus eſt? Quam ob rem non ab ratione prouerbium emerſit, bonos dominos inſtar portenti eſſe: vnde Cicero libro de Diuinatione, ſi quæ rariſſimè fiunt monſtra putanda ſunt, magis monſtrum erit vir bonus: quòd ſi virum bonum portento ſimilem Cicero arbitratur, quid tum Tyrannis putas contingere, quos plura quàm priuatos homines vitiorum irritamenta molliunt, ac ſeducunt?

Tyrannorum laudes eſſe ab aſſentatione ſcriptorum.

CAPVT XXIII.

HINC fit, vt Tyrannorum laudes non veræ ſint, ſed ab aſſentatione ſcriptorum coaleſcant. Nam licet aliquando quidam virtutum ſplendor, perraro tamen, in aliquibus emicuit: nihilominus ſcriptorum nonnullorum aſſentatio, qui adulationis præmia à Tyrannis expectabant, ex parua virtutis ſcintilla maximum incendium excitarunt, exaggerantes ea verbis, quæ rebus tenuia erant. veluti Valerius Maximus de Iulio Cæſare in gratiam Tiberij ſæpius apertè mentitur: de ipſo enim loquens, tanquam de Deo loquitur, non autem tanquam de eo. Cuius acta omni vita (armorum gloria excepta) à bonis reprobata ſunt.

Tyrannorum virtutibus vitia eſſe contrapoſita.

CAPVT XXIV.

QVOD ſi in Tyrannis virtus aliqua reluceat, ea multorum flagitiorum caligine obumbrata eſt. Inuenies enim quoſdam humanos, ſed extra pudoris aleam luxurioſos, alios prudentes ſed crudeles, hos iuſtos ſed auaritiæ deditos, nonnullos magnificos ſed raptores, quoſdam liberales ſed ira feruidos, & impotentes. Ita quocunque te verteris, nihil purum, nihil ſincerum in eis inuenies, nihil caſtum, nihil abſolutum, ſed ita infecta omnia, vt longo interuallo virtutes à vitiis ſuperentur.

Quæ res Tyrannos malos faciant, & quomodo à bonis principibus vituperetur Tyrannus.

CAPVT XXV.

NON poſſunt eſſe Tyranni niſi mali. Nam rerum copia, amici improbi, ſatellites deteſtabiles, miniſtri auariſſimi,

Digitized by Google

ſimi, Aulici ſtulti, Tyrannos faciunt flagitioſiſſimos. Tyrannis porro ipſa ſuapte natura homines inficit: nam quemadmodum ignis quicquid ſibi hæret, aut calefacit, aut vrit, ita & Tyrannis quos apprehendit aut malos reddit, aut certè deteriores, vt etiamſi probi, caſti, pii, humanique ſint, cùm ad Tyrannidem aſpirant, illico inficiantur, euadántque impij, ſçeleſti, inhumani, periuri, crudeles. Vnde Flauius in vita Aureliæ ad Diocletianum ſcribens: Vide quæſo, inquit, quàm pauci fuerint domini boni, vt benè dictum ſit à ſcurra quodam, vnico annulo omnes bonos dominos deſcribi, ac depingi poſſe. Saturnum, quem Ægyptij ad dominandum aſſumebant locutum eſſe memorant: Neſcitis amici quid mali ſit dominari. Gladij pendentes ceruicibus imminent, haſtæ vndique, vndique ſpicula, ipſi cuſtodes timentur, ipſi comites formidantur. Antoninus Pius, quem per omnem vitam philoſophantem, inter omnes, qui vnquam imperarunt, virtutis palmam tuliſſe hiſtoriæ ferunt, ſanctimonia certè vitæ omnes excelluit, ad Imperium ab Adriano adoptatus, magis doluiſſe, quàm lætatus eſſe traditur. Iuſſus autem ex priuatis hortis in domum Principis migrare, inuitus acceſſit. Et cùm ab eo domeſtici quærerent cur tam mœſtus in tantam adoptionem tranſiret, multis verbis diſputauit, quæ in ſe mala contineat dominatio. Diocletianus verò cùm poſt depoſitam dominationem in priuata villa degeret, rogatus à Licinio, vt rediret in dominationem, id recuſauit, præpoſuitque hortum dominationi. Quæ ratio docet nullum eſſe Tyrannum, quin multiplici ex cauſa malus ſit.

Natura nobis inſitum eſſe dominandi appetitum, qui ſi non temperetur morbo ſimilis eſt.

CAPVT XXVI.

SED (vt Cicero tradit) nobis natura inſita eſt dominandi cupiditas. Animus enim bene à natura inſtitutus, & ſubeſſe refugit, & præeſſe cupit. Indidit enim nobis ſiue Deus, ſiue parens natura laudis, ac gloriæ cupiditatem, quam potiſſimum præſtantia, & dominatione conſequi vi-

Digitized by Google

demur. Quibus eminentia quædam animi excellentiáque indicatur. Cernis enim natura geſtire animum noſtrum, ac lætari, cùm reliquos etiam bonarum artium ſtudioſos certamine antecellit. Etenim gloria quadam extollimur, ſi prudentia, conſilio, doctrina, vel arte egregia cæteris præſtamus. Quia igitur in ſingulis rebus nobis inſita eſt supereminentiæ appetitio, atque dominandi cupiditas, hæc infelix cenſenda non eſt. Quippe cùm quæ natura nobis inſunt, omni culpa vacent. Quemadmodum cibi, potus, ac venereorum vſus, ſi ad voluptatem tantùm referantur, criminandi ſunt. Ita ſi quis dominatione præter rationem abutatur, non iniuria vituperabitur: fit enim Rex Tyrannus, ſi præter rationem ſuum Regnum adminiſtrauerit: contrà etiam Tyrannus fit Rex, ſi Tyrannicam gubernationem in Regiam permutauerit, reduxeritque ea omnia, quæ Tyrannica ſunt, ad mediocritatem.

Infelices eſſe ſemper Tyrannos nulláque virtute præditos.

CAPVT XXVII.

POSTEA quòd ſemper Tyranni infelices ſint, facilè demonſtratur: nam ſi felicitas (vt Ariſtoteles inquit) vita ſit ſecundum virtutem, aut (vt Cicero) ſit honeſtorum comes & proſperitas, aut (vt Epicurus) ſit fortuna adiutrix bonorum conſiliorum: Tyrannus ſemper erit infelix. Quippe cùm ſemper vitiis deteſtabilibúſque rebus, ac prauis conſiliis implicetur. Non enim Tyrannus fortis eſt, licet per fortitudinem Tyrannidem plerumque ſeruet. Cùm enim fortitudinis opus ſit adire pericula pro communi ſalute, ad iniurias propulſandas, armiſque decernere pro ſalute patriæ. Tyrannorum autem cura ſit pro priuato commodo, atque augendis Imperij finibus arma capere, quantumuis pericula ſubeant Tyranni, fortitudinis laude, atque opere carebunt. Sunt & intemperantes, ſi quidem luxuria, libidine, atque omni voluptatis genere obruuntur. Iniuſti quoque: nam cùm iuſtitia circa pœnas, præmiáque tribuenda verſetur, Tyranni pœnas, præmiáque tribuunt, non vt leges præcipiunt, ſed qua ſtatui conducit: non enim ſontes pu-

Digitized by Google

niunt, ſed perſæpe propter commiſſum ſcelus extollunt. Præmio verò nequaquàm afficiunt bene meritos, ſed quos libido perſuadet, qui vt plurimum ſunt improbi, ac nefarij viri. Verſutos autem, callidos, aſtutos, Tyrannos plures audiui. Quoniam quæ aduerſus ſubditos machinantur, perficere poſſunt. Prudentes verò nullos, ſiquidem prudentia eſt cæterarum virtutum moderatrix, & veluti quidam auriga: ſed cùm cæteræ virtutes à Tyrannorum vita procul abſint, fit vt prudentia etiam abſit. Sapientia verò quænam poteſt Tyrannis ineſſe, qui neque literis, neque doctrina illam perceperunt, neque ſapientum præceptis, neque doctorum hominum vocibus, neque bonorum conſuetudine, neque integritate vitæ, ſatis illi ex magnitudine imperij ſe ſapere arbitrantur, partim temerarij, atque inſulſi, partim feminis molliores. Multos liberales vulgus exiſtimauit, quoniam multa multis condonarunt: at ij ſtultitiæ potiùs, quàm liberalitatis laudem meruerunt. Inconſulta enim elargitio, & pecuniarum temeraria largitio vituperanda eſt: in liberalitate enim (vt Ariſtoteles inquit) loci, temporis, perſonæ ratio habenda eſt. Adeat Tyrannum vir doctus, & ſapiens, munus petens contemnetur. Adeat ſcurra, aut hiſtrio, veſtibus atque auro donabitur. Non enim honeſtis viris aut egenis, ſed procacibus, improbis, ac importunis tribuunt. Itaque dum liberalitatis nomen aſſequi credunt, in temerariæ effuſionis culpam prolabuntur. Virtutes igitur fermè omnes dominantium animos reliquerunt, ſeſéque ad humiliores homines contulerunt.

Tyrannos eſſe adulatorum ſummos fautores, veracium verò hominum capitales hoſtes.

CAPVT XXVIII.

CVM igitur Tyranni omni prorſus virtute careant, ſintque propter hanc cauſam infelices, fit vt ſatis ſit ipſis laudari, atque coli ab adulatoribus, & iis, quos veluti canes ad latrandum alunt: hi enim Tyrannorum conſilia commendant, quantumuis pernicioſa, ac turbulenta: cùm ſint

Digitized by Google

conſilij inopes, prudentiam admirantur, cùm ſint ſtulti, eos plusquàm cæteros ſapere profitentur: cùm non procul abſit amentia. Adulatores ſuis aſſentationibus vſque adeo abducunt Tyrannum, vt nihil veri audiens, ſuæ ſapientiæ fidens ſæpiſſime in miſerrimos caſus incidat. Neque enim ad ſapientiæ cognitionem peruenire poſſunt, quibus ab aſſentatoribus perſuaſum eſt, iam ſe ad ſapientiam perueniſſe. Vnde fit, vt ab adulatoribus circumſepti omni veritatis cognitione priuentur. Nam ſi quem iniuria Tyrannus afficit, id pro ſumma iuſtitia aſſentatores comprobant. Venerem dicunt naturalem oblectationem vſu, & conſuetudine gentium permiſſam. Auaritiam, parſimoniam: prodigalitatem, liberalitatem appellant. Crudelitatis culpam ſpecie ſeueritatis leniunt. Nullum igitur eſt tetrum facinus, nullum tam nefarium in Tyrannis vitium, quod non adulatores alicuius virtutis velamento obtegant: quo fit, vt non iniuria adulatorum ſemper amici, veracium verò hoſtes ſint. Cyrus Perſarum Tyrannus (vt recentiores prætermittam) Arpalo familiari ob reprehenſum vitium, filios epulandos in conuiuio dedit: & ne parentis mors filiis adiiceretur, epulas illas laudare coactus eſt. Cambyſes cuiuſdam ex cariſſimis filium, propter ebrietatem cuius admonitus eſt, ſagitta transfixit. Alexander Magnus, vt veſanum Caliſthenem Philoſophum condiſcipulum ſuum Perſarum morem culpantem, omnibus detruncatum membris in cauea ad modum belluæ incluſum diſcruciauit. Non enim patiuntur monitus, qui virtutes ſpernunt: ſed ſua conſilia, aut acerbo odio, aut tormẽtis proſequuntur. Refertæ enim hiſtoriæ ſunt caſibus eorum, qui Tyrannorum vitia emendare cupientes, mortis ſupplicio affecti ſunt.

Tyrannos delatorum eſſe amicos.

CAPVT XXIX.

PROPTER hæc Tyrannis quartum genus accumulatur, idque peſtiferum delatorum videlicet. Eſt enim ingens malum in bonorum atque innocentium perniciem exprom-

Digitized by Google

ptum. Quibus non ſolùm Principes improbi, ſed modeſti quoque aures præbuerunt. Apud Adrianum adeo valuerunt delatorum voces, vt amicos quos ad ſummum prouexerat, poſtea habuerit hoſtium loco. Rectè ergo Socrates inquit, in Tyrannis ſemper eſſe licentiam cum ſtultitia permixtam. Cùm enim delatorum voces à veris non diſcernant, licenter in bonorum atque innocentum perniciem prorumpunt.

Circa munera inſolentes, ingratóſque eſſe Tyrannos.

CAPVT XXX.

QVONIAM autem ingratitudo ſemper fuit Tyrãnis domeſtica, fit, vt non ſolùm in agenda, ſed in referenda gratia inſolentes ſint. Nam quicquid eis operis, quicquid muneris, quicquid beneficij impenditur, id debito iuréque fieri putant, & ne quid cuiquam debeant, ſibi omnia deberi arbitrantur, vocántque munera, atque mutua, quæ ſubditi afferunt, debita. Et cùm in concionibus à ſuis ſatellitibus proponuntur munera offerenda, notant aduerſantes, & ipſos tanquam hoſtes proſequuntur, veritati quoque applaudentes iure conſenſiſſe aſſerunt.

Tyrannos nullos habere amicos, quinimmo erga amicos infidi ſunt.

CAPVT XXXI.

QVIBVS fit, vt Tyranni omni amicitiæ fructu priuentur, cùm enim neminem ipſi niſi inconſulto quodam impetu diligant, à nullo diliguntur. Inſuper inter pares, atque inter eos amicitia verſatur, in quibus bonarum artium ſtudia vigent. At Tyranni non ſolùm non amant pares, ſed cum eis dominandi gratia decertant. Quantum autem bonis artibus vacent, nemo ignorat. Cum ſubditis nulla eſſe poteſt amicitia, nam timeri ab illis magis quàm diligi volunt. Sed quem metuunt, eundem oderunt, veteri ſententia. Itaque nullus apud ipſos amicitiæ locus eſt, nec eſſe

Digitized by Google

poteſt. Amici enim ex animo vera loqui. At Tyranni veritati oppido quàm infeſti sũt. Cùm nihil niſi quod libet ſuæ aures patiantur, & cùm inter parentes & liberos, & fratres adinuicem, viróſque & vxores omnium firmiſſimæ arctiſſimæque ſint amicitiæ, eáſque priuati homines diligentiſſimè colant, tamen ne hæ quidem amicitiæ valent apud Tyrannos, vt ſæpe filius à patre, & pater à filio, & coniux à coniuge, & frater à fratre necetur: habent tamen nonnullos ſuorum ſcelerũ ſectatores, quos propter beneficia, quæ illis præbent, ſuæ factioni coniunctos ſeruant, id tamen non amore faciunt, ſed ob priuatam vtilitatem. Nam perſæpe quem oderant ſectantur, quoniam vtilitas ſuperat maleuolentiam. Vnde rectè Xenophon inquit: gaudent Tyranno improbi homines, quia timent ne quando ciuitas libera facta ſit iniuriarum pœnas à ſe exigat: gaudent flagitioſi propter conceſſam à Tyrannis flagitiorum licentiam: gaudent ignaui, quia liberos eſſe non magnifaciunt.

Tyrannos eſſe ſapientum carnifices atque contemptores.

CAPVT XXXII.

FIT etiam vt Tyranni ſint ſapientum carnifices. vnde Phalaris in Epiſtola ad Pythagoram: hunc enim principatum, inquit, nullo pacto ſine crudelitate obtinere poſſum. Non enim humanitas in Tyrannide tuta eſſe poteſt. Ptolemæus Philadelphus dicere ſolebat: cùm multa alia incommoda Tyrannus habeat, tum maximè quòd dominandi cauſa inſontes interficere compellatur. Antiſthenes dicebat carnifices humaniores eſſe Tyrannis, quoniam à carnificibus nocentes, à Tyrannis verò innocentes necantur: nec deſunt exempla. Legimus enim Calliſthenem ab Alexandri temeritate ob veras monitiones crudeliſſimè fuiſſe necatum. Plato vir ſanctiſſimus à Dionyſio Tyranno, per doctrinæ ſpeciem vocatus, Tyranni opera venundatus eſt. Zenonem Philoſophum ſenem admodum Phalaris Tyrannus omni cruciatus genere dilacerauit. Anaxagoras nobilis Philoſophus à Nichocreonte Cypriorum Tyranno occiſus eſt. So-

Digitized by Google

crates Tyrannorum tempore venena abſorbens periit. Boetius vir doctiſſimus, atque innocentiſſimus Theodorici Tyranni iuſſu de vita receſſit. Vnde Xenophon: graue illud accedit Tyrannis incommodum, quòd ſi quando viros bonos, prudentes, fortes cognoſcant, (cognoſcunt autem non minus quàm priuati) cùm amare cuperent, illos timeant neceſſe eſt. fortes, ne quid audeant libertatis gratia: prudentes, ne quid aduerſus machinentur: iuſtos, ne cupiant populi ab illis gubernari.

Infelices eſſe Tyrannos in filiis.

CAPVT XXXIII.

EST præterea alia non parua Tyrannorum miſeria, aut ſui ſeminis malitia, ſucceſſores filios derelinquere, quibus ſatius fuiſſet defeciſſe, aut vlciſcente Deo nullos propagare. Auguſtus, Titus, Traianus, Antoninus Pius filiis, qui ſuccederent, caruere. Marcus Philoſophus Commodum filium habuit, ſed omnium peſſimum. Auidius Caſſius in vita Seueri Imperatoris, neminem Tyrannorum vlciſcente Deo ait bonum atque vtilem filium reliquiſſe: ſed vel eos ſine liberis è vita deceſſiſſe, aut tales reliquiſſe, vt humano generi vtilius fuiſſet, non eſſe natos.

Decipi vulgus erga Tyrannos.

CAPVT XXXIV.

VERVM ignobile vulgus, atque ſtolidum non has Tyrannorum miſerias animaduertit, ſed opes, aurum, veſtes, argentum, famulantium cateruas obſtupeſcens exteriorem ornatum intuetur. Non enim intelligit quot exagitentur malis. Sed nihil à pueris diſtat qui cùm ſceleratos in Theatris nonnunquam amictu aureo circundatos, chlamydéve purpurea indutos, coronatos, ac tripudiantes conſpiciunt, admirari, beatóſque exiſtimare non deſinunt, antequàm ſtimulis agitari, flagris cædi, ignémque ex florida il-

la variáque veſte emittere conſpiciunt. Quapropter Seneca: iſti, inquit, quos pro felicibus aſpicitis, ſi non qua currunt, ſed qua latent videtis, miſeri ſunt, ſordidi, turpes, ad ſimilitudinem parietum, qui extrinſecus culti, intrinſecus verò inculti ſunt. vnde Hieron apud Xenophontem, haud profectò admirari, ſi in tyrannide iudicanda decipitur. Quippe vulgus ſecundum ea, quæ oculis ſubiecta ſunt, de felicitate hominis vel miſeria iudicat. Ipſa verò Tyrannis eiuſmodi eſt, vt ea quæ optima, pulcherrimáque putantur, omnia ponat ante oculos, quæ autem grauia moleſtáque sũt, in Tyrannorum mentibus recondat, vbi profectò ſita eſt miſeria hominis atque felicitas. Quare vulgus (vt modò dixi) nequaquam mirum eſt ſi decipiatur. At verò ſapientes ſi in hoc errant, qui plus mente, quàm oculis videre ſolent, magnopere admiror. Ego planè doctus experientia rerum hoc tibi affirmare poſſum, bonorum quidem partem minimam Tyrannos habere: magnorum autem malorum plurima ſuſtinent.

Teſtes de Tyrannorum miſeria.

CAPVT XXXV.

ADSVNT & teſtes fide digni. & quidem eorum, qui Tyrannidem experti ſunt, de Tyrannorum miſeria: Alcibiades, Themiſtocles, Pericles, Ariſtides, Annibal, Camillus, Q. Metellus, Scipiones, Rutilius, Cæſar, Pompeius, M. Antonius, Lepidus: multique præterea ex priſcis, & noſtris locupletiſſimi teſtes ſunt de Tyrannorum miſeria. Nam quamuis Syllam felicem poſt mortem dixerint, ipſe tamen à felicitate tantum abfuit, quantum crudelitati propinquus fuit: nihil enim accidere ſibi potuit infelicius, quàm malefaciendi facultas, ac libido. Quibus infelix habitus eſt.

Digitized by Google

Tyrannos mala morte finiri.

CAPVT XXXVI.

EST & alia miſeria, vt occidantur: vnde Alexander Pheræus cùm ob Tyrannidem omnes haberet ſuſpectos, tamen ab vxore ob metum pellicis interfectus eſt, ac eius cadauer à ciuibus tractum, ac dilaceratum eſt. Polycrates Samiorum Tyrannus, cùm nihil vnquam aduerſi ſibi contigiſſet, tandem in montis vertice crucifixus eſt. Alexander maior cùm Regno potiretur cum fratre per inſidias Eurydicæ matris occiditur. Philippus poſt multarum vrbium gentiúmque excidia, poſt defatigatum ſanguine ac cædibus animũ, Olympiadis vxoris opera ab adoleſcente Pauſania interfectus eſt. Candalus Lydorum Rex vxoris fraude periit. Xerxem Perſarum Regem bello aduerſus Græciam infeliciter geſto in patriam reuerſum Artabanus præfectus admodum regi fidus interemit: vt ſit illud Iuuenalis veriſſimum,

Ad generum Cereris ſine cade, & vulnere pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte Tyranni.

& Cicero in ſecunda Philippica præclarè ait, *te miror Marce Antoni, quorum facta imitaris eorum exitus non perhorreſcere.*

Eos necare Tyrannos quos naturali iure defendere debent.

CAPVT XXXVII.

ET quod omnium infeliciſſimum eſt, Tyrannos cogi eos necare, quos naturali iure defendere debent. Dionyſius Iunior Siciliæ Tyrannus, qui poſtmodum pueros docuit Corinthi, cùm maior è fratribus natus à militibus ad regnum aſſumptus eſſet, primò auunculos, tum verò fratres è medio ſuſtulit. Ptolemæus Ægyptiorum Tyrannus cognomento Philopater, parentibus interfectis, addita etiam fratris, ac ſororis cæde, Tyrannide potitus eſt. Nicomedes Bithyniæ Rex patrem regno expoliatum interemit. Ptolemæus alter Ægyptiorum Tyrannus cùm propter multiplices crudelita-

Digitized by Google

tes, quibus in multos graſſatus fuerat, timeret ne populus maiorem natu filium odio ſui, regno præficerent, illum vita priuauit: alterum iuniorem filium ex Cleopatra vxore, eadémque ſorore genitum die natali in membra diſcerptum inter epulas, & conuiuia Cleopatræ obtulit. Eucratides Bactrianorum Tyrannus, cùm ab Indis victor rediret, faceréque filium Regni participem, ab illo interimitur. Phrahates Parthorum Tyrannus cum à patre Orade ſolus ex xxx. fratribus adſcitus eſſet, quaſi nefas duceret abſque nefario facinore imperare, primùm patrem admodum ſenem, tum fratres omnes occidi imperauit: deinde ſuperiorum cladibus addidit filij adulti necem, veritus ne ob tantorum ſcelerum inuidiam Rex à populo conſtitueretur. Sanctius quartus Hiſpaniæ Rex patrem ſuum Alfonſum decimum à Germania redeuntem, occupato regno non admiſit, quatuórque hominum millia trucidari iuſſit, quòd in tumultu quodam Alfonſum fratris ſui filium regem appellaſſent. Et ne longè exempla petamus, Turcarum Tyrannus, cùm primùm regnum peroccupat, omnes fratres necat. Maurorum Tyranni cùm primùm in Tyrannidem ſuccedunt, omnes fratres excæcant. Alfonſus tertius Rex Hiſpaniæ quatuor fratribus oculos eruit. Quamobrem Phalaris non iniuria inquit periculoſius eſſe deponere Tyrannidem quàm occupare. Sentítque ita de Tyrannide, quemadmodum de ortu & vita: neque enim homo ſi fieri poſſet, vt antequam homo naſceretur, quænam mala paſſurus eſſet audiret, naſci vnquàm voluiſſet: neque priuatus, qui Tyrannidi ſtuderet, ſi illius intelligeret calamitates, Tyrannus potiùs quàm priuatus eſſe vellet. & alibi inquit: aggredi enim Tyrannidem appetentis eſt, deſiſtere autem minimè, propter multa, quæ à Tyranno iniuſtè committuntur. Quemadmodum Sagittarius, cùm primùm ſagittas emiſerit, non amplius habet eas reuocandi poteſtatem.

Digitized by Google

Priuatam vitam eligibiliorem eſſe Tyrannica.

CAPVT XXXVIII.

QVAM ob cauſam hominem non naſci,& priuatũm quàm Tyrannum vtilius eſſe inquit, & ad filium ſcribens ait: verùm ſi rectè ſapies, ab eo, quem Tyrannidis pœnitet, ſententiam accipies, qui non ſponte, ſed coactus hanc ſibi vitam delegit, qui Tyrannidem expertus, Tyranno ſubiectus,quàm Tyrannus eſſe mallet. Ille enim vnum duntaxat Tyrannum formidat, aliis incommodis liber: Tyrannus autem & qui extrinſecus inſidias moliuntur, & qui ſe cuſtodiunt, timet. Neceſſe namque eſt, vt in formidine & miſeria ipſos primùm vereatur cuſtodes. Idem Apollinis oraculum teſtatur: nam cùm Giges Rex Lydorum, qui ſibi præ cæteris fortunatiſſimus videbatur Apollinem conſuluiſſet, Quis eo tempore felix eſſet? contempſit oraculum Tyrannicas opes, atque apparatus, & Aglaum quemdam Arcadem paruuli ruris cultorem, qui metas ſui agelli nunquam cupiditate exceſſerat, felicem iudicauit. per quæ priuatam vitam Tyrannica meliorem eſſe patet. Valerius Maximus nullum Imperatorem, nec diuum Auguſtum inter felices poſuit: ſed priuatum ciuem Romanum Q. Metellum. vt nulla dubitatio nobis oriatur, non in Tyrannis, ſed in priuatis viris aliquando felicitatem eſſe repertam. Hanc & Lucianus in ſuo Menippo ſententiam probat: Menippus enim cùm adoleſcens legiſſet apud Homerum Heſiodúmque & alios poëtas, Deorũ bella, adulteria,furta,rapinas,ſtupra, aliáque huiuſmodi mala facinora, credebat ea licita eſſe, atque honeſta quando Deorum exemplo atque auctoritate comprobarentur. Deinde adoleſcentiam egreſſus,cùm audiſſet ea à legum latoribus tanquam inhoneſta & turpia ſuis ſanctionibus prohiberi, incertus animi vtri rectiùs ſentirent, Philoſophos adiit, vt ab eis ſciſcitaretur, quænam eſſet vita optima: ſed cùm illos quoque conſpiceret admodum ſibi ipſis diſſentientes, (nam ij voluptatem, ij vacuitatem doloris, virtutem alij, quidam animi, corporiſque & fortunæ bona vitam beatam efficere volunt) in-

Digitized by Google

certior multóque antea ac diffiſus virorum ſapientiæ mortuos conſulere decreuit: igitur ad inferos penetrauit, ſciſcitatúrque à Tyreſia, qui & ipſe Rex vatéſque ac diuinator fuiſſet ſententiam quam quærebat: at ille primò cùm id nefas eſſe ſcire reſpondiſſet, tandem mollitus Menippi verbis ad aurem ſuſurrans, apud priuatos viros optimam & felicem vitam inueniri dixit.

Quòd priuati homines in his quæ ad ſenſus pertinent, Tyrannis ſuperiores ſint.

CAPVT XXXIX.

NEc ſolùm in iis bonis, quæ ad animam attinent, priuati homines Tyrannos exuperant, ſed etiam in voluptatibus. Et vt ab oculis, viſúque incipiam, in quibus non parum delectationis eſt, nonne Tyranni priuatis hominibus inferiores ſunt? Nam cùm multis in locis multæ res ſint aſpectu dignæ, ad eas viſendas priuati homines ſuo arbitrio proficiſcuntur. Itaque & ciuitates quaſlibet adeunt, & conuentus, & ludos, vbi res miræ ſunt, pulcherrimæque aſpectu. Tyranni verò, nequaquam ita: neque enim illis proficiſci tutum eſt, vbi præſentibus non ſunt potentiores futuri, neque arces, quas domi poſſident, relinquere, ne ſimul & regno ſpolientur, & potentia vlciſcendi eos, qui ſpoliauere. At verò dicet quiſpiam, venient illis hæ res, & domi manentibus. Ita hercule. Sed pauca ex multis, & hæc ſummo pretio emuntur à Tyrannis. Nemo enim defert quicquam oſtendendi gratia, qui non multo plura à Tyrannis breui tempore petat, quàm à reliquis hominibus omni vitæ ſpatio acceperit. Fortaſſe videbuntur Tyranni priuatis hominibus ſuperiores eſſe in iis quæ ad auditum ſpectant: nam laudes (quod dulciſſimum eſt) audiunt continuò, nec quiſquam eſt in eorum conſpectu, qui non omnia, & quæcunque dicunt, & quæcunque faciunt, ſummo cum ſtudio conetur extollere. Iurgia quoque (rem auribus amaram) nunquam audiunt. Quis enim præſenti Tyranno auderet maledicere. Sed nec in iis Tyranni felices ſunt, cùm ſciant omnes qui tacent, de ſe malè ſentire: laudantes verò,

Digitized by Google

ſuſpectos eſſe, ne aſſentãdo id agant. Sunt inſuper laudes illæ dulciſſimæ (vt Simonides inquit apud Xenophontem) quæ ab homine liberrimo audiuntur. De duabus autem, quæ maximæ habentur, guſtus, atque tactus voluptatibus taceo, nam dum in iis belluinis voluptatibus maximè excellunt, maximæ belluæ habendi ſunt. vnde Ariſtoteles: qui vitam pecudum eligunt, omnino pecuini ſunt.

Quòd in re pacis bellique priuati homines Tyrannis ſuperiores ſunt.

CAPVT XL.

SVNT inſuper priuati in re pacis, bellique Tyrannis ſuperiores, quæ non minimam bonorum partem affirmant eſſe. Nam pacem maximum bonum, bellum verò maximum malum eſſe cenſetur. Priuati enim niſi ciuitas ſua publicè bellum gerat, quocunque velint ſecurè proficiſcuntur, nec eſt illis verendum, ne à quopiam trucidentur. Tyranni verò, tum maximè inter hoſtes eſſe arbitrantur, cùm ad ciuitatem ſuam reuenere. Sin autem ciuitas bello prematur, tunc ſolùm priuatis periculum eſt, cùm extra mœnia ſunt, cùm verò in vrbem ſe recepere, nihil eſt amplius timendum. At Tyrannus neque extra vrbem tutus eſt, neque in vrbe. Sed tunc maximè ſibi putat cauendum. Item cæteros homines & pax & induciæ liberant bello. Tyranno autem nec pax, nec vllæ induciæ poſſunt eſſe cum ſubditis. Quippe cùm Tyrannis ipſa talis ſit, vt patriam quoque odio habere cogat: neque enim læto vultu aſpicere poteſt Tyrannus ciues ſuos, vel benè armatos, vel magno ingenio præditos, ſed extraneos quàm ciues præſtantiores videre cupit, illóſque ad ſui corporis cuſtodiam habet. Odit etiam agrorum fertilitatem, ne vbertate rerum elati ciues, difficilius iugum ſeruire patiantur.

Priuatis inferiores eſſe Tyrannos & in vigilia & in ſomno.

CAPVT XLI.

NEc in re pacis ſolùm Tyranni priuatis inferiores ſunt, ſed in vigilia quoque ac ſomno. Quippe cùm ſemper tanquam carcere clauſo, ac cæco nulla euadendi ſpe detenti, ſcelesta cuſtodiantur vita: nam quamuis interim conuiuentur, negocientur, donationibus, & delectationibus oblectentur, optimáſque negligant diſciplinas: nihil tamen à noxiis diſtant, qui in vinculis ad vltimum ſeruantur ſupplicium. Nam & ij quoque aliquando fune ſuper capite pendente ludunt, cantillant & ociantur. Vnde quemadmodum Simonides ludens aiebat, argenti ſe arcam ſemper inuenire plenam, gratiarum verò vacuam, ita Tyranni, ſi rectè ſuam perpenderint vitam, confeſtim ob voluptates gratia vacuam ſpéque deſtitutam reperiunt: timore verò, triſtitia iniucundáque recordatione, ac in futurum ſuſpicione, perfidia verò ad præſens ſemper cumulatam inueniunt. Nec recordatione malorum Tyranni in vigilia cruciantur ſolùm, ſed in ſomno quoque: etenim ſomniorum terriculamenta diurnáque ſpectra, necnon oracula, atque portenta, & quæcunque homines diuino accidere nutu opinantur, horrorem, ac timorem, his, qui ſoeleribus obruti, ſibique ipſis conſcij ſunt, incutere conſueuerunt. Quemadmodum aiunt Apollodorum, aliquando per ſomnium ſe à Scythis excoriari in fruſtáque concidi conſpexiſſe, cor verò ex lebete loquens, ac dicens: Ego horum tibi cauſa ſum. Et iterum filias igni flagrantes, totóque corpore ſuccenſas, per gyrum ipſum circumſilire. Hipparchum item Piſiſtrati filium paulo ante obitum, Venerem ex phiala quadam ſanguinem ſibi in faciem ſpargere, ſomniaſſe narrant. Ptolemæi verò Tyranni amici, ipſum à Seleuco in iudicium rapi viderunt, vulturibus, lupiſque iudicantibus, & cauſam cognoſcentibus, carnéſque paſſim hoſtibus diſtribuentibus. Pauſanias quoque Byzantij Cleonicen liberam ſtuprauit virginem, quam cùm noctu quandam ob cauſam

Digitized by Google

emiſiſſet, reuertentémque terrore, ac ſuſpicione correptus peremiſſet, eam ſæpiùs in ſomnis aſſiſtentem, ac dicentem vidit: Adſis iudicio, mala res iniuria valde eſt: cúmque phaſma haud deſiſteret, ſed aſſiduis illum terroribus perturbaret, ac moleſtaret, Heracleam ad animarum nauigauit expiationem, placantibúſque nonnullis inferiis, puellæ animam euocauit, quæ cùm in conſpectum veniſſet, finem malorum futurum prædixit. Quare, ſi dicere fas eſt, licet flagitioſi, perditi, ac facinoroſi Tyranni, nec Deum, nec hominem aliquem haberent vltorem, pernicioſam tamen ipſorum vitam omni prauitate, impietate, ac ſcelere corruptam, refertam, & contaminatam ſatis ſupérque (vt Ariſtoteles ait) ad ſe ipſam plectendam ac torquendam ſufficere arbitror.

Quòd Tyrannorum amor & beneuolentia erga domeſticos quos amant, nequaquam firma ſit.

CAPVT XLII.

INSVPER etiam, quod maximè deteſtandum arbitror, Tyranni nullum amant, & quem aliquo tempore obſeruant, ac admirantur, alio quoque ſummo odio proſequûtur. Sæpe etiam qui heri placuit, hodie diſplicet. Immo (vt veriùs loquar) qui mane erat carus, veſpere vt hoſtem oderunt. Quis vir ingenio ac virtute præditus in Tyrannis ſperare debet, in quorum amore, nec ferro nec plumbo, ſed fragili admodum cera fixus habeatur, quam vel refrigeratus amor excutiet, vel iræ feruor eliquabit: vt enim oculus parua feſtuca turbatur, ſic Tyrannorum gratia offenſiuncula vel minima, interdum etiam nullo crimine perditur? Adeo enim apud Tyrannos delatorum voces valent, vt amicos, quos ad ſummum prouexerant, poſtea hoſtium loco habeant. Apud Tiberium, Neronem, Claudium tam carus Seianus fuit, vt Imperatore apud Capreas cum grege Caldæo ſedente ſolus hic Imperium adminiſtraret. Hic poſtea vnica Tyranni epiſtola captus eſt, & per vrbem vnco ductus ad ſpectaculum in Tyberis ripa truncatur, & omnes ſtatuæ

d by Google

quæ eius erant, ex Capitolio deiectæ ſunt. Clitonem Alexander ſuæ nutricis filium alioqui cariſſimum, quòd auſus fuerit Alexandri laudes virtutibus Philippi patris comparare, propria manu interemit. Extant noſtri temporis exempla admodum innumera, quæ ne alicui detraxiſſe videar, conſulto prætereo. De magno verò Regni Apuliæ Seneſcallo, quia tuta in mortuos reprehenſio eſt, me dicere prohibebit nemo. Hic apud Reginam Ioannam cariſſimus fuit, cui ſtupris ſeſe inſinuauerat. At Tyranna conuerſo in alium amore, percuſſores ad illum noctu tranſmiſit, quo mortuo, alios ſibi concubinos ſubſtituit. Vnde ſiquis in Tyranni gratia perſeuerare voluerit, ad quæuis Tyranni imperia oportebit eſſe paratum, vt adire bella, per latrones, graſſatoréſque tranſire, per maria nauigare, in peſte permanere, in mille capitis pericula incidere, iuſtum, iniuſtúmve exequi mandatum, ridere ac flere cum tyranno, laudare quem laudat, vituperare quem vituperat: nulla tibi in verbis, aut in operibus libertas ſupererit. Addo illud Socratis in libro de Regno tyranni: Neminem niſi inconſulto quodam impetu diligunt, & ſi quem amant, non vt amicum diligunt, ſed eo modo amant quo & canes, & equos diligunt, vt fructum inde ſuſcipiant.

An liceat impunè occidere Tyrannum, hîc diſputatur.

CAPVT XLIII.

SED cùm ex iis, quæ diximus, pateat inter eos, qui Reipublicæ nocent, maximum prædonem, maximum graſſatorem, maximum homicidam, maximum iniuriarum illatorem cunctos lædentem, eſſe Tyrannum: morales Philoſophi aſſerunt non modò licere ipſum è Rebuſp. abigere fugaréque, verùm etiam illius interfectorem maximi boni cauſam eſſe. Quam partem Britannicus vir meo iudicio doctiſſimus iis quæſtionibus, quas in libris politicorum Ariſtotelis diſſeruit, probauit. Vnde Hermippus Philoſophus interrogatus, ſi liceat impunè Tyrannum interimere, aut fugare, reſpondit, ſi belluas pro vſu hominum licet impune occi-

Digitized by Google

occidere, quanto magis tyrannum, qui belluarum pernicioſiſſima, & minaciſſima eſt, pro communi omnium proborum virorum bono & interimere & fugare licebit: hanc ob cauſam boni ac iuſti Philoſophi tradiderunt, cùm Tyrannus intolerabilis ſit, ad fortium virorum virtutem pertinere illum interimere, ſéque pro communi hominum liberatione morti exponere. Hac de cauſa Hercules Diomedem (vt diximus iam) Thraciæ Tyrannum è Regno pepulit, & Buſyrim Ægypti tyrannum interfecit. Sic & geſtorum Herculis æmulus Theſeus pleroſque facinoroſos tyrannos, truculentiſſimóſque necauit. Romani etiam è quibus virtutum omnium exempla ſumenda ſunt, incredibili ſtudio, ſummáque impenſa ciuitates atque prouincias à Tyrannis liberarunt, & non modò externas, verùm etiam propriam. Nam Tarquinium Superbum, quem regem creauerant, cùm regiam poteſtatem in tyrannidem conuertiſſet, è regno fugarunt, ſubſtituta poſtea conſulari poteſtate. Eadem ratione Domitianum, qui modeſtiſſimis Imperatoribus Veſpaſiano patri, & Tito fratri ſucceſſerat, cùm Cæſaream Maieſtatem in tyrannidem commutaſſet, atrociter interemerunt. Sicque complures alios ſimili ratione necarunt. Nec deſunt exempla in ſacris. Nam Aiothus quidam (vt aiunt) Eglon Maobi Regis femur ſica tranſegit, quòd regiam gubernationem in tyrannicam permutaſſet, ex quo poſtea populi iudex factus eſt. Verùm non deſunt, qui contrarium probent, moti profectò ſacrorum virorum præceptis, quibus traditum eſt, non bonis tantùm, & modeſtis, verùm etiam dyſcolis dominis reuerenter eſſe parendum. Cui rei nō deſunt exempla in ſacris hiſtoriis commemorata. Legitur enim in ſacris Regum hiſtoriis eos fuiſſe occiſos, qui Ioam Regem Iuda interemerunt, quamuis tyrannus eſſet crudelis. Quam partem Thomas ille Aquinas vir omnium diſciplinarum peritiſſimus probat tum exemplis, tum ſacrorum virorum auctoritatibus, quæ recenſere longum eſſet: verùm quid in tanto quæſito diffiniendum ſit, non parum difficultatis habere cernimus. Iuniores tradunt, eos qui aſſerunt tyrannum occidendum eſſe, loqui pro more Philoſophorum moralium, qui tyrannum publicum ciuitatis hoſtem eſſe con-

Digitized by Google

tendunt. Nam ſi tyrannus publicus homicida, publicus iniuriarum miniſter ſit, etiam publicus ciuitatis hoſtis eſt habendus, & ſi publicus ciuitatis hoſtis fuerit, quis dubitat, eum & abigi, & necari impunè poſſe? hoc profectò modo Aiothus tyrannum interemit: non enim eum necauit, quo Reipub. gubernator, ſed quo ciuitatis hoſtis publicus erat. Qui verò dixerunt Tyrannum non eſſe occidendum, pro Chriſtiano ritu eos locutos eſſe tradunt: qui impium ex diuina prouidentia propter populi ſcelera dominari aſſerunt. Nam qui Tyrannicas huiuſmodi triſtitias perpetientur, apud Deum non paruam gratiam habere creditum eſt: nec ſanctiſſimi viri ſoli rem hanc ita eſſe tradiderunt, ſed etiam gentiles: quoſdam enim, vt Plutarchus inquit, numen negligit. Ideòque parcit, vt cum ſceleratis flagitioſos plectere valeat, quemadmodum Democenis per oraculum dæmonium reſpondit. Inde verò illos quoque conterit, ac funditus tollit, vt opinione mea compluribus euenit Tyrannis. Quemadmodum enim hyænæ fel, phocæque coagulum, ac feræ aliæ quamplurimæ, quiddam ſalubre ægritudinibúſque humanis vtile in ſe continent. Ita quibuſdam qui fræno animaduerſionéque indigere videntur, Deus amaritudinem quandam Tyranni inexorabilem, vel ſæuam Principis cuiuſdam aſperitatem immittit, nec priùs ab afflictione ac perturbatione deſiſtit, quàm ægritudinem omnem expulerit, penitúſque morbum purgauerit: tale Acragantinis Phalaris, Romanis verò Marius erat pharmacum. Alij diſcordiam tantorum virorum hoc pacto ſedant: nam qui volunt tyrannum, qui publicus ciuitatis hoſtis eſt, eſſe occidendum, intelligunt publica auctoritate: qui verò aſſerunt non eſſe interimendum, volunt non eſſe necandum à priuata perſona propria auctoritate. Nemo enim priuata auctoritate poteſt tyrannum, aut ſceleratum hominem quantumuis prauum interimere. Nos autem de huiuſmodi quæſito ita diſtinguimus, quòd tyrannus ſit alius publicus ciuitatis hoſtis, vt cùm aura populi, aut nobilitatis propter factionem, aut diſſenſum vi Rempublicam occupat. Alius verò qui electione, aut ſucceſſione Rex electus, regiam poteſtatem in tyrannidem præter leges conuertit. Tyrannum, qui prima ratione Rempublicam occupat, vnaquæque Reipublicæ perſona in-

Digitized by Google

terimere poteſt, non quidem tanquam priuata, ſed tanquam publica perſona, veluti in iuſto bello miles quiuis ducem aduerſi exercitus impunè necare poteſt. Quo pacto laudarunt Chlœliam virginem Romanam, quòd Porſenam (vt nonnulli aiunt) Hetruſcorum Regem interemerit, qui Romam obſidione premebat. Tyrannum verò, qui ſucceſſione, aut legitima electione Rex creatus eſt, priuata perſona nulla abigere, aut interimere poteſt, vbi tamen ad ius alicuius Reipublicæ attinuerit de Rege prouidere, non iniuria poteſt, ſi Tyrannus euaſerit, Reſpublica illa aut deponere aut abigere, aut necare. Quam partem Thomas ille doctiſſimus probat. Nam licèt (vt inquit) eum in regem iureiurando receperint, poterunt tamen ipſum aut deponere, aut abigere, aut necare, ſi contra pactum Regiam poteſtatem in Tyrannidem commutauerit. Et hunc in modum Romani Tarquinium Superbum propter ſuam atque filiorum ſuorum Tyrannidem è Regno fugarunt, & Domitianum ac complures alios Tyrannos interemerunt. Simili ratione ſi ius de prouidendo Rege, aut domino, attinuerit ad aliquem ſuperiorem, ab eo auxilium petendum eſt contra Tyrannum. Hoc pacto contra Archelaum, cùm cœpiſſet paternam tyrannidem exercere in Iudæa, auxilium ſubditi à Cæſare Auguſto petierunt. Qui cùm depoſito regio nomine poteſtatem diminueret, regnum duobus fratribus diuiſit: deinde cùm nec ſic à tyrannide compeſceretur, Archelaus tandem à Tiberio Cæſare in exilium apud Lugdunum Galliæ vrbem mittitur. Quòd ſi Tyrannus intolerabilis fieret, & nec Rempublicam nec perſonam ſuperiorem habuerit, ad quem ius attineat, quid à ſubditis agendum ſit, non facile eſt definire. Morales Philoſophi aſſerunt eſſe aut fugandum, aut interimendum. Nam eo ipſo quo Regiam poteſtatem in Tyrannidem conuerterit, Rex amplius non eſt, ſed mox publicus Regni, aut ciuitatis hoſtis euadit: contra quem vnaquæque perſona publicam auctoritatem habere videtur. Quinimmo fortium virorum officium eſſe autumant, ſi vt eum occiderint, mortis periculis ſe expoſuerint. Quam partem doctiſſimus ille Cicero Officiorum libro tertio elegantiſſimè his verbis proſequitur: *Nam quod Phalarim attinet, perfacile iudicium eſt: nul-*

Digitized by Google

la eſt enim ſocietas nobis cum Tyrannis, ſed potiùs ſumma diſtractio, neque eſt contra naturam ſpoliare eum, ſi poſsis, quem honeſtum eſt necare, atque hoc omne genus peſtiferum atque impium ex hominum communitate exterminandum eſt. Etenim vt membra quædam amputantur, ſi & ipſa ſanguine, & tanquam ſpiritu carere cœperunt, & nocent cæteris partibus corporis. Sic iſta in figura hominis feritas, & immanitas belluæ, à communi tanquam humanitatis corpore ſegreganda eſt. At qui Chriſtianam Religionem, ac pietatem ſequuntur, tradunt cùm aduerſus Tyrannum, humanum auxilium haberi non poſſit, non eſſe occidendum, aut fugandum: ſed ad Deum eſſe recurrendum, qui eſt Rex omnium Regum. Nam creditum eſt à viris ſanctiſſimis, cor Tyranni crudele ab ipſo Deo in manſuetudinem conuerti poſſe, eſſéque in eius manu, vt ipſum vertat, quò voluerit: hoc pacto Deus precibus ſubditorum crudelitatem Aſſueri Tyranni in manſuetudinem, & impietatem Nabuchodonoſoris ad religionem mutauit: Pharaonem verò Tyrannum, qui aduerſus Iudæos exercitum maximum parauerat, in mare deiecit. Quamobrem Thomas ille doctiſſimus tradit, ſummum præſidium aduerſus Tyrannum eſſe, vt ſubditi à ſceleribus ceſſent. Quippe cùm propter ſcelera (vt diximus) impij regnent. Hinc perfacilè delentur quæſtiones omnes quas M. Tullius libro Epiſtolarum nono ad Atticum ſcripſit, quæ ſunt: An manendum ſit in ea patria, in qua Tyrannus dominetur. An id agendum ſit, vt omni modo Tyrannidis nomen aboleatur, quamquam ob id ipſum tota Reſpublica eſt periclitatura. An is qui Rempublicam à Tyrannide ſit liberaturus, cauere debebit, ne quid ipſe mali patiatur. An ſuccurrendum patriæ ſit magis, cùm eſt à tyranno oppreſſa, quàm cùm eſt ab hoſtibus obſeſſa. An Politico viro quieſcendum, longéque ſecedendum ſit à patria in qua Tyrannus dominetur. An in omne periculorum genus eundum ſit, dum ad patriæ libertatem perueniatur. An bellum ſuperinducendum ſit, vaſtandáque ciuitas, quæ à Tyranno eſt oppreſſa. Quod ſi minimè probauerit, Tyrannidem bello ſoluendam eſſe, an cum optimatibus conſentire debebit. An cum beneficis, & amicis ſimul in Republica periclitandum ſit, quamquam illi mi-

Digitized by Google

nimè videntur rectè de Republica conſuluiſſe. An is, qui magna in Rempublicam beneficia contulerit, ob eámque rem in maximas calamitates inciderit, & grauiſſimas hominum inuidias pertulerit, vltro pro patria periclitari debeat. An conſulendum ei ſit, ſui, ac ſuorum, ſuarúmque rerum domeſticarum tantummodo curam habere, & Rempublicam ipſam regendam committere. Hæ ſunt quæſtiones M. Tullij ad Atticum, quas omnes, vt arbitror, ipſe ad partem affirmatiuam ſoluendas eſſe putat. Nam cùm Reſpublica Romana ex ciuili bello Cæſaris & Pompei conflictaretur, arbitraretúrque ex parte Cæſaris victoriam, has quæſtiones ad Atticum ſcripſit, vt indicaret ſe facturum ea quæ harum quæſtionum pars affirmatiua decernit. Arbitror enim Ciceronem per quæſtiones huiuſmodi ea remedia indicaſſe, quæ vir bonus, ac politicus aduerſus Tyrannum proſequi debet. Verùm ex iis quæ diximus perſpicuum eſt, quarum quæſtionum pars affirmatiua, quarúmve negatiua ſit aſſerenda. Hactenus de Tyranno.

Digitized by Google

AVGVSTINI NIPHI DE REGE

PROOEMIVM.

EGIMVS de Tyranno, Tyrannidéque ipſa. Nunc de Regno, ac Rege diſſerendum eſt. Primò tamen quot modis Rex dicatur, accipiamus, vt intelligatur de quo Rege nobis diſcutiendum ſit.

Quot modis rex dicatur, & de quo Rege ſermo ſit.

CAPVT PRIMVM.

REGIS itaque plura (vt Ariſtoteles inquit) genera ſunt. Vnum quidem eſt Regia auctoritas, quæ eſt belli perpetua, quæ interdum per genus, aliquando per electionem obtinetur, & Rex hoc pacto apud Lacedæmonios ſecundum leges maximè eſſe videtur: non enim poteſtatem habet omnium, ſed cùm extra regionem egreditur, imperium habet eorum, quæ ad bellum pertinent. Præterea ſacrificia, deorúmque cærimoniæ ei commiſſæ erant. Quo fit vt hæc Regia poteſtas quaſi auctoritas ſit in bellis perpetua: quippe quæ nec vitæ, nec necis poteſtatem habeat, niſi vt apud antiquos etiam fuiſſe traditur, dum bellum gerebatur. Quod Homerus oſtendit. Nam Agamemnon in concionibus iurgiis vexabatur, ſed cùm à concione digreſſus in prælio erat, occidendi habebat poteſtatem. Ita enim inquit: *Quem ego procul à pugna fugientem conſpexero, nil ſibi ſat erit fugare canes, & aues. Nam penes me occidendi poteſtas eſt.* Eſt inſuper aliud Regum ge-

Digitized by Google

nus, qualia ſunt apud quoſdam Barbaros Regna, quæ Tyrannidi vim proximam habent, licet & legitima ſint, & ſecundum morem patriæ. Quatenus enim nationes Barbarorum ad ſeruiendum magis, quàm Italorum, Græcorúmque aptæ ſunt, & earum quæ Aſiam, quàm earum quæ Europam incolunt, (Quippe cùm ſeruile iugum æquo animo perferant) huiuſmodi Regna Tyrannica ſunt. Quatenus verò moribus & legibus conſiſtunt, Regia: per hoc enim quod moribus & legibus conſiſtunt, ſecuritatem habent. Regéſque à ciuibus cuſtodiuntur, ac volentibus imperitant. Tertium verò genus eſt, vt antiquitus in Græcia fuere, quos vocabant Eſymnetas, & hæc poteſtas, vt ſimpliciter dixerim, Tyrannis eſt: differt tamen à barbarica, non eo quòd non ſecundùm leges, ſed eo quòd hæc per electionem, barbarica verò, per ſucceſſionem. Durabat autem huiuſmodi Eſymnetia, aut eo viuente, veluti apud Venetos Princeps: aut finiebatur tempore quodam definito, rebus geſtis, quarum cauſa eligebatur, vt dictatura Q. Cincinati apud Romanos, quæ ſedatis Romæ ſeditionibus finita fuit, qualem elegerunt quandoque Mitylenæi Pittacum aduerſus ſuos exules. Qua ratione fit, vt hæc partim Tyrannica, pàrtim Regia ſint. Quo quidem dominationem habent, Tyrannica: quatenus verò per electionem, & volentium, Regia ſunt. Quartum genus Regum eſt, quales erant Heroicis temporibus ſponte ſecundum morem patrium, & legem. Propter beneficia enim à primis collata in populos vel per artes, vel per bellum, vel propter congregationem in vnum, vel propter acquiſitionem regionis delatum fuit eis Regnum de populorum voluntate, & ſucceſſoribus patriæ. hi enim & imperium habebant belli, & rei diuinæ cultum exercebant, niſi talia eſſent ſacrificia, quæ ſacerdotium requirerent: & præterea de controuerſiis iudicabant. Et hoc faciebant, alij quidem iureiurando præſtito, alij verò ſine iureiurando. Erat autem illis iuſiurandum per ſceptri eleuationem. Quintum denique genus eſt, quando vnus omnium habet poteſtatem in bellis, in controuerſiis, in cæremoniis erga Deos, & in cæteris omnibus, quæ populo contingere poſſunt, ad gubernandæ domus exemplar: vt enim gubernatio patris fami-

Digitized by Google

lias eſt Regia quædam poteſtas domi, ita Regia poteſtas eſt ciuitatis & gentis vnius, aut plurium quaſi domeſtica quædam gubernatio. Harum poteſtatum primam Philoſophi vocauerunt Laconicam, quòd apud Lacones locum primò habuerit. Secundam verò Barbaricam, quòd ſic eam Græci appellarint. Quartam Heroicam, quòd Heroum tempore, vt in aurea ætate, potiſſimum habebatur. Vltimam Baſilicam, hoc eſt ſimpliciter Regiam, quòd omni tempore eſſe poſſit, maximè tamen & præcipuè, vt dicemus, in ætate aurea. Rege igitur quinque modis dicto, de Rege quinto modo dicto nobis ſermo eſt.

Differentiæ quibus Rex à Tyranno differt, ex quibus quid ſit Rex deducitur.

CAPVT II.

NVNC quot, & quibus modis differat Rex à Tyranno adiiciamus, vt quid Rex ſit deducatur. Differunt ergo primò quòd Rex non ſit, qui ſubditos in ſimpliciter bonis non exceſſerit. Tyrannus autem eſſe poteſt, etiamſi à ſubditis, vel ſubditorum aliquibus in ſimpliciter bonis excedatur. Sunt autem bona ſimpliciter quidem animæ, vt virtutes. Secundum quid verò: fortunæ, vt diuitiæ, honores, magiſtratus, & id genus; atque naturæ, vt robur, ſanitas, pulchritudo: non erit igitur Rex, niſi in his bonis ſubditos exceſſerit, quæ abſolutè bona ſunt, hoc eſt quæ bona animæ appellantur. Secundum enim alia bona non ſimpliciter, ſed quodammodo ſubditos excedere videtur: non enim per diuitias vel honores homo hominem abſolutè excedere dicendus eſt, nec per robur atque pulchritudinem. Nam cùm veriùs quidem hæc omnia bona quodammodo ſint, Rex non ſimpliciter, ſed aliquo pacto ſubditos exuperare dicetur. Quare cùm abſolutè bona ſint animæ bona quæ virtutes ſunt, fit vt Rex nullus dicatur, niſi in virtutibus ſubditos exceſſerit: quod Cyrus dictitabat, Regnum nulli conuenire, qui his melior non ſit, quibus imperitat. Ariſtoteles etiam dicebat, Principem qui ſubditis virtute non præſtiterit, ſeruum

Digitized by Google

uum natura eſſe, violentia verò, aut fortuna Principem. At Tyrannus eſſe poteſt, qui ſolùm in his bonis ſubditos exuperauerit, quæ quodam modo bona ſunt, vt vel in diuitiis, vel in honoribus, vel in potentia. Præterea cum Regia poteſtate malitia ſtare non debet. At cum quodammodo bonis, vt cùm diuitiis, honoribus, potentia interdum ſumma malitia conditur. Cum bonis autem animæ, vt cum virtute, nequaquam malitia coaleſcit. Quare Rex is eſt, qui in animæ bonis ſubditos excellit. Vnde Dion philoſophus dicere ſolitus eſt, congruum videri, vt qui in alios ſit habiturus imperium, ipſe ſibi priùs imperet: per quæ declarauit Regem non eſſe, qui cæteros, quibus imperat, temperantia, atque omni virtute non exceſſerit. Rurſum Rex à Tyranno differt, quòd Rex ſecundum leges, Tyrannus pro appetitu arbitrióque dominatur. Nam ſi Rex virtutibus ſubditos excedit, quarum prima eſt Iuſtitia, quæ eſt nihil diſtribuere præter leges, fit, vt ſecundum leges imperitet. Tyrannus verò cùm nihil niſi ad ſui vtilitatem agat, fit, vt præter leges plerumque dominationem exerceat, modò ad ſui bonum egerit. Inſuper Rex cuſtos eſſe vult, vt qui diuitias habent, nihil iniuſti patiantur, nec etiam populus contumeliis afficiatur. Tyrannus autem, cùm ad nullam communem vtilitatem reſpiciat, omniáque gratia proprij commodi agat, facit, vt qui diuitias habet nonnunquam iniurias ſubeat, populúſque contumeliis afficiatur. Vnde Plato: optimus Princeps ſic beatam ciuium vitam ſibi præponere debet, vt ſit ciuitas virtute honeſta, gloria ampla, copiis locuples, opibus firma. Ideo bene Homerus de Ioue inquit, hominum pater atque Deorum, ſic appellans omnium Regem. natura enim excellere Regem oportet, genere autem eſſe eundem, quod accidit ſeniori ad iuniorem, & parenti ad natum. Ad hæc Tyranni obiectum eſt, quod placet. Regis, quod honeſtum ſit. Deinde Tyranni bona quibus aliis præeminent, ſunt pecuniæ ac diuitiæ. Regis verò virtutes, & honores. Propter hæc & Rex volentibus, Tyrannus inuitis, atque nolentibus dominatur. vnde Socrates apud Platonem, Tyrannus eos quibus dominatur, in voluntatem ſuam compellere vi, ac po-

Digitized by Google

tenter nititur: Rex virtute, ac liberalitate. Amplius & propter hæc Regis cuſtodia à ciuibus ſuis eſt, Tyranni autem, à peregrinis mercede conductis. Itaque Tyrannus contra ciues cuſtodiam parat, Rex autem à ciuibus cuſtoditur. quippe cùm Rex volentibus, Tyrannus inuitis dominetur: per quæ patet quid Rex ſit.

Quibus animæ bonis Rex ſubditos excedere debet, & quibus non.

CAPVT III.

CVM igitur Rex qui in animæ bonis omnes ſubditos excedere debeat, exponamus quibus animæ bonis. Sunt enim animæ bona bifariam, quædam quæ ad intellectum, quædam quæ ad appetitum pertinent. ad intellectum quidem vt ſcientiæ actiuæ factiuæve, quæ Græcè practicæ dicuntur, & contemplatiuæ quæ Græcè theoreticæ appellantur. Ad appetitum verò, vt virtutes. Quia itaque cum Regia poteſtate ſcelera, vt diximus, ſtare non debent, & cum animæ bonis quæ ad intellectum attinent, innumera interdum ſcelera coniunguntur, fit vt Rex in his bonis excedere debeat ſubditos, quæ ad appetitum ſpectant: cum his enim neque ſcelus, neque vlla prorſus malitia ineſſe poteſt. Sunt autem ſecundum Ariſtotelem bona ſcilicet quæ ad appetitum ſpectant, honeſtas, iuſtitia, modeſtia, pietas, religio, fortitudo, prudentia, innocentia, clementia, facilitas, manſuetudo, humanitas, liberalitas, magnificentia, magnanimitas, atque temperantia: Quibus ſi literæ, Muſica, Gymnica, ac pictura ipſa aliqua ex parte coniunctæ fuerint, Reges diuinam maieſtatem redolebunt. Socrates verò apud Platonem in Alcibiade primo, hæc animæ bona quibus Reges ſubditos excedere debent, quatuor potiſſimum eſſe tradit: Sapientiam videlicet, per quam ſciant deos colere, atque venerari: Iuſtitiam, vt in omni vita iuſti, atque veraces ſint: Temperantiam, ne vlla cupidine ſuperentur: Fortitudinem, ne cùm quidpiam metuendum euenerit, ſerui fiant,

Digitized by Google

Rex vnde ortus.

CAPVT IV.

POST hæc vnde Rex ortus ſit dicamus. eſt enim apud priſcos non vna ratione traditum: ſicut igitur Tyrannus originem habet à populo, ac multitudine contra nobilitatem, vt populus à nobilibus iniuriam non perpetiatur; ita Regia ipſa poteſtas, vt præſtantes viros, optimóſque contra inſolentem populum admodum tueatur, reperta eſt. Et vt Tyrannus exoritur ex popularibus propter potentiam, aut propter diuitias; ita Rex fit ex præſtantibus aut propter virtutum cumulum, aut rerum geſtarum quæ ſunt à virtute, gloriam, aut propter excellentiam generis: nam omnes qui maxima beneficia in ciuitates, gentéſque contulerunt, vel qui eam facultatem habuerunt vt conferre valerent, hoc honore potiti ſunt. alij bello conſeruatis populis, ne in ſeruitutem deuenirent, quemadmodum Codrus, alij à ſeruitute liberatis, vt Cyrus, alij quòd condidiſſent vrbem, vel quòd regionem nacti eſſent, quemadmodum Lacedæmoniorum & Moloſſorum Reges. Amplius, vt Tyrannus interdum exoritur ex Regibus tranſgredientibus patria iura, atque affectantibus magis dominari; ita contrà ex Tyrannis reducentibus Tyrannica ad mediocritatem, atque ad leges, interdum Rex fit. hunc in modum Theopompus Rex factus eſt, hic enim Tyrannidem magis ad mediocritatem reducens Ephoros ſuperaddidit, poteſtate quidem minuens Regiam auctoritatem, ſed tempore, atque perpetuitate augens. Quibus perſpicuum eſt primam regum originem (vt Diodorus deducit) fuiſſe aut Tyrannidem, aut electionem.

Digitized by Google

Qua mundi ætate Reges primi fuerint.

CAPVT V.

HEROVM autem temporibus fuerunt Reges in terris plures, in aurea videlicet, quam ferunt, ætate: propter beneficia enim vt diximus, à primis collata in populos, vel per artes, vel per bellum, vel per congregationem in vnum, vel per acquiſitionem, aut occupationem regionis delatum fuit aliquibus Regnum, & ex conſenſu quidem ac voluntate populorum. ſucceſſoribus verò, cùm ſecundum patrios mores inſtituta patris imitabantur. nam qui ſecus agebant, à populis interimebantur. Habebant autem huiuſmodi Reges non omnium poteſtatem, ſed imperium belli, & rei diuinæ cultum exercebant, niſi vt diximus, ſacrificia talia eſſent, quæ Sacerdotium requirerent. Præterea & de controuerſiis iudicabant, & hoc faciebant alij iureiurando præſtito, alij ſine iureiurando. erat autem vt diximus, illis iuſiurandum per ſceptri eleuationem. Huiuſmodi Regibus fines Imperij tueri legibus ſancitum erat, proferre autem cautum: intra ſuam enim cuique patriam Regna finiebantur, nec vltra progredi licebat Regibus: ne per milites noui Regni, ſubditos Regni antiqui, & per milites antiqui, ſubditos noui vſurparent, atque opprimerent. vt temporibus noſtris in Aſia, & Europa Reges faciunt. Primus autem omnium Ninus Aſſyriorum Rex intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad reſiſtendum populos, ad terminos vſque Libyæ perdomuit. Fuit autem Ninus Beli filius, & primus qui aureum ſæculum vitiare cœpit. nam poſt ipſum Tyranni emerſerunt, pauci admodum Reges, niſi apud Hebræos, Moloſſos, atque Lacedæmonios, apud quos (vt Ariſtoteles inquit) Reges longo tempore durauerunt. Cæteri autem Reges, qui in Aſia, Africa, atque Europa hodie imperitant partim Reges, partim Tyranni eſſe videntur: quo quidem legibus gubernant, Reges: quatenus verò pro arbitrio atque appetitu, Tyranni. Sunt inſuper & aliæ rationes, vt ſuperiùs diximus, in-

Digitized by Google

numeræ. vnde Ariſtoteles, non fiunt nunc ampliùs Regna, ſed ſi qua fiunt, Tyrannides magis ſunt. nam cùm Regnum ſpontanea, liberáque gubernatio ſit, & eorum ſubditorum quibus Rex maior, atque præſtantior eſt, fit vt perrarò Regna noſtris temporibus ſpectemus. ſunt enim hodie plurimis pares, neque vſque adeo præcellentes, vt ad magnitudinem, dignitatiſque huius faſtigia conſcendere poſſint. atque ex eo fit, vt ſponte illi non pateatur. Quare ſi deceptione quis, aut vi dominetur, liquet hanc eſſe Tyrannidem.

Quomodo aucta Regna fuerint.

CAPVT VI.

AT Regna in principio exigua admodum erant, ſicut illud Beli Nini primi patris, non enim plura quàm vnam ciuitatem cum ſuis ruribus, oppidiſque continebat. Poſtea contra leges ruptis finibus in alias vrbes, regionéſque auctum eſt, adeo vt in Libyam vſque penetrans Ninus Regnum ſuum dilatauerit. Vexores autem Ægypti, & Thanais Scythiæ Reges longinqua non finitima bella geſſerunt. nam alter in Pontum, alter vſque in Ægyptum exceſſit: non tamen Imperium ſibi, ſed ſuis populis acquirebant, contenti enim victoria, ac gloria Imperio abſtinebant.

Non eſſe expediens omnibus mundi gentibus vnum Regem eſſe.

CAPVT VII.

QVONIAM pluribus viſum eſt omnes mundi gentes meliùs ab vno, quàm à pluribus regibus gubernari: iccirco addubitatum eſt, an ſit id vtilius, atque humano generi magis expediens. Qui enim Homerum ſequuntur, & Ariſtotelem, dixerunt eſſe melius atque vtilius. nam cùm res nolint malè diſponi, at pluralitas Principatuum mala

ſit, vnum eſſe Principē & Homerus & Ariſtoteles probarunt. Simili ratione cùm gentes vniuerſæ noluerint malè gubernari, à pluribus verò principibus malè regantur, vnum eſſe Regem melius ſit nemo dubitare debet, qui vniuerſum gubernet & regat. Exoriuntur enim ex pluralitate Regum rixæ, contentiones, bella, hominum cædes, ingentes rapinæ. contrà verò ſi ſub vno Principe viueremus, vigeret vbique terrarum pax optima, dulcique concordia frueremur: huius rei nobis argumento eſt quòd à mundi principio ad tempora noſtra vſque cunctorum hominum pacem nunquam fuiſſe hiſtoriæ tradant, niſi cùm ſub vno Cæſare Octauio Auguſto gentes omnes viuerent: tunc enim iam templum clauſum fuit, tunc ſapientum Scholæ adauctæ, tunc virtutes claruero, tunc nauigationes ſecuræ, prædones, graſſatores atque rapaces fures ceſſarunt. Accedit quòd quæ natura ſunt, optima ſint, cùm Deus naturáque ipſa ſemper ex iis quæ fieri poſſunt, meliora agant, atque efficiant. conſtat autem naturale ipſum regimen ab vno eſſe, vt in membrorum noſtri corporis gubernatione cernimus, in qua eſt vnum principale, videlicet cor, & in gubernatione partium animæ vna præſidet vis, videlicet ratio, & in vniuerſo vnus Deus, qui eſt vna vniuerſi prouidentia. quare cùm ea quæ artis ſunt tunc bona, atque vtilia ſint, cùm imitantur naturam, neceſſe eſt tunc humanum genus optimè gubernari, cùm ab vno Principe regitur: hoc enim modo gubernatio quæ ex arte eſt, naturam imitari videbitur. vnde & in ſacris legitur, Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam. promiſſum etiam diuinum illud fuit, vt populo vniuerſo conſtitueretur caput vnum, atque Princeps vnus. Alij magnæ auctoritatis viri vniuerſis mundi gentibus non eſſe expediens vnum eſſe Regem tradunt. primò quidem, quia vnus ſolus vix domum bene gubernare poteſt, non ergo (vt Ariſtoteles inquit) tot mundi gentes genere, moribus, vita, ac legibus diſcrepantes. ſunt autem nobis huic rei argumento Romani, qui cùm ferè totum orbem poſſiderent, illum pro maiori parte malè gubernarunt. Deinde ſi vnus ſolus Rex veluti Deus in omni mundi parte eſſe poſſet, meliùs fortaſſe ab vno Rege, quàm à pluribus gentes regi

poſſent: At cùm Rex regna per miniſtros gubernet, qui nec iuſti omnes, nec boni ſunt, fit vt meliùs à pluribus, quàm ab vno Rege mundi gentes gubernentur. Aſtipulatur autem huic experientia. nam ea ciuitas in qua Rex reſidet longè meliùs quàm vrbes, quæ in Regni finibus ſunt, gubernatur. ſi quidem illa per Regem cuius proprium bonum eſt, hæ per miniſtros quorum bona non ſunt, regantur. Vnde Deus Iſraëlitico populo præcepit, vt plures Reges facerent, qui non eſſent ſibi ipſis ſubditi. nec aliam ob cauſam profectò, niſi vt Regna rectè gubernarent. Sed quid in tanto támque graui quæſito ſit diſſerendum nec certum nec exploratum habeo: illud tamen Ariſtotelis conſtat, quod octauo Politicorum tradit, cùm inquit: Si aliquis vir vt Deus, aut vt Heros reperiri poſſet, qui ſua virtute, ac prudentia eodem modo regiones remotas veluti proximas gubernaret, hunc eſſe vniuerſi mundi Regem optima ratione probamus: Verùm cùm regiones mundi legibus, moribus, idiomate, ac vita maximè diſtent, homo verò nullus, aut ſi quis eſt, perrarò reperiri poſſit, qui ſit vt Deus, vel Heros, quique tanta virtute, ac prudentia polleat, vt regiones tam procul diſtantes gubernare poſſit, veluti proximas, fit vt pro locorum, ac regionum numero, atque ratione Reges creati fuerint. Quare ſi vnus Rex eſſet qui veluti Deus, aut Heros mundum gubernaret, ſine moleſtia omnes viueremus. ſed quoniam ita natura tradidit, vt nec vnus Rex vt Deus, vel vt Heros mundum gubernet, nec ſine regum pluralitate viuere poſſimus, neceſſitati potiùs quàm commoditati conſultum eſt.

Quòd ſimpliciter melius ſit Regiam poteſtatem eſſe plurium optimorum quàm vnius.

CAPVT VIII.

VTRVM huiuſmodi Regia poteſtas vni viro committenda ſit, an pluribus, magna quæſtio eſt. Nam ita de Rege, ſicut de Iudice ſentiendum eſt. At nunc plures ſimul de cauſis cognoſcunt, deliberant, atque iudicant. De-

inde iudicia quæ Rex in Regno affert, de ſingularibus ſunt quæ cognitu difficilia ſunt: vnus autem ſolus nequaquam hæc attingere poteſt. Quinimmo etiam ciuitas ex multitudine conſtat, vt conuiuium ad quod plures conferunt. quare vt in conuiuio meliores ſunt plures, quàm vna ſimplex menſa, ſic in Regno iudicia multorum ſæpe meliora ſunt, quàm vnius. Præterea multitudo minus ſubiacet labi, quemadmodum aquæ magna congeries, ſic etiam plures quàm pauci minus corruptibiles ſunt. Inſuper animi perturbatio magis vnũ, quàm plures vincit. difficilius enim eſt plures quàm vnum iraſci. Ampliùs plures errare difficilius eſt, niſi in quibus lex deerit. Demum ſi ciuitatem ab vno viro regi melius ſit, non alia de cauſa hoc eſſe videtur, niſi quia plures inter ſe factionibus contendunt, vnus autem non contendit. At ſi qui regunt boni viri ſint, atque ſtudioſi, omnes ſine contentione procurabunt, quod ille vnus. Declarant autem nobis hoc M. Æmilius Lepidus, & Fuluius Flaccus: nam cùm inter ſe graui odio diu conflictati eſſet, à populo cenſores facti, mox amici fuerunt, ſe minimè poſſe publica bona agere cum odiis arbitrantes. Rectè igitur Ariſtoteles, Socrates, & Plato dixerunt, ſimpliciter melius eſſe Regnum à pluribus optimis, quàm ab vno Rege gubernari.

Vnitatem Regis introductam fuiſſe, quia plures viros bonos reperiri difficile erat.

CAPVT IX.

QVIA verò plures ſimiliter viros bonos reperiri perdifficile erat, hanc ob rem forſan Rex ab initio repertus eſt, præſertim cùm tunc ciuitates paruæ forent, in quibus difficile erat viros plures excellenti virtute pares eſſe. Verùm cùm poſtea auctis vrbibus, gentibúſque multiplicatis contingeret, vt plures pari virtute reperirentur, non ampliùs Regem tolerarunt, ſed commune quiddam quærentes Rempublicam conſtituere, in qua plures optimi præeſſent: patet igitur veriſſimè Regnũ meliùs à pluribus viris bonis quàm ab vno, pro tempore verò meliùs ab vno optimo gubernari.

Quo-

Quomodo per ſucceſſionem, & quomodo per electionem melius ſit Regem eſſe.

Capvt X.

Sin autem quis ponat optimum eſſe Ciuitatibus à Rege gubernari, quomodo fiet, & in filiis. Vtrum per genus erit ſucceſſio, aut per electionem? Non enim per genus, cùm mali & pernicioſi interdum ſuccedant, qui Regnum in Tyrannidem verterent. Nec Rex aliis quàm ſuis natis Regnum relinquere poteſt. Arduum enim eſt, hoc credere: naturale enim eſt patrem ſuos filios magis, quàm alienos diligere. Mihi autem videtur ratione habita ad electionem, non autem ad eas perſonas, quæ eligunt, melius eſſe Regem per electionem creare. Electio enim ea ratione, qua electio, ſemper eſt eius, qui melior, & ſtudioſior, & vtilior eſt: ratione verò habita ad perſonas, quæ eligunt, pro maiori parte deterius eſt, quàm per ſucceſſionem Regem facere. perſonæ enim quæ eligunt, plerumque diſſentiunt: ampliùs plerumque malæ ſunt, vt non niſi malum eligere poſſint. Inſuper libentiùs ſubditi ei ſubiiciuntur, cui ſubiici conſueuerunt. Præterea perdurum videtur, vt qui hodie alicui æqualis eſt, cras illi ſubiiciatur. Demum omnibus quaſi natura inſitum eſt opinari, ex bonis parentibus non naſci niſi bonos, vt nobiles ex nobilibus, & ignobiles ex ignobilibus, veluti naſcitur ex bonis canibus, bonus canis, & ex bonis equis, bonus equus. Quare creditum eſt ex Regibus non niſi Reges generari. Propter hanc cauſam Lacedæmoniorum Regum vxores publicè ab Ephoris obſeruabantur, vt qui naſceretur Rex, non ab alio latenter, quàm Heraclidarum genere oriretur. Perſarum verò Regum vxores non alio quàm metu cuſtodiebantur, vt nemo ſuſpicari poſſit Regem ex alio, quàm ex proprio genere ortum eſſe: putabant enim ex huiuſmodi bonis Regibus, non niſi bonos Reges naſci.

Digitized by Google

Quomodo viciſſim Reges creandi ſint, & quomodo non.

CAPVT XI.

QVONIAM contingit Reges interdum per electionem fieri, vt apud Germanos Cæſares, non parua quæſtio eſt an viciſſim creandi ſint, vel ſemel in vita. Ariſtoteles omnium ſapientum Magiſter ita quæſtionem hanc diſſoluit: ſi tantum, inquit, differrent Reges à ſubditis, quantum Dij, & heroes ab hominibus differre putantur, vt primò ſtatim corpore, deinde animo longè antecellerent, ac manifeſtè, & ſine controuerſia regum ſupereminentia appareret, clarum eſt quòd ſemper eoſdem iſtos melius foret imperare, alios verò parere. Sed cùm facile non ſit hoc reperire, neque poteſt (vt apud Indos Scylax eſſe ait) Rex tantum à populis differre, manifeſtum eſt quòd propter multas cauſas neceſſarium eſt, vt omnes ſimiliter viciſſim imperandi & parendi participes ſint. cum illis enim qui ab imperando excluderentur, cæteri concurrerent qui in regione ſunt ſtatum mutare cupientes.

Quanta debet eſſe Regis poteſtas.

CAPVT XII.

QVÆSTIO eſt etiam nunquid habere debeat qui regnaturus eſt circa ſe potentiam quandam, qua poſſit compellere non parentes: & ſi enim habeat poteſtatem à legibus conceſſam, & nihil ex voluntate ſua faciat præter leges, tamen neceſſaria erit potentia ſibi per quam leges tueri queat. Ariſtoteles ſapientum Magiſter quæſtionem hanc diluit. Ait enim, de huiuſmodi Rege qui omnia ſecundum legem facit, quæſtionem hanc non eſt difficile determinare. nam oportet ipſum vires habere, ſed tales vt vnoquoque ſeparatim, & ſimul pluribus potentior ſit: populo tamen ſit impotentior, nam ſi populo eſſet potentior, facilè Regiam

Digitized by Google

poteſtatem in Tyrannidem poſſet conuertere, populúmque comprimere. Vnde antiqui cùm aliquem præficiebant, quẽ Eſymnetem vocabant, vel Tyrannum, cuſtodias dabant populo impotentiores, vt Dionyſio ſic poſtulante circa ſe habere aliquos cuſtodiæ cauſa, conſuluit quidam Syracuſanus tot eſſe dandos. De Tyranno autem qui cuncta ex libidine gerit etiam veritas patet. non enim videtur ſua potentia limitata. nam (vt Ariſtoteles inquit) Tyrannica illa poteſtas pleniſſima, per quam Tyrannus omnia pro appetitu ſuo gubernat, videtur quibuſdam non eſſe ſecundum naturam. non enim naturale eſt, vt vnus ſit omnium mundi gentium dominus. at quod non eſt naturale, non habet terminum: natura enim omnis in aliquem terminum finitur, id autem quod præter naturam eſt, in nullum finem deſinit.

Quòd melius ſit regnum ab optima lege, quàm ab optimo Rege gubernari.

CAPVT XIII.

MAGNA inter Philoſophos quæſtio fuit, vtrum expediat magis ab optimo homine regi, quàm ab optimis legibus gubernari. qui gubernationem hominis præferunt, aiunt leges ſolùm omnibus, & vniuerſis prouidere, non autem ſingularibus inſtitutas. Præterea vt in artibus non eſt ſemper bonum agere ſecundum artem ſcriptam, ſunt enim nonnulla ſcripta per quæ ſi artifices ſemper agerent, magis obeſſent, quàm prodeſſent, veluti in arte medendi, non enim medicus ea ſolùm ſpectat, quæ in arte ſcripta ſunt, relinquuntur enim (vt Galenus inquit) plurima medici prudentiæ: veluti apud Ægyptios legibus ſancitum erat, medicis poſt tertiam diem licere mouere, ante verò tertium, non niſi periculo ſui, modò conſtat hanc legem in omnibus non eſſe ſeruandam. Monet enim Hippocrates circa initia, ſi videtur aliquid eſſe mouendum, vt moueas: in ſtatu verò ſilentium habere melius eſt. Patet ergo propter eandem cauſam non eſſe per ſcriptas leges optimam gubernationem. Qui gubernationem legum præferunt, aiunt hominibus tur-

bationes, atque affectus ineſſe, leges verò turbationibus, affectibúſque carere, cùm homo ſit mens ſenſibus coniuncta, lex autem ſenſu, atque appetitu mens libera. Vnde Ariſtoteles quæſtionem hanc diluens inquit. Qui gubernationibus legem præeſſe iubent, vnum iubere Deum præeſſe, nam mens ſine appetitu Deus eſt: Qui autem hominem iubet præeſſe, adiungit & beſtiam ſæuam, homo enim mens eſt cum appetitu. Appetitus autem, ſæua beſtia eſt. Nos verò putamus Regnum longè meliùs ab optimo viro regi, quàm ab optimis legibus. Modo vir ille optimus, prudentiſſimus, ſapientiſſimus, iuſtiſſimus, fortiſſimus, miniméque corruptibilis ſit. Hic enim agere poſſet quicquid lex præcipit. Nam qui ſapientiſſimus, ac prudentiſſimus eſt, non ſolùm vniuerſa, ſed ſingula iudicat. hic quia iuſtiſſimus, & maximè ſincerus, mens eſſet ſine perturbatione, ac affectu. Huiuſmodi fuerunt Reges, qui in aureo ſæculo regnarunt, qui ob virtutes Heroes dicebantur. Temporibus autem noſtris ſunt, qui religione, & vita ſanctiſſimi habentur. Verùm cùm tales reperiri difficillimum, maximéque rarum ſit, Ariſtoteles ſapientum Magiſter, rectè tradidit ab optimis legibus Regna meliùs gubernari: nam vir bonus, etſi optimus ſit, corrumpi tamen poteſt.

Omnium dominationum optimatum potentiam, & Regnum longiſſimè durare.

Capvt XIV.

Post hæc de Regni perduratione diſſerendum. Nam etiam Regna legimus finita eſſe. Quare vt omnium gubernationum breuiſſimè durare ſolent paucorum potentia, & Tyrannis, ſic & omnium longiſſimè, optimatum potentia, & Regnum. Primò quidem, quia poteſtates huiuſmodi naturales ſunt & voluntariæ. Nam qui præſunt, & volentibus, & peioribus ſe præſunt: naturale enim quippiam videtur præeſſe volentibus, & deterioribus præponi: vniuerſi enim naturalis ordo hic eſt, vt meliùs deteriora gubernet: qua quoque lege Deus qui cunctis melior eſt, cuncta regit, at-

Digitized by Google

que gubernat. Accedit ad id quod ſecundum naturam eſt, quòd Rex à bonis viris ſemper expetatur, ac conſeruetur. Eſt enim Regnum ſpontanea gubernatio quædam, in qua qui præeſt, cunctis virtute, & excellentia præſtat. Quinimmo etiam Rex ſecundum Dei voluntatem gubernat, vnde Homerus à Ioue ait dono Regibus Iuſtitiam eſſe datam, vt per ipſam Regnum gubernent. Non poteſt autem facilè dirimi, qui Deum habet fautorem. Theopompus verò interroganti, quonam modo quis Regnum ſecuriſſimè tueretur, ſi amicis reſpondit libertatem iuſta loquendi conceſſerit, & ſubditos qui iniuria afficiuntur, pro viribus non neglexerit.

Cauſæ quibus Regna corrumpuntur.

CAPVT XV.

SED ex quibus cauſis Regnum corrumpatur, Ariſtoteles Philoſophorum antiſtes inquit. Regnum autem ab his quæ extra ſunt, minimè corrumpitur, quapropter diuturnius eſt. Ex ſe autem ipſo (vt plurimum) euerti contingit. Nam vno modo corrumpitur, ſi ſeditio oriatur inter eos qui ſuccedunt, veluti in Alexandri Regno inter ſucceſſores euenit. Alio verò, ſi Tyrannicè gubernare pergant, vt in Lacedæmoniorum, atque Moloſſorum Regnis contigit: hæc enim tamdiu durauerunt, quamdiu Reges ſecundum leges gubernarunt, cùm verò Regiam poteſtatem in Tyrannidem mutauerunt diruta fuerunt. Præterea in Regnis illis quibus per genus ſucceditur, vltra has quas diximus cauſas eſt & tertia, quòd plerumque contemnendi homines ſuccedant in Regnum, veluti ſucceſſoribus Franciſci Sfortiæ Mediolanenſium Principis accidit. Eſt inſuper & quarta, cùm Rex non tantam potentiam habuerit, vt ſufficiat malos punire, poterit enim à malis quos punire non poteſt & Rex interimi, & regnum occupari. quem in modum Reſpublica Romanorum propter Spartacum in magno periculo fuit.

Digitized by Google

Quomodo regnum vincitur, & quibus remediis defenditur.

Capvt XVI.

Aristoteles ſapientum Magiſter Regnum ab his, quæ extra ſunt, minimè corrumpi tradidit: quod mihi perdurum videtur, cùm nec Regna, nec dominationes perpetuæ ſint. nam vt Tyrannis vno modo corrumpitur, veluti vnaquæque Rerumpublicarum propter ſimilitudinem ab exteriori cauſa, cùm prudentior, & robuſtior ſit, ſic Regnum propter contrarietatē ab exteriori Tyranno, cùm verſutior, atque potentior fuerit. forſitan quæ Ariſtoteles dicit non ab ratione dicta ſunt: nam cùm Regnum ab externo Tyranno occupatur, non vincitur, cùm non ampliùs Regnum, ſed Tyrannis ſit, non enim volentium, ſed nolentium eſt. Seruatur autem ab externis hoſtibus his rationibus, quibus Tyrannis ipſa ſeruatur, fortitudine videlicet, & prudentia. Sed quoniam de his diligenter priori libro diximus, nec plura addere viſum nobis eſt, illud tantùm nobis ſatis ſit, Regnum vinci non poſſe, nam ſi id, quod Regnum eſt vinceretur, non ampliùs Regnum, ſed Tyrannis erit. Ampliùs Rex ſi ab externo Tyranno abiiciatur, mox expectatus, atque acerſitus perfacilè Regnum, quod amiſerat, recuperare conſueuit: & quidem à ſubditis maiore beniuolentia exceptus, quàm priùs habebatur. Huic rei nobis exemplo eſt Ferdinādus ſecundus Iunior, quem à Neapolitano regno Galli fugarunt. Hic enim paucis admodum copiis, & quidem inermibus, ſolo populorum acclamatu, adiuncta quoque beneuolentia facilè regnum recuperauit.

Quibus modis Reges qui in Regnum ſuccedun t ab internis Regni corruptionis cauſis ſua Regna tueantur.

CAPVT XVII.

NEc nobis difficile erit modos afferre, quibus Reges, qui in regnum ſuccedunt, ab internis corruptionis cauſis illud tueri poſſint. ſunt enim tres, vt diximus, internæ cauſæ, quibus Regna corrumpuntur. Prima quidem ſi regiam priorum Regum poteſtatem in Tyrannidem verterint. Deinde ſi qui ſuccedunt contemnendi ſint. Demum ſi priorum Regum potentiam vſque adeo imminuerint, vt malos compellere non poſſint. Delet ergo Ariſtoteles primam, vt caueant regiam parentum poteſtatem in Tyrannidem vertere: immo ſi nouerint aliqua Tyrannica priorum Regum in Regno inducta eſſe, ea aut omnino amoueant, aut ſubditorum voluntate ad mediocritatem reducant. Eſt autem nobis exemplo Theopompus, qui Tyrannica quædam priorum Regum ad mediocritatem reducēs Regnum tempore auxit. Cùm autem (vt ſuperiùs diximus) hoc eſt, fit quòd Reges volentibus imperitent: volunt autem ſemper Regem ſubditi, ſi regiam poteſtatem in Tyrannidem non verterit. Secunda verò cauſa demitur, vt Socrates, & Plato dixerunt, ſi qui ſuccedūt per optimam educationem egregij, atque non contemnendi fiant, vt religioſiſſimi, ad hæc & temperatiſſimi, demum & fortiſſimi. Illud ergo animaduertant Reges, qui ſuos filios ſibi ſuccedere cupiunt, vt eos ab optimis nedum doctis pædagogis inſtitui procurent. Nam licèt veriſimile ſit (vt diximus) probum ex probis eſſe, fallit tamen nonnunquam, niſi qui naſcuntur filij optimè educantur. vt enim herbæ, & ſtirpes bonæ euadere non poſſunt, niſi bene ab agricolis excultæ fuerint, ſic nec regum filij viri probi eſſe poſſunt, niſi ab optimis pædagogis optimè educati fuerint. Non enim (vt Ariſtoteles inquit) ad virtutem capeſſendam ſatis eſt genus, aut generis ſemen, ſed neceſſarium eſt, vt is qui ex optimo ſemine oritur optimè educatus ſit, diùque in virtutibus aſſueſcat. nam (vt Plato inquit) edu-

Digitized by Google

catio non parum adiumenti affert ad morum probitatem. Ad quod nobis argumento eſt Leonides Alexandri pædagogus, qui cùm non bene Alexandrum educaret, cauſa fuit vt in multa ſcelera Alexander prolaberetur. Demum tertiam cauſam delent qui in regnum ſuccedunt, ſi ſui regni potentiam non imminuerint, aut tributa ſcurris, meretricibus, hiſtrionibus erogando, aut ciuitates regias vendendo, aut aliis modis Regnum diuidendo, veluti quidam Hiſpaniarum Rex fecit, qui cùm omnia regia diſtribueret ab Hiſpanis viarum Rex dictus eſt.

Regia præcepta quæ erga ſe Rex ſeruare debet.

CAPVT XVIII.

POST hæc Regia præcepta paucis verbis abſoluamus imitantes Platonem, Theophraſtum, Antiſthenem, Xenocratem, Dionem, & Ariſtotelem, qui abundè de his ſcripſerunt, initio nobis ſumpto ab his quæ erga ſe Rex ſeruare debet.

Primùm itaque ingenij vires longè magis, quàm Athletæ corpus exerceat, nam tanto animi certamen illud corporis excellit, quanto animus corpori præſtat.

Segnis nequaquàm ſit, ſed in agendis, conſultandiſque prudentia, & vigilantia cæteris præſtet.

Nihil curæ, ac ſtudij prætermittat, vt quanto opibus ac potentia, tanto dignitate atque virtute cæteros antecellat.

Iis maximè ſtudiis operam præbeat, quæ ſibi & ornamento, & vſui futura ſint.

Veritatem vſque adeo colat, vt fidei plus ſuo verbo, quàm cæterorum iureiurando præſtetur.

Sibi ipſi non minus, quàm ſubditis imperet. Nam id regium putant, ſi nulli voluptati ſeruiet.

Abiectis in rebus nunquam lætitiam declaret, vt ſolo magnarum rerum ſtudio affectus videatur.

Mores ita omni ex parte componat, vt ipſum veluti exemplar, ſpeculúmque ciues ſibi ipſis proponant. Nam quid indignius, quàm priuatos homines honeſtè, ac moderatè viuere,

viuere, Reges autem ipſos turpiter, ac licentioſè. Adde illud Platonis exploratiſſimum, tales oportere eſſe ſubditos, quales fuerint Principes.

Præcepta Regia erga ſapientes.

Capvt XIX.

EORVM qui prudentia, ac fide præſtiterint, ſententiam plurimi faciat.

Diuerſarum rerum peritos cùm poëtas, tum hos quos vulgo Philoſophos vocant ſibi vendicet, vt hi diſcipulum ipſum, illi auditorem habeant.

Viris prudentia, atque fide præſtantibus liberiorem in ſe loquendi poteſtatem tribuat, vt ſi quando quicquam quod ignorat ſibi deliberandum acciderit, habeat qui intrepidè conſilium afferant.

Viros qui prudentia, fide, atque virtute alios excellunt dignis honoribus honeſtet, adulatores verò affectos ignominia penitus abigat, ne plus malorum improbitas, quàm bonorum virtus, & merita ab ipſo capere videantur.

Proborum virorum, ſi vult à probis laudari, non minus quàm propriarum diuitiarum ſtudioſus eſſe debet, aut ſaltem ſe ſtudioſum oſtendere enitatur.

Regia præcepta erga amicos, atque eos, quos ſe dignos exiſtimare debet.

Capvt XX.

AMICOS ſibi comparet, non quicunque volent, ſed quos ſuapte virtute dignos amicitia ſua putauerit. nec eos quorum familiaritas voluptati tantùm ceſſura ſit, ſed quorum ope res ac negocia publica gerere poſſit quàm optimè.

Priùs ſcrutetur quali ij quos ſibi amicos adſciuerit exiſtimatione apud alios fuerint. nam tali ingenio eſſe iudicabitur, quali fuerint illi quos familiaritate, ac amicitia coniunctos habebit.

Digitized by Google

Eos ſapientes non putet, qui vel minimis de rebus accuratè contendant, ſed eos qui de maximis quàm optimè ſentiant.

Non fidem illis præbeat, qui cùm ipſi miſeria ac egeſtate laborent, aliis tamen felicitatem non dubitant polliceri.

Illis credat potiùs, qui modeſtè de ſe loquentes ſe ipſos & gratia, & vtilitate hominibus commendant.

Eos aſpernetur qui aut ſecundis elati caſibus, aut aduerſis depreſſi nullam ferre fortunam ſciunt. Admiretur autem eos qui nullo humanorum caſuum turbine concuſſi conſtantes, immotíque omnem fortunam perferunt.

Maximè iis animum adhibeat, qui temporibus conſilia ſua accõmodant: contrà autem eos aſpernetur qui nulla aut temporum, aut actionum habita ratione de vniuerſis confuſè diſſerunt. Non enim poteſt alios ſapientes efficere qui ſibi nullo vſui fuerit.

Virum mente, rerum vſu, ac cognitione valentem cùm nactus fuerit, hunc plurimi faciat, hunc colat, hunc quàm cariſſimum ſibi aſtruat, ſperétque regnum ſuum ampliſſimum fieri, cùm à tali viro ſapientiſſimum fieri poſſit.

Regia præcepta erga miniſtros, ac magiſtratus.

Capvt XXI.

Iniqvvm ducat deteriores melioribus, imperitiores ſapientioribus imperare: nam quo cæterorum imperitiam vehementiùs contempſerit, eo virtutes ſuas ardentiùs patefaciet.

Optimos ex omnibus, atque ſanctiſſimos gerendis magiſtratibus præficiat, ne vulgus, populariſque turba præter fas, iuráque publica malè vexetur. Nam pulcerrima, validiſſimáque ſunt bene inſtituendæ Reipublicæ fundamenta.

Eos ſubditis ſuis magiſtratus præferat. qui (vt inquit Bion) non ditiores ſed illuſtriores à publicis adminiſtrationibus decedere ſolent.

Iudices iureiurando ex lege præſtito alliget, ne quid iniuſtè, etiam ſi Rex ipſe imperaret, iudicent.

Digitized by Google

Iudices qui præter leges iudicant acerrimè puniat, qui verò omnia ſecundum leges faciunt, honoribus, & diuitiis honeſtet.

Regia præcepta erga leges, atque iudicia.

CAPVT XXII.

STVDEAT quoad poterit optimas excogitare leges, & ſuæ genti, ciuitative commodiſſimas: & ſi quid in legibus ipſis parum vtile videbitur, continuo emendet, aut omnino amoueat.

Si per ſe id conſequi non poſſit, eas quæ in aliis ciuitatibus rectè inſtitutæ erunt imitetur.

Leges ciuibus ponat, quæ iuſtæ, & inter ſe conſentaneæ ſint, & bonis ciuitatum moribus accommodatæ.

Has inprimis leges exquirat, quæ non modò nullas diſcordias nutriant, verùm etiam lites omnes, ac controuerſias (ſi quæ euenerint) funditus tollant.

Cùm inter ciues iudicaturus eſt, non amicitia aliáve res vlla plus apud eum, quàm ius, aut æquitas valeat.

Res ſimiles diſſimilibus iudiciis non iudicet: nam ſicuti bonas leges decet immobiles eſſe, ita Regem in iure dicendo conſtantem, omnibúſque æquabilem.

Animaduerſiones ſi permutare voluerit, non in bonum proprium, ſed in pauperum cōmodum, ſubſidiúmque conuertat.

Regia præcepta erga æmulationem.

CAPVT XXIII.

SVPERIORVM ſe exhibeat æmulum ac concertatorem, inferiorum verò iudicem.

Certet non de omni re cum æmulo, ſed de iis tantùm quæ viuenti vtilitati, & honori cedunt.

Æmuletur non tam eos, qui ampla nacti ſunt imperia, quàm qui vel parua iuſtè, moderatè, fortitérque gubernant. nam

Digitized by Google

non qui terrarum orbem in ſuam poteſtatem redegerit periculis, metúque agitatus poſſidens, felix, ſed qui præſenti fortuna contentus, ea quàm rectiſſimè vtitur.

Regia præcepta erga dicta ac facta.

CAPVT XXIIII.

NE verboſus, aut vaniloquus ſit, præſertim cum illuſtribus. Multa verba cùm audierit, pauciora reſpondeat. Regium enim eſt (vt inquit Anaxagoras) pauca dicere, longè plura audire, atque maiora facere. Si quid illi ſeriò dicendum, faciendúmve ſit, accuratè priùs illud penſitet, nec minus verbis, quàm actionibus modeſtiam coniungat.

In declaranda modeſtia carere, quàm abundare malit: nam plus ſolet ea virtus in egeſtate quàm in copia opulentiáque ſplendere.

Vrbanum & grauem pro loci & temporis opportunitate ſe ipſum exprimat, & ſic vtraque amplectatur, vt id, quod in vtroque inerit vitij, penitus euitet. nam alterũ regium, alterum familiari conſuetudini accõmodatum, & in vtroque excellere difficillimum: quos enim natura graues effinxit, hi à ſalibus, atque facetiis in triſtem quandam frigidámque recedunt ſeueritatem.

Aſſueſcat inſuper nihil ineptum, nihil non decorum, nihil non regium dicere, ne turpia loqui aſſuetus eadem & animo ſapere videatur.

Quæcunque ſibi cogitanti ratio optima demonſtrauerit, eadem vt à ſe fiant operari det.

Ea dicat, faciátve, quæ ſuis liberis vt facerent conſuleret.

Veritas & actionibus, & verbis, vt ſapor eduliis, ſemper addatur.

Digitized by Google

Regia præcepta erga artes, opificia, Philoſophiam. & hiſtoriam.

CAPVT XXV.

ARTES quoque atque opificia conſtituat quæ vtilia ſint, quæ verò vana, & inutilia vetet impoſitis pœnis, vt hæc fugiendo ad illa ſe conuertant libentiùs.

Philoſophia omnium bonarum artium Princeps Regem omnium rerum quas ſcire par, & vſus eſt, doctum, peritúmque efficiat: hæc enim iter rationémque demonſtrat, vſus verò, & exercitatio ad res grandes facilitatem, promptitudinémque ſuppeditat.

Quæ Tyrannis, Regibus, priuatiſque hominibus euenere, ea ſæpius mente reuoluat: nam prudentiùs de rebus futuris conſulet, ſi quæ præterita cognouit, animo repetat.

Regia præcepta erga religionem.

CAPVT XXVI.

AD hæc in re diuina ſuorum maiorum ritus, religionémque imitetur.

Hoc priùs intelligat victimarum, ſacrorúmque omnium illud eſſe optimum atque efficaciſſimum, ſi ſe ſanctiſſimum iuſtiſſimúmque præſtet.

Humana omnia cùm gubernauerit ad diuina dirigat: nam hæc terrena illorum gratia ſunt.

Quæcunque aut dixerit, aut fecerit religioni accedant. Nam tria ſunt quæ celebrem principem faciunt, pietas erga deos, proborum virorum obſeruantia, gloriæ, atque honoris cupiditas.

Digitized by Google

Regia præcepta erga aſſentatores, adulatores, ac familiares.

CAPVT XXVII.

PRÆTEREA repudiet ſummopere eos qui quodcunque dixerit, feceritve laudant continuò, & aſſentando extollunt: amétque potiùs, & perhumanè illos audiat qui eum cùm errauerit & monere, & corrigere auſint: nam iis quos fortuna altiùs euexit, nulla pernicioſior adulatore peſtis adhibetur.

Si quempiam comperiat in alios falſas calumnias machinatum, eundem quaſi facinus admiſiſſet, pœna mulctet.

Neminem ſibi ſocium, aut familiarem temerè, inconſultéve diligat, ſed eorum conſuetudine delectetur, qui & vſui ſint pariter & ornamento.

Regia præcepta erga munera.

CAPVT XXVIII.

DEINCEPS pluris eos faciat qui petituri aliquid, quàm qui ad eum venerint quicquam donaturi. Nam cùm illos honoribus honeſtabit, vt illorum beneuolentiam, ita maximam apud cæteros laudem conſequetur. Darius quoque Xerxis pater dictitabat, regalius eſſe dare, quàm accipere.

Ea munera penitus aſpernetur, quæ ſibi pluris conſtant à donantibus accipienti, quàm ſi eadem à mercatoribus pretio ſibi compararet.

Ea maximè expectet, pendátque maximi, quibus quo vtatur crebriùs, nec vllo intermiſerit tempore, eo & minus trita, & longè ſibi commodiora, pretioſioráque reddentur, & hæc ſibi quidem, quòd ſola virtus, & Philoſophia donare poſſit exiſtimet.

Eis qui munera afferunt, per quæ perennis gloria, atque honeſtus honor vendicatur, præmia diligenter conſtituat: nam nihil vtilius emitur, quàm quod præmio comparatur.

Digitized by Google

Regia præcepta erga ſubditos, ciues, atque peregrinos.

CAPVT XXIX.

AD hæc ciuitatem ſuam ceu paternam domum gubernet, vt in apparatu ſplendor emineat, & in ſumptibus diligentia.

Suam ciuitatem aut gentem & amore, & pietate complectatur, & humanum cunctis ſeſe, beneuolúmque præſtet. non enim rectè quis imperabit, qui eorum non afficietur voluptate, quibus eſt ſtudium, operámque præſtiturus.

Popularem turbam colat, nam & paucorum potentia, & cæteræ ciuitatum formæ tunc diutiſſimè perdurarunt, cùm popularem multitudinem benignè, atque humanè coluerunt.

Beneuolentiam populi ſibi conſlet, neque iniurias illis inferri patiens, neque illatas aſpernatus.

Caueat ne, eum terribilem ciues inſontes metuant. Nam quali ſe oſtenderit animo eſſe, tales erga ſe illos eſt redditurus.

Ne palam iraſcatur, niſi caſtigandi, aut monendi gratia.

In primis ciuitatem, quam vel maximè incolit, tutiſſimam ſeruet.

Ciuitates liberæ, ac tutæ peregrinis omnibus pateant, conſtantéſque ſint in pactis, conuentíſque ſeruandis.

Peregrinos etiam humaniter excipiat, attentus audiat, liberaliter tractet, in omnibus facilem ſe eis, & benignum præbeat.

Ea mente in vrbes minores ſit, qua potentiores in ſe eſſe velit.

Regia præcepta erga honores, ornatum, atque laudes.

CAPVT XXX.

AD hæc veſte, cæteróque corporis cultu ornato vtatur: in reliqua autem vita molliores omnes delitias repellat, vt illi qui eum extrinſecus oculis intuentur, dignum iudicent

Digitized by Google

principatu. Qui autem familiariùs, ſecretiúſque diuerſantur, ob ſingularem animi virtutem, atque modeſtiam id ipſum quoque de eo ſentiant.

In ornamentis ſit parcus, in honeſtis verò actionibus profuſus.

Ii honores ipſum non efferant, quos populus palam metu potiùs, quàm iudicio affert. Sed ciues cùm ſoli, liberíque de eo cogitant, virtutem mirentur potiùs, quàm fortunam.

Statuas huiuſmodi relinquat quæ ſuarum potiùs virtutum, animique repræſentent imaginem, quàm poſteris liniamenta exprimant corporis. Indignũ enim eſt priuatos quàm plurimos mortem ſponte oppetiiſſe, vt vita functi immortali laude prædicarentur: Reges autem iis ſtudiis nullam operam dare, quibus viui nomen ſuum longè, latéque celebratum valeant illuſtrare.

Magnificentiam non in iis ſumptibus declaret, quæ ſtatim nullo ex ſe dimiſſo fructu euaneſcunt.

Sicuti animum natura non vnà cum corpore interiturum ei tradidit: ita enitatur pro viribus vt immortalem, perpetuámque ſui memoriam poſteritati commendet.

Regia præcepta erga bellum, pacem, atque cuſtodiam.

CAPVT XXXI.

POST hæc tutiſſimam ſui corporis cuſtodiam arbitretur, vbi non muro, ſed amicorum virtute, non armatis, ſed ciuium beneuolentia, non ſatellitibus, ſed proprio ingenio, propriáque virtute fuerit circumſeptus: nam hæc ſunt quibus potiſſimum acquiruntur regna, & acquiſita ſeruantur.

In bello gerendo non minus in rei militaris confidat ſcientia, quàm in apparatu militum.

Nihil alienum appetat. Sic enim pax rectè ſeruabitur.

Certet non de omni re, ſed de iis tantùm, quæ viuenti vtilitati cedunt.

Digitized by Google

Præcepta erga Legatos vrbium, quæ regni ſui ſunt.

CAPVT XXXII.

VRBIVM legatis manſuetum, ac facilem ſe præbeat.

Mandata referentes eo vultu audiat, vt fiduciam eis ad dicendum det.

Cùm dimittentur, ita eos dimittat, vt qui honeſta, & iuſta facilè ab eo impetrari poſſe intelligant.

Quæ aut minus honeſta, aut non ſatis æqua petierint, ea non ſemper, nec palam aut triſtiore vultu, aut grauioribus verbis deneget: nam (vt Titus dictitabat) neminem à vultu, ſermonéque principis diſcedere oportet triſtem: eſt enim pars beneficij ſcire bellè negare.

Ne promittat, niſi quibus longè maiora eis obſeruaturus ſit.

Præcepta Regia erga domeſticos.

CAPVT XXXIII.

OMNIVM primum ſtudere oportet, vt ab iis potiſſimùm ametur, quibus corporis, ac rerum familiarium curam permiſerit. Quod faciens viuet ſecurior, & amor iſte cùm inter familiares altiùs egerit radices, latiùs poſtea euagatus non modò inter populares, ſubiectóſque, ſed externos quoque diffundetur.

Ad conſeruandum, & magis in dies augendum familiarium, & eorum quos intimos habet amorem, illud maximè valet, vt amari ſe à rege intelligant: vetus enim ſententia eſt, qui vult amari amet.

Domeſticorum animos fidos faciet liberalitas gratitudini coniuncta, quæ in principibus modum non poteſt excedere, quanquam nec ſemper, nec cum omnibus eadem ſit lex tenenda.

Alienum regibus eſt, ipſorúmque ſecuritati minus condu-

Digitized by Google

cens, quòd cùm ipſi præbere ſe cæteris debeant humanitatis exemplum, domeſticis difficiles, & ſuperbos præſtent. inhumanitas enim mater eſt odij, vt ſuperbia crudelitatis. Hactenus de regiis præceptis. Si enim omnia perſequi velim, vereor ne modum excedat præceptio. Ad hæc non pauca ſunt, quæ vt hîc probantur, ſic alibi improbata ſunt. Mutantur enim multa pro locis, rebus, temporibus, quorum quidem natura ipſa erit optima magiſtra, & ipſa tum rerum, tum temporum, atque ingeniorum obſeruatio, ex qua ars conſtat. Et de Rege hactenus.

FINIS.

Digitized by Google

AVGVSTINI NIPHI SVESSANI

OPVSCVLORVM POLITICORVM PARS QVARTA,

DE RE AVLICA,

AD PHAVSINAM RHEAM,

PRÆFATIO.

SPECIOSISSIMAM *formam tuam, Iucundiſſima* PHAVSINA, *contemplatus, admiratúſque, qua inter puellas ita emicas, veluti Lucifer inter Stellas, morúmque inexplicabilem concinnitatem, qua ſic animus tuus pulcherrimus redditur, vt nihil amplius in eo deſiderari poſſit, præter immortalitatem: tanta erga te beneuolentia, tantóque amore affectus ſum, vt eas ſilentio tranſire haud quaquam permiſerim. Nam licèt natura te ab incunabulis ad iſtam vſque ætatem, per omnes pulchritudinis, ac venuſtatis numeros prouexerit, abſolueritque, vt facilè non mediocrem locum inter formoſas tibi vendicaue-*

ris: animum quoque ſingularibus dotibus, ac virtutibus inſignierit, vt inter Cœlicolas recipi iure merearis: id tamen efficere non potuit, vt ſempiterna eſſent tibi ac immortalia hæc bona. Enitemur itaque nos, ne tot corporis animique dotes cum corpore ſimul marceſcant, atque aboleantur, de re aulica ad te ſcribere, atque ſub tuo nomine publicare, vt non modò iucunda affabiliſque Principi cui obtemperas, euadas, ſed vel numinibus immortalibus placita (quibus ſolis placendum eſt) efficiaris: lucraberis etiam ex hoc noſtro libello mores, qui aulicis puellis, prouectiſque mulieribus, atque matronis idonei ſunt: quos ſi ſeruaueris, mortem non obibis, tibique cum numinibus vita ſempiterna communis erit. Iuuenes inſuper, viri, ac adoleſcentes, aulicas ipſas virtutes, non ſimulatè, non adulatoriè, non ſcurriliter, neque lenonicè ex hoc tuo libello diſcere facilè poterunt: nam liber prior de viro aulico, ſecundus verò de aulica muliere pertractabit. Nec ea quæ diſſerere propoſuimus, more licentioſorum aulicorum, ſed pro peripateticorum conſuetudine dicere decreuimus, ex quibus nihil niſi probum, ac ſanctum, tu cæterique omnes, qui eos legent, colligere poteritis. Exiſtimauimus verò huiuſmodi munere te ſolam dignam eſſe, primò quòd mulier ſis, & quidem puella. Pompeius enim Columna Principum ſplendor illuſtriſſimus, in eo libello, quem Apologiam mulierum nuncupauit, adeo mihi mulierum præſtantiam perſuaſit, vt non modò noſtro libello te mulierem dignam putem, ſed vt mulier quàm vir eſſe malim. Deinde propter tui corporis formam, quæ tanta eſt, vt nec Zeuxis pictor ille egregius cùm Helenæ ſpeciem pingere decreuiſſet, apud Crotoniatas tot puellarum partes, vt vnam Helenæ effigiem exprimeret, perquiſiuiſſet, ſola tua venuſtate inſpecta, ac perueſtigata excellen-

tia: tum etiam ob tui animi ſplendorem, morúmque elegantiam, quæ tanta eſt, vt non humano ſed diuino ſemine nata cenſearis: poſtremò gratiam ob ipſam, qua in cunctis gratioſa videris, non aliter quàm aurora, quæ mari, fluminibus, cæteriſque elementis, ſtirpibus, mutis animalibus, vniuerſiſque hominibus, grata, periucunda, atque lucidiſſima apparet. Hanc ipſam ob cauſam, non Phœbam (quod nomen tibi luſtrico die fuit inditum) ſed PHAVSINAM hoc eſt Auroram, me tuo exiſtente Phœbo, nuncupare te dignum putaui. Es enim inter puellas Aurora, quæ formæ excellentia & morum compoſitione foues, ac omnes illuſtras. Es etiam cognomine Rhea, quòd facilis, blanda, ac iucunda ſis. Genere quoque ac patria clariſſima, nam Nola & ſi Maroni poëtæ præclariſsimo fuerit olim difficilis, mihi autem Philoſopho iocundiſsima, atque gratiſsima eſt. Sed cùm minima laus ex parentibus patriáque ſit, bona fronte laudes tuas innumeras, quæ ex ipſis colligi poſſent, omittimus. De re autem aulica antiqui ſcriptores pauca admodum tradiderunt, & non niſi Ariſtoteles omnium philoſophorum lumen, qui cùm ageret de affabilitate, & vrbanitate, rem aulicam omnem complexus eſt. Nam vt poſteriùs exploratum habebis, res ipſa aulica has ſolas, affabilitatem videlicet, ac vrbanitatem complectitur, ſed ad aulam principis accommodatas: nam cùm illinc abſoluuntur, morales virtutes nuncupantur, veluti cùm homo ad filios refertur, patris nomen ſibi comparat, cùm verò à filiorum relatione abducitur, hominis nomen habet. Scripſit noſtris temporibus de re aulica Diomedes Carapha Madalonenſis Comes ad Ferdinandum Regem primum, qui licèt nonnihil boni elaborauerit, rem tamen aulicam non explicauit. inſuper & alij recentiores. Sed cùm propoſuiſſent dicere

Digitized by Google

de viro aulico, aulicáque ipſa muliere, de his de quibus dicere propoſuerunt, nihil ferè ſcripſerunt, ſed plurima de his, quæ non intendebant. Qua ratione euenit, vt res hæc non fuerit mihi facilis, niſi quantum tu mihi PHAVSINA ingenium facis, atque exacuis. Nec mirentur, qui hunc legerint librum. Philoſophum, ſenem ſexaginarium, & pene capularem, eum puellæ dicaſſe, ſubque eius nomine publicaſſe: nam qui de ranis muribúſque ſcripſerunt, ranas muréſque laudauerunt. Qui verò de culice, culicibus: qui de pulice, pulicibus, qui de muſcis, muſcis: qui de laudibus podagræ, podagris libellos adſcripſerunt, nec ob aliud hæc fecerunt, niſi vt ingenium experirentur, cunctiſque illius vires patefacerent. Non ergo mirari debent, ſi vni tot laudibus puellæ inſigni, ego ſenex hunc libellum dicauerim: cui non vt ingenium experirer, viréſque illius patefacerem, ſed vt eius fulgore ipſum exacuerem, atque ad ſidera extollerem, dedicauerim. Nemo enim eſſet tam grauis, támque ſeuerus philoſophus, qui numen tantum, tantámque excellentiam cernens, atque experiens, non libros modò, ſed vel vitam tibi immolaret. Compulerunt me præterea ad rem hanc ſcribendam Ferdinandus Primus Sanſeuerinus, atque Iſabella Villamarina Salernitanorum Principes Illuſtriſſimi, quibus vitam omnem debeo. nam cùm religioſiſſimi ſint, atque vitiorum omnium hoſtes acerrimi, intelligere exoptant res aulicas, & quæ, quóve vſu complectendæ ſint, ne harum inſcitia, eorum aula malis moribus imbueretur.

Digitized by Google

AVGVSTINVS NIPHVS MEDICES
Ioanni Franciſco Branchaleoni bene agere.

LIBELLVM de re aulica (Franciſce doctiſſime) quem Phauſinæ nuperrimè dicauimus, tibi recognoſcendum mittimus, rogamúſque vt ſiqua aut demenda aut addenda iudicaueris, amicè agas. Vale. Salerni Maij 2. M. D. XXXIV.

IOANNES FRANCISCVS BRANCHALEO
Auguſtino Nipho S. D.

HVIVS Aurei Libelli (Niphe Philoſophorate) is eſt ſuorum numerorum concentus, ea harmonia, vt ſi quid demam mutilem, ſi quid addam dehoneſtem; tantùm ſe mihi ſuſpiciendum admirandúmque præbet: formans aulicum conſulis vrbibus, prouinciis, regnis. Quid enim aliud eſt aula quàm fons & origo omnium calamitatum noſtrarum: felices tua ſi hæc dona norint aulici: bis felices Principes eorum opera, lætóque miniſterio vſuri: térque quatérque felix Phauſina, cuius forma tanto Philoſopho grata fuit, quæ cæleſti laudum præconio ab obliuionis iniuria aſſerta eſt, tantóque Laura ac Beatrice beatior, quanto poëtice Philoſophia, Niphus Philoſophis aliis eſt præſtantior. Vale. Neapoli Maio M. D. XXXIV.

AVGVSTINI NIPHI DE VIRO AVLICO AD PHAVSINAM, LIBER PRIMVS.

De Aula, Palatio, Curia atque Atrio.

CAPVT PRIMVM.

CVM nobis de re aulica ſit diſſerendum, opus eſt primò, vt aulam ipſam explicemus, à qua res aulica nomenclaturam accepit. Sic enim & ordinem peripateticum obſeruabimus, (Cùm Ariſtoteles ipſe dicat, ex nominum ignoratione euenire plerunque in dicendo paralogiſmum) & Ciceronem Dialectice non ignarum ſectabimur, qui eo libro, quem de Officiis inſcripſit, præcipit eſſe incipiendum à definitione, vt intelligatur quid ſit id de quo ſermo eſt. Aulam itaque nuncupari animaduerto, primò locum, qui perflatum habeat. Nam hoc nomine ſemper, apud Homerum Hypæthra id eſt ſubdialia intelliguntur, vbi eſſet Hercæi Iouis ara. Verùm aulas nunc pro regiis vſurpamus, quòd ante ſe loca habeant ſubdialia & ampla. Hodie à noſtris aula pars domus eſt, quæ vulgò ſala, ſeu atrium dicitur. Nam αὐλὴ Græcè, Latinè atrium interpretatur, vel caula, quæ ſtabulum eſt, in quo oues conſiſtunt. Vſurpatur etiam à Seneca aula pro domo principis, & ab hac vſurpatione nos de re aulica agimus. hoc eſt de re, quæ ad aulam principis referenda eſt. Et licèt palatium multis modis intelligi poſſit, id etiam pro aula

Digitized by Google

aula principis accipimus. Nam Romæ palatinus mons eſt, ſuper quo Roma primò ædificata eſt,& in eo Reges primò, deinde Conſules, poſtea Imperatores maiore ex parte ſedem habuerunt, & ob hanc cauſam palatium domum principis vocant. vnde Plinius libro naturalis hiſtoriæ 36. cap. 5. *Similiter palatinas domos Cæſarum repleuere probatiſſimis ſignis Craterus cum Pythodoro*, & reliqua. & libro 37. cap. 1. etiam pro domo primaria ſeu templo vſurpauit, cùm dixerit, *in palatina Apollinis æde, vnam.* Hinc Hiſpani hodie palatinum hominem vocant facetum, qui apud principem vrbanus eſt. Curia verò neſcio qua ratione pro domo principis vſurpata eſt, nam curiarum duo Romæ genera erant, & locus, vbi ſenatus rem publicam curabat, & vbi ſacrorum cura tractabatur, quarum nulla pro domo principis vſurpari poteſt. Quòd verò Pontificis maximi, atque minorum pontificum, & patrum conſcriptorum conuentus curia dicatur, non eſt abs ratione, quoniam in ea & ſacrorum, & publicarum rerum cura tractatur. ſed qua ratione pro domo principis intelligatur, ignoro. Apud omnes tamen hodie ſic intelligitur. Et Pius Pontifex Maximus, in eo libro quem de infelicitate curialium ſcripſit, domum principis curiam, familiaréſque principis curiales nuncupauit. Atrium verò licèt nonnulli pro domo principis vniuerſa vſurpent, tamen auctore Pompeio, prima pars domus eſt, quæ mediam aream continet, ex qua collecta ex omni tecto pluuia deſcendit, & in qua priſci (vt Cato inquit) aperto oſtio epulabantur, vbi etiam vaſa aurea & argentea ſeruabantur, aulæa, ſtatuæ, tabellæ, ſtemmata præterea cum imaginibus familiæ. vnde Ouidius,

Perlege diſpoſitas generoſa per atria ceras,

& Iuuenalis,

Tota licèt veteres exornent vndique ceræ
Atria, nobilitas prima eſt, atque vnica virtus.

Ab atrio volunt Atrienſem aulicum nuncupari, quod falſum eſt. Nam Cicero in paradoxis, ſeruos, qui cuſtodiunt aulæa atrij, honoratiores ſeruos vult eſſe appellandos, non aulicos. Ex his colligendum arbitror rem aulicam, rémque palatinam, pro eodem eſſe intelligendam, veluti palatinum & aulicum, vt poſtea apertum fiet.

De circunſtantiis, quibus actiones aulicæ intelligi poſſunt à virtute proficiſci.

CAPVT II.

SVPPONAMVS poſt hæc, actiones aulicas, quæcunque ſint, poſſe & à virtute proficiſci, & à vitio. hoc autem ſupponere oportet ex eo, quoniam nonnullæ actiones vel paſſiones ſunt, quæ ex ipſarum nomine malitiam concernunt, vt inuidia, adulterium, furtum, homicidium, odium, & cætera id genus. Hæc enim omnia ex ſui ratione mala ſunt, nec ſolùm ſi exceſſerint, vel defecerint, ſed quouis modo ſe habuerint. Hanc ob cauſam nemo circa hæc rectè ſe habere poteſt: nam quouis modo ipſa agat, (vt Ariſtoteles probauit) delinquet. Nonnullæ verò actiones ſunt, quæ ex ipſarum nomine, & ratione bonitatem complectuntur, vt virginitas, ſanctitas, & id genus. Nemo enim circa has (vt Plato ſcribit) malè, & benè ſe habere poteſt, ſed benè dumtaxat. Sunt & aliæ actiones, quæ ſiue proficiſcantur à natura, ſiue ab affectibus, poſſunt eſſe bonæ, & malæ, bonæ quidem, ſi circunſtantiis quibuſdam ad medium reducantur, malæ verò, ſi ad alterutrum extremum. huius profecto generis aulicæ actiones ſunt, ſiue in verbis, ſiue in motionibus, geſtibúſque verſentur. Circunſtantiæ verò (vt Ariſtoteles philoſophorum princeps explicauit) ſunt, *quis*, quæ ad perſonam attinet, quæ eſt principale agens. non enim parui refert, num Plato ſuam vxorem amet, an Socrates adulter. *Quid* ſcilicet agat, quæ ad genus actus reſpicit. multùm enim diſtat, num quis comedat ad tollendam famem, vel actu venereo citetur ad remouendam libidinem. *Circa quid*, quæ materiam vel obiectum inſpicit. in quo ſcilicet tempore vel loco. *Quo* videlicet inſtrumento, cuius gratia, ſalutis, an voluptatis. Et *quo modo* ſcilicet, intensè, an remiſſè, aut leuiter, an vehementer. Actiones igitur aulicæ cùm ex ſuo nomine, nec maliciam, nec bonitatem concernant, bonæ euadent, ſi circunſtantiæ omnes ſeruentur, quibus actus humani ad medium reduci poſſunt: vitioſæ verò, ac improbæ erunt, ſi omnibus,

Digitized by Google

vel aliquibus circunſtantiis carebunt ex eis, quibus humanæ actiones rediguntur in mediocritatem: qua ratione fit, vt non quæcumque perſona, nec quicunque actus, nec quicunque locus, vel tempus, conueniant in aulicis ipſis actionibus. Nec inſuper quicunque finis aulicarum actionum eſt, nec apud quemcunque hominem illæ ſunt laudabiles. Quia itaque actiones aulicæ poſſunt eſſe bonæ atque probæ, malæ atque improbæ, eas aliquando à virtute proficiſci, aliquando verò à vitio putandum eſt. Quare de aulica ipſa virtute narrandæ poſitiones ſunt: primò more peripateticorum, deinde refutandæ, potiſſimùm quæ veritati non conſonant: demùm quid ſit aſſerendum, ſubiungemus.

Quæ Terentius de Aulico.

CAPVT III.

TERENTIVS itaque Poëta Comicus præſtantiſſimus, (vt nonnulli autumant) in Eunucho, his verbis deſcripſit aulicum, quibus dicit, *Id rurſum ſi negant, laudo: id quoque negat quis, nego, ait, aio. poſtremò imperaui egomet mihi omnia aſſentiri*. & alibi, *magnas verò agere gratias Thais mihi*, Gn. *ingentes*, & reliqua. Ita vt velit eum eſſe aulicum, qui aſſentator dicitur aut adulator. De quo & Ariſtoteles philoſophorum facilè princeps in Politicis inquit, quòd principibus olim Methonienſibus duo ſigillatim paraſiti ideſt aulici fuerint, ducibus verò exercitus vnus, & reliqua. Homerus etiam Podem quendam Hectoris aulicum, atque aſſeclam introducit. huius generis legitur apud Cornelium fuiſſe Autoſitum: apud verò Ebulum Cacoſitum, apud Straticlidem Oligoſitum, & Oecoſitum, atque Siſtochorum. omnes enim hi cùm eſſent aſſentatores adulatoréſque apud ſuos principes, vt aulici habebantur. Apud Gallos etiam quoſdam, qui Sontiates dicuntur, Rex habet quoſdam ſecum adulatores, qui aulici putantur; apud Græcos euomili appellati. quoniam hi vnà ſemper regi adhærent, ſectantur quocunque ierit, idémque faciunt, ſiue rex rideat, ſiue lugeat, ſiue quouis alio capiatur animi motu. denique ſi occubat, pariter occubant. Nec ab-

ratione aulicus aſſentator eſſe videtur, nam cùm finis aulici ſit, principem recreare poſt longos labores, qui multitudine negotiorum emerſerunt, eúmque oblectare, atque iucundum efficere, cúmque hæc facilè efficiat aſſentator: eſt enim aſſentator in verbis, actionibúſque quibus adulatur, ac aſſentit (vt Ariſtoteles probauit Rhetoricorum primo) iucundiſſimus: fit vt nullus niſi aſſentator aulicus eſſe poſſit, à quo princeps recreetur. nihil enim eſt, quo principis animus feſſus recreari relaxarique poſſit magis quàm iucunditate ipſa. Hac ratione apud Demetrium peripateticum in prouerbio habetur, Principum aulam eſſe aſſentationum, atque adulationum gymnaſium. Quod ideo verum eſſe exiſtimari poteſt, quoniam principum aulici non ſunt, niſi aſſentatores, atque adulatores ipſi, qui paraſiti dicebantur, quòd eadem menſa cum regibus recumberent, atque conuiuerent.

Refutatio qua demonſtratur vim, habitúmque aulicum in adulatore, non modò vitium eſſe, ſed peſtem.

CAPVT IV.

SED ſi ita eſſet (vt Terentio adſcribunt) vis ipſa aulica, habitúſque quo quis ſermones, atque aulicas ipſas actiones apud principem exercuerit, non vitium modò, ſed ſæuiſſima peſtis eſſe videbitur. Nam (vt Democritus philoſophus clariſſimus teſtatur) adulatio, atque aſſentatio vitia ſunt animi anguſti, viri mendacis, ignaui, ſeruilis, futilis, humilis, abiecti. quippe cùm emanent à timore. blandiuntur ſiquidem adulatores, atque aſſentatores eis quorum vita ignaua eſt, vanitatis ac mendacij plena. Hi placendi ſtudio, omnia laudant, vel quæ minus penitiore animo probant, nihil refellere audent, nunquam cuiquam aduerſantur, nemini moleſti ſunt: mendacia veris concinnant, ſimulando quoque, atque diſſimulando ſemper occultant: quos quidem Ageſilaus optimus ille Lacedæmoniorum Rex non ſecus aſpernendos, inſectandóſque eſſe dicebat, ac propriæ vitæ inſidiatores. Iſocrates vir ſapientia, eloquentia potiſſimus, affirmat nullam principibus peſtem adulatore

Digitized by Google

pernicioſiorem eſſe, regémque ſuum Nicoclem monet, vt omnes illos euitet, ac caueat, qui quæcunque fecerit aut dixerit laudant, illis autem auſcultet atque obtemperet qui eum monere audent, & errata placidè ac ſine contumelia caſtigare. hi enim amici ſunt, veréque diligunt: illi autem aſſentatores, atque adulatores, ac amici ſimulati, qui mendacij præmium expectant. Ob hanc cauſam Antigonus aſſentatores ipſos, atque adulatores vbique inſectabatur, ſummóque odio proſequebatur, quia videlicet corrumpant optimos mores: nam ſemper mentiuntur, & vitia pro virtutibus efferunt, virorúmque laudem, quæ fomes, ac præmium virtutis eſſe videtur, omni ex parte labefactant: pulcherrimam, iuſtiſſimámque fortitudinis mercedem auferunt. quam quis veram eſſe credat? aut ſtudioſè affectabit? cùm cernat improbos laudari, & virtute præditos viros debitis laudis præmiis fraudari, veritatémque mendaciis obſcurari: hoc verò mihi magis admirandum eſſe videtur, quia hi maximè adulatores diligant, quibus illi manifeſtiùs mentiuntur. age, quis ſe ipſum adeo ignorat, vel ſui ipſius adeo oblitus eſt, vt cùm ignauiſſimus ſit, illos æquo animo audiat, qui eum fortiſſimum prædicent, admirentur, cunctis aliis præferant: quo enim animo perpeti poteſt quiſpiam ſe Achillem vocari, cùm Therſites manifeſtè ſit: nónne ſe irrideri, & ludibrio haberi cognoſcit ille, qui cùm pauper, & inops ſit, ſe beatum, ac locupletem vocari audit? Ithacenſis mendicus, quẽ Homerus inducit, nihil roboris habentem præter linguæ procacitatem, gaudebit ſe potentia Agamemnoni, fortitudine verò Aiaci æquari. Nónne etiam mulier illa leuiſſima, ac maximè temeraria habenda eſt, quæ cùm deformis, ac turpiſſima ſit, aſpectúque fœdiſſima, ab amatoribus, qui illius gratiam blandiendo, ac mentiendo inire cupiunt, pulcherrima dici gaudeat, atque veluti altera Helena, vel Hermione eius filia cunctis aliis mulieribus forma præferri glorietur? Propter hanc cauſam Plato adulatores aſſentatoréſque ipſos tanquam peſtem pernicioſiſſimam à Rebuſpublicis arcet, & Ariſtoteles non ſolùm ab ipſis principum aulis, ſed à ciuitatibus, quæ rectis legibus gubernantur, excludit.

Digitized by Google

Quòd aulicus omni ex parte ſine adulationibus, aſſentationibúſque officium ſuum perficere non poſſit.

CAPVT V.

SED videamus an adulator, aſſentatórque (vt Plato, atque Ariſtoteles arbitrantur) omni ratione ab aula principis ſit expellendus, fugandúſque: an nonnihil aulicæ rationis adulator obtineat. Reges ſummi, adulatores omni ratione fugarunt: Ageſilaus enim Lacedæmoniorum Rex lege ſanciuit, adulatores non ſecus inſectandos eſſe, ac propriæ vitæ inſidiatores. Darius etiam Perſarum Rex Timogaram, qui in omnibus ſibi indulſerat, decreto publico morte multauit. Alij non paruæ auctoritatis viri non modò non fugarunt, ſed ad officia aulica admiſerunt, vt Philippus Alexandri regis pater Cliſophum, Alexander ipſe Neciſiam, Cariſophum Dionyſius Syracuſanus, & alij ſapientia, & auctoritate eximij Reges, alios quamplurimos. Nec ab re, nam aulicus nemo ritè eſſe poteſt, quin principi iucundus appareat. quòd autem adulator principi iucundus habeatur, ex eo Ariſtoteles probauit in Rhetoricis, quòd ſe admirari, ac amare principem ſimulare enitatur. hæc autem cuilibet eſſe iucundiſſima, nemo eſt qui dubitet. Præterea nullus eſt, qui virtutem natiua appetitione non diligat & velit, quam licèt non habeat, videri tamen virtute clarus expetit, ac ſtudioſè exquirit. Iucundus itaque principi adulator videbitur, qui licèt ex iis, quæ adulando laudat, principem non efficiat virtute, ac probitate eximium, facit tamen eum talem exiſtimari: quod periucundum quidem eſt. Vnde Ariſtoteles philoſophorum ſummus, Calliſthenem, qui tanquam aulicus ad Alexandrum acceſſurus erat monuit, vt cum Alexandro nonniſi accerſitus loqueretur, & cùm loqueretur, nonniſi iucūdiſſimè, innuens non abſque adulatione eſſe loquendum. Qua ratione euenit, vt aulicus ab adulatione procul non ſemper abeſſe debeat. Quod qua ratione fieri poſſit, vt ſcilicet aulica virtus non omnino procul ab adulatione exiſtat, poſteriùs differendum. quòd verò adulatores à principibus aliquo

pacto ferendi ſint, eo libello, quem de peritia regnandi ſcripſimus ſatis exploratum eſt. vbi Reges Ageſilaum, atque Darium adulatores fugaſſe demonſtrauimus, non ab aulicis iocis, conuerſationibúſque, ſed à conſiliis. Qui enim in conſiliis commendat quæ reprehenſione digna ſunt, vel reprehendit quæ omni laude maiora exiſtunt, hic vt peſtis eſt fugandus. Id verò quod decipere aulicos poteſt, eſt quòd adulatio, quæ laudatur ab Ariſtotele in aulicis ipſis conuentibus, non in extremo eſt, ſed quæ circunſtantiis bene affecta, mutato nomine affabilitas eſt: de qua poſteriùs agendum.

Quæ apud vſum Principum de Aulicis.

CAPVT VI.

CENSEBANTVR olim aulici, qui in mouendis principibus ad riſum periti, ac prompti erant, quorum duo genera ſunt. Alterum eorum, quos hiſtriones appellant, hi autem ſunt artifices, ac ludij, qui perſonati in ſcena comœdias, tragœdiáſque voce, & corporis geſtu agunt. quíque perſonati hoc eſt laruati mouent ſpectatores ad riſum, corporis motu, geſtu, atque ridiculis verbis, quales apud nos ſunt qui Cauenſes imitantur, & apud Venetos Bergomates. Primus hoc ioci genus exercuit Romæ Clodius Tragœdi Æſopi filius, & poſt eum alij plurimi. vt auctor eſt Plinius libro 9. Alterum verò eorum, qui ſcurræ dicuntur: hi autem ſunt, qui riſum ab audientibus captãt, quóſque Græci βωμολόχους vocant. Nam ridicula cum turpitudine componunt. huius generis fuerunt apud Romanos ſub Auguſto Cæſare Sarmentus ſcurrilitate notiſſimus. Apitius Galba ſub Tiberio Cæſare, de quibus Iuuenalis: *Si potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas Cæſaris ad menſas, nec vilis Galba tuliſſet.* Apud Domitianum verò tertius Caballus, de quo Martialis, *qui Galbam ſalibus tuis, & ipſum poſſes vincere tertium Caballum.* Proceſſit vſus iſte per manus vſque ad principes noſtros: Nam Burra quidam ſcurra natione Hiſpanus, apud Sigiſmundum Imperatorem hoc ioci genus exercuit. hunc in conuiuio quodam

Sigiſmundus argento onerauit adeo vt ſub pondere iam deficeret. Proximis ſæculis primus, qui hoc genus ineptum in Italiam attulerit, Nicolaus Eſtenſis fuit, Petri Gonellæ iocis atque ſcurrilitatibus delectatus, eóque venit impuriſſimus vſus, vt iam non ſolùm voluptati, ſed ambitioni res hæc principibus exiſtat. Federicus etiam Rex Apuliæ Ferdinandi patris mores ſecutus, iocis Agelaſti ſummopere delectatus eſt. Ferdinandus Catholicus Hiſpaniarum Rex iocis Boſtardichi, atque Petrichi ſummopere exhilarabatur. Carolus V. Cæſar iocis domini Francenſis ſumma voluptate afficitur. Franciſcus Gallorum Rex iocis Biſcontini. Ferdinandus Romanorum Rex Barri Hiſpani ſalibus mirum in modum delectatur. vt Ferdinandus Salerni Princeps auctor eſt. Apud verò Raimundum Cardonum in huiuſmodi iocis gratioſus fuit Mondraconius. At apud Pompeium Columnam Centurio, qui hoc iocandi genere peritiſſimus erat. Creuit itaque adeo genus hoc, vt nihilipendatur principis aula, quæ ſcurras non nutriat. hanc ob cauſam Lucanus, *Exeat*, inquit, *aula qui vult eſſe pius*. Qua ratione fit, vt apud hoſce viros aulici hi ſoli ſint habendi, qui in hiſtrionicis, & ſcurrilibus verſantur, vt aulici ab hiſtrionibus, atque ſcurris eo dumtaxat diſtent, quòd hiſtriones, atque ſcurræ communiter ſunt quicumque indifferenter omnes ad riſum prouocant: Aulici verò qui tantùm principes in aula delectant. Nam (vt poſtea dicemus) aulica ſunt, quæ ita hiſtrionica, ac ſcurrilia complectuntur, vt ſint ad aulam principis accommodata, cùm verò ab ea recedunt, ſimpliciter hiſtrionica, ac ſcurrilia ſunt cenſenda: quemadmodum cùm homo ad filios refertur, patris nomen ſibi vendicat, cùm verò à filiorum ratione abducitur, hominis nomen habet.

Refutatio huius opinionis, & quouſque concedi poteſt.

CAPVT VII.

SED aduerſus hoſce Plato inquit, *Video ſæpe in magnis opibus, ac faſtu, viros domi nutrientes hiſtriones & ſcurras pernicioſos, quibus nihil potentia aut diuitiæ deteſtabilius habent.*

Digitized by Google

habẽt. Ariſtoteles verò ſummus in morali philoſophia doctor, ſcurrilitatem, & hiſtrionica vitia aduerſus vrbanitatem demõſtrat. Quare cùm aula principis omni virtute debeat eſſe illuſtris, fit vt non modò à principum colloquiis, atque conuerſationibus ſint fugandi, ſed (vt Plato præcipit) à rebus publicis quoque. Nec id profectò iniuria, nam quemadmodum Principatus eſt maximus honor, ita omne quod in aula principis pro eius recreatione pertractari debet, honorabile atque honeſtum eſſe oportet. Theophraſtus quoque vir doctiſſimus auctoritate Anazilis aſſimilabat hoſce vermibus, qui triticum nacti, non diſcedunt donec vacuum id reddiderint: ſic enim illi apud diuites ſubſtantiam rodunt. Verùm licèt ſcurræ, atque hiſtriones ſi ſimpliciter intelligantur, à principum aulis ſint exigendi, viri tamen potentes (vt Ariſtoteles libro Ethicorum 8. inquit) diuerſis vtuntur amicis: nam alij ipſis ſunt vtiles, alij verò ſunt iocundi. vt autem ambo ſint iidem non frequenter accidit: neque enim quærunt vt iucundi & officioſi & vtiles ad honeſta ſimul ſint, ſed facetos quidem expetunt, voluptatem tantùm captantes, at ad agendum habiles appetunt, vt per eos vtilitatis præcepta exequantur. atque hæc homine in eodem non nimium deſiderantur. probus autem homo iucundus eſt ſimulatque (vt diximus) vtilis. Sed talis non fit amicus viro in poteſtate conſtituto, niſi idem virtute præluceat, atque præmineat, ſic vt quemadmodum princeps virtute à faceto ſuperatur, ſic hic à principe diuitiis atque potentia vincatur. Per quæ Ariſtoteles declarauit eſſe duo genera principum, duóque genera riſum mouentium: nam alij principes ſunt, qui nihil aliud quærunt, niſi vtilia, & iucunda, & apud hos ſcurræ aulici ſoli reputantur. nam cùm tales principes omni virtute vacent, non virtute iucundos quærunt, neque vtiles ad honeſta, ſed ſcurras qui habiles ſint, ac prompti, vt voluptatum oblectamina celeriter exequantur. Alij verò principes ſunt omni virtute illuſtres, & hi facetos quærunt, eóſque vrbanos, qui cum vrbanitatibus, iocíſque facetis permiſcent ſales ad virtutes vel conſeruandas in iis qui illas habent, vel inſinuandas iis qui omni virtute carent, & optant: cauſa autem, (vt Heſiodus inquit) quia vnuſquiſque iis gaudet, quibus ipſe

affectus eſt, & in illis magnam vitæ partem conſumit. Quare quum hiſtrionica, ac ſcurrilia circunſtantiis condiantur, quibus officioſi actus affici ſolent, potiſſimùm ſi cum ſalibus miſceantur ad virtutem redigentur, & principibus placebunt, qui probi ſunt, aut probi eſſe cupiunt: hoc pacto hiſtrionica atque ſcurrilia (vt poſteriùs apertum erit) non erunt omnino ab aula exigenda.

Diomedis opinio de Aulico, réque ipſa Aulica.

CAPVT VIII.

EX iis verò, quæ 8. Ethicorum Ariſtoteles inquit, (vt puto) Diomedes Carafa Madaloni Comes illuſtris, apud regem Ferdinandum primum aulicus eximius, in eo libello, quem de aulico ſcripſit, opinatur eum fortaſſe virum aulicum eſſe, qui in iis principi placere ſtudet quibus ſumma voluptate ipſe afficitur. Nam cùm princeps ſit id, cuius gratia aulicus agit, ea agere aulicus, (vt inquit) enitatur, quæ principi iucunda ſunt, & quatenus hæc aget, eatenus rationem veri aulici ſeruabit. Nec ab ratione videntur hæc, quæ vir ille tradit. nam quemadmodum in Dei ſummi aula, cœlicolæ ipſi quia Dei aulici ſunt, ea dumtaxat agunt, quæ Deo placent, quæque eius voluntati iucunda ſunt, & per hoc aulici cenſentur: ita in aula humanorum principum aulicus ille eſt habendus, qui ea agit, quæ ſuo principi placent: ſic enim princeps refocillabitur, atque ſumma voluptate afficietur. Præterea (vt ex Heſiodi carmine apertum eſt) quæ principem actio præcipuè delectat, ea eſt quaſi ſuum illius eſſe, quoniam eius gratia viuere eligit, quatenus ad eam aut omnem vitam, aut maiorem vitæ partem deſtinauit. hinc nonnulli optimi aulici habentur, qui in ea actione principi cooperantur, quam ille maximè diligit, & in qua pro maiore ſuæ vitæ parte viuit. Vt ſi princeps muſica afficiatur, prudens aulicus muſicæ ſtudere enitatur; ſi litteris, ipſe quoque aulicus eidem doctrinæ generi incumbat: ſi præterea ille figurandi peritia oblectetur, hic illo ipſo ſtudio teneatur: ſi gymnicis ille ſe exerceat, hic qui gratiam captare exoptat apud ſuum Regem in gymnicis vim omnem experiatur. Cùm au-

Digitized by Google

tem aulicus gratiam apud regem nactus fuerit, ſequuntur (vtinquit) duo vt optima, quorum alterum ſibi, alterum ſuo principi conducere videtur: ſibi quidem, quoniam ea omnia à principe obtinere facilè poterit, quæ ſibi ſunt vtilia, atque honorifica: principi verò, quia ex gratia his artibus parta facilè monere, hortari, trahere & perſuadere poterit principi, quæcunque proba atque honeſta ſunt, vt iuſtitiam, clementiam, liberalitatem, magnificentiam, atque virtutes omnes, quibus princeps clarus habebitur: non enim ad perſuadendũ parum gratia valere cenſetur, vt Ariſtoteles docuit 2. Rhetoricorum. Oratores enim perſuadent elocutione delectando, affectibus animum audientium mouendo, atque rationibus & argumentis ratiocinando. potiſſimùm autem affectibus, quorum præcipua in mouendo eſt gratia. Quæ igitur ille vir arbitratur de Aulico, hæc breuibus collegimus: nam plura dicit, quæ mihi non viſa ſunt neceſſaria.

Refutatio.

CAPVT IX.

SED pace tanti viri dixerim, hic docuit formare obedientem atque obſequioſum, non autem aulicũ. Seruus enim (vt Ariſtoteles primo Politicorum auctor eſt) prudens eſt, qui voluntati domini obtemperare bene nouit, ſiue voluntas honeſta, ſiue improba fuerit. denique qui ſe totum ad alicuius arbitriũ præbet, non eſt ſui iuris, qui verò ſui iuris non eſt, nec liber quidẽ, ſed ſeruus cenſetur. Qua ratione fit vt vir ille non virtutem aulicam ſed ſeruitutem docuerit. At qui ſcripſerunt de aula, non eoſdem ſeruos eſſe dicunt & aulicos. Sunt enim in aula principis vna pars mulierum, de qua 2. libro dicemus: altera virorum, quorum alij ſerui dicuntur. non quidem (vt Cicero in Paradoxis inquit) lege vel natura, ſed qui Atrienſes appellantur, quoniam miniſtrant ea omnia, quæ pro magnificentia, atque neceſſitate principis idonea ſunt. Alij comites palatini, qui commenſales vulgò hodie dicuntur, quorum officium eſt comitari principem ſemper cùm opus fuerit. Alij ſunt aulici, quorum officium eſt principes iocis oblecta-

Digitized by Google

re in colloquiis, cùm ſe alienauerint à publicis negotiis. Vir igitur ille non aulicum inſtituit, ſed ſeruum, docuit enim bene ſeruire quidnam ſit, non autem bene recreare. ea verò quæ pro ſua opinione induximus, voluptifica principi ſunt, non propter ſermones & geſtus, ſed propter vtilitatem vel voluptatem. Nos autem eum quærimus, qui ſermonibus, & colloquiis, ac geſtibus principes honeſtè recreare poſſit.

Opinio quæ de Aulico habetur ex 8. libro Politicorum Ariſtotelis, & de ocio Principum.

CAPVT X.

QVONIAM actiones aulicæ (quæcunque ſint) non exercentur apud principem, niſi cùm princeps fruitur ocio, & ab ipſis negotiis feriatur, vt diximus, gratia relaxandi animum: ideo de ocio, quod principibus ingenuíſque viris idoneum fuerit, agendum primò nobis eſt. Nam ex hoc facilè opinio patebit, quæ ex verbis Ariſtotelis colligi poteſt, de aulico: itaque cùm homines non ſolùm in negotiis, ſed etiam in ocio cum laude verſentur, (vtriſque enim humanæ vitæ opus eſt) fit vt in ocio delectabiliùs verſari debeant. eſt enim expetibilius, cùm per ipſum & voluptatem, & felicitatem habeant, quæ in negotiis eſſe nequeunt. qui enim negotium agit, alicuius finis gratia id agit, tanquam qui deſit. finis autem felicitas eſt, quam non cum dolore ſed cum voluptate omnes eſſe putant. ocium igitur negotio præferendum eſt, ea quidem ratione, qua finis præfertur iis, quæ ſunt ad finem. Ex quo euenit, vt optimos principes deceat ſecundum aliquam ſuæ vitæ partem in ocio degere. nec id ipſum quidem in ludis ponere honeſtum eſt, nam ſic neceſſe foret ludum eſſe vitæ finem. nec in ſomno ocium ponendum eſſe puto, quippe cùm ſomnus ſit mortis imago, in qua nullus felix eſſe poteſt. perſpicuum igitur erit ocium honeſtum, atque præclarum in 4. reponendum eſſe, in litteris, pictura, gymnica, & muſica: ſine litteris enim ocium felix eſſe non poteſt, nam ocium ſine litteraria voluptate mors eſt,

& viui hominis ſepultura. ob id Maior Scipio à re militari, vel rei ciuilis adminiſtratione ſecedens, ocium ad litterarum ſtudia conuertebat, & propter id dictitare ſolebat ſe numquam minus ſolum eſſe, quàm cùm eſſet ſolus, & numquam minus ocioſum quàm cùm ocioſus eſſet: putans ſe in ocio multò plura facere, quàm in negotiis. Et Cato Maior non minus ocij quàm negotij reddendam rationem arbitrabatur. Quanti verò apud principes olim litteræ fuerint, teſtes ſunt Xerxes, Philippus, Alexander, Ptolemæus, Antigonus, Archelaus, Cæſares denique Romani Principes omnes, qui pariter militarem, ac litterariam diſciplinam percallebant. hi enim tanti litteras feciſſe memorantur, vt libros & litteras regiam ſupellectilem, & præcipua ornamenta dixerint. Nec id immeritò quidem, nam cùm cætera tempore & ſeneſcant & exoleant, ſola ſcientiarum monimenta edacis temporis ſenium, mortémque non ſentiunt. nec per litteras intelligere volumus peritiam legum, licèt principem non ſolùm leges callere oporteat, ſed eſſe legem ipſam, nec cæteras mercenarias facultates: ſed eas principi ſcientias adiudicamus, quæ liberales ſunt, ac inuentæ propter delectationem tantùm: hæ enim nec corpus lædunt, nec mentem ad vſum, atque virtutum opera reddunt inutilem. Picturæ etiam cognitio non minus litteris digna, atque voluptifica eſt principibus, cùm in ocio degerint, nec minus fortaſſe vtilis. hæc enim in litterarum figuris, geometricarúmque deſignatione rerum conſiſtit, quæ ad coſmographiam, topographiam, chorographiam neceſſaria eſt. proinde pro ſolidis, atque planis dimetiendis latitudinibus, atque profunditatibus apprehendendis, quænam facultas pictura ipſa vtilior eſſe poterit? Hæc autem quàm dulcia, quámque iucunda, atque vtilia principibus ſint, præſertim iis ducibus, qui in bellicis ſe exercent ſtudiis, nemo eſt qui dubitet. Paulus Æmilius victo Perſeo Athenas pertranſiens, ab Athenienſibus pro filiis inſtituendis inſignem philoſophum, ac pictorem pariter petiit, ad quem Methrodorum miſerunt, qui & philoſophiam & picturam apprimè callebat. Alexander Macedo philoſophos atque pictores miro proſequebatur amore. quod quidem vel ex hoc cernitur: nam cùm amaret ſupra

pellices ſuas omnes Campſacen quandam nomine, quæ non tamen facie, ſed totius quoque corporis membris, omnium ſpecioſiſſima habebatur. cúmque ea de cauſa Appellem rogaſſet, vt eam nudam pingeret, annuit pictor, eámque nudam oſtendendam ſibi curauit, qua viſa tanta eius formæ cupiditate correptus eſt, vt in eam ad inſanos vſque amores exarſerit: cuius rei certior factus Rex, illam eueſtigiò Appelli dono dedit, & delicias tori ſui, placitóſque amoris affectus eidem tradidit, ac pertulit, vt ea quæ modò regis fuiſſet dulces deliciæ, quamprimum pictori fieret liberale donum; quod quidem nobis maximo argumento erit, vt credamus Alexandrum non minus pictores quàm philoſophos dilexiſſe. Iucundam quoque principibus atque voluptificam eſſe muſicam, cùm ocio frui voluerint, non modò Ariſtoteles affirmat, ſed Plato quoque ad animi exercitationem vtilem eſſe probauit, non ſecus atque ad corporis agilitatem gymnicam. Verùm ſicuti aſſidua corporis exercitatio hominem hebetiorem ingenio efficit, ſic continua muſicæ oblectatio animum effeminat, atque corporis vires eneruat. Lycurgus muſicen à natura hominibus traditam eſſe dicit, ad tolerãdos faciliùs humanos labores, & hac ratione ductus in re militari tibias conſtituit & anapæſti concentum, vt bellatores redderet promptiores alacrioréſque in laboribus periculíſque & celeriter ſubeundis, & fortiter tolerandis. Lacedæmoniorum enim acies in prælio contra Meſſenios iam inclinaſſent, ac ſuccubuiſſent prorſus, niſi Tyrteus tibiæ modulis in ſpondeum mutatis, eas erexiſſet, atque ex victis victores reddidiſſet. Cimon in conuiuio quodam Themiſtocli prælatus eſt, quòd iocundè ad lyram ceciniſſet, Themiſtocles verò recuſaſſet. & inter Epaminundæ Thebani virtutes in primis laudauerunt, quòd præclarè ad citharam, & ad tibias cantaret. Propter hanc cauſam in ocio principum Græci muſicam valde optarunt. priſci etiam ad manſuefaciendos feros hominum mores quaſi pharmacon muſicen inuenerunt. Pythagoras cùm noctu vicini domum latrones inuaſiſſe audiret, eos modulis ac lyræ concentu detinuit, donec domus ſeruata eſſet. ſic Amphion, ſic Orpheus, ſic Solon poëmata ac muſicam ad continendum hominum mores induxerunt. Linus

Digitized by Google

quoque Eumolpus, Silenus Thamyras, & qui tales fuêre, dulciloquo poëmate mulcente muſica, & penè animos euocante ſacra cecinêre. Quantum verò principibus voluptifica atque iucunda ſit Gymnica, cùm ociantur, facilè cognoſcitur ex his. Nam quemadmodum litteræ, pictura, & muſica ad animi exercitationem, & ad ocij tranquillitatem, atque decorum vtiles ſunt, ſic ad corporis vegetationem gymnica proſunt: & vt muſica, cùm aſſidua fuerit animum effœminat, ita continua corporis exercitatio hominem hebetiorem ingenio efficit. Gymnica facultas erat apud Græcos, qua homines in ludo quinque artes exercebant, vt curſum, ſaltum, palæſtram, telorum iaculationem, atque diſcum. Nos autem gymnicam intelligimus facultatem, qua corpus ſe exercet quouis modo, tam equitando, quàm progrediendo, modò exercitationes moleſtæ, nec molles, nec violentæ, ſed moderatæ fuerint, inter quas (vt Plato libro 7. de legibus demonſtrauit) conuenientiſſima videtur venatio, quæ claris principibus ſemper fuit gratiſſima, & quaſi eorum peculiare ſtudium, de qua multa ſcripſimus in libro de optimo principe. Quibus exploratis, aulicus videbitur eſſe, qui in his omnibus vel pluribus principem in ocio colloquiiſque ocioſis blandè demorari poterit. Nam cùm finis aulici ſit principem ipſum recreare, potiſſimùm poſt negotia, quibus princeps feſſus cognoſcitur, cúmque (vt diximus) per hæc animus principis magis quàm per cætera recreetur, fit vt aulicus, qui ad nihil aliud quàm ad recreationem eſt inſtitutus, hæc quæ diximus pernoſſe debeat, ſic enim finem ſuum obtinebit.

Quæ de Aulico Neoterici.

CAPVT XI.

EX his quæ diximus, facilè ad artem reduci poſſunt, quæcunque Neoterici de aulico longiſſimis verbis ſcripſerunt: nam partes omnes, quibus aulicum conſtituunt, non aliæ ab iis ſunt, quæ proximo capite ſunt expoſitæ, ſiquidem id omne, quod aulico præbent, aut ad litteras, aut ad

Digitized by Google

pingendi peritiam, aut ad muſicam, aut ad gymnicam attinere videtur, præter facetos ſermones, quos aulico poſtremò aſcripſerunt. formant itaque aulicum ex 4. partibus, quæ ſuperiùs demonſtratæ ſunt, & ex peritia mouendi auditores ad riſum, quæ facetis ſermonibus conſtat. hunc enim aulicum perfectum arbitrantur. Inter loquendum tamen non modò hæc quinque aulici partes eſſe tradunt, ſed quaſi virtutes omnes, potiſſimùm modeſtiam, optimum in armis habitum, temperantiam, manſuetudinem, continentiam, dicacitatem atque taciturnitatem, ſemper cùm opus fuerit, integritatem in dictis, atque factis: aſſerunt etiam aulicum, nec ſubdolum, neque mendacem, neque maledicum, neque adulatorem, neque delatorem, neque obtrectatorem, neque inuidum eſſe debere, ſed (vt vno verbo complectar omnia) in cunctis integerrimum. Ægidius Romanus doctor egregius eo libro quem de regimine principum ſcripſit, poſt multa verba libro 2. parte 3. capite 18. concludit curialitatem, quam nos aulicam virtutem vocamus, eſſe quodammodo virtutem omnem ratione habita ad morum nobilitatem, modo videlicet quo virtus ipſa legitima vniuerſa virtus eſt, vt 5. Ethicorum probauit Ariſtoteles. verùm (vt inquit) licèt curialitas ipſa omnis virtus ſit, tamen per quandam excellentiam, partes aulicas continet, quæ ſunt largitas, atque affabilitas, largitas quidem (vt inquit) quantum ad ſumptus ipſos, affabilitas, quantum ad conuerſationem. vbi Ægidius, vt conſtat, ab aulico vrbanitatem dimouit.

De multiplici errore huius opinionis.

CAPVT XII.

SED pace horum dixerim, huius opinionis errata plurima ſunt: primum quidem quòd ocij partes (quas deſcripſimus,) non aulici, ſed palatini comitis ſint, quo etiam errore Ægidius eſt lapſus: comes enim palatinus, vt principis aula dignus cenſeatur, litteras, muſicam, pingendi facultatem, atque gymnicam non ignorare debet: ſic enim (vt Ariſtoteles dicebat) æqualis principi efficitur, vt licèt ſuperetur

retur à principe potentia, atque opibus, excellat tamen eum diſciplinis huiuſmodi: quòd ſi æqualis euaſerit principi, & comes, & amicus eſſe poterit. Deinde ſi aulicus iis omnibus eſſet inſtituendus, quæ illi explicarunt, tunc virtus aulica contineret, atque complecteretur virtutes omnes, quibus vir probus emicat; quod licèt Ægidius conceſſerit, tamen erraſſe videtur, nam eueniret, vt idem eſſet vir probus, atque probus aulicus. hoc enim falſum eſſe nemo dubitare debet, qui peripateticam moralitatem deguſtauit: vt enim non eſt idem vir probus atque ciuis probus auctore Ariſtotele, ſic fieri non poteſt vt idem ſit vir probus, atque probus aulicus. Inſuper habitus, quo quis aulicus dicitur, non eſt habitus, quo quis dicitur continens, aut temperans, aut modeſtus, aut iuſtus, aut alia quauis virtute expolitus. Non igitur virtus aulica virtutes omnes cõplectitur. Eſt enim virtus aulica virtus quædam particularis, qua quiſpiã aulicus eſt, nec ſequitur vt eadem virtute ſit liberalis, & iuſtus, & fortis: vnde quemadmodum qui manſuetus eſt, eo habitu quo eſt manſuetus, non eſt fortis, neque liberalis, neque temperans, neque aliquid tale conſequitur: ſic qui aulicus eſt, eo habitu, quo eſt aulicus, nulla alia virtute excolitur quàm aulica. Id autem quod decipit eos, eſt: perſæpe euenit, vt in eodem viro cum aulica ipſa virtute plures aliæ eluceant, ſic profecto vt idem vir ſit & aulicus, & modeſtus, & verax, & temperans, & huiuſmodi, & apud ſophiſtas nequaquàm ſequitur, ſi idem vir aulicus ſit, & fortis, vt virtus aulica fortitudinem complectatur: cauillus enim huiuſmodi ex loco ab accidente decipit. Poſtremò primi Reges, qui virtutem aulicam adinuenerunt, ea nullius alterius finis cauſa vſi ſunt, (vt auctor eſt Ariſtoteles in poëtica) niſi ad animum relaxandum: at cùm non ad alium finem ſit hæc virtus in aula inſtituta, nullam aliam virtutem complecti poterit. Sic enim non tantùm ad recreandum, ſed ad alium finem conſequendum illius inſtitutio à priſcis regibus fuiſſet inducta: cuius contrarium hiſtoriæ probant. Arbitrabantur igitur aulicum inſtituere, & virum probum deſcripſerunt, & quidem talem, qualis nemo fuit vnquam, neque quiſpiam erit, niſi fortaſſe in ipſa animi conceptione. Ægidius etiam deceptus eſt, qui vrbanitatem

Digitized by Google

ab aulico ſubtraxit, cùm hæc vt poſteriùs dilucidabitur, ſit aulici potiſſima pars: errauit etiam cùm dixerit largitatem partem aulicam eſſe, cùm largitas ad principem, & non ad aulicos attineat.

De re Aulica.
CAPVT XIII.

CVM nobis ſermo ſit futurus de virtute aulica, déque aulico ipſo, conſequens eſt diſquirere primò de re aulica: nam vt viſiua virtus, quæ natiua eſt, nobis conſtat re viſibili, & auditiua re ipſa audibili, & tactiua re quoque tangibili, & omnino virtus natiua omnis proprio obiecto, circa quod verſatur, nobis perſpicua redditur, fit vt primò declaremus rem aulicam. Sic enim mox virtus ipſa aulica patebit. In conuictibus itaque & colloquiis, congreſſionibúſque humanis vſus verborum atque rerum fiunt dupliciter, aut ſolùm ad delectationem, gaudiúmque inducendum in colloquentium, ac congredientium, conuiuentiúmque animos, aut non tantùm ad id conſequendum, verùm etiam ad captandum riſum. Eſt autem differentia inter riſum, & voluptatem: nam nemo ridere poteſt, niſi voluptate afficiatur, ac gaudeat, poteſt autem quis voluptate affici atque gaudere ſine riſu. Voluptatem efficiunt iucunda, de quibus Rhetoricorum primo diligenter diſſeruimus: talia ſunt & res, & verba, & geſtus, qui verbis efficaciam afferunt. Res quidem, vt cælum: nam vt cælum intueri voluptatem affert, ſic contrà tenebræ dolorem pariunt. vt ſimilia: ſiquidem conuerſari cum ſimilibus, voluptatis eſt cauſa: & per oppoſitum ſolitudo triſtitiam gignit. vt deſiderabilia, nam cùm deſiderabilia obtinuerimus, ſumma voluptate mouemur. Sunt & aliæ res plurimæ, quæ voluptatem nobis conferunt, de quibus in Rhetoricis: ſed hæc ſufficiant pro exemplis rerum quæ delectant. Verba autem voluptatem ingerunt, cùm teſtantur nos virtute præditos eſſe, vel cùm obtegunt vitia, vel indicant beneuolentiam erga nos. Nullus enim eſt qui virtutem ingenito appetitu non diligat ac velit, & cùm non habeat, videri virtute clarus non exoptet. Hac ratione Niceſias cùm videret Alexan-

drum Magnum petitum à muſcis: quanto inquit hæ cæteris præſtant, quæ ſanguinem tuum deguſtant, Imperator. Et cùm vulneratum eum conſpiceret, illud Homericum ſtatim protulit, *qualis diuorum percurrit corpora ſanguis*. Hages Argius, Cherilus, & Cleo Siculus Alexandrum adulando deum eſſe ante mortem cecinerunt. Decius Laberius rogatus à Cæſare, vt in ſcenam prodiret, reſpondit nihil tanto viro ſe denegare poſſe, cui & ipſi dij omnia tribuiſſent. Geſtus verò gaudium nobis efficiunt, cùm probant, aut amplificant verba, quæ in conuictibus, colloquiis, ac congreſſionibus voluptatem agunt, aut obtegunt vitia, defectúſque ipſos, aut amorem præſeferunt. Cliſophus Philippi Macedonis aſſentator claudum ſe effingebat, quia Philippus crus fractum haberet, nec ob aliud, niſi vt oſtenderet, non eſſe turpem Philippo cruris fracturam. Temporibus noſtris Franciſcus Pandonus, os oculóſque contorquebat, quia Ferdinandus iunior, cui adulabatur, iis rebus laborabat, nec aliam ob rem, niſi vt geſtibus etiam Ferdinandi turpitudinem imitatione obtegeret, illámque probaret. Timagoras Athenienſis Darium Regem Perſarum adorauit, vt eo geſtu magis regi adularetur. Ariſtippus Dionyſij Syracuſani pedes oſculatus eſt, vt ipſo quoque geſtu adularetur. Chariſophus cùm videret Dionyſium cuius erat adulator, in colloquiis ridentem, procul quoque ridebat, vt ea imitatione blandiretur. Vna igitur pars rerum aulicarum eſt ſermo iucundus & geſtus accommodatus, qui in principum colloquiis, conuictibus, ac congreſſionibus exercentur: circa enim hos verſatur vel maxima pars virtutis aulicæ. Altera verò ſpecies rerum aulicarum eſt ſermo ridiculus, vel geſtus, qui in congreſſionibus principum fieri ſolent: circa enim hos verſatur altera pars virtutis aulicæ. Diximus verò in congreſſionibus principum, quoniam ſi ſermones iucundi vel geſtus, & ſermones ridiculi vel geſtus agerentur in congreſſionibus, conuictibus, ac colloquiis priuatorum, virtus quæ circa eas res verſatur, non aulica, ſed vrbana, aut affabilis diceretur, vt poſtea exponemus. Nam vt homo pater eſt, dum refertur ad filium, ſic vrbanus & affabilis aulicus dicitur, ſi refertur ad principum aulam. Qua ratione fit, vt aulica ipſa virtus duas comple-

ctatur virtutes morales, quæ in conuictibus, congreſſionibus, atque colloquiis ſpectantur, quarum altera affabilitas, altera vrbanitas nuncupatur ab Ariſtotele. Quare opus eſt, vt vtranque exponamus: ſed primò de origine ortúque virtutis aulicæ, & apud quos primò emerſit, & cuius gratia, nobis diſſerendum eſt.

Vnde orta aulicaria, & apud quos primò emerſerint, & cuius gratia.

Capvt XIV.

AVLICARIA itaque primò nobis dediſſe naturam teſtantur animalia. nam auibus paruis natura ſola operante aulicus eſt Aſſio, atque Noctua, quæ auibus paruis ferè omnibus affert voluptatem: eſt autem nobis argumento auceps, qui Aſſione vel Noctua auibus demonſtrata, fiſtuláque vocando, viſco eas decipiendo capit. Nam licèt nec Aſſio, nec Noctua ridicula volucribus proferat, ſuis tamen geſtibus, atque forma eas mouet ad voluptatem. Bubo verò aduncis auibus aulicus eſt, nam ſua forma, ac ſpecie, ſuiſque motibus eas mouet ad delectationem. Vulpes Coruis aulica eſt, & propter hanc cauſam, quum Coruus pugnat cum Æſalone, vulpes ei auxiliatur. Vulpi quoque Serpens aulicus eſt, & ob eam rem vulpes in eadem cauerna viſo ſerpente voluptate affecta commoratur. habere enim vim quandam naturalem animantes in quauis animi affectione videntur, vt putà prudentia, ſtultitia, fortitudine, ignauia, clementia, acerbitate, ſic etiam in rebus aulicis. Naſcuntur etiam inter homines, & viri & mulieres natura aulici. vnde & Ariſtoteles 3. Rhetoricorum libro aſſerit ingenioſi eſſe natura, facetè dicere, ſed facetè docere dicere, eſſe artis Rhetoricæ. & ob id Victorinus dictitabat, natura fieri hominem habilem, arte facilem, vſu ac exercitatione admodum potentem. A natura deinceps homines accipientes exemplar inuenerunt primò comica, & tragica, quæ voluptatem & riſum afferunt audientibus. habitique ſunt primi aulici, quaſi comici, & tragici, apud Dorienſes, & Megarenſes, &

apud eos, qui ex Sicilia orti ſunt. Adeſt ratio, quoniam apud eos primum populare imperium ortum eſt: illic ſiquidem poëta fuit Epicharmus, qui multo ante Chonidum, & Magnetem fuit. Sunt qui etiam (vt Ariſtoteles inquit in poëtica) in Peloponneſo à nomine capientes argumentum, comica, ac vrbana omnia orta eſſe autument: nam comas ab illis vocari colonos aiunt. propterea eo libello Ariſtoteles docuit quæ ridicula comicis idonea fuerint, quæve tragicis: omnia enim hæc vrbana eſſe videntur, ac affabilia, etſi tragica magis vrbana, comica verò ſcurrilia ſint. Eodem quoque tempore cœperunt aulica locum habere apud Reges, aulicique eſſe, vt Appollophanes apud Antigonum, Timagoras Athenienſis apud Darium, Cliſophus atque Patroclites apud Philippum Macedonem, apud Alexandrum Niceſias, Caliſthenes, Medius, atque Lyſimachus; Cariſophus, & Ariſtippus, apud Dionyſium. vnde verò inducta fuerunt aulicaria apud Reges, licèt fortè ex comicis, & tragicis profecta ſint, partim tamen natura, partim beneficio emerſerunt. Natura quidem, nam ex principibus aliqui natura ita inſtituti ſunt, vt ſeria velint, & ſcurrilia omnino à ſe ablegent: vt Auguſtus, adeo vt ſe dominum appellari ne à liberis quidem, & nepotibus ſuis ſerio vel ioco ſuſtinuerit. Cæſar quoque Tiberius ſimili ratione. Ageſilaus etiam Lacedæmoniorum Rex, aliique plurimi. Rurſus ſunt quoque Reges, qui natura aulicariis ipſis gaudeant, ſummáque voluptate afficiantur, vt Philippus, Alexander, Darius, aliique complures. Beneficio verò, nam cùm hominum vita, tum corporis, tum animi laborum ac moleſtiarum plena ſit, iccirco poſt labores requies quæritur, in qua recreetur animus vnà cum corpore, atque inter moleſtias iocus: natura enim duce ad requiem trahimur, ac voluptatem. Hac ratione à bene conſtitutis populis, & à Romanis præcipuè gentium dominis, ludi fuere diuerſi generis inſtituti atque theatra, quibus ſpectandis, tum populus vniuerſus tum Magiſtratus ipſi quotidianis à laboribus, negotiiſque, & priuatim, & publicè ſuſceptis reſtaurarentur, quando & foſſores, & qui cædendis exercentur lapidibus, & iocos inter ſe effundunt oblectandi gratia, & vbi illa defue-

Digitized by Google

rint, cantu laborem mulcent, leniúntque ærumnas diurnas. Quare cùm Reges negotiorum multitudine feſſi euadant, recreatione indigent. recreatio verò potiſſimùm in aulicariis habetur, partim quia ridicula, partim quia iucunda ſunt. vnde & medici hæc idonea eſſe probant iis potiſſimum, qui ex laboribus ſunt extenuati, ac triſtes, cùm iucunda, ac ridicula ſanguinem augeant, ac ſpiritus inſtaurent. contrà verò triſtitia, ac dolor oſſa ferè tota conterunt, & carnem exhauriunt.

De affabilitate, quæ eſt vna ex partibus aulicæ virtutis.

CAPVT XV.

QVONIAM (vt diximus) virtus ipſa aulica duas partes complectitur, affabilitatem ac vrbanitatem, modò hæ apud principum aulas exerceantur, de affabilitate primò diſſerendum, atque de illius extremis. habent enim ſermones, & geſtus iucundi, & extrema, & mediũ: medium quidem, ſi debitis, iuſtiſque circunſtantiis afficiantur: extrema verò, ſi circunſtantiæ non affuerint, quibus debitum medium circunſcribatur. In congreſſionibus igitur, conuictibus, verborum ac geſtuum communi vſu, nonnulli placidi ſunt, qui vt voluptatem afferant congredientibus, laudant omnia, nihilque aduerſantur, putantes ſeſe moleſtos cuiquam eſſe oportere nequaquam. qui ſi placere ſtudent non ob aliud niſi voluptatis cauſa, placidi vocantur: at ſi emolumenti ſui cauſa id agunt, vt videlicet inde in pecuniis, vel in iis, quæ pecuniis comparantur, vtilitas proueniat, adulatores dicuntur. Nonnulli verò ſunt qui in omnibus aduerſantur, nec curã vllam habent num dolorẽ afferant, odiúmve in ſe contrahant, & hi difficiles, vel inhumani, vel contentioſi dicuntur. At qui medium inter hos tenent, quoniam laudant ea quæ oportet, & vt oportet, & quando, & vbi, & ſic de cæteris vt oportet, ſimiliter aduerſantur, ac ægrè ferunt ea, quæ oportet, & vt oportet: hi licèt nomine vacent, tamen de licentia affabiles dicuntur, vel amici, vel iucundi: ſunt enim affabiles qui verbis ac geſtibus ea laudant vel ægrè ferunt, quæ oportet, &

Digitized by Google

quibus perſonis, & quando, & vbi, & eo modo quo oportet: qua ratione fit, vt extremi vitio notentur: medij verò, qui affabiles ſunt, virtute indicentur. Nec vna ratione medij huiuſmodi conuerſari ac colloqui poſſunt cum omnibus: nam alia ratione cum iis, qui in dignitatibus ſunt conſtituti colloquendum eſt, apud quos non affabiles, ſed aulici nuncupantur. Alia verò ratione cum priuatis perſonis, apud quos affabiles dicuntur. inſuper aliter cum magis vel minus notis. Hactenus de affabilitate, quæ eſt altera pars virtutis aulicæ.

De ſermonibus, ac geſtibus affabilibus.

CAPVT XVI.

CVM verò affabilis medius ſit inter facilem, qui & placidus ſiue adulator ac aſſentator eſt, & inter difficilem, qui & inhumanus, & contentioſus exiſtit, fit vt affabilis ſit geſtibus, ac ſermonibus iucūdus. Quare de ſermonibus & geſtibus iucundis aliqua afferamus. Nam (vt diximus) & res, & ſermones, & geſtus Ariſtoteles nonnullos iucundos eſſe autumat, de quibus primo Rhetoricorum ſatis dilucidè locutus eſt. de rebus iucundis, ac dolorificis nunc omittamus. Sermones verò, ac geſtus (vt ſuperiùs diximus) ſunt, qui principibus aut virtutem, laudémque teſtantur, aut vitia, corporiſque fœditates obtegunt, aut erga eos amorem demonſtrant. Cùm enim principes probos innata propenſione ſeſe eſſe velint, aut ſaltem videri tales, fit, vt ea verba, ac geſtus illis ſint iucundi, quibus vel ſe eſſe probos arbitrantur, vel videri tales, aut ſaltem quibus eorum vitia obteguntur, aut quibus amor erga eos declaratur. verùm iucundi ſermones aut geſtus, bifariam ſunt, aut cum delectu, aut ſine delectu: delectu quidem ſermones ac geſtus iucundi ſunt qui iis circunſtantiis circunſcribuntur, quibus actiones probæ virtutéſque conſtituuntur. perficiuntur autem atque redduntur actiones probæ circunſtantiis huiuſmodi, ſi qui agunt (vt diximus) & ſicuti oportet, & quando oportet, & quantum oportet agunt, modúmque in cunctis retinent, ne aut nimia ſit eorum actio, aut remiſſior, minimáque, vtque & loci meminerint,

Digitized by Google

affectus eſt, & in illis magnam vitæ partem conſumit. Quare quum hiſtrionica, ac ſcurrilia circunſtantiis condiantur, quibus officioſi actus affici ſolent, potiſſimùm ſi cum ſalibus miſceantur ad virtutem redigentur, & principibus placebunt, qui probi ſunt, aut probi eſſe cupiunt: hoc pacto hiſtrionica atque ſcurrilia (vt poſteriùs apertum erit) non erunt omnino ab aula exigenda.

Diomedis opinio de Aulico, réque ipſa Aulica.

CAPVT VIII.

EX iis verò, quæ 8. Ethicorum Ariſtoteles inquit, (vt puto) Diomedes Garafa Madaloni Comes illuſtris, apud regem Ferdinandum primum aulicus eximius, in eo libello, quem de aulico ſcripſit, opinatur eum fortaſſe virum aulicum eſſe, qui in iis principi placere ſtudet quibus ſumma voluptate ipſe afficitur. Nam cùm princeps ſit id, cuius gratia aulicus agit, ea agere aulicus, (vt inquit) enitatur, quæ principi iucunda ſunt, & quatenus hæc aget, eatenus rationem veri aulici ſeruabit. Nec ab ratione videntur hæc, quæ vir ille tradit. nam quemadmodum in Dei ſummi aula, cœlicolæ ipſi quia Dei aulici ſunt, ea dumtaxat agunt, quæ Deo placent, quæque eius voluntati iucunda ſunt, & per hoc aulici cenſentur: ita in aula humanorum principum aulicus ille eſt habendus, qui ea agit, quæ ſuo principi placent: ſic enim princeps refocillabitur, atque ſumma voluptate afficietur. Præterea (vt ex Heſiodi carmine apertum eſt) quæ principem actio præcipuè delectat, ea eſt quaſi ſuum illius eſſe, quoniam eius gratia viuere eligit, quatenus ad eam aut omnem vitam, aut maiorem vitæ partem deſtinauit. hinc nonnulli optimi aulici habentur, qui in ea actione principi cooperantur, quam ille maximè diligit, & in qua pro maiore ſuæ vitæ parte viuit. Vt ſi princeps muſica afficiatur, prudens aulicus muſicæ ſtudere enitatur; ſi litteris, ipſe quoque aulicus eidem doctrinæ generi incumbat: ſi præterea ille figurandi peritia oblectetur, hic illo ipſo ſtudio teneatur: ſi gymnicis ille ſe exerceat, hic qui gratiam captare exoptat apud ſuum Regem in gymnicis vim omnem experiatur. Cùm au-

Digitized by Google

tem aulicus gratiam apud regem nactus fuerit, ſequuntur (vt inquit) duo vt optima, quorum alterum ſibi, alterum ſuo principi conducere videtur: ſibi quidem, quoniam ea omnia à principe obtinere facilè poterit, quæ ſibi ſunt vtilia, atque honorifica: principi verò, quia ex gratia his artibus parta facilè monere, hortari, trahere & perſuadere poterit principi, quæcunque proba atque honeſta ſunt, vt iuſtitiam, clementiam, liberalitatem, magnificentiam, atque virtutes omnes, quibus princeps clarus habebitur: non enim ad perſuadendũ parum gratia valere cenſetur, vt Ariſtoteles docuit 2. Rhetoricorum. Oratores enim perſuadent elocutione delectando, affectibus animum audientium mouendo, atque rationibus & argumentis ratiocinando. potiſſimùm autem affectibus, quorum præcipua in mouendo eſt gratia. Quæ igitur ille vir arbitratur de Aulico, hæc breuibus collegimus: nam plura dicit, quæ mihi non viſa ſunt neceſſaria.

Refutatio.

CAPVT IX.

SED pace tanti viri dixerim, hic docuit formare obedientem atque obſequioſum, non autem aulicũ. Seruus enim (vt Ariſtoteles primo Politicorum auctor eſt) prudens eſt, qui voluntati domini obtemperare bene nouit, ſiue voluntas honeſta, ſiue improba fuerit. denique qui ſe totum ad alicuius arbitriũ præbet, non eſt ſui iuris, qui verò ſui iuris non eſt, nec liber quidẽ, ſed ſeruus cenſetur. Qua ratione fit vt vir ille non virtutem aulicam ſed ſeruitutem docuerit. At qui ſcripſerunt de aula, non eoſdem ſeruos eſſe dicunt & aulicos. Sunt enim in aula principis vna pars mulierum, de qua 2. libro dicemus: altera virorum, quorum alij ſerui dicuntur. non quidem (vt Cicero in Paradoxis inquit) lege vel natura, ſed qui Attrienſes appellantur, quoniam miniſtrant ea omnia, quæ pro magnificentia, atque neceſſitate principis idonea ſunt. Alij comites palatini, qui commenſales vulgò hodie dicuntur, quorum officium eſt comitari principem ſemper cùm opus fuerit. Alij ſunt aulici, quorum officium eſt principes iocis oblecta-

Digitized by Google

re in colloquiis, cùm ſe alienauerint à publicis negotiis. Vir igitur ille non aulicum inſtituit, ſed ſeruum, docuit enim bene ſeruire quidnam ſit, non autem bene recreare. ea verò quæ pro ſua opinione induximus, voluptifica principi ſunt, non propter ſermones & geſtus, ſed propter vtilitatem vel voluptatem. Nos autem eum quærimus, qui ſermonibus, & colloquiis, ac geſtibus principes honeſtè recreare poſſit.

Opinio quæ de Aulico habetur ex 8. libro Politicorum Ariſtotelis, & de ocio Principum.

CAPVT X.

QVONIAM actiones aulicæ (quæcunque ſint) non exercentur apud principem, niſi cùm princeps fruitur ocio, & ab ipſis negotiis feriatur, vt diximus, gratia relaxandi animum: ideo de ocio, quod principibus ingenuiſque viris idoneum fuerit, agendum primò nobis eſt. Nam ex hoc facilè opinio patebit, quæ ex verbis Ariſtotelis colligi poteſt, de aulico: itaque cùm homines non ſolùm in negotiis, ſed etiam in ocio cum laude verſentur, (vtriſque enim humanæ vitæ opus eſt) fit vt in ocio delectabiliùs verſari debeant. eſt enim expetibilius, cùm per ipſum & voluptatem, & felicitatem habeant, quæ in negotiis eſſe nequeunt. qui enim negotium agit, alicuius finis gratia id agit, tanquam qui deſit. finis autem felicitas eſt, quam non cum dolore ſed cum voluptate omnes eſſe putant. ocium igitur negotio præferendum eſt, ea quidem ratione, qua finis præfertur iis, quæ ſunt ad finem. Ex quo euenit, vt optimos principes deceat ſecundum aliquam ſuæ vitæ partem in ocio degere. nec id ipſum quidem in ludis ponere honeſtum eſt, nam ſic neceſſe foret ludum eſſe vitæ finem. nec in ſomno ocium ponendum eſſe puto, quippe cùm ſomnus ſit mortis imago, in qua nullus felix eſſe poteſt. perſpicuum igitur erit ocium honeſtum, atque præclarum in 4. reponendum eſſe, in litteris, pictura, gymnica, & muſica: ſine litteris enim ocium felix eſſe non poteſt, nam ocium ſine litteraria voluptate mors eſt,

Digitized by Google

& viui hominis ſepultura. ob id Maior Scipio à re militari, vel rei ciuilis adminiſtratione ſecedens, ocium ad litterarum ſtudia conuertebat, & propter id dictitare ſolebat ſe numquam minus ſolum eſſe, quàm cùm eſſet ſolus, & numquam minus ocioſum quàm cùm ocioſus eſſet: putans ſe in ocio multò plura facere, quàm in negotiis. Et Cato Maior non minus ocij quàm negotij reddendam rationem arbitrabatur. Quanti verò apud principes olim litteræ fuerint, teſtes ſunt Xerxes, Philippus, Alexander, Ptolemæus, Antigonus, Archelaus, Cæſares denique Romani Principes omnes, qui pariter militarem, ac litterariam diſciplinam percallebant. hi enim tanti litteras feciſſe memorantur, vt libros & litteras regiam ſupellectilem, & præcipua ornamenta dixerint. Nec id immeritò quidem, nam cùm cætera tempore & ſeneſcant & exoleant, ſola ſcientiarum monimenta edacis temporis ſenium, mortémque non ſentiunt. nec per litteras intelligere volumus peritiam legum, licèt principem non ſolùm leges callere oporteat, ſed eſſe legem ipſam, nec cæteras mercenarias facultates: ſed eas principi ſcientias adiudicamus, quæ liberales ſunt, ac inuentæ propter delectationem tantùm: hæ enim nec corpus lædunt, nec mentem ad vſum, atque virtutum opera reddunt inutilem. Picturæ etiam cognitio non minus litteris digna, atque voluptifica eſt principibus, cùm in ocio degerint, nec minus fortaſſe vtilis. hæc enim in litterarum figuris, geometricarúmque deſignatione rerum conſiſtit, quæ ad coſmographiam, topographiam, chorographiam neceſſaria eſt. proinde pro ſolidis, atque planis dimetiendis latitudinibus, atque profunditatibus apprehendendis, quænam facultas pictura ipſa vtilior eſſe poterit? Hæc autem quàm dulcia, quámque iucunda, atque vtilia principibus ſint, præſertim iis ducibus, qui in bellicis ſe exercent ſtudiis, nemo eſt qui dubitet. Paulus Æmilius victo Perſeo Athenas pertranſiens, ab Athenienſibus pro filiis inſtituendis inſignem philoſophum, ac pictorem pariter petiit, ad quem Methrodorum miſerunt, qui & philoſophiam & picturam apprimè callebat. Alexander Macedo philoſophos atque pictores miro proſequebatur amore. quod quidem vel ex hoc cernitur: nam cùm amaret ſupra

Digitized by Google

pellices ſuas omnes Campſacen quandam nomine, quæ non tamen facie, ſed totius quoque corporis membris, omnium ſpecioſiſſima habebatur. cúmque ea de cauſa Appellem rogaſſet, vt eam nudam pingeret, annuit pictor, eámque nudam oſtendendàm ſibi curauit, qua viſa tanta eius formæ cupiditate correptus eſt, vt in eam ad inſanos vſque amores exarſerit: cuius rei certior factus Rex, illam eueſtigiò Appelli dono dedit, & delicias tori ſui, placitóſque amoris affectus eidem tradidit, ac pertulit, vt ea quæ modò regis fuiſſet dulces deliciæ, quamprimum pictori fieret liberale donum: quod quidem nobis maximo argumento erit, vt credamus Alexandrum non minus pictores quàm philoſophos dilexiſſe. Iucundam quoque principibus atque voluptificam eſſe muſicam, cùm ocio frui voluerint, non modò Ariſtoteles affirmat, ſed Plato quoque ad animi exercitationem vtilem eſſe probauit, non ſecus atque ad corporis agilitatem gymnicam. Verùm ſicuti aſſidua corporis exercitatio hominem hebetiorem ingenio efficit, ſic continua muſicæ oblectatio animum effeminat, atque corporis vires eneruat. Lycurgus muſicen à natura hominibus traditam eſſe dicit, ad tolerãdos faciliùs humanos labores, & hac ratione ductus in re militari tibias conſtituit & anapæſti concentum, vt bellatores redderet promptiores alacrioréſque in laboribus periculíſque & celeriter ſubeundis, & fortiter tolerandis. Lacedæmoniorum enim acies in prælio contra Meſſenios iam inclinaſſent, ac ſuccubuiſſent prorſus, niſi Tyrteus tibiæ modulis in ſpondeum mutatis, eas erexiſſet, atque ex victis victores reddidiſſet. Cimon in conuiuio quodam Themiſtocli prælatus eſt, quòd iocundè ad lyram ceciniſſet, Themiſtocles verò recuſaſſet. & inter Epaminundæ Thebani virtutes in primis laudauerunt, quòd præclarè ad citharam, & ad tibias cantaret. Propter hanc cauſam in ocio principum Græci muſicam valde optarunt. priſci etiam ad manſuefaciendos feros hominum mores quaſi pharmacon muſicen inuenerunt. Pythagoras cùm noctu vicini domum latrones inuaſiſſe audiret, eos modulis ac lyræ concentu detinuit, donec domus ſeruata eſſet. ſic Amphion, ſic Orpheus, ſic Solon poëmata ac muſicam ad continendum hominum mores induxerunt. Linus

Digitized by Google

quoque Eumolpus, Silenus Thamyras, & qui tales fuêre, dulciloquo poëmate mulcente muſica, & penè animos euocante ſacra cecinêre. Quantum verò principibus voluptifica atque iucunda ſit Gymnica, cùm ociantur, facilè cognoſcitur ex his. Nam quemadmodum litteræ, pictura, & muſica ad animi exercitationem, & ad ocij tranquillitatem, atque decorum vtiles ſunt, ſic ad corporis vegetationem gymnica proſunt: & vt muſica, cùm aſſidua fuerit animum effœminat, ita continua corporis exercitatio hominem hebetiorem ingenio efficit. Gymnica facultas erat apud Græcos, qua homines in ludo quinque artes exercebant, vt curſum, ſaltum, palæſtram, telorum iaculationem, atque diſcum. Nos autem gymnicam intelligimus facultatem, qua corpus ſe exercet quouis modo, tam equitando, quàm progrediendo, modò exercitationes moleſtæ, nec molles, nec violentæ, ſed moderatæ fuerint, inter quas (vt Plato libro 7. de legibus demonſtrauit) conuenientiſſima videtur venatio, quæ claris principibus ſemper fuit gratiſſima, & quaſi eorum peculiare ſtudium, de qua multa ſcripſimus in libro de optimo principe. Quibus exploratis, aulicus videbitur eſſe, qui in his omnibus vel pluribus principem in ocio colloquiiſque ocioſis blandè demorari poterit. Nam cùm finis aulici ſit principem ipſum recreare, potiſſimùm poſt negotia, quibus princeps feſſus cognoſcitur, cúmque (vt diximus) per hæc animus principis magis quàm per cætera recreetur, fit vt aulicus, qui ad nihil aliud quàm ad recreationem eſt inſtitutus, hæc quæ diximus pernoſſe debeat, ſic enim finem ſuum obtinebit.

Quæ de Aulico Neoterici.

CAPVT XI.

EX his quæ diximus, facilè ad artem reduci poſſunt, quæcunque Neoterici de aulico longiſſimis verbis ſcripſerunt: nam partes omnes, quibus aulicum conſtituunt, non aliæ ab iis ſunt, quæ proximo capite ſunt expoſitæ, ſiquidem id omne, quod aulico præbent, aut ad litteras, aut ad

pingendi peritiam, aut ad muſicam, aut ad gymnicam attinere videtur, præter facetos ſermones, quos aulico poſtremò aſcripſerunt. formant itaque aulicum ex 4. partibus, quæ ſuperiùs demonſtratæ ſunt, & ex peritia mouendi auditores ad riſum, quæ facetis ſermonibus conſtat. hunc enim aulicum perfectum arbitrantur. Inter loquendum tamen non modò hæc quinque aulici partes eſſe tradunt, ſed quaſi virtutes omnes, potiſſimùm modeſtiam, optimum in armis habitum, temperantiam, manſuetudinem, continentiam, dicacitatem atque taciturnitatem, ſemper cùm opus fuerit, integritatem in dictis, atque factis: aſſerunt etiam aulicum, nec ſubdolum, neque mendacem, neque maledicum, neque adulatorem, neque delatorem, neque obtrectatorem, neque inuidum eſſe debere, ſed (vt vno verbo complectar omnia) in cunctis integerrimum. Ægidius Romanus doctor egregius eo libro quem de regimine principum ſcripſit, poſt multa verba libro 2. parte 3. capite 18. concludit curialitatem, quam nos aulicam virtutem vocamus, eſſe quodammodo virtutem omnem ratione habita ad morum nobilitatem, modo videlicet quo virtus ipſa legitima vniuerſa virtus eſt, vt 5. Ethicorum probauit Ariſtoteles. verùm (vt inquit) licèt curialitas ipſa omnis virtus ſit, tamen per quandam excellentiam, partes aulicas continet, quæ ſunt largitas, atque affabilitas, largitas quidem (vt inquit) quantum ad ſumptus ipſos, affabilitas, quantum ad conuerſationem. vbi Ægidius, vt conſtat, ab aulico vrbanitatem dimouit.

De multiplici errore huius opinionis.

CAPVT XII.

SED pace horum dixerim, huius opinionis errata plurima ſunt: primum quidem quòd ocij partes (quas deſcripſimus,) non aulici, ſed palatini comitis ſint, quo etiam errore Ægidius eſt lapſus: comes enim palatinus, vt principis aula dignus cenſeatur, litteras, muſicam, pingendi facultatem, atque gymnicam non ignorare debet: ſic enim (vt Ariſtoteles dicebat) æqualis principi efficitur, vt licèt ſuperetur

retur à principe potentia, atque opibus, excellat tamen eum diſciplinis huiuſmodi: quòd ſi æqualis euaſerit principi, & comes, & amicus eſſe poterit. Deinde ſi aulicus iis omnibus eſſet inſtituendus, quæ illi explicarunt, tunc virtus aulica contineret, atque complecteretur virtutes omnes, quibus vir probus emicat; quod licèt Ægidius conceſſerit, tamen erraſſe videtur, nam eueniret, vt idem eſſet vir probus, atque probus aulicus. hoc enim falſum eſſe nemo dubitare debet, qui peripateticam moralitatem deguſtauit: vt enim non eſt idem vir probus atque ciuis probus auctore Ariſtotele, ſic fieri non poteſt vt idem ſit vir probus, atque probus aulicus. Inſuper habitus, quo quis aulicus dicitur, non eſt habitus, quo quis dicitur continens, aut temperans, aut modeſtus, aut iuſtus, aut alia quauis virtute expolitus. Non igitur virtus aulica virtutes omnes cõplectitur. Eſt enim virtus aulica virtus quædam particularis, qua quiſpiã aulicus eſt, nec ſequitur vt eadem virtute ſit liberalis, & iuſtus, & fortis: vnde quemadmodum qui manſuetus eſt, eo habitu quo eſt manſuetus, non eſt fortis, neque liberalis, neque temperans, neque aliquid tale conſequitur: ſic qui aulicus eſt, eo habitu, quo eſt aulicus, nulla alia virtute excolitur quàm aulica. Id autem quod decipit eos, eſt: perſæpe euenit, vt in eodem viro cum aulica ipſa virtute plures aliæ eluceant, ſic profecto vt idem vir ſit & aulicus, & modeſtus, & verax, & temperans, & huiuſmodi, & apud ſophiſtas nequaquàm ſequitur, ſi idem vir aulicus ſit, & fortis, vt virtus aulica fortitudinem complectatur: cauillus enim huiuſmodi ex loco ab accidente decipit. Poſtremò primi Reges, qui virtutem aulicam adinuenerunt, ea nullius alterius finis cauſa vſi ſunt, (vt auctor eſt Ariſtoteles in poëtica) niſi ad animum relaxandum: at cùm non ad alium finem ſit hæc virtus in aula inſtituta, nullam aliam virtutem complecti poterit. Sic enim non tantùm ad recreandum, ſed ad alium finem conſequendum illius inſtitutio à priſcis regibus fuiſſet inducta: cuius contrarium hiſtoriæ probant. Arbitrabantur igitur aulicum inſtituere, & virum probum deſcripſerunt, & quidem talem, qualis nemo fuit vnquam, neque quiſpiam erit, niſi fortaſſe in ipſa animi conceptione. Ægidius etiam deceptus eſt, qui vrbanitatem

Digitized by Google

ab aulico ſubtraxit, cùm hæc vt poſteriùs dilucidabitur, ſit aulici potiſſima pars: errauit etiam cùm dixerit largitatem partem aulicam eſſe, cùm largitas ad principem, & non ad aulicos attineat.

De re Aulica.
CAPVT XIII.

CVM nobis ſermo ſit futurus de virtute aulica, déque aulico ipſo, conſequens eſt diſquirere primò de re aulica: nam vt viſiua virtus, quæ natiua eſt, nobis conſtat re viſibili, & auditiua re ipſa audibili, & tactiua re quoque tangibili, & omnino virtus natiua omnis proprio obiecto, circa quod verſatur, nobis perſpicua redditur, fit vt primò declaremus rem aulicam. Sic enim mox virtus ipſa aulica patebit. In conuictibus itaque & colloquiis, congreſſionibúſque humanis vſus verborum atque rerum fiunt dupliciter, aut ſolùm ad delectationem, gaudiúmque inducendum in colloquentium, ac congredientium, conuiuentiúmque animos, aut non tantùm ad id conſequendum, verùm etiam ad captandum riſum. Eſt autem differentia inter riſum, & voluptatem: nam nemo ridere poteſt, niſi voluptate afficiatur, ac gaudeat, poteſt autem quis voluptate affici atque gaudere ſine riſu. Voluptatem efficiunt iucunda, de quibus Rhetoricorum primo diligenter diſſeruimus: talia ſunt & res, & verba, & geſtus, qui verbis efficaciam afferunt. Res quidem, vt cælum: nam vt cælum intueri voluptatem affert, ſic contrà tenebræ dolorem pariunt. vt ſimilia: ſiquidem conuerſari cum ſimilibus, voluptatis eſt cauſa: & per oppoſitum ſolitudo triſtitiam gignit. vt deſiderabilia, nam cùm deſiderabilia obtinuerimus, ſumma voluptate mouemur. Sunt & aliæ res plurimæ, quæ voluptatem nobis conferunt, de quibus in Rhetoricis: ſed hæc ſufficiant pro exemplis rerum quæ delectant. Verba autem voluptatem ingerunt, cùm teſtantur nos virtute præditos eſſe, vel cùm obtegunt vitia, vel indicant beneuolentiam erga nos. Nullus enim eſt qui virtutem ingenito appetitu non diligat ac velit, & cùm non habeat, videri virtute clarus non exoptet. Hac ratione Niceſias cùm videret Alexan-

Digitized by Google

drum Magnum petitum à muſcis: quanto inquit hæ cæteris præſtant, quæ ſanguinem tuum deguſtant, Imperator. Et cùm vulneratum eum conſpiceret, illud Homericum ſtatim protulit, *qualis diuorum percurrit corpora ſanguis*. Hages Argius, Cherilus, & Cleo Siculus Alexandrum adulando deum eſſe ante mortem cecinerunt. Decius Laberius rogatus à Cæſare, vt in ſcenam prodiret, reſpondit nihil tanto viro ſe denegare poſſe, cui & ipſi dij omnia tribuiſſent. Geſtus verò gaudium nobis efficiunt, cùm probant, aut amplificant verba, quæ in conuictibus, colloquiis, ac congreſſionibus voluptatem agunt, aut obtegunt vitia, defectúſque ipſos, aut amorem præſeferunt. Cliſophus Philippi Macedonis aſſentator claudum ſe effingebat, quia Philippus crus fractum haberet, nec ob aliud, niſi vt oſtenderet, non eſſe turpem Philippo cruris fracturam. Temporibus noſtris Franciſcus Pandonus, os oculóſque contorquebat, quia Ferdinandus iunior, cui adulabatur, iis rebus laborabat, nec aliam ob rem, niſi vt geſtibus etiam Ferdinandi turpitudinem imitatione obtegeret, illámque probaret. Timagoras Athenienſis Darium Regem Perſarum adorauit, vt eo geſtu magis regi adularetur. Ariſtippus Dionyſij Syracuſani pedes oſculatus eſt, vt ipſo quoque geſtu adularetur. Chariſophus cùm videret Dionyſium cuius erat adulator, in colloquiis ridentem, procul quoque ridebat, vt ea imitatione blandiretur. Vna igitur pars rerum aulicarum eſt ſermo iucundus & geſtus accommodatus, qui in principum colloquiis, conuictibus, ac congreſſionibus exercentur: circa enim hos verſatur vel maxima pars virtutis aulicæ. Altera verò ſpecies rerum aulicarum eſt ſermo ridiculus, vel geſtus, qui in congreſſionibus principum fieri ſolent: circa enim hos verſatur altera pars virtutis aulicæ. Diximus verò in congreſſionibus principum, quoniam ſi ſermones iucundi vel geſtus, & ſermones ridiculi vel geſtus agerentur in congreſſionibus, conuictibus, ac colloquiis priuatorum, virtus quæ circa eas res verſatur, non aulica, ſed vrbana, aut affabilis diceretur, vt poſtea exponemus. Nam vt homo pater eſt, dum refertur ad filium, ſic vrbanus & affabilis aulicus dicitur, ſi refertur ad principum aulam. Qua ratione fit, vt aulica ipſa virtus duas comple-

Digitized by Google

ctatur virtutes morales, quæ in conuictibus, congreſſionibus, atque colloquiis ſpectantur, quarum altera affabilitas, altera vrbanitas nuncupatur ab Ariſtotele. Quare opus eſt, vt vtranque exponamus: ſed primò de origine ortúque virtutis aulicæ, & apud quos primò emerſit, & cuius gratia, nobis diſſerendum eſt.

Vnde orta aulicaria, & apud quos primò emerſerint, & cuius gratia.

Capvt XIV.

Avlicaria itaque primò nobis dediſſe naturam teſtantur animalia. nam auibus paruis natura ſola operante aulicus eſt Aſſio, atque Noctua, quæ auibus paruis ferè omnibus affert voluptatem: eſt autem nobis argumento auceps, qui Aſſione vel Noctua auibus demonſtrata, fiſtuláque vocando, viſco eas decipiendo capit. Nam licèt nec Aſſio, nec Noctua ridicula volucribus proferat, ſuis tamen geſtibus, atque forma eas mouet ad voluptatem. Bubo verò aduncis auibus aulicus eſt, nam ſua forma, ac ſpecie, ſuiſque motibus eas mouet ad delectationem. Vulpes Coruis aulica eſt, & propter hanc cauſam, quum Coruus pugnat cum Æſalone, vulpes ei auxiliatur. Vulpi quoque Serpens aulicus eſt, & ob eam rem vulpes in eadem cauerna viſo ſerpente voluptate affecta commoratur. habere enim vim quandam naturalem animantes in quauis animi affectione videntur, vt putà prudentia, ſtultitia, fortitudine, ignauia, clementia, acerbitate, ſic etiam in rebus aulicis. Naſcuntur etiam inter homines, & viri & mulieres natura aulici. vnde & Ariſtoteles 3. Rhetoricorum libro aſſerit ingenioſi eſſe natura, facetè dicere, ſed facetè docere dicere, eſſe artis Rhetoricæ. & ob id Victorinus dictitabat, natura fieri hominem habilem, arte facilem, vſu ac exercitatione admodum potentem. A natura deinceps homines accipientes exemplar inuenerunt primò comica, & tragica, quæ voluptatem & riſum afferunt audientibus. habitique ſunt primi aulici, quaſi comici, & tragici, apud Dorienſes, & Megarenſes, &

apud eos, qui ex Sicilia orti ſunt. Adeſt ratio, quoniam apud eos primum populare imperium ortum eſt: illic ſiquidem poëta fuit Epicharmus, qui multo ante Chonidum, & Magnetem fuit. Sunt qui etiam (vt Ariſtoteles inquit in poëtica) in Peloponneſo à nomine capientes argumentum, comica, ac vrbana omnia orta eſſe autument: nam comas ab illis vocari colonos aiunt. propterea eo libello Ariſtoteles docuit quæ ridicula comicis idonea fuerint, quæve tragicis: omnia enim hæc vrbana eſſe videntur, ac affabilia, etſi tragica magis vrbana, comica verò ſcurrilia ſint. Eodem quoque tempore cœperunt aulica locum habere apud Reges, aulicique eſſe, vt Appollophanes apud Antigonum, Timagoras Athenienſis apud Darium, Cliſophus atque Patroclites apud Philippum Macedonem, apud Alexandrum Niceſias, Caliſthenes, Medius, atque Lyſimachus; Cariſophus, & Ariſtippus, apud Dionyſium. vnde verò inducta fuerunt aulicaria apud Reges, licèt fortè ex comicis, & tragicis profecta ſint, partim tamen natura, partim beneficio emerſerunt. Natura quidem, nam ex principibus aliqui natura ita inſtituti ſunt, vt ſeria velint, & ſcurrilia omnino à ſe ablegent: vt Auguſtus, adeo vt ſe dominum appellari ne à liberis quidem, & nepotibus ſuis ſerio vel ioco ſuſtinuerit. Cæſar quoque Tiberius ſimili ratione. Ageſilaus etiam Lacedæmoniorum Rex, aliique plurimi. Rurſus ſunt quoque Reges, qui natura aulicariis ipſis gaudeant, ſummaque voluptate afficiantur, vt Philippus, Alexander, Darius, aliique complures. Beneficio verò, nam cùm hominum vita, tum corporis, tum animi laborum ac moleſtiarum plena ſit, iccirco poſt labores requies quæritur, in qua recreetur animus vnà cum corpore, atque inter moleſtias iocus: natura enim duce ad requiem trahimur, ac voluptatem. Hac ratione à bene conſtitutis populis, & à Romanis præcipuè gentium dominis, ludi fuere diuerſi generis inſtituti atque theatra, quibus ſpectandis, tum populus vniuerſus tum Magiſtratus ipſi quotidianis à laboribus, negotiiſque, & priuatim, & publicè ſuſceptis reſtaurarentur, quando & foſſores, & qui cædendis exercentur lapidibus, & iocos inter ſe effundunt oblectandi gratia, & vbi illa defue-

Digitized by Google

quibus perſonis, & quando, & vbi, & eo modo quo oportet: qua ratione fit, vt extremi vitio notentur: medij verò, qui affabiles ſunt, virtute indicentur. Nec vna ratione medij huiuſmodi conuerſari ac colloqui poſſunt cum omnibus: nam alia ratione cum iis, qui in dignitatibus ſunt conſtituti colloquendum eſt, apud quos non affabiles, ſed aulici nuncupantur. Alia verò ratione cum priuatis perſonis, apud quos affabiles dicuntur. inſuper aliter cum magis vel minus notis. Hactenus de affabilitate, quæ eſt altera pars virtutis aulicæ.

De ſermonibus, ac geſtibus affabilibus.

CAPVT XVI.

CVM verò affabilis medius ſit inter facilem, qui & placidus ſiue adulator ac aſſentator eſt, & inter difficilem, qui & inhumanus, & contentioſus exiſtit, fit vt affabilis ſit geſtibus, ac ſermonibus iucũdus. Quare de ſermonibus & geſtibus iucundis aliqua afferamus. Nam (vt diximus) & res, & ſermones, & geſtus Ariſtoteles nonnullos iucundos eſſe autumat, de quibus primo Rhetoricorum ſatis dilucidè locutus eſt. de rebus iucundis, ac dolorificis nunc omittamus. Sermones verò, ac geſtus (vt ſuperiùs diximus) ſunt, qui principibus aut virtutem, laudémque teſtantur, aut vitia, corporiſque fœditates obtegunt, aut erga eos amorem demonſtrant. Cùm enim principes probos innata propenſione ſeſe eſſe velint, aut ſaltem videri tales, fit, vt ea verba, ac geſtus illis ſint iucundi, quibus vel ſe eſſe probos arbitrantur, vel videri tales, aut ſaltem quibus eorum vitia obteguntur, aut quibus amor erga eos declaratur. verùm iucundi ſermones aut geſtus, bifariam ſunt, aut cum delectu, aut ſine delectu: delectu quidem ſermones ac geſtus iucundi ſunt qui iis circunſtantiis circunſcribuntur, quibus actiones probæ virtutéſque conſtituuntur. perficiuntur autem atque redduntur actiones probæ circunſtantiis huiuſmodi, ſi qui agunt (vt diximus) & ſicuti oportet, & quando oportet, & quantum oportet agunt, modúmque in cunctis retinent, ne aut nimia ſit eorum actio, aut remiſſior, minimáque, vtque & loci meminerint,

& perſonarum ac rerum etiam ipſarum. quæ, qui ſeruant, hi dicuntur ſermonibus ac geſtibus iucundis delectum adhibere. nam per delectum ea omnia intelliguntur, quibus actiones ipſæ, ac ſermones iucundi in virtutes rediguntur. Quare qui mediocritati huic, quæ affabilitas dicitur, daturus eſt operam, ne aut in gratiam loquens recedat à medio, profundátque ſeſe in aſſentationem, atque obſequium, vel adulationem, aut dum ſeria veráque ſequitur, dilabatur in aduerſum, acerbáſque ad contentiones, modò refragatoris perſonam, modò rixatoris induens, geſtibus ac verbis iucundis delectum adhibere debet, & rerum, & temporum, & locorum, & perſonarum. nam ſic affabilis euadet. Verba verò, & actiones, quæ iucundæ ſunt, cum ipſa virtute affabiles reddentur, maximéque laudabiles apud principes, ac publicè, priuatimque, & apud ciues, & apud peregrinos. hoc pacto Ariſtoteles, iucundos ſermones, ac geſtus à virtute ea proficiſci aſſerit, quæ licèt nomine careat, affabilitas tamen dicitur. Sunt autem ſermones, ac geſtus huiuſmodi affabiles potiſſimum accommodati Philoſophis, ac viris perfectis. quales Diogenes apud Philippum, & Alexandrum, Cornelius Nepos, Pomponius Atticus apud Romanos, fuere. Quapropter Socrates dicebat, ſicuti nec gladium obtuſum ad incidendum, ita nec loquendi libertatem ſine effectu & vtilitate eſſe oportere, vt non odio magis quàm iudicio contendere videamur. Ariſtonimus dicebat etiam ſicuti mel guſtu quidem dulce vlcera ſanat, ac mordet, ſic ſermo phyſicus. propterea Euſebius: fiducia, inquit, loquendi à libero animo veritatémque amante procedit: hoc præſtabis ſi non cuiquam, nec ſemper putabis conuitium, aut obiurgationem facere, ſed pro tempore, perſonis, ac modis. Diogenes interrogatus ab Athenarum Principe, cur Athenis moraretur, cùm Lacedæmonios tantopere laudaret: Quoniam (inquit) medico bene ſe habentibus non eſt opus: affabilis atque iucunda reſponſio hæc fuit. Plato cùm loqueretur cum Dionyſio, eſſétque quaſi attonitus, interrogatus vbinam eſſet, reſpondit, omnes qui perditè amarent, in alieno viuere corpore, atque in ſuo mortuos eſſe. hæc reſponſio affabilis eſt. Athenodorus affabiliter reprehendens Auguſtum monuit

nuit eum, vt quoties in iram incideret, ne quid priùs vel ageret, vel diceret, quàm alphabetum ſecum recitaſſet, putans ea paruula mora iræ impetum deferuere, fieríque vt quicquid poſtea vel loqui vel agere vellet, tranquilliore mente tum loqueretur tum efficeret, vnde minus poſtea doleret. reprehenſio itaque hæc affabilis eſt. Omulius cùm vellet carpere Traianum affabiliter hoc pacto loquutus eſt, cum maioris vtilitatis ratione malum principem eſſe optandum, qui permultos bonos haberet amicos, quàm bonum, qui malorum amicitiis vteretur. ſi quidem facilius foret à multis bonis vnum malum ad bonitatem deduci, quàm ab vno bono multos malos à malitia auerti. fuit hæc quoque reprehenſio affabilis. Orſimada Perſa reprimens Conſtantij Imperatoris vanam gloriam, cùm interrogatus eſſet, quid ſibi videretur de magnitudine, déque excellentia Romanæ vrbis, bene reſpondit, niſi Romæ homines morerentur, quemadmodum & in aliis omnibus mundi vrbibus: affabili enim reſponſo Orſimada Conſtantij vanitatem repreſſit. Erunt itaque ſermones ac geſtus affabiles, reprehenſiui quidem cum iucunditate, aſſentatiui verò cum affabilitate, aut obtegentes vitia cum modeſtia, aut laudantes virtutes non cum amplificatione, vel admiratione, aut amoris demonſtratiui cum moderatione delectúque.

De placidis ac adulatoriis ſermonibus & geſtibus, qui ſine delectu ſunt.

CAPVT XVII.

DE placidis verò, ac adulatoriis ſermonibus & geſtibus, ſatis ſuperiùs diximus: tamen vt ordo ſeruetur nonnihil repetamus. nam (vt diximus) iucundi ſermones vel geſtus cum delectu ſunt quoties perficiuntur circũſtantiis, quibus actiones, quæ ſunt à virtute veſtiuntur, vt quum agũtur, & ſicut oportet & quando oportet, quãtúmque oportet, modúmque in cunctis retinent. At cùm in gratiam à medio receſſerint, profuderintque ſeſe in aſſentationem, atque obſequium, vel adulationem, tunc geſtus, ſermonéſque ſunt ſine delectu,

Digitized by Google

placidi, ac adulatorij: vnde Gnato apud Terentium: *& eorum* (inquit) *ingenia admiror, ſimul quicquid dicunt laudo, id rurſum ſi negant, laudo. Id quoque negat quis, nego, ait, aio: poſtremò imperaui egomet mihi omnia aſſentiri.* Ex his verbis ſequitur vt ſermo vel geſtus adulatorius ſit, quo quis principi, vel cuicunque aſſentiendo, vel per memoriam præteritorum, vel cognitionem præſentium, vel per prouidentiam futurorum virtutem in eo patefacit, vel vitium obtegit, vel amorem oſtendit, qui ſi fiat cum admiratione, atque amplificatione, adulatorius, ſin ſine his placidus erit. Eſt & alia differentia, quia adulatorius ſermo profertur lucri cauſa, aut captandæ auræ popularis gratia: placidus verò eiuſmodi eſt, vt ita natura comparatus, vſúque etiam confirmatus ſit, vt nulli velit diſplicere: huius generis fuêre ſermones Petri Grauinæ viri doctiſſimi, cùm enim nulli vellet diſplicere, ſermone ſemper cunctis placidus erat. Geſtus quoque adulatorij ſunt quibus demonſtratur amor aut virtus, aut obtegitur vitium in eo cui adulamur. quales eorum ſunt, qui vnà ſemper Regi adhærent, ſectantúrque eum quocumque ierit, idémque faciunt, ſiue is rideat ſiue lugeat, ſeu aliqua alia capiatur perturbatione affectúque, ſi etiam occubet, pariter occubant, ſi morbo aliquo laboret, & eo ſe laborare fingunt. Vt de Cliſopho ſuperiùs diximus, qui claudum ſe fingebat, quia Philippus crus fractum haberet, ſic enim vitium obtegebat. Cacoſitus, (cùm Ebulus ſe iactaret, quòd diligens eſſet ſagittator,) adulando dixit, nam & nudiuſtertius ſagittando monedulam necaſti, & non multo tempore antea capream. Hic ſermo aſſentatorius eſt ex memoria præteritorum, demonſtrans virtutem regis in iaculando, & veritatem illius in loquendo. Nam & veritas eſt de maximis virtutibus. Oligoſitus verò cùm audiſſet, Stractidem ſe ad venandum præparare, adulando dixit: nec perdifficile erit tibi innumeras belluas, ac etiam leones venari. hic ſermo aſſentatorius eſt ex prouidentia futurorum, demonſtrans etiam veritatem regis in loquendo, & virtutem in venando. Simon verò apud Lucianum in Tichiade definiens aſſentatorem, dicit eum eſſe, qui verbis, ac geſtibus, omnibus modis quibus poteſt demonſtrat, ſe ſummo amore,

Digitized by Google

ſummâque beneuolentia complecti eum cui adulatur. Qua ratione fit, vt ſermones, ac geſtus adulatorij ſint, quibus ſignificatur amor erga Regem vel principem, cui fit adulatio. Quare bene Terentianus Gnato: (vt ſuprà diximus) *ſimul quicquid dicunt, laudo: id rurſum ſi negant, laudo: id quoque negat quis, nego, ait, aio: poſtremò imperaui egomet mihi omnia aſſentiri.* per quæ verba Terentius demonſtrauit aſſentatorem eſſe eum, qui conſenſu verborum indicat ſe amare eum cui blanditur.

Qui aſſentatores, adulatoréſque fuerint.

CAPVT XVIII.

ADVLATORES ſuperiùs multos enarrauimus, nunc alij ſunt enarrandi. Æſchines itaque Socratis diſcipulus Dionyſij tyranni aſſentator fuit, eiuſdem quoque & Ariſtippus Cyrenæus cunctis aliis gratioſior. Euripides etiam Archelai, & Anaxarchus Alexandri. Andromachus Carrenus Craſſi, cui omnia Craſſus communicabat. Patroclides Philippi. Demades adulando, Alexandrum dixit deum eſſe. Euagoras verò adorauit eundem. Neſtor autem Agamemnonis Regis aſſentator fuit, vt auctor eſt Simon apud Lucianum in Tichiade. eiuſdem Agamemnonis aſſentator fuit Idomeneus etiam. Achillis quoque adulatorem tradunt fuiſſe Patroclum, Ariſtogitonem Armodij: omnes enim hi, aliique complures in ſermonibus, ac geſtibus adulatoriis, aſſentatoriiſque diſertiſſimi fuêre.

De difficilibus ac contentioſis ſermonibus, atque geſtibus.

CAPVT XIX.

NVNC de difficilibus ac contentioſis ſermonibus, atque geſtibus dicamus, & primò, quis difficilis ac contentioſus homo ſit, exponamus. Eſt itaque (vt Socrates definit)

Digitized by Google

qui odio magis quàm iudicio contendere videtur. Ariſtoteles verò longè diligentiùs exponens, aſſerit adulatorum ſtudiis maximè aduerſari contentioſos, quorum ea eſt natura, id etiam ſtudium, vt non modò non loquantur in aliorum gratiam, neque gratificentur ipſi aliis, ſed contrà vt aduerſentur, & vbique & in quibuſque, neminémque vereantur in dicendo offendere, quinimo & afferant ipſi ſponte ſtudioſéque contentiones, & ab aliis vltro accipiant, lætentúrque iis & fouendis, & exercendis, quibus etiam vita ipſa vel moleſta futura ſit, ni in cunctis vel dentes imprimant, vel infigant aculeos, vt ad contentiones, diſſidia, rixas atque altercationes nati prorſus videantur. Horum duplex mihi videtur eſſe partitio: nam vna eorum pars eſt, qui id agunt, vt commoda vtilitatémque inde ſibi comparent. Altera verò, qui voluptatis tantùm gratia, vtque inuidentiſſimæ ſuæ naturæ, ac peruerſiſſimis cogitationibus morem gerant: hi enim ſunt, qui litigia, controuerſiáſque ſibi voluptatem ſtatuerunt. Itaque hos ipſos litigioſos, ſeu litigatorios potiùs quis vocauerit, & aduerſos. Contentioſos autem illos volumus eſſe, qui maximè aduerſantur adulatoribus: nam quantum adulatores loquuntur in omnium gratiam, tantum hi nemini parcunt, ſtudéntque prorſus offendere. Ex his patet quid ſit ſermo difficilis, quidve geſtus difficilis, eſt enim ſermo difficilis, quo (vt Socrates inquit) odio magis quàm iudicio contendere videmur, vel quo magis odiſſe quàm amare ſignificamus, aut quo vitia patefacere, virtutéſque obtegere enitimur, in eo videlicet, cum quo contendimus. Geſtus verò contentioſus, ac difficilis eſt, quo amplificamus ſermones ipſos contentioſos, ſiue admiratione, ſiue vocis acclamatione, ſiue motu quouis alio is agatur. Sunt autem ſermones huius modi difficiles, atque contentioſi, alij ſalſi: alij inſulſi ſunt qui cùm nullam habeant voluptatem adnexam, aures audientium maximè offendunt. Salſi verò, qui cùm contentioſi ſunt, ac difficiles, voluptatem aliquam tamen ſecum afferunt: nam vt ſal ſaporem gignit in ferculis, & eduliis, ſic voluptas in contentioſis ſapidulum quid, & amariuſculum habet, vnde ſalſi dici poſſunt.

Exempla ſermonum contentioſorum inſulſorum.

CAPVT XX.

VT verò intelligantur ea quæ diximus, exempla afferamus, & primò contentioſorum inſulſorum. Plato itaque cùm eſſet in colloquiis cum Dionyſio Syracuſano, expoſuiſſétque vitam, ac propria ſtudia, Dionyſiúſque dixiſſet eius vitam ſapere ſegnitiem, Plato ſic inſulſè reſpondens dixit: & tua ſapit tyrannidem. Cùm Alexander præciperet Calliſtheni vt adoraret eum, ſic reſpondit: ſi deus es, beneficia largiri mortalibus, non ſua ipſorum debes eripere: ſi homo, id quod es, ſemper te eſſe cogita. Dionyſio inquirenti, vbinam terrarum exquiſitius haberetur æs, Antiphon Sophiſtes reſpondit, optimum ſe noſſe Athenis, vbi ſtatuas habebant Armodius, & Ariſtogiton Tyrannicidæ. Innuebat enim Antiphon Dionyſium eſſe dignum, vt ab huiuſmodi hominibus interficeretur. C. Memmius Cæſari támque pathico ſtetiſſe dixit ad ciathum Nicomedi Regis inter exoletos. Clito cùm interrogaretur ab Alexandro de excellentia Philippi patris, inſulſè Philippum Alexandro præpoſuit, & ob id ab Alexandro interemptus eſt. Camilla Rupha Ferdinando primo pertranſeunti pontem Campanum, cùm non audiretur à Rege, iniiciens manus in equi frænum, dixit inſulſè: Rex audi me, aut tenuas regium ſceptrum: nam erunt qui libenter ſceptrum accipient, & audient omnes. Antonius quidam Florentinus, Ferdinando primo deneganti ſibi expeditionem, ac ad Antonellum Petrutianum tranſmittenti, inſulſè dixit: tria habes Rex admodum eximia, balnea Puteolana, Campanum agrum, ac Antonellum Petrutianum: nam quum ægrotos medici curare nequeunt, eos ad balnea mittunt: Mulomedici quum equos reſtituere neſciunt, illos ad Campanum agrum delegant: quum tu alicui negas expeditionem, ad Antonellum confugis. Vnum tamen admonendus eſt lector: quòd duplici hîc appellatione ſalſè vel inſulſè dicta capiútur, quandoque enim ſalſè dicta vocantur, eo quòd non ſine ſale, id eſt mordacitate ac dente Theonino dicta ſint, interdum

verò ſalſè dicta appellantur, quia ſapienter ac non ſine ſali condimento (vt ita loquar) ſint prolata, licèt non mordeant consimili ratione dicendum eſt de inſulſè dictis. Eſt etiam & illud animaduertendum, plura exempla in ſequentibus ſub contentioſis accipi, quæ non ſunt propriè contentioſorum, niſi quatenus ſalem quemdam, id eſt mordacitatem ſapiant, cuius contentioſus ſermo ſolet eſſe particeps.

Exempla contentioſorum ſalſorum.

CAPVT XXI.

CVM Pompeius Ciceroni illudens, quamquam vultu fortaſſe hilariore dixiſſet, gener vbinam eſt tuus, ibi Cicero, qui amarum, ac aculeatum ineſſe quoddam verbis illius intelligeret, reddidit illi in reſpondendo par, inquiens, vbi & ſocer eſt tuus. Erat enim Cæſar belli ſuſcepti & dux & auctor, quem Dolabella gener ſequebatur. Barca ad Annibalem: vincere ſcis Annibal, victoria verò vti neſcis. Diogenes ad Dionyſium Syracuſanum: viuis Dionyſi, tanquam multum vitæ indigens. Victus Brutus in campis Philippicis cùm moneretur fugiendum eſſe priùs, quàm hoſtis adeſſet, tum ille fugiendum quidem, ſed manibus non pedibus. Cùm Æſchines quæſiuiſſet ab amata amoris fructum, obiecit ei puella, ergo mihi mala vis: reſpondit Æſchines, amantes omnia bona exoptant amatis, præter mentem, & pudorem. Multa alia adduci poſſunt, ſed de his hactenus. Ex his enim perſpicuum eſt, quid ſit altera pars aulicæ virtutis: nam eſt affabilitas, qua quis in colloquiis affabilis ſe præbet: difficultas autem & adulatio ab aulica ipſa virtute, vt extrema omnino ſunt excludenda: his enim non aulicus, ſed vel contentioſus, vel adulator dicitur homo. Quare contentioſus, & adulator à principis aula fugandus eſt, ille quidem quia grauis ac moleſtus eſt omnibus, hic verò quia ſimulatus amicus. Quia tamen in aulis admittuntur affabiles, atque aſſentatores adulatoréſque, difficiles verò repelluntur: diuiſionem ſermonum ſubiungemus, vt eligantur affabiles ac adulatorij ſermones, difficiléſque prætermittantur.

Digitized by Google

Diuiſio affabilium, adulatoriorum, atque difficilium ſermonum.

CAPVT XXII.

POST hæc diſſeremus, quia ſermonum ſint alij oblongi, prolixique, alij breues, alij mediocres. Dico ſermones ſiue fuerint extremi, quales ſunt qui vel difficiles, vel adulatorij vocantur, ſiue ad medium fuerint accommodati, quales ſunt ſermones, qui affabiles dicuntur. horum enim omnium profectò alij breues, alij oblongi prolixis dicacitatibus conſtantes, alij mediocres videntur, quoniam licèt pluribus articulis contexuntur, non tamen plurimis clauſulis. Oblongi ſi neque ad perſonam, neque ad locum, neque ad tempus, neque ad modeſtiam, neque ad cæteras circumſtantias, quibus conſtat delectus, rationem habent, inſulſi ſunt, ac difficiles magis. At ſi delectum ſeruauerint, vt proferantur & ſicuti oportet, & quando, & quantum oportet, modúmque in cunctis retineant, varietatémque admiſceant plurimam, ſalibus, & iocis, & argutiis delectando, feſtiui ſermones dicuntur: nam vt feſti dies erant apud veteres, in quibus varia oblectamenta exercebantur, vt ludi, tibiæ, tubæ, cantus, choreæ, lectiſternia, templorum, theatrorum, porticuum, ac viarum apparatus, fercula etiam ipſa, ſic ſermones oblongi feſtiui dicentur, quaſi feſtis diebus digni, in quibus permulta varietas eſt ſalium, iocorum, ac argutiarum. Condientur enim his, veluti fercula ſale, ac ſapore: hoc enim pacto animus in ceſſationibus relaxabitur, atque recreabitur eorum & principum & priuatorum, qui eos audiunt, non aliter quàm in diebus feſtis animus eorum, qui multitudine negotiorum feſſi erant, renouabatur. Breues ſunt, qui vno, vel duobus articulis, vnáque clauſula conſtant, ſed cum ſale, argutiáque contexti. vt ſermo Pompeij ad Ciceronem, (vt ſuprà notauimus) cùm dixerit Pompeius, vbi gener tuus eſt, reſpondit Cicero, vbi tuus ſocer. Inſuper & ſermo Neceſſiæ ad Alexandrum, cùm dixerit, quanto hæ muſcæ cæteris præſtant, quæ tuum ſanguinem deguſtant. & alius, qualis diuorum percurrit corpora ſanguis. Adhuc & ſermo Dio-

genis ad Dionyſium: viuis Dionyſi tanquam multum vitæ indigens. Et ſermo Barcæ ad Annibalem: vincere ſcis Annibal, victoria vti neſcis. Et ſermo Bruti, fugiendum quidem, ſed manibus, non pedibus. Et alij plurimi de quibus omnibus ſuperiùs meminimus. Mediocres verò exiſtunt, qui clauſulis pluribus, ſed non admodum multis componuntur, vt ſermo Calliſthenis ad Alexandrum: ſi deus es, beneficia largiri mortalibus, non ſua ipſorum debes eripere: ſi homo, id quod es ſemper te eſſe cogita, vt paulo antè dicebamus. Et ſermo noſter ad te PHAVSINA: crudelitatem pariter æqualem in te natura fecit cum probitate, vt non poſſis nec mortem, neque vitam mihi dare. Hoc autem ideo verum eſſe probabam, quoniam cùm velles mihi PHAVSINA mortem afferre, tua probitas, quæ æquipotens crudelitati eſt, me tuebatur. cùm verò vitam, crudelitas æquilibra probitati aduerſabatur: quare fieri non poteſt, vt abs te, PHAVSINA, mortem aut vitam obtineam. Et alius noſter ad eandem: ſi dixero ô PHAVSINA te Solem eſſe, mentiar, quia Sol extrinſecus me calefacit, tu verò intrinſecus cor vris: ſin autem Numen, longè maiori errore irretitus ero, non enim eſſes tantorum bellorum cauſa. Dicat igitur amor, quænam ſis, certè ſcio eum dicturum nullam aliam te eſſe, niſi te, tibique vni ſimilem. Et alius noſter ad eandem: Amantes animaduertite pulchrum, quod in puellis cunctis cernitis, id omne ex PHAVSINÆ pulchro deriuatum eſt. Quod ſi nequaquam credideritis, eam diligenter inſpicite: Nam in ea tantùm pulchri inuenieris, vt naturam, portiunculis quibuſdam ex illo detractis, illuſtrem quamuis puellam aliam feciſſe cenſeatis. Huius generis eſt etiam ſermo noſter alius ad eamdem: Quòd te ô PHAVSINA multo maiore beneuolentia proſequar, quàm ANGELELLAM vxorem, id ſit tibi argumento, quòd locum mortis mihi cum vxore communem fecerim, videlicet ſepulturam, in qua ſimul perpetuò condormiemus: mihi autem tecum locum vitæ, videlicet librum hunc, in quo vnà ſemper conuiuemus communicaui. Prætermiſſis itaque difficilibus ſermonibus, quoniam non recipiuntur in aula, nunc de locis affabilitatum aſſentationúmque communibus tranſigamus.

De

Digitized by Google

De locis Aulicis, quibus vitia obtegimus.

Capvt XXIII.

QVONIAM adulamur vt amicos ac beneuolos nos eſſe oſtendamus, & hoc facimus, aut virtutes amplificando, aut vitia obtegendo eius cui aſſentamur, aut amorem ſimulando erga eum cui adulamur, ideo de locis obtegendi vitia dicamus primò. attinet enim hoc ſi cum delectu fiat, ad aulicum affabilem: ſi autem ſine delectu, ad aulicum aſſentatorem ſpectat. Quorum primus locus eſt ab his, quæ licèt defecerint à medio, propinqua tamen videntur mediocritati: hoc pacto eum, qui natura animi mitioris eſt aſſentando, moderatum, timidum verò ac inſenſatum, bonum & frugi: eum verò, qui dolorem animi non ſentit, manſuetum dicemus, eum qui fœdis amoribus eſt deditus, comem, & amantem: vilem abiectique animi hominem humanum. quemadmodum ſcribit & Plato. Amans quum adulatur iis quas amat, eam, quæ ſimis eſt naribus, amabilem, quæ naſo ſit adunco, regalem, quæ nigræ ſunt, viriles, quæ candidæ, deorum filias appellare conſueſcit. Hæc nimirum res Siculos ſubuertit, quòd Dionyſij, Phalaridiſque crudelitatem, iuſtitiam & ſceleratorum odium vocarent adulatores. Eadem Ægyptum perdidit, quòd Ptolemæi muliebritatem, afflatus, eiulatus, liliorum ac tympanorum inſulturas, religionem deorúmque cultum appellarent. Eadem Romanorum mores tam integros ad nihilum redegit, ac ſubſtulit, quòd Antonij delicias, libidines ac perditos luxus, ita blandientes extenuarent, vt humanitatem & hilaritatem vocarent, indulgente illi potentia fortunáque. Ego quoque quum puella quædam rudis eſſet, nec interrogatis reſpondere ſciuiſſet, dum ſæpiùs vnà colloqueremur, aſſentando laudabam eam ex taciturnitate. Deinde alius locus accipitur à concomitantibus, quæ licèt vitia ſint, tamẽ in bonam partem trahenda ſunt. vt quoniam magnanimitatem comitari ſolet iracundia, & furor, poterimus aſſentando principem iracundum ac ferocem dicere magnanimum, vt Zopyrus fecit

Digitized by Google

apud Darium: cùm enim eum iratum cerneret contra milites: videte, inquit, Darium quàm magnanimus ſit. Alius deinceps locus ab iis quæ medium excedunt: hoc pacto Amurcus aſſentator Conſaluum Ferdinandum in colloquiis demulcebat, cùm enim ille vteretur prodigalitatibus erga ipſum, aliósque complures, aſſentando exclamabat, pro quàm liberalis vir eſt hic! Apollophanes cùm cerneret Antigonum ferocire aduerſus Pamphilum ſuum Centurionem, coram plurimis exclamando dixit: videte fortitudinem Regis. Quartus à caſu vel fortuna factis, quòd egerit prudentia, ac conſilio. vt ſi princeps caſu nonnihil magnifecerit, aſſentando dicere poterimus conſultò, ac prudenter egiſſe. ſunt enim hæc propinqua ac ſimilia. hoc pacto cùm Ferdinandus iunior ab equo ſupra pedes erectus cecidiſſet, Franciſcus Pandonus mira prædicabat de ſaltu Regis. Poſt hæc ab extraneis locus eſt etiam, cùm enim idem Franciſcus cerneret iuniorem Ferdinandum mediocriter equitare, aſſentando dicebat: Rex iſte eſt talis genere, vt hæc aut longè maiora poſſit facere. Cùm nos admiraremur PHAVSINÆ formam, hæc verba protulimus, quonam pacto poteras tu eſſe turpis, ſi aua tua omnium fuerit pulcherrima? Cùm in Ammonis templum veniſſet Alexander, ſacerdos grandæuus illum ſalutauit, Salue fili, & hanc appellationem à Deo habeas: tunc Alexander, accipio eam ô pater, & poſthac patiar tuus dici, ſi mihi totius orbis dominium conceſſeris: ſacerdos recepit ſe intrò, & quaſi conſulto Deo reſpondit Iouem certè promittere quod peteret. hîc Alexander, ſcire cupio num quis ſuperſit inultus eorum, qui patrem meum interfecerunt ad hæc ſacerdos, Philippi, inquit, interfectores omnes dedere pœnas, ſed patri tuo nemo mortalium poteſt tendere inſidias: ſignificans illum eſſe Iouis non Philippi filium: eſt adulatorius locus à parentibus. hæc pro exemplis ſufficiant.

Digitized by Google

De locis Aulicis, quibus virtutes amplificamus.

Capvt XXIV.

QVONIAM etiam adulamur nonnunquam principibus, qui reuerà virtute præditi ſunt, amplificando eorum virtutes, opus eſt tradere locos, qui accipiuntur ab amplificatione: quorum primus eſt, ſi dixerimus eum vel ſolum, vel cum paucis virtutis opus perfeciſſe. Cùm quidam voluiſſet laudare Cleomeni cantorem quemdam, aſſentando cantori dixit eum eſſe cantorem inter Græcos ſolum. Secundus locus eſt, cùm dixerimus principi, qui opus aliquod virtutis fecerit, eum id feciſſe quoad fieri potuit: leue enim nonnunquam magnum eſt, ſi fit modo, quo maximè fieri poteſt, veluti cùm equitaſſet Philippus, Cliſophus ore rotundo exclamando inquit: nec meliùs nec concinniùs fieri potuit. Adhuc ſi affirmauerimus eum primum feciſſe, etiam amplificandi locus eſt: Patroclides aſſentando Philippo dicebat eum primum fuiſſe, qui equos aleret. Inſuper ſi dixerimus eum pro tempore egiſſe, amplificatiuus locus eſt, nam licèt quandoque aliquid ſimpliciter magnum non ſit, pro tempore tamen factum magnum exiſtimari poterit: hoc pacto Cliſophus aſſentando Alexandro, cùm bellica facinora quæ geſſerat, prædicaret, dicebat, non modò pro ætate eſſe magna, ſed quæ nullus vnquam aggreſſus eſſet. Rurſus ſi dixerimus eum non ſemel, ſed ſæpiùs egiſſe, etiam locus amplificandi videtur. Cùm Lechadus laudatus eſſet à quibuſdam, quòd arcu ſignum attigiſſet, Critias aſſentando dixit: nec ſemel illud. Poterimus etiam aſſentando amplificare, ſi dixerimus ipſum, quod princeps egit, feciſſe ex prudentia, quamuis alio modo fecerit. veluti cùm Neceſias videret Alexandrum cum ſuis militibus retrocedere, dixit id prudenter egiſſe, vt vehementiore aggreſſu hoſtem inuaderet. Archidamidas verò dixit, periti bellatoris eſſe non minus ſcire fugiendi artem, quàm pugnandi peritiam. Si primus omnium laudatus ſit, amplificatorius locus eſt. vnde Sarmentus adulabatur Auguſto, quòd pater patriæ fuiſſet appellatus primus. Amplifi-

Digitized by Google

care præterea poterimus aſſentando, ſi principem in agendo comparabimus illuſtribus vel viris, vel belluis, vel Diis. hoc pacto Grauina aſſentando Proſpero Columnæ qui in colloquendo verba quædam protulit non imperita, dixit: hæc Numinum ſunt verba. Et aliàs eius bellica laudabat geſta aſſentando, cùm diceret Cæſarea eſſe cuncta. hæc pauca ſufficiant. Illud verò non ignorare debes quæcunque loca fuerint laudis, aſſentatoria fieri, cùm vel virtutem amplificant, vel vitia obtegunt. affabilia verò, cùm delectus ſeruatur. Nam qui laudat actiones principis vt per debitas laudes illas augeat, atque pro loco, tempore, perſona, ac pro aliis omnibus, quibus honeſta affici ſolent afferat, non aſſentator, ſed affabilis eſt. Ad hæc ſi vitia quis obtegerit delectum ſeruando, aut quia non eſt ſuum illa publicare atque decernere, non aſſentator, ſed affabilis meritò haberi poteſt.

De locis aulicis affabilibus, atque adulatoriis, qui ſumuntur à ſimulato amore, & primò ab imitatione.

CAPVT XXV.

QVONIAM etiam ſermones, res, ac geſtus affabiles, vel adulatorij ſunt, quibus ſignificamus (vt Simon inquit apud Lucianum in Tichiade) amorem erga regem, vel principem, cum quo verſamur, congredimur, atque conuiuimus, (ſic enim captatur reciproca beneuolentia) ideo exemplares quoſdam locos enitemur tradere, quibus facilè affabiles, vel adulatorij principibus eſſe poterimus: diximus verò quoſdam, quoniam omnes tradere per ſpeciem eſt impoſſibile, quippe cùm ſint infiniti, per genera autem non erit contra artem. nam numero poſſunt definiri, & primò à ſimulato amore, qui accipitur ab imitatione, itáque Cliſoplus Philippo adulando (vt toties repetiuimus) claudum ſe fingebat, quòd Philippus crus fractum haberet: eſt locus iſte ab amore ſimulato, qui accipitur ab imitatione, quæ eſt in morbo. hac enim Cliſophus captando beneuolentiam, demonſtrabat ſe Philippum amare. Franciſcus Pandonus (vt antea dicebamus) os, oculóſque contorquebat, quoniam

Digitized by Google

huiuſmodi geſtibus videbat Ferdinandum iuniorem affici, vt imitando eius amorem ſimularet. Chariſophus (vt ſuprà adnotauimus) cùm videret Dionyſium ſeparatim ridentem, ipſe procul etiam ridebat, ſimulando amorem ex imitatione geſtuum. Leontius ardenter amans Porphyriam eo veſtium colore vtebatur, quo Porphyriæ veſtes coloratæ erant, quod etiam antea tetigimus, & cùm Porphyria eſſet choreatrix, ipſe quoque choreas ſemper exercebat, vt imitatione demonſtraret amorem. Dionyſio cæcutiente, adulatores illius alius in alium impingentes, & patinas intercœnandum deiicientes, ſimulabant & ipſi cæcutientiam, vt imitatione amorem patefacerent. Sic itaque aſſentator intemperantiam, ſuperſtitionem, iracundiam, acerbitatem in famulos, diffidentiam erga domeſticos & cognatos. ſuſpecti ſunt enim, qui quærunt meliora, quique amicorum erratis offendi, eáque ægrè ferre videntur. quæ quidem res & Dionyſio Dionem, & Samium Philippo, & Cleomenem Ptolemæo ſuſpectos & inuiſos reddidit. Adulator autem ſimul & iucundus videri & fidus deſiderat, quaſi præ magnitudine amoris malis non offendatur, quinimo in omnibus iiſdem ducatur affectibus, & ingenio conſentiat. quin & ſimili morbo teneri ſe fingunt huiuſmodi homines aſſentantes ægrotantibus, & nec acutè cernere, nec audire, ſi cum luſcis ac ſurdaſtris agant. ſi quidem ſimilitudo facit, vt magis affici, tangique videantur amici malis. Ego vidi quendam qui vxorem ſuam eiecerit, quoniam eius princeps ſuam repudiarat. Sed vt rem in pauca conferam, adulator quo delectet, nihil non faciendum ſibi putat: imitatur enim in idiomatibus, in veſtibus, in actionibus, in profeſſionibus, in morbis, atque cunctis in rebus, in quibus imitatio eſſe poterit, vt imitationibus etiam ſimulet ſe beneuolum atque amicum eſſe principi.

Digitized by Google

adulandi ex ſimulata libertate loquendi: Nam cùm aſſentatores obiurgandi libertatem his admouent partibus, quæ non dolent, neque moleſtiam afferunt, in magnis verò ac veris peccatis nihil ſe ſcire, ac intelligere ſimulant, captare videntur amorem, præſertim ſi ad errata leuiſſima, nihil ad rem pertinentia, mirè concitentur, magnôque clamore, & acrimonia intonent, vt ſi quod vas neglectum iacere conſpexerint, ſi quem parum ſplendidè habitantem, ſi parum diligenter à tonſore curatum, ſi togam ſordidam, canem aut equum negligenter habitum viderint. at parentum contemptus, liberorum neglectus, vxoris contumelia, faſtus in familiares, inutilis pecuniarum aſſumptio, nihil hunc mouent, in his elinguis eſt, in his timidus, perinde atque Aliptes Athletam inebriari, ſcortarique ſinens. Ad hunc modum adulatores, quum diſcendi cupiditas Ptolemæum inceſſeret, de lingua, de verſiculo, de hiſtoriola contendentes ad mediam vſque noctem reluctabantur. at verò ſæuienti, ferocienti, tympanis vtenti, vectigalibus oneranti populum, nullus è tam multis obſiſtebat. Ex eodem loco nonnulli his aſtutiores ipſa reprehendendi libertate ad gratiam, ac voluptatem vtuntur, quemadmodum Agis Argiuus Alexandri adulator, cùm Alexander ridiculo cuidam ingentia daret munera, præ inuidia ac dolore exclamauit: ô rem vehementer abſurdam! at cùm Alexander ira percitus conuerſus ad illum dixiſſet, & quid tu tandem ais? Fateor inquit, me moleſtè ferre, & indignari, cùm videam omnes è Ioue progenitos æquè adulatoribus, ac ridiculis hominibus delectari: ſi quidem & Hercules Cecropibus quibuſdam, & Bacchus Silenis delectabatur, & apud te videre licet huiuſmodi homines magni fieri. Cùm aliquando Tiberius Cæſar in ſenatum veniſſet, aſſurgens adulator quidam, ait hominibus liberis liberè loquendum eſſe, nihilque metu diſſimulandum, neque quicquam reticendum eorum, quæ ad publicam vtilitatem pertinent. his verbis cùm omnes excitaſſet, factóque ſilentio, & ipſo etiam auſcultante Tiberio: Audi Cæſar, inquit, in quo te quidem culpamus omnes, etſi nemo palam audet dicere, negligis te ipſum, corpúſque tuum exponis pro nobis, ſollicitudinibus, & laboribus illud

conficiens, nec interdiu, neque noctu quieſcens: huiuſmodi multa cùm ille dixiſſet, aiunt oratorem Caſſium ſeuerum ſubiecisse: iſta libertas hunc hominem exitio dabit. At hæc quidem leuiora ſunt, periculoſa verò cætera quæ omittunt. vt Himeræus Athenis luxurioſis ac profuſis parſimoniam ac ſorditiem exprobrabat. veluti Neroni Titus Petronius etiam faciebat: ſic quoque cùm Antonius Cleopatram Ægyptiam ardenter deperiret, adulatores reprehendebant quòd non eſſet illius amator ardens, qui huiuſmodi gaudens accuſatione accuſatores illos ſummo amore complectebatur. talis obiurgandi libertas, ſimilis eſt laſciuientium muliercularum morſibus: excitat enim multum, ac titillat, & hoc ipſo quo dolorem mouere videtur, delectat. Itaque callidi quidam intelligentes liberam admonitionem efficax eſſe remedium aduerſus adulationem, ipſi libertati monendi adulationem admiſcent. Qua ratione fit, vt nec Bias rectè dixiſſe videatur, cùm interroganti quod eſſet animal omnium maximè noxium, reſponderet, inter immitia Tyrannus, inter mitia adulator: verius enim dixiſſet, quòd inter adulatores manſueti ſint hi, qui in balneis, & circa menſas verſantur. At verò qui in penetralibus, & gynæciis curioſitatem, calumniam, malitiam, perinde ac ſi retia quædam intendit, hic immitis, ac ferus, & intractabilis exiſtit.

Quartus locus à blanda iucundáque placiditate.

Capvt XXVIII.

Est præterea alius locus, quo quis poterit ſe amare principem ſimulare, cùm ei iucundè blandéque in colloquiis placidus eſt. quem locum Ariſtoteles inſinuauit Calliſtheni ad Alexandrum à ſe miſſo, cùm dixiſſet, vt rarò Alexandrum alloqueretur, & non niſi acceſſitus, atque iucundè. Quo loco Antonius Rogerius familiariter vtitur, vnde cùm famulus Ferdinandi Illuſtriſſimi Salernitanorum Principis me illius nomine accerſeret, eique recuſarem acceſſum, ob Phavsinam (quæ apud principem erat) aſſerens quòd eſſet me lethaliter ſauciatura, Antonius Rogerius

rius (qui mecum in colloquiis erat) exurgens eamus inquit: nam ſi pro tuenda tibi vita ſemper mortis periculis me expoſui, nunc compellor (vt principi pareamus) te ad mortem comitari. profectò ſermo iucundus atque affabilis propter PHAVSINAM dictus, quæ ſua pulchritudine cunctos ſauciare videtur, & ob principem, cui affabilem ſemper enititur ſe oſtendere. Ad hunc locum reducuntur illi, qui cùm ſenſerint principem querulum quòd infœcundam duxerit vxorem, aut de filiis, vel domeſticis malè ſuſpicari, ipſi ſuis non parcunt, ſed queruntur de liberis propriis, aut vxoribus, aut cognatis, aut familiaribus, vt ſimilitudine malorum videantur placidi principi, atque beneuolentiam captantes. hoc pacto Melanthius Alexandri Pheræi adulator interrogatus quonam modo fuiſſet interfectus Alexander, Per coſtam inquit in meum ventrem: ſic enim illius poſteris adulatus eſt, ac filiis. hoc pacto adulatur, qui, ſi iraſcitur princeps, vlciſcere inquit, ſi ſuſpicatur crede inquit, ſi concupiſcit, fruere, ſi timet, fugiamus inquit. Petro quoque Grauinæ viro diſertiſſimo peculiaris erat locus iſte, vnde cùm Proſper Columna prohibuiſſet eum aſſentationibus vti, cùm poſtea eſſemus in colloquiis, aſtante Hieronymo Carbone, fortè Proſper quendam ſalſum protulit ſermonem, illico Petrus inquit, Niſi me prohibuiſſet Proſper, ad cælum exclamarem ac dicerem, numinum eſſe iſta verba. Itaque negando aſſentationem, aſſentatus eſt placidis, vt ſolebat, verbis vſus.

Quintus locus ab obſequiis.

CAPVT XXIX.

QVONIAM verò amicus eſt, qui videtur impiger ad omnia quoque promptus, nihilque recuſans, qui principi ſe talem oſtendit, cùm re non ita ſit, adulator erit. nam vt veritatis teſte Euripide, ſimplex eſt oratio, ſic & amici mores ſimplices, ſinceri, fucóque carentes eſſe debent. At adulatoris mores, qui per ſe morbidi ſunt, multis ac doctis indigent pharmacis, atque valde nouis & exquiſitis. Ideóque ſæ-

Digitized by Google

piùs excuſant ſeſe teſtibus adhibitis, & ſponte iureiurando interpoſito: hoc adulandi loco Campani Oratores Terentio Varroni, poſtquàm exercitus ab Annibale apud Cannas extinctus eſſet, vſi ſunt, cùm nomine Campanorum multa ſe facturos pollicerentur, quibus Terentius, Romanis, inquit, nunc ab amicis non opus eſt pollicitis, ſed tritico & nummis, per quæ declarauit Campanos fuiſſe adulatores, non amicos. Non ſic Ageſilaus erga Apellem Chium, cùm ægrotaret, ſe habuit, nam cùm eum egere cognouiſſet, reuiſit hominem, & decem drachmas afferens atque aſſidens proximè, ſic inquit, Nihil eſt præter Empedoclis elementa videlicet hæc, ignem & aquam, terrámque & ſphæras ætheris alti, ac ne cubas quidem ſatis commodè: ſimúlque mouens illius ceruical, clanculum pecuniam ſubiecit, quam ſimulatque reperiſſet anicula, quæ inſeruiebat ægrotanti, & admirans quidnam eſſet Apelli retuliſſet, ridens ille, Ageſilai, inquit, hoc furtum eſt. Qua ratione fit vt adulator moleſtè inſeruiat, ſed polliceatur facilè. Amicus verò contrà facilè ſeruit, non tamen facilè pollicetur. Plura alia loca addere poſſem. ſed hæc pro exemplis ſufficiant. fuerunt autem hæc loca communia, affabilitatibus, placiditatibus, ac adulationibus, ſi bene conſiderentur: tamen inter has differentia eſt non parua, quoniam affabilitates ſunt, quæ delectu conſiſtunt, adulationes verò ſine delectu, placiditates autem ſunt naturæ bonitate, vt diximus. ſunt inſuper affabilitatibus communia, quoniam licèt affabilitates diſtingui poſſint, vt 2. libro perſpicuum erit, hîc tamen communia loca confecimus, quibus affabiles homines communiter principibus eſſe poſſint. Inſuper quia amantes ſunt vel adulatores, vel placidi, vel affabiles, amatis puellis, ideo differendum eſt, conueniántne amatoria colloquia aulicis viris cum aulicis puellis.

Digitized by Google

Num colloquia amatoria aulicis conueniant cum puellis, & demonſtratur quòd ſic pluribus argumentis.

CAPVT XXX.

POST hæc non parua res eſt definire conueniántne aulicis cum puellis amatoria ipſa colloquia: in his enim poſſumus eſſe affabiles, ac adulatores: quare conuenire videntur. Qui hodie ſcribunt de aulicis, maiorem partem rerum aulicarum conſtituunt in amatoriis colloquiis cum eis puellis, quæ & ipſæ quoque aulicæ ſunt, immo finem quaſi rerum aulicarum in his collocant, eáque vel ſola aulicaria, vel in primis eſſe arbitrantur. Accedit ad hæc quòd principibus non modò verbis, ſed etiam imitationibus aſſentamur, vel affabiles videri poſſumus. vnde Cliſophus Philippi Macedonis aulicus claudum ſe fingebat, (vt ſæpenumero diximus) quòd Philippus crure fracto claudicaret: hoc enim geſtu affabilis reddebatur Philippo. Nam ſicut mendacium iocandi cauſa non eſt contra bonos mores, ita ſimulatio eſſe poteſt affabilis, modò ſit procul à vitio. poterimus itaque fieri principibus affabiles, cùm puellarum amore nos eſſe accenſos ſenſerint, vel quia ipſi quoque ſic agunt, vel quia gaudent atque affectant aulicos aulicáſque ipſas mutuo ab amore interdum disiungere, interdum reconciliare. Pompeius Columna decus principum, cùm cognoſceret me aliquam ex aulicis puellis deperire, tanto gaudio, tantáque voluptate afficiebatur, vt nulla maiore teneri potuiſſet, idque eo magis, quo toto ſtudio nunc rixas, iráſque, nunc amores interſereret, quod etiam tanto gratius, quo vehementiùs admirabatur me ſenem igne vri iuuenili, & (quod potiſſimum erat) nunc me ſimulare, nunc autem verè deperire arbitrabatur, ita vt anceps eſſet ſemper. Videntur igitur hæc aulica eſſe, tum pro oblectamine principis, tum quia fieri poſſunt affabiliter, atque ſecundum delectum. Platonici etiam viri non paruæ authoritatis, non modò colloquia hæc concedunt, ſed amorem duplicem, diuinum, quo puellas amamus aſcendendo ab ipſis ad deum, & humanum, quo non deſcendimus in cupi-

dineum, conſtituunt: quòd ſi amor eſſe poterit, cūr non & amatoria colloquia, potiſſimum cùm per ea reddamur principibus nonnumquam affabiles, atque aulici? ſed res hæc (vt mihi videtur) vniuerſa pendet ab ea quæſtione, qua quæri ſolet, poſſintne aulicæ aulicique ipſi mutuò ſe amare ſine veneris prurit u: nam ſi dixeris eos id poſſe, concedere quoque cogeris inter eos amatoria colloquia affabiliter eſſe poſſe ſine veneris flammis. Quare hæc aulica eſſe nemo dubitare debet. Quod verò talia inter hoſce eſſe queant ſine obſcæno titillatu, libro de pulchro diſſeruimus. Nunc verò de colloquiis tantùm diſceptemus.

Reprobatio ſuperioris opinionis.

CAPVT XXXI.

MIHI autem videtur fieri non poſſe, vt ſine veneris ardore amatoria colloquia inter aulicos aulicáſque ipſas contingere valeant, quòd ſi ea abſque turpi appetitu fieri nequeunt, ad affabilitatem (quæ virtus eſt) minimè attinere videntur. Quippe cùm nulla virtus cum aliquo vitiorum ſe commiſceat atque communicet. Id autem ita eſſe Hieronymus demonſtrat, dum inquit, Fœminam, quam vides bene conuerſantem, eam dilige, non corporali frequentia, quia initium libidinis in viſitatione mulierum eſt. Et mundus cum mulieribus non meliùs, quàm fugiendo vincitur. quia cùm cæteris vitiis, & morbis quis poſſet repugnando reſiſtere, huic tamen non poteſt, niſi per fugam: & alibi, Si mulier potuit vincere eum, qui iam erat in paradiſo, non eſt mirum, ſi eos impediat, qui nondum ad paradiſum peruenerunt. Præterea ſolus, inquit, cum ſola ne ſedeas in ſecreto abſque arbitro, & teſte, & iterum nec ſub eodem tecto cum muliere manſeris. nec in præterita caſtitate confidas, quia nec tu Sanſone fortior, nec Solomone ſapientior. Concludit, Itaque omnes Virgines Chriſti & puellas aut æqualiter dilige, aut æqualiter ignora. Diuus verò Aurelius idem probauit, quum inquit, Sermo breuis, & rigidus cum mulieribus eſt habendus. Bernardus quoque omni ſāctitate præclarus, Quotidie inquit

conuerſaris cum muliere, & continens vis putari? eſto quòd talis ſis, maculam tamen ſuſpicionis portas, ſcandalum mihi es. Quare hæc colloquia aulicorum cum aulicis puellis amatoria videntur omni ex parte reprobanda, & à bonis probiſque principibus omnino exigenda.

Quæ Horatius de aulicis amatoriis colloquiis.

CAPVT XXXII.

VNDE Horatius vir doctiſſimus non omni ex parte hæc explodens ab aulis principum, quæ diximus vera eſſe fatetur de iuuenibus: Nam (vt inquit) ſenes ſemimortui, qui ſexaginta annos adimplerunt colloqui poſſunt cum aulicis ipſis puellis, conuerſarique ſine appetitu venereo. propterea affirmat zelotypia eius viri non affici, cuius ætas octo luſtra adimpleuerit: ſunt enim ſemimortui, qui nulla cupidinea appetitione vexantur: propterea aulicos ſenes venire poſſe vſque in baſia probantnonnulli.

Reprobatio huius opinionis.

CAPVT XXXIII.

SED aduerſus huiuſmodi opinionem ſunt viri ſanctiſſimi, ac exempla virorum ſenum probatiſſima. Hieronymus, Licèt horum, inquit, corpora ſint mortua, dico tibi, quoniam diabolus viuit, cuius flatus prunas extinctas ardere facit. Seneca quoque vir doctiſſimus in tragœdiis inquit,

Nouit hos æſtus, iuuenum feroces
Concitat flammas, ſenibúſque feſſis
Rurſus extinctos reuocat calores.

Aurelius quoque, Nec tamen, inquit, quia ſanctiores fuerint ideo minus cauendæ: quo enim ſanctiores fuerint, eo magis illiciunt, & ſub prætextu blandi ſermonis immiſcet ſe viſcus impiiſſimæ libidinis, crede mihi. Exempla contra hanc opinionem ſunt plurima, ſed duo ſufficiant, quorum prius Proſper Columna illuſtris exercituum Dux nobis affert, qui

Digitized by Google

cùm in Gallia Ciſalpina caſtra haberet ſub Caroli V. victrice Aquila, agens 70. ætatis annum, amare cœpit claram Viſcontiam amore ſenum, qui magis conuerſationum eſſe ſolet quàm libidinis: cùm tamen ipſe continentiſſimus foret, & cùm paſſim in colloquiis cum ea quotidie verſaretur, tanto amore affectus eſt tandem vt vſque ad inſanias apertiſſimas deueniret. Sumus & nos omnibus exemplo. nam vt voluptate afficeremus Pompeium Columnam, qui in huiuſmodi nos amoris rete implicitos videndo ſummopere delectabatur, ſimulauimus perditos cum QVINTIA amores, & ne ignores Quintiam, hanc à cunabulis Hippolytam nuncupatam ſcias, quæ cùm aulica ac cubicularia fieret Hippolytæ Aragoniæ Venafri Comitis, ne eodem nomine appellarentur ambæ, Lucretiam mutato nomine eam dicebant, quam nos Quintiam poſtea vocauimus, quòd ſcilicet eſſet quinta in amore: cum hac igitur amores ſimulando, ſæpe colloquendo, congrediendo, atque amores deſcribendo, quotidie conuiuebamus. Creuit amor tandem adeo vt non ad inſanias modò, ſed ad mortem compelleret. nec immeritò quidem: nam ea erat, éſtque etiam nunc frontis, oriſque ſerenitas, is candor, is oculorum ſplendor, ac rutilans iubar, ea denique totius corporis ſpecies, gratia, ac venus, vt non modò ſenes, ſed vel ipſi mortui ſuſcitentur alliciantúrque ad amorem: tanta quoque ipſi cum venuſtate pudicitia, morum ſuauitas, comitas, atque affabilitas ineſt, vt mundi ſpeculum, ſidúſque fulgentiſſimum meritò ſit cenſenda. Rectè igitur Seneca amorem cogere & virgines & numina (ſi fas eſt more gentium loqui) tradit, cùm inquit,

Virginum ignoto ferit igne pectus,
Et iubet cælo ſuperos relicto
Vultibus falſis habitare terras.

Ex iis apertum eſt colloquia amatoria inter aulicos aulicáſque ipſas deteſtanda eſſe, & à proborum principum aulis eliminanda. ſed quoniam venit impuriſſimus vſus, vt iam in aulis hæc eſſent probata, immo vt ambitioni principibus exiſtant, declarare opus eſt quouſque permittenda ſunt, & qua ratione affabilia eſſe poſſint.

Digitized by Google

Vſquequo amatoria colloquia in aulis permittenda ſint.

CAPVT XXXIV.

QVONIAM res hæc (vt dictum eſt) tota exoritur ex ea quæſtione, qua quæri ſolet, poſſintne aulici aulicæque ipſæ ſine immunda cupidine mutuò ſe amare: nam ſi dixeris poſſe, concedere quoque cogeris ſine appetitu veneris collo quia amatoria affabiliter eſſe poſſe: vel ab ea qua quæri ſolet ſitne ſemper pruritus veneris deteſtandus, ideo dicamus non ſemper venereum titillatum qui cupido eſt, eſſe execrandum, ſicuti nec appetitum cibi, vel potus: amor itaque qui eſt venereæ rei, quo quis amat puellam vt in vxorem ducat, ſi metam non exceſſerit, neque eſt præter leges, non eſt fœdus, nec illaudabilis. Dico ſi metam non tranſierit, quoniam etiam ſi puellam amauerit vt in vxorem ducat, ſed ardentiùs quàm conueniat, non laudatur. vnde Hieronymus authore Sexto adulterum tradit eſſe eum, qui vxorem ſuam ardentiùs amat, quàm deceat. quòd ſi non laudatur immoderatus amor erga vxorem, quanto minus erga puellam, quam amat vt in vxorem ducat. Colloquia itaque amatoria, quæ fiunt appetitu coniugij, non vituperarem inter aulicos aulicáſque ipſas ſi cum delectu fierent: hoc eſt, quando oportet, loco, & tempore quibus oportet, modo ac ratione quibus decet, atque omnibus circunſtantiis ſeruatis, quibus officioſi actus terminantur, atque conſtituuntur: ſecus verò, quum aguntur aut clam, aut crebrò, aut alia ratione quàm fieri debeant, deteſtabilia enim ſunt, atque ab aulis proborum principum arcenda fugandáque. Quare qui hodie de aulicis ſcripſerunt, docuerunt colloquia lenonia atque meretricia, quæ honeſti atque religioſi principes permittere non debent: eo verò pacto quo nos diximus, nec improba, nec inhoneſta eſſe queunt. Et de prima aulici parte, quæ affabilitas eſt, & de aſſentationibus ac adulationibus, quæ recipiuntur inter aulicaria, licèt ipſæ aulicæ reuerâ non ſint, dictum ſit hactenus. poſt hæc de vrbanitate, quæ altera aulici pars eſt admodum præcipua, diſſerendum.

Digitized by Google

De vrbanitate.

CAPVT XXXV.

VERSATVR itaque vrbanitas (vt ſuperiùs diximus) circa ſermones & geſtus, qui ſunt in iocis ac ludis: iocus autem ac ludus non ſunt ſuapte natura mali, quia tunc circa eos nulla eſſet virtus: At cùm ludus iocúſque ipſe humanæ vitæ admodum vtilis ſit, idcirco circa eos virtus eſſe poteſt. Quòd autem ambo vtiles ſint, ex eo patet, quoniam quemadmodum homo in corporis laboribus ceſſatione indiget, vt requieſcat, recreetúrque, ita & animus in ſeriis relaxatione indiget, qua requieſcat inſtaurétque vires. Quæ res cùm ludis, ac iocis perficiatur, fit, vt ludi ac ioci boni rationem ſubeant. Quare in ſermonibus ac geſtibus, qui in ludis iociſque conſiſtunt ad animum relaxandum, poſſunt eſſe extrema & medium: nam qui in ridiculis exuberant, ſcurræ ſunt, ac importuni, affectant enim omnino ridiculum, coniectántque magis riſum facere, quàm honeſtè loqui, & magis non afficere aliquem dolore, quàm facetè dicere. Qui verò nec ridiculi quicquam dicunt, nec alios dicere patiuntur, ruſtici ſunt ac duri, vel agreſtes, rudéſque, quaſi non molliantur ludi ac ioci voluptate. At qui cum moderatione iocantur verbis, aut geſtibus ludunt, & vtrumque cum delectu, hoc eſt, ſicuti oportet, & quando oportet, & quantum oportet, modúmque in cunctis retinent, ne aut nimia ſit eorum iocatio, luſúſque, aut remiſſior, vtque & loci meminerint, & perſonarum, ac rerum etiam ipſarum, hi vrbani, facetique dicuntur, quibus conuenit ea dicere, atque audire, quæ ad modeſtum ac ingenuum virum accommodantur. Quòd autem circa ludos iocóſque poſſit eſſe honeſtum ac turpe, patet ex ſpectaculis, quæ in antiquis, & nouis congreſſionibus fiebant, nam in turpibus ridiculis obſcœnitas, in honeſtis probitas habebatur. Vrbanus igitur ac ingenuus ita ſeſe habebit, quaſi ſibi ipſe lex ſit in loco. ſcurra verò à ridiculo ſuperatur, atque nec ſibi, neque aliis parcit, modò moueat riſum, dicitque ea, quæ vrbanus nec diceret, nec audiret. At ruſticus

ad

Digitized by Google

ad tales congreſſiones inutilis eſt, quippe cùm nec ipſe quicquam afferat ſalis, & quum alij afferunt, ægrè moleſtéque ferat. Quanta verò in iocis ac ludis requies habeatur, teſtes ſunt dies feſti à veteribus inſtituti, in quibus & tibiæ, & tubæ, & cantus, & choreæ, & lectiſternia, & templorum, & porticuum, viarúmque apparatus, & fercula, aliáque innumera oblectamenta fiebāt, nec ob aliud niſi propter communem omnium recreationem: & ob hanc rem Ariſtoteles iocum veluti requiem in vita neceſſarium eſſe dicit. Eſt itaque vrbanitas altera pars, & quidem præcipua aulicæ virtutis. nam cùm ad aulam principis refertur, aulicæ virtutis nomen ſibi vendicat, cùm verò refertur ad ciues, vrbanitatis nomen habet. Et cùm de ridiculis, ac vrbanis ſermonibus nobis diſſerendum ſit, primò de riſu tranſigamus.

De riſu.

CAPVT XXXVI.

DE riſu verò diſſerentes (licèt Democrito id dimittendum eſſet, qui de omnibus ridebat) diuiſionem aſſumamus huiuſmodi, quòd ſit alius naturalis, alius ſimulatus, alius verò aut ægritudinalis, aut non naturalis. Naturalis riſus cauſæ duæ ſunt, altera miniſtrans, altera mouens, ac imperans. Eſt cauſa imperans ſenſualis ipſe appetitus excellenti gaudio affectus, tantóque vt ſufficiat calefacere ſpiritus, ipſóſque mouere pro riſu. Miniſtrans verò cauſa eſt vis mouendi inſita lacertis, qui mouent os, & partes omnes, quæ pro riſu vtiles ſunt. Subminiſtrans verò cauſa ſpiritus eſt, qui ſupercalefactus gaudio relegatur ad lacertos, vt moueantur ad riſum. Simulatus verò riſus, eſt qui non ex his cauſis proficiſcitur, ſed ſolùm ex ipſa anima, quæ, vt obtegat dolorem, ac fletum, ſimulat riſum, vt Annibal cùm cerneret ſuum exercitum deuaſtatum, ſimulatum riſit riſum: Cæſar contrà fleuit ſimulatè, cùm caput Pompeij vidiſſet. Riſus autem ægritudinalis, (vt medici tradunt) eſt in eo, qui moritur ob detractionem plurimi ſanguinis, aut ex aſſumptione plurimi croci. Riſus verò non naturalis (vt Ariſtoteles ſcribit libro proble-

Digitized by Google

matum) eſt is, qui fit ex titillatione ſubaxillarum, cæterarúmque partium ſimilium. Et quoniam nobis ſermo eſt de naturali ipſo riſu, de aliis atque eorum cauſis nunc pertractare omittimus. Ad naturalem itaque riſum efficiendũ pluribus virtutibus opus eſt, nam quatenus in riſu eſt motus lacertorum, faciei & pectoris, virtute, quæ voluntariè mouet opus eſt. quo verò appetitus imperat lacertis vt moueant, opus eſt appetitu ſenſuali, & quoniam appetitus ſequitur apprehenſionem eius virtutis, quam Græci phantaſticam vocant quæ rem voluptificam apprehendit, atque gaudium tantum quod calefacere poſſit ſpiritus, imaginaria virtute opus eſt. quo verò ad riſum ſenſatio aliqua exterior neceſſaria eſt, etiam ſenſu aliquo exteriore opus eſt. quatenus autem concurrit motus caloris ac ſpiritus, opus eſt virtute vitali, quæ reſidet in ſpiritu, & calore. In apprehenſione verò gaudij ſurgit in nobis duplex appetitio, altera ad eam rem amplectẽdam ex qua naſcitur nobis gaudium. altera ad patefaciendum gaudium, quod nobis inſurrexit ex ipſa re voluptifica. Veluti cùm procul PHAVSINAM inſpexero, qua ſupra modum gaudeo, vna appetitio me mouet ad illam proſequendam, & hac pedes, crura, manus moueo, vt ipſam aſſequar: altera quæ imperat ad manifeſtandum gaudium, quod mihi inſurrexit ex illius meditatione, & hac moueo lacertos, tum pectoris, tum faciei, motu videlicet, quo fit riſus ipſe. hactenus de riſu, atque de cauſis internis riſus.

Non eſſe omnes æquè ab ipſa natura aptos ad ridendum, & de effectibus riſus.

CAPVT XXXVII.

HOMINES verò, ac principes, qui rident, licèt omnes riſibiles ſint, vt hominis definitio probat, eſt enim aliter riſibile: tamen ab ipſa natura non omnes æquè apti ſunt ad riſum, ſicut nec omnes æquè flere, atque triſtari ſolent. Videmus enim nonnullos ex paruis cauſis triſtari, nec ob aliud, niſi quia paucos, & quidem tenebroſos ſpiritus obtinent: ſic nonnulli ab ipſa natura affecti ex paruis cauſis rident,

Digitized by Google

vt puta qui ſpiritus multos, bonos, ac mobiles continent, qui facilè mouent inſtrumenta ad riſum. huius generis & pueri, & iuniores eſſe videntur. ſenes verò & melancholici non ex paruis cauſis rident, nec gaudent, tum ſpirituum paucitate, tum nigritie, immobilitate, ac craſſitudine etiam. Effectus verò riſus quoniam (vt Quintilianus in 6. libro) plures ſunt: nam riſus triſtes ſoluit affectus, animum ab intentione rerum nimia frequenter auertit, & aliquando etiam reficit, & à ſatietate vel à fatigatione remouet: ideo & ex parte mouentis, & ex parte moti ad riſum ab ipſa natura magna differentia eſt: nam aliqui ab ipſa natura exoriuntur aptiſſimi moueri, aliqui autem aptiſſimi mouere ad riſum, aliqui verò vtroque modo. eſt tamen hæc differentia quòd mouere riſum ingenioſi ſit natura: at moueri poteſt aliquis ad riſum non nimio ingenio præditus.

De gaudio quod in omni riſu vt cauſa præſupponitur, & de mœrore, vel mœſtitia, & de lætitia, & triſtitia, & de voluptate, & dolore, & de geſticulatione.

CAPVT XXXVIII.

QVONIAM nemo ridere poteſt riſu vt diximus naturali, niſi prægaudeat, ſupereſt vt de gaudio dicamus. eſt itaque gaudium animi, cuius contrarium eſt mœror, vel mœſtitia: nam mœror vel mœſtitia etiam animi eſt. lætitia verò eſt quum ita mouetur animus, vt etiam ad exteriora egrediatur, & maximè in vultum. ob hanc rem Stoici gaudium in ſapientem cadere poſſe, lætitiam non poſſe autumant. huius oppoſitum triſtitia eſt. Voluptas autem eſt operationis perfectio, dolor autem qui ei aduerſatur imperfectio eſt: geſticulatio denique in mutis animalibus eſt, nam quod hominibus gaudium, cæteris animalibus geſticulatio dicitur: eius verò contrarium innominatum eſt: verùm quia homines cum cæteris animalibus communem habent lætitiam atque triſtitiam, fit vt oppoſitum geſticulationis nomine generis triſtitia dicatur. inſuper gaudium quies eſt de præ-

Digitized by Google

ſenti bono, cuius amor & deſideriũ & ſpes præceſſerunt: fuſo autem verbo gaudium eſt quies de præſenti bono, ſiue præter ſpem, ſiue propter ſpem euenerit: mœror autem, inquietudo de præſenti malo. Ad hæc dicitur gaudiũ à delectatione: nam oblectamur tam in iis, quæ natura concupiſcimus, quàm in iis quæ ratione optamus. at gaudium locum non obtinet, niſi iis in delectationibus, quæ conſequuntur rationem: cuius rei argumento nobis ſunt cætera animalia, quibus delectationem, & non gaudium attribuimus, quoniam rationis ſunt expertia. Eſt præterea alia differentia. nam quod natura concupiſcimus, eo omni gaudere poſſumus, ſed non id omne, quo gaudemus, natura concupiſcimus: nam contingit perſæpè, vt eo gaudeamus, quod non natura concupiſcimus. vt abſtinentia ratione aliquando gaudemus, quam natura non concupiſcimus. ex his perſpicuum gaudium eſſe quietem cum ratione de præſenti bono. Nec diſſonum videbitur, vt interdum magis gaudeamus, quoniam nobis per rationem apparentem bona videntur. Mouet itaque gaudium ad riſum, quoſdam ex paruis, quoſdam ex magnis cauſis: nec ob aliud niſi propter differentiam naturarum, quemadmodum aliquis equus ex parua cauſa delectãte hinnit, aliquis non niſi ex magna cauſa. ſimiliter canis latrat, aliquis ex parua cauſa, aliquis verò non niſi ex vehementi. Eſt enim riſus in homine, vt hinnitus in equo, & latratus in cane. Qua ratione euenit, vt non ab ratione Cicero & Quintilianus aſſeruerint riſum eſſe gaudij teſtimonium, id eſt hilaritatis quæ in animo percipitur, quippe cùm ſemper effectus atteſtetur ſuæ cauſæ indicium.

Ex quibuſdam actibus humanis riſum fieri, ex nonnullis verò non fieri.

CAPVT XXXIX.

HINC perſpicuum eſt actus quoſdam humanos eſſe quibus mouemur ad riſum, eiſdem autem ſecus euenientibus, nequaquam. ridemus enim ceſpitationibus, caſibus hominum, quibus labuntur, ridemus etiam hominibus cùm turpiter induuntur, vt perſonatis, ac laruatis, deformiter au-

Digitized by Google

tem indutis interdum non ridemus. Cauſam horum aſſignat Ariſtoteles vir omnium diſciplinarum magiſter, prioris quidem, quoniam ex huiuſmodi euentis, indumentiſque talibus oritur in nobis gaudium. Primò quia putamus nos eſſe illis meliores, qua profectò opinione gaudemus, atque lætamur: deinde quia arbitramur nos eſſe illis prudentiores, quatenus ea non faceremus: his igitur duabus exiſtimationibus cùm videamur præferendi, gaudemus tanto videlicet gaudio, vt ſufficiat mouere riſum. Secundi verò cauſam aſſignat eodem libro: nam quandoque his caſibus, atque euentis annexa ſunt nocumenta, quæ magis ad commiſerationem mouent, quàm turpitudo, & deformitas ad riſum. ob hanc cauſam, vt Galenus narrat libro 4. de locis affectis, quidam ridebant quodam homine irato, quòd proiiceret vaſa per feneſtram, cùm verò proſpexiſſent ex ea proieciſſe puerum, & ob proiectionem mortem obiiſſe, compatientes, ac commiſerantes puerum, non ridebant: nocumentum enim mouens ad commiſerationem, maius erat turpitudine quæ mouebat ad riſum.

Quid ſit ridiculum generatim ſecundum Ariſtotelem.

CAPVT XL.

EX iis Ariſtoteles in poëtica concludit ridiculum eſſe delictum quoddam, ac turpitudinem, quæ eſt doloris expers, miniméque afflictiua: quo enim eſt expers doloris neque maceratiua, non mouet ad commiſerationem: ea verò ratione, qua eſt turpitudo atque delictum, id eſt peruerſio quædam recti, quod prudentes ac boni agerent, mouet ad riſum. Quare nec res, nec geſtus, nec ſermo poteſt riſum mouere, niſi turpitudinis, atque cuiuſdam peruerſionis rationem capiat: deinde nec res, nec geſtus, nec ſermo eſſe poteſt ridiculus, niſi doloris, atque afflictionis omnino ſit expers. hac ratione turpis facies, omnéque peruerſum, modò non inferat dolorem, ridiculum eſt. cauſa eſt, quia hæc omnia apprehendimus tanquam gaudij effectiua, aut ob opinionem, quam ex hiſce nanciſcimur noſtræ pro-

Digitized by Google

bitatis, aut melioris prudentiæ. aut noſtri exceſſus in aliquo bonorum, vt in forma, vel in robore, vel in viribus, vel in nobilitate, vel in diuitiis: vnde Iuuenalis,

Nil habet infelix paupertas durius in ſe,
Quàm quòd ridiculos homines facit.

Fit enim (vt diximus) in nobis ſemper gaudium, cùm imaginamur excedere aliquem in re quæ eſt proba, vel quæ nobis apparet proba. Hinc patet non rectè ridiculum eſſe definitum, quòd ſit illud, quod in ſe contineat deformitatem, ac inconuenientiam, vt Cicero deſcripſit: oportet enim addere deformitati, vt ſit doloris expers, atque non ſollicita & anxia.

Cur ridicula instituta fuerint, & quidem genere, & locis varia. Et de aulicaribus, ac aulicis.

CAPVT XLI.

CVR verò publicè, & priuatim ridicula plurima, & genere & loco varia inſtituta ſint, quaſi ab hominum initio, & adhuc perdurent, non eſt difficile demonſtrare ex iis, quæ diximus: nam cùm animus natura requiem ac recreationem concupiſcat, natura quoque trahatur ad eas. Priſci Reges, Romanique principes, Athenienſéſque, etiam & Barbari, vt recrearent animos ſuos qui præ nimia operum, ac negotiorum multitudine feſſi, atque defatigati eſſent, quíque natura hæc concupiſcerent, feſtos dies adinuenere primò, deinde vt adhuc ſe magis recrearent relaxaréntque, (quemadmodum Ariſtoteles in poëtica retulit) ludos, iocos, theatra, arenas, ſedilia, aliáque plurima ædificia diebus illis addiderunt, in quibus & comica & tragica recitarentur, vt apud Dorienſes ac Megarenſes primò, vel (vt aliis placet) primò apud Siculos, apud quos Epicharmus & Phormis maximi extiterunt, & (vt Ariſtoteles inquit in poëticis) apud Athenienſes primus Crates incepit: in his enim & hiſtriones, & mimi exhiberi ſolebant. Inſuper & alia oblectamenta, vt tibiæ, & tubæ, & cantus, & choreæ, & lectiſternia, & muſici, & gladiatores, & venationes, & pugnæ nauales, & alia id

Digitized by Google

genus: demùm & ridicula, quæ mouerent riſum. Nec ob aliud primi Reges, ac Magiſtratus hæc effecerunt, niſi vt placerét populis, indéque amorem ac beneuolentiam captarent, eóque venit vſus huiuſmodi, vt iam non ſolùm voluptati, ſed ambitioni, atque magnificentiæ res hæc principibus extiterit. Hæc poſtea cùm tranſlata eſſent ad domos principum, mutato nomine aulica hodie dicuntur. Nec alia differentia eſt niſi ex loco. nam quum referuntur in publicum, vrbana vel ſcurrilia vocantur, quum verò ad aulam principum, aulica vel aulicaria. placet tamen mihi delicentia, ſcurrilia cùm ad aulam relata fuerint, vt dicantur aulicaria: vrbana verò ac comica facetáque, vt aulica nuncupentur.

Vnde riſus ſit.

CAPVT XLII.

QVONIAM ridiculum eſt, vnde riſus fit, ideo vnde riſus fiat aperiamus, ex quibus. Quintilianus itaque riſum fieri non ſolùm facto aliquo dictóve, ſed etiam quodam corporis geſtu autumat, ideo anceps eius rei ratio eſt, & hac ratione riſum petimus, aut ex nobis, aut ex rebus mediis, aut ex aliis: nam riſus aut ex corpore eius, in quem dicimus, oritur, aut ex animo, qui factis ab eo dictiſque colligitur, aut ex iis, quæ ſunt extra poſita. hac ratione Cicero in de Oratore libro ſecundo: Locus, inquit, & regio quaſi ridiculi turpitudine, & deformitate quadam continentur: hæc enim ridentur vel ſola, vel maximè quæ notant turpitudinem aliquam non turpiter. Qua ratione fit vt ſit & res ipſa ridicula, & ſermo, & geſtus ridiculus. res quidẽ (vt Cicero ait) in qua ridiculũ ſumi ſolet ex quadam deprauata imitatione, vel (vt meliùs Ariſtoteles) res ridicula eſt, quæ delictũ quoddam, ac turpitudinem continet, quæ eſt doloris expers, miniméq; afflictiua. Sermo verò ridiculus (vt Cicero) in quo illa ſunt, quæ aut ex immutata oratione ducuntur, aut ex vnius verbi trãſlatione, aut ex inuerſione verborum. & ob id dicit non eſſe inſulſum ſermonẽ, cùm ad verbum non ad rem accipere videtur id quod poſitum eſt in verbo. Ariſtoteles verò in poëtica dicit, ridi-

culam efficere orationem, qui concinnat quantum refert in verbis, & inſpicit in nominibus inſerendis linguam, & tranſlationes, potiſſimùm autem aliquando peregrinam linguam, & adiectionem, & quicquid eſt præter proprium, modò autem quæ inſerit expertia ſint doloris, & afflictionis. per quæ perſpicuum fit, quid ſit geſtus ridiculus, eſt enim qui continet delictum vel turpitudinem doloris expertem, atque nullos angentem. hæc generatim de rebus vnde riſus fit.

De diuiſione ridicularum orationum, rerum, vel geſtuum.

CAPVT XLIII.

SERMONVM ridicularium, alij ſunt breues, qui ſi fuerint cum turpitudine, erunt ſcurriles orationes, quæ dici poſſunt ſcurrilitates: ſi autem riſum mouerint ex turpitudine non turpiter, dicuntur vrbanitates: at ſi ſine riſu mordent, ſales dicuntur, vel dicteria, Græcè ſcommata, vel apophthegmata appellantur. Alij autem prolixi, atque oblongi, qui ſi fuerint cum delectu, facetiæ vocantur: quarum (vt Cicero inquit) aliqua re, aliqua dicto tractatur: & poteſt addi tertium genus, quod re, dicto, ac geſtu, re quidem, ſi quando quid tanquam aliqua fabella narratur, vt Pogianæ facetiæ, & nonnullæ Boccatianarum: eſt enim huius generis virtus, vt ita facta demonſtres, vt mores eius de quo narres, vt ſermo, vt vultus omnes exprimantur, vt iis qui audiunt tum geri fierique videantur, ac præ oculis eſſe: verbo autem, cùm poſitum non inſulſum ſermonis genus ſit, ex eo, quum ad verbum non ad ſententiam rem accipere videntur. At ſine delectu ſunt ludificationes, quæ verbis, rebus, & geſtibus, aut ex immutata oratione ducuntur, aut ex vnius verbi tranſlatione, aut ex inuerſione verborum, aut geſtuum, vel rerum. vt illa præceptoris mei, cùm ſubripuiſſet ludendi gratia hœdos cuiuſdam nobilis Veneti, antequam ille conquereretur, perſuaſit multis, & quaſi omnibus, quòd inuaſus eſſet Venetus ille nobilis ab inſania, adeo vt crederent eum non conqueri propter raptum hœdorum, ſed ob dementiam: vnde

de cùm ille acceſſiſſet ad Prætores, credentes eum eſſe inſanum ob famam, quæ præceſſerat, commiſerabantur de inſania. de furto autem nihil credentes. De ridiculis multa ſcribit Boccatius, quæ non opus eſt repetere.

De perſona mouente riſum, & de ætate.

CAPVT XLIV.

VIDETVR vltra hæc diſſerendum eſſe de perſona mouente riſum, quæ (vt perſpicuum eſt) puer vel adoleſcens eſſe non poteſt, quoniam ſicuti ſeria non conueniunt, niſi ætate prouectis, ſic nec ridicula ac iocoſa mouere poſſunt, niſi prouecti: nam (vt philoſophi tradunt) circa idem contraria cõſiſtunt: præterea nec facetiæ, nec ſcurrilitates, nec ſales, nec ludificationes ſine aſtutia, atque quadam prudentia ſunt, quæ non niſi prouectis idoneæ videntur: non nego tamen aliqua horum conuenire poſſe adoleſcentibus, quæ non exeunt terminos morum puerilium. In his peritus erat famulus quidam noſter adoleſcens. fingebat enim canes rixantes, gallos, homines non modò in geſtibus, ſed in verbis, & rebus: verùm hæc non tranſcendebant puerorum mores. Fabellæ verò idoneæ ſunt ſenibus potiſſimum mulieribus, propter quod & aniles dicuntur apologi, & fabulæ philoſophis, ſunt enim fabularum effictores. vtrum verò mouere riſum virum grauem deceat, ambiguum eſt, primò quia ridiculum dictum (vt Quintilianus probat) plerumque falſum eſt, hoc ſemper humile, ſæpe ex induſtria deprauatum, quæ omnia viro graui inconueniunt: deinde quia nunquam honorificum: tum etiam ob varia hominum iudicia in eo, non ratione aliqua, ſed motu animi quodam neſcio an enarrabili iudicatur. Verùm Cicero & virum grauem decere tum autumat, tum ipſe adeò fuit in mouendo riſu edoctus, vt Conſularis ſcurra ab inimicis vocaretur. nam non ſolùm extra iudicia, ſed etiam in ipſis orationibus habitus eſt nimius riſus affectator. Demoſtheni facultatem huius rei defuiſſe credunt. nec videri poteſt voluiſſe Demoſthenes, cuius pauca admodum dicta nec ſanè eius virtutibus reſpondentia palam oſtendunt,

Digitized by Google

non diſplicuiſſe illi iocos, ſed non contigiſſe. Cicero igitur ridicula quæ turpia ſunt turpiter mouere, non decere grauem virum autumat, quæ verò turpia ſunt non turpiter, & decere, & ad virtutem attinere probauit, quod etiam Ariſtoteles inter virtutes enumerauit. Qui igitur aptus eſt riſum facetè mouere, oportet vt quaſi ex fortuna, vel (vt rectiùs dixerim) quaſi ex ipſa natura aptus, & accommodatus ſit modis omnibus facetiarum ac dicteriorum cunctorum, habeátque eis & verba, & mores, & vultus, & motus idoneos, accommodatóſque: ætate quoque ſit prouectus, qualis ætas viri grauis cenſetur, qui quanto grauior fuerit, tanto vrbana omnia ſalſiora, atque argutiora videri faciet. his vrbanis ſi coram principe, cum ſibi æqualibus, vel parum admodum inæqualibus vtetur ſapienter, ac non turpiter, ſed vrbanè vtetur, tantóque vrbaniùs, quanto magis modum ac delectum in cunctis ſeruauerit.

De partibus aulici: Et primò de Nobilitate.

CAPVT XLV.

VTRVM verò nobilitate clarus eſſe debeat vrbanus, non facile eſt definire. Cicero, Quintilianus, & Ariſtoteles, qui de ridiculis & vrbanis ſcripſerunt, nobilitatis nihil meminerunt. fortaſſe quia nobilitatem generis nihil prodeſſe vrbanis crediderunt nobilitatem verò, quæ virtus eſt, non modò neceſſariam, verùm etiam vrbanitatem ipſam eſſe probarunt. Qua ratione fit, vt ſecundum hos ne aulicus nobilitate emicet, neceſſe ſit, quantóque minus ſcurra, vel hiſtrio, vel mimus. Sunt qui nobilitatem generis partem aulici, & quidem non paruam eſſe affirment: primò quia per eam ad omne virtutis genus faciliùs properetur. quippe cùm generis nobilitas diſpoſitio quædam ſit, qua homines nobiles apti ſunt exercere earum virtutum opera, quibus parentes clari erant. Deinde (vt Ariſtoteles 2. Rhetoricorum libro probauit) homines omnes, cùm aliquid adſit, ad id ſolent coaceruare, vt ſi diuitiæ paruæ fuerint, ad illas exaggerant. Et cùm nobilitas ſit quædam maiorum claritas, ſit vt nobiles

Digitized by Google

ad illam maiorum claritatem plures ac maiores honores accumulare enitantur: quo fit vt aulicam ipſam virtutem non cum immunditiis & illecebris exerceant, ſed cum delectu, vt decet nobiles viros. Poſtremò virtutes longè magis emicant (vt Ariſtoteles inquit) in viro genere nobili quàm ignobili, maiorem quoque fidem de ſe ipſis faciunt, atque à cunctis non fictè exiſtimantur, gratioréſque ſunt: ſed fortaſſe licèt palatino comiti ſit nobilitas magis conueniens, tamen nec comiti, nec aulico eſt neceſſaria: nam ſi æquè bene aulicæ ipſæ actiones exerceri poſſint; tam ab iis, qui genere nobiles ſunt, quàm ab iis, qui ipſa vrbanitate, ac affabilitate perfecti ſunt, vt docent exempla & obſeruationes, generis nobilitas neceſſaria non erit aulico, nec comiti.

De pulchritudine aulici.

CAPVT XLVI.

SVNT etiam, qui non modò nobilitatem, verùm etiam formam partem aulici eſſe tradant: dico formam non quæ ſit eadem ſemper, ſed quæ currit per omnes ætatis numeros, vt inter iuuenes iuuenis pulchrior, inter viros vir quoque formoſior, atque inter ſenes ſimiliter. Cauſa verò colligi poteſt ex primo Rhetoricorum Ariſtotelis, ex eo quia corpus formoſum aſpectu videtur iucundum, qui verò corpore, ac aſpectu iucundus eſt, gratiam in omnibus ſibi comparat, atque potiſſimum in aulicis. fortaſſe in vrbano & affabili pulchritudo non erit abſona, quippe cùm gratior pulchro in corpore ſit virtus, ſecus in ſcurra & adulatore. In ſcurra verò turpitudo (modò non ſit commiſerabilis) gratiam affert non paruam. Quod autem aulico pulchritudo neceſſaria non ſit, eo (vt diximus) perſpicuum eſt, quia aulicæ actiones ſatis bene expleri atque perfici poſſunt, etiam ſi aulicus pulcher non ſit, vel ſit longus, vel breuis, vel talis id genus, vt docet obſeruatio ipſa, modò non ſit adeò turpis vt commiſerationem ſui apud circumſtantes moueat.

Digitized by Google

De litteris, muſica, facultate pingendi, atque de gymnica.

CAPVT XLVII.

SVNT etiam, qui aulici partes, & quidem neceſſarias eſſe velint, litteras, muſicam, pingendi facultatem, atque gymnicam, quarum partes explicant. mouentur argumento, quòd aulicus omnis ſit ingenuus, omnis autem ingenuus his emicat, igitur & aulicus. De huiuſmodi ſatis ſuperiùs dictum eſt, tamen bis dictum, (vt Plato inquit) ſi bene dicatur, non diſplicet: hi igitur (vt diximus) decepti ſunt, nam virtutem aulicam putant virtutes omnes occupare, quod falſum eſſe ſuperiùs eſt demonſtratum. Ariſtoteles enim libro Ethicorum quinto ſolam iuſtitiam, quæ legitima eſt, virtutes omnes complecti apertè oſtendit, aliarum autem virtutum nullam, quoniam vnaquæque alia verſatur circa propriam materiam quam philoſophi obiectum dicunt: propria autem cuiuſq; virtutis materia materias virtutum omnium non occupat: quare cùm virtus aulica quædã ac particularis virtus ſit, non quæ ſit iuſtitia, non quæ ſit liberalitas, non quæ ſit fortitudo, nec aliqua talium, fit vt eius materia cæterarum materias non contineat: quòd ſi eius materia cæterarum virtutum materias non ſibi adiunxerit, nec aulicus ea ratione videlicet qua aulicus eſt, reliquas virtutes ſibi aſciſcit, non enim id neceſſarium eſt. Hanc ob cauſam Ægidius deceptus eſt, qui curialitatem (vt verbis eius vtar) complecti omnem virtutem arbitretur. fortaſſe alia ratione decepti ſunt, quòd eundem aulicum eſſe, ac palatinum comitem putarint: at falſum eſt hoc, nam comitis officium eſt comitari, aulici verò principem iucundis ac vrbanis rebus recreare. comes autem eſſe non poteſt, vt decet, niſi aliqua ratione par atque æqualis principi reddatur: hoc enim pacto iure comitari poterit. quòd verò illis quatuor par atque æqualis ferè principi reddatur, licèt Ariſtoteles probarit, tamen ſuperiùs eſt demonſtratum: ſuperat enim princeps comitem diuitiis ac magiſtratu: idoneus autem comes iis quatuor principem anteire debet, vt paritas aliqua ratione in comitatu ſeruetur. Au-

Digitized by Google

licus autem cuius officium eſt vrbanis ac affabilibus princi-pem demulcere, in his dumtaxat peritus habendus eſt. ſi au-tem cuncta alia bona obtinuerit, melior fortaſſe erit, vt homo, vt ciuis, vt comes, non autem vt aulicus. quod autem dice-batur aulicum eſſe ingenuum, verum eſt ea videlicet inge-nuitate, quæ complectitur affabilitatem ac vrbanitatem, non autem virtutes omnes.

De gratia, quæ in aulico requiritur. & de ſermone aulico gratioſo.

CAPVT XLVIII.

CVM verò aulicus ſine gratia frigidus ſit, quid gratiæ ſit in aulico, opus eſt vt exponamus. Illud tamen in pri-mis accipiendum eſt, gratiam non eſſe niſi in pulchris, quip-pe cùm gratioſum omne ſit pulchrum, contrà verò nequa-quam: poſſunt enim & puellæ, & orationes, & veſtes, & a-lia id genus eſſe pulchræ, quæ nobis gratioſæ non ſunt. Qua-re ſi in aulico gratiam quærimus, ſupponere oportet aulicum ſermone, geſtibus, ac re pulchrum eſſe. veluti ſi dixerimus PHAVSINAM gratioſam eſſe, neceſſe eſt, vt dicamus eam forma, geſtibus, inceſſu, verbis, pulchram eſſe. Eſt inſuper nobis argumento, quòd turpe ipſum atque deforme nulli ſit gratioſum, niſi ſub ſpecie pulchri: nam quemadmodum malum nonnunquam appetimus, quia nobis bonum appa-ret, ſic quoque turpe interdum gratioſum, quod nobis pul-chrum videatur. Dixerunt itaque nonnulli gratiam eſſe do-num naturæ: quòd enim hæc pluribus gratioſa ſit mulier, illa nulli vel admodum paucis, videtur ex natura id eſſe. Pla-to autem ex Dei fulgore, qui in quibuſdam pulchris clariùs, in nonnullis obſcuriùs ſuſcipitur, id accidere ſuſpicatur: eſt enim Dei fulgor gratia quædam, gratia faciens pul-chra cuncta, non tamen æquè aut pariter, cùm non in cunctis pulchris pariter diſſeminetur. ſed prætermittendo hoc: nam diſputatione non caret, ſitne gratia donum na-turæ, an in nobis ipſis conſtituta? primò vnde gratia oria-tur, exponamus: obſeruatione enim exploratum eſt, non-

nulla pulchra quodam tempore non eſſe gratioſa, poſtea fieri gratiſſima, vt ſit argumentum ad perſuadendum gratiam poſſe interdum ex nobis ipſis oriri, aut omnino, aut ſaltem aliqua ex parte. Quod ſi ita fuerit, nonnulli, & quidem non imperitè, gratiam oriri in pulchro ex neglectu affectationis aſſerunt. Eſt autem affectatio curioſitas quædam, atque nimia diligentia. hinc affectata oratio dicitur, quæ nimis anxiè, ac curioſè exquiſita eſt. affectata quoque pulchritudo, quæ nimio fuco, ac ornamentis quæritur: cùm verò pulchritudo arte quadam occulta negligitur, quaſi ſit eueniens ex tempore, hæc redditur admodum gratioſa, & facilis. Ex quibus patet nos gratiam poſſe diſcere, locis & imitationibus: locis quidem, ſi pulchrum ex arte occulta appareat negligi, ſi non anxiè fucetur, ſi non diligenter, & ad amuſſim ornetur: imitatione verò, ſi ea obſeruauerimus, quæ in ſimilibus pulchris gratiam habent, vt ſi quærimus gratiam in elocutione, obſeruare oportet ea, quæ orationes Demoſthenis gratioſas effecerunt, & ea etiam, quæ orationes Ciceronis: ſimiliter in cæteris omnibus pulchris, quorum gratiam quærimus: ſemper enim ea obſeruare oportebit, quæ gratiam in ſimilibus obtineant, ſic in equitando, ſic in Muſica, ſic in choreis, atque cæteris omnibus, quorum gratiam diſcere volumus. Hinc patet quis gratioſus aulicus ſit: eſt enim qui in ſermonibus, & geſtibus, & rebus, pulchritudine vtitur, ex quadam occulta arte cum neglectu, atque apparenti contemptu, non tamen adeo apparenti, vt videatur neglectus atque contemptus ipſe arte factus: qua ratione fit vt gratioſus ſit aulicus, qui geſtibus, ſermonibus, ac rebus ita facilè & accommodatè vtatur, vt quod dicto, vel geſtu oſtendit, præ oculis credatur eſſe. Aulicus verò, qui ſine gratia eſt, geſtu, re, ac ſermone frigidus eſt.

De ſermone frigido aulici.

CAPVT XLIX.

SED quoniam frigiditas contingere poteſt in aulici ipſis ſermonibus & in geſtibus & in rebus, de frigiditate auli-

Digitized by Google

ci ſermonis & de lingua dicamus. nam ex hoc frigiditas in geſtibus ac rebus perſpicua erit. Ariſtoteles itaque 3. Rhetoricorum ſermonem frigidum eſſe tradit, primò nominum compoſitione, quæ & circumlocutio dicitur: quoties enim oratio aulica nominibus compoſitis conſtat, frigida prima ratione eſt: eſt nomen compoſitum illud, quo Lycophron cùm nominaſſet cælum, compoſito nomine & ficto dixit multi-faciem. Gorgias verò volens pauperem appellare dixit ſapientem adulatorem, & Alcydamas animum nuncupauit viribus refertum. Hæc quia poëtica ſunt, vrbanam orationem reddunt frigidam, ac nimis affectatam. Deinde cùm in ſermonibus fuerit vſus nimius priſcorum nominum: ſunt autem priſca nomina & verba, quæ ſuperiore ætate fuerunt: hoc pacto Lycophron Xerxem, cùm dixiſſet virum dixit montis inſtar: Schironem verò appellauit virum vaſtum: & Alcydamas ludicrum. Quæ cùm ſint poëtica, velut Plautina vrbanis ſermonibus non ſunt idonea. Qua ratione fit, vt aulicus ſermo ſit, qui nominibus, ac verbis conſtat, non indecenter fictis, ac nimium priſcis, ſed accommodatis Principi, atque cunctis qui in aula viuunt. Tertiò frigidus fit vrbanus ſermo adiectiuorum abuſu: vt puta cùm longis epithetis vtimur, qualia ſunt quæcunque nimis remota ac longinqua ſunt, vt cùm dicitur Dircæus Oedipus, id eſt Thebanus à Dirce fonte: aut cùm dicitur ſerpentigenus, à ſerpentis filiis Thebarum conditoribus. longum eſt etiam illud Virgilij in 6. *quem contra breuiter fata eſt Amphriſia vates*, vbi Amphriſia id eſt Apollinea intelligitur: per quæ oportet intelligere aulicum iis epithetis vti oportere, quæ ideo principi ac vniuerſæ grata ſunt aulæ, quoniam proxima ſunt iis nominibus ſubſtantiuis quibus adiacent: alioquin ſermo reddetur minus intelligibilis. aut cùm epithetis alienis vtimur, velut eis quæ ſubſtantiuis, quibus adiacent, non conueniunt, vt cùm diceretur dulce mare, frigidus ignis: nam nec ſic apud aulam talium vſus eſt. aut cùm epithetis crebris vtimur, vt cùm cuique ſubſtantiuo dares ſuum adiectiuum: ſic enim confuſio eſſet in verbis. Vltimò vrbanus ſermo fit frigidus metaphorarum diſſonantia, aut quoniam metaphoræ ſunt ridiculæ ac ſcurriles, quibus vtuntur comici ac ſcurræ, aut quia ni-

mis graues, quibus vtuntur tragici, aut quia obſcuræ ac remotiores, quibus vtuntur heroici, vt vtebatur Gorgias, cùm ſemina dixiſſet virides res atque exangues, quas turpiter ſeminaſti, perperam meſſuiſti, vel falcula incidiſti: hoc enim valde poëticum eſt, & obſcurum, quod euitare debet aulicus, ne ſermo obſcurus reddatur, ac latens. Per quæ colligi poteſt ſermonem frigidum eſſe in quo nimia affectatio continetur, in quo improprietas, in quo obſcuritas, in quo diſſonantia ſimilitudinum, ac tranſlationum habetur, in quo etiam vſus verborum ac nominum non ſecundum communem aulæ morem agitur, in qua ipſe aulicus viuit. Redditur quoque aulicus ſermo frigidus, cùm aulicus ipſe in ſalibus fuerit nimis creber, & quaſi toto die in his verſans. Eſt frigidus ſermo etiam, cùm magno temporis interuallo proponitur, aut reſpondetur, quia demonſtrat ex conſilio fuiſſe: aulica enim quæ ex tempore fiunt gratioſa ſunt potiſſimum reſponſa, vt Cicero vtebatur. magis enim in reſpondendo laudatur aulicus, quàm in proponendo, quæ enim proponuntur, ex conſilio proficiſci videntur. quæ verò ex tempore reſpondentur, gratioſa iudicantur, & ingenij acumen arguunt atque promptitudinem. Qualis igitur debeat eſſe ſermo aulicus, ex hiſce apertum eſt.

De ſermone gratioſo in ſcurra.

Capvt L.

EX iis facilè conſtat qualis ſermo ſit gratioſus in ſcurra, habet enim ſcurra commune cum aulico, vt eius ſermo tam in reſpondendo quàm in proponendo ſit ex tempore, potiſſimum tamen in reſpondendo: & quantum ad hoc gratioſus eſt ſicuti vrbanus ipſe. verùm ſermo ſcurrilis gratioſus eſt interdum, quum ea habet, quibus vrbanus eſt frigidus, vt quum ſcurra nominibus vtitur fictis & compoſitis, cùm priſcis præſertim ruſticis, cùm adiectiuis remotis, cùm alienis, cùm crebris, & cùm tranſlationibus incongruis vtitur, vel ridiculis, vel grauibus, vel obſcuris, vel remotioribus: omnibus enim his ſæpiùs ſcurra mouet ad riſum. ſunt & alia loca,

oca, de quibus poſtea diſſerendum. ſed nunc illud vnum ſit in aperto, quæcunque vrbanum ſermonem reddunt frigidum, ſcurrilem efficere gratioſum, præter pauca quæ ſcurra communia habet cum vrbano. Cauſa autem eſt, quoniam ſcurrilis ſermo nonnumquam cum dicacitate eſt, quæ propriè ſignificat ſermonem cum riſu aliquos inceſſentem, quæ inceſſio eſt gratioſa, cùm ex iis conſiſtit omnibus, vel pluribus, quibus vrbanus ſermo frigidus efficitur: de his poſtea exempla afferemus.

De vrbanitate ſermonis aulici.

CAPVT LI.

DE vrbanis verò ſermonibus illud primò attendendum, quod Ariſtoteles Rhetoricorum 3. ſcribit, cùm inquit poſſe facetè ac vrbanè dicere, eſſe natura ingenioſi ac exercitati, ſed docere facetè dicere, artis eſſe. Qua ratione fit, vt ſermo vrbanus efficiatur primò metaphorarum ac comparationum interpoſitione: deinde clauſularum oppoſitarum conſtitutione: tertiò denique vſu interpoſito eius principij, quod eſt præ oculis. Metaphoræ enim omnes cùm conuenientes fuerint, diſcere facilè faciunt, atque ſuaues ſunt, præſertim ſi in ſermone non frequens fuerit earum vſus, ſed loco ac tempore commenſuratus. Oppoſitiones etiam ſuauiſſimæ ſunt, cùm noſtram diſciplinam parturiant, fuerintque collocatæ in ſermone ſuo loco, ac tempore. Ea quoque principia, quæ hyperophthalmica, id eſt quæ præ oculis, dicuntur, cùm etiam ſuo loco ac tempore in ſermone habentur, mirum in modum eum vrbanum efficiunt. Inſuper vrbanus reddetur ſermo, ſi mores quos ſermone comprehendimus, hominibus ſimiles queas reddere: quod fit, ſi qui magni, qui curioſi, qui mediocres ſunt mores, conſiderabuntur: his quoque & huiuſmodi ſermo aulicus fit: nam metaphorarum ac comparationum interpoſitione, clauſularum oppoſitarum conſtitutione, principij quod eſt præ oculis vſu intermixto, fit ſermo aulicus, modò mores, qui in ſermone narrantur, hominibus aſſimilentur, ſintque omnia ſuo loco, ac tempore bene conſtituta. Qua ratione fit, vt aulicus quærendus ſit,

Digitized by Google

qui ex iocis ſuauibúſque dictis oblectationem tantùm quæ-rat, ac recreationem poſt labores, qui etiam ſalem habeat in dicendo, vt quæ ipſe dicit, ille quodam modo condiat. qui leporem admiſceat, qui verba apta, idonea, concinnata, iocíſque accommodata vſurpet: vultúmque illis adiungat, vbi opus eſt, ac geſtum, qui fabellis narrandis, recitandiſ-que iocis, ac ludicris rebus, & curas ſedet, & deliniat mole-ſtias: qui non diſcedat ex vrbanitatis finibus, aut ex vrbano in ruſticum, atque agreſtem tranſeat, ex ingenuo in ſeruum, aut ſeruo perſimilem, ni forte res ipſa ita tulerit: qui minimè volẽs offendat dictis, niſi laceſſitus, idque tamen vrbanè: qui & tem-poris, & loci, & audientium, & ſui ipſius, quam gerit perſo-næ, & ætatis, & negociorum, & publicæ priuatæque lætitiæ habeat, ac triſtitiæ mœroriſque rationem. idque cum primis curet in ſingulis vt retineat modum, ne vt verba profundat & iocos: qui denique ſummo id ſtudio videat, ne dum alios in riſum prouocat, ipſe ab aſtantibus riſui habeatur, triuió-que dignior iudicetur. demum etiam qui intelligat quòd quemadmodum ceſſatio quiéſque conceditur relaxandi gratia, quo reditus ad labores ac negotia ſit alacrior: ſic io-cos, dicta, ſales, lepores facetiáſque concedi, ne vitam co-gitationéſque noſtras omnes ſtudiáque in iis collocaſſe, aut in deſidia marceſcere potiùs nos appareat. Hunc (ni fallor quando quis & qualis comis ſit, quis etiam vrbanus, expli-catum eſt) aulicum maiores vocauere, ſi ei affabilitatem ad-diderimus. complectitur enim aulicus vrbanum & affabilem: nam aulicus nihil plus addit, quàm vt ſermones & res & ge-ſtus ſint ad recreandum principem. patet igitur quid vrbani-tas ſit in ſermone aulico.

Cur qui vrbanis ac affabilibus vtitur ad recreandum prin-cipem, ſolus nomen aulici ſibi comparauit.

Capvt LII.

DECEPTI ſunt plurimi, qui arbitrantur, omnes qui in aula principis viuunt, aulicos eſſe atque dici, ſectan-tes vulgus: vt verò hic error aboleatur, repetendum eſt pri-

Digitized by Google

mò id quod ſuperiùs diximus, videlicet aulam principis, quæ & palatium & domus dici ſolet, habere duas partes, quarum altera virorum eſt, altera mulierum, de qua libro 2. dicemus. Pars virorum tripartita adhuc eſt: nam altera eſt eorum, qui miniſtrant, & hi à Cicerone in Paradoxis atrienſes dicuntur, ſerui tamen ſunt non lege, vt qui capiuntur in bello, vel alia ratione ſeruitutem ferunt, ſed quia ex pacto ſeruiunt atque miniſtrant. Altera eſt eorum, qui principem comitantur in cunctis, vt in menſa, in itinere, in bellis, & in cæteris in quibus ſocietate opus eſt, & hi à Suetonio dicuntur comites: hodie etiam comites palatini, & commenſales, & continui, & aſſeclæ. Tertij verò ſunt aulici, qui nec comites, nec atrienſes ſunt, ſed ſolùm qui recreandis principibus verbis vrbanis ac affabilibus, geſtibus atque rebus incumbunt: quales fuere Philoſophi apud Alexandrum, apud Dionyſium, apud Darium, apud Ageſilaum, cæteróſque Reges & principes, qui olim fuere bene inſtituti. Nec iniuria hi aulici nomen ſolum ſibi arripuerunt, primò quia cùm nomine proprio in aula caruerint, nomen generis ſibi vendicarunt, vnde aulici appellantur. deinde quia maiorem partem vitæ principis occupant, quæ ocium ac recreatio eſt. nam in cæteris vitæ partibus princeps non viuit ſibi, tunc enim ſibi ſoli viuit, cùm in recreationibus ac animi relaxationibus colloquendo, congrediendo ac conuiuendo delectatur. Eſt autem princeps quaſi tota aula: quare cùm vrbani ac affabiles occupent principem dum is ſibi viuit, occupare videntur vniuerſam illius aulam. Non ergo ab re per quãdam excellentiam vrbani ac affabiles ſibi vendicarunt ſoli nomen aulici. Poſtremò ex vrbanitatibus ac affabilitatibus aulicorum, quaſi omnes qui de aula ſunt congaudent ac recreantur: Quia ergo non ſolùm maiorem partem vitæ principis, verùm etiam cæterorum arripiunt, fit vt nomen & rationem aulæ per excellentiam ſibi arrogent, noménque aulæ totum aſcribant. Ex iis apertum eſt, non rectè feciſſe eos, qui ſecuti vulgus (vt diximus) aulicum cum comite miſcuerunt, diſcrepant enim non parum, ſicuti officia & operationes indicant. Ex aulicis itaque fuit Cieneſius apud Diocletianum, & vt ſuperiùs diximus, apud Alexandrum Calliſthenes, Lyſima-

Digitized by Google

chus Medius, Necesias apud Antigonum, Apollophanes, Tim agoras apud Darium, Cliſophus apud Philipum, & alij apud alios Reges & principes, qui in aula nihil præter recreationes exercebant. Hodie eò venit abuſus impuriſſimus, vt ſcurris ac adulatoribus pro aulicis principes vtantur.

De nitore aulicorum.

CAPVT LIII.

NVNC demum antequam ad loca deueniamus, quibus vrbanè mouere riſum atque ſcurriliter poterimus, de nitore aulici pauca aggrediamur: nam nitor ſplendor quidam eſt in veſtibus & cultu corporis: (vt Columella ſcribit) itaque aulicum oportere nitidum eſſe, eo primo probatur, quòd ſit inſtitutus ad recreandum atque relaxandum principem: nitor verò veſtium, ac totius corporis cultus, quantum ad recreationes faciant, teſtantur Medici, qui aſpectu horum animum relaxari atque reſumi probarunt. Deinde quia cùm faciant ad pulchritudinem, videntur augere in aulico gratiam. verùm non quicũque nitor & cultus in aulico ipſo probantur, ſed qui fuerint cum delectu, hoc eſt ſicuti oportet, & quãdo oportet, & pro loco in quo oportet, & tempore, & pro perſona aulica vt oportet, & pro conſuetudine ea ratione qua oportet, quáve vrbanitatibus ac affabilitatibus ſunt accommodati. Eſt enim in cultu & veſtium nitore tanta varietas, (vt Ariſtoteles primo Ethicorũ ſcribit) vt ſola inſtitutione honeſta, vel turpis habeatur. Quare niſi pro rerum, & temporum, & locorum, & perſonarum, & vſus ratione comparentur, in ſcurram aulicus deducetur. Nam ſcurra ſola ratione, qua poteſt mouere riſum, conſiderata, veſtium nitore, ac corporis cultu vtitur, quibus eſſe ſcurrilitatibus accommodatus poſſit. vnde ſcurræ nec veſtes ſeruant eaſdem, nec corporis cultum eundem, ſed pro ratione dumtaxat, qua riſum moueant, hæc omnia mutant, ideo deuenire ad indiuidua in talibus non eſt artis.

Digitized by Google

Vtrum loca ſcurrilitatum & vrbanorum accipi poſſint, de quibus ars eſſe poßit.

CAPVT LIV.

POST hæc de locis ſcurrilitatum differendum, intelligendo per locum id omne, è quo componere ſcurrilitatem vel vrbanitatem poterimus. verbi cauſa cùm eſſet interrogatus Diogenes, qui mulierē in publico cognoſcebat, quidnam faceret? reſpondit, planto hominem: vrbana quidem reſponſio fuit, cuius locus eſt à ſimilitudine conſerendi, nam & qui lactucas vel vites conſerit, plantat eas, & qui cum muliere concubat, hominem etiam plantare videtur. Ad hæc & ſermo Socratis ad Alcibiadem de Xanthippe, quæ cùm in eum priùs conuitia & maledicta iaculata eſſet, poſtmodum verò & ſordidis aquis hominem perfudiſſet, Nonne, inquit, dicebam Xanthippen tonantem quādoque pluituram. locus eſt à comparatione pluuiæ ad aquam, & tonitrui ad murmurationem Xanthippes. Eſt igitur differendum poſſitne per loca tradi ars, ex qua & ſcurriliter & vrbanè dicere quiſpiam poſſit? Primo itaque aſpectu ita poſſe tradi ratio demonſtrat: nam cùm ſcurrilitates ac vrbanitates poſſint rectè, & non rectè fieri, ſitque ars eorum, quæ poſſunt in rectum & obliquum dirigi, videtur de his artem tradi poſſe, vt per eam ſcurrilitates ác vrbanitates exerceamus rectè. Quintilianus vir non contemnendus lib. 6. Oratoriarum Inſtitutionū artem huiuſmodi penitus ſubſtulit: primò quidem, quoniam in riſu varia ſunt hominum iudicia, quia non ratione aliqua, ſed motu animi quodam, neſcio an enarrabili iudicatur, vt antea dicebamus. quare cùm riſus contingat à motu animi ridentis, non autē hominis prouocantis, videtur non eſſe in poſſe ſcurræ eum prouocare. igitur ars fruſtra erit. Præterea (vt inquit) nec hoc ab vllo ſatis explicari puto, licèt multi tentauerint. quia riſus non ſolùm facto aliquo dictóve, ſed interdum quodam etiam corporis tactu laceſſitur: præterea non vna ratione moueri ſolet, neque acutè tamen, ac venuſtè, ſed ſtultè, iracundè, timidè dicta, ac facta ridentur. Ideo anceps eius ratio eſt,

Digitized by Google

adeo vt nulla ars aſſignari poſſit. quibus addas quòd licet riſus videatur res leuis, & quæ à ſcurris, mimis, inſipientibus denique ſæpe moueatur, habet tamen vim neſcio animperioſiſſimã, & cui repugnari minimè poteſt: erumpit enim inuitus ſæpe, vt nec vultus modo ac vocis exprimat confeſſionem, ſed totum corpus vi ſua concutiat: rerum autem ſæpe (vt dixi) maximarum momenta vertit, cùm odium irámque frequentiſſimè frangat. Documento ſunt iuuenes Tarentini, qui multa de Pyrro Rege ſecuriùs inter cœnandum locuti, cùm rationem facti à Rege repoſcerentur, & neque negari res neque defendi poſſet, riſu ſunt & opportuno ioco elapſi. Namque vnus ex iis, Imo inquit niſi lagena defeciſſet occidiſſemus te, eáque vrbanitate tota eſt inuidia criminis diſſoluta. Quæ ratio docet nullam in his poſſe artem conſtitui, cùm ex tempore occurrerint. Accedit difficultati, quòd eius rei nulla exercitatio eſt, nulli præceptores, vtique in conuiuiis & ſermonibus multi dicaces, ſed quia in hoc vſu quotidiano proficimus, vrbanitas ex arte rara. Videtur ergo mihi Quintilianum iure huiuſmodi artem ſubſtuliſſe, primò ex parte prouocantis: nam prouocans riſum, niſi extemporaneus ſit, non mouebit, nemo autem poteſt in iis, quæ extemporaneè agit, arte vti, cùm ars ſine ratiocinatione & conſultatione non valeat, at conſultatio atque ratiocinatio tempore indigent. Deinde ex parte prouocati ars inutilis eſt, cùm varia de riſu iudicia hominum ſint, vt non ſit in poſſe ſcurræ prouocare riſum in Heraclito, qui omnia flebat, in Democrito facilè. Ex his perſpicuum eſt artem in huiuſmodi fieri non poſſe, & ſi poſſet, ſcurræ qui loquendo mouet riſum, inutilem eſſe, cùm ea ex tempore vti nequaquam poſſit. Quare cum Quintiliano non audeo dicere id carere omni arte, quia nonnullam obſeruationem habet, ſúntque ad id pertinentia & à Græcis, & à Latinis compoſita præcepta: itaque planè affirmo riſum præcipuè poſitum in natura & occaſione. porro natura non tamen in hoc valet vt acutior quis atque habilior ſit ad inueniendum, (nam id ſanè doctrina poſſet augeri) ſed ineſt ſuus quibuſdam decor habitu atque vultu, vt eadem illa dicente alio minus videantur vrbana eſſe. occaſioni verò & in rebus eſt tanta vis, vt ſæpè adiuti ea non indo-

cti modò, ſed etiam ruſtici ſalſè dicant, vt in reſpondendo ei, qui aliquid dixerit prior. ſunt enim longè venuſtiora omnia in reſpondendo, quàm in prouocando. Sic igitur totam artem delego naturæ prouocantis, & occaſioni, vt Quintilianus tradit. Sed dices fortaſſe, & ſi ars inutilis ſit ſcurris atque vrbanis in loquendo, vtilis eſſe poterit eis in ſcribendo. fortaſſe enim Boccatius Pogius ac cæteri licèt ex arte non potuiſſent vrbanis ac ſcurrilibus vti, quia in iis, quæ ex tempore fiunt, non confert ars, (vt probauimus) tamen in ſcribendis huiuſmodi ſermonibus, ex arte potuerunt ſcribere, & ita ſcripſerunt. Equidem procul dubio cum Quintiliano ſentio, qui in loquendo ſcurris atque vrbanis omnino artem ſuſtulit, & ſi multæ adſint rationes, potiſſimum ea ratio me compellit: quia in iis quæ ex tempore fiunt, nulla poteſt eſſe ars: inſuper etiam quia licèt per genera loca aſſignari poſſint, per ſpeciem tamen nequaquam, quippe cùm ſint infinita, quorum ars nulla eſſe poteſt. quòd verò ſint infinita, nemo dubitare debet, nam ridiculum quod vrbanus vel ſcurra inducit, conſiſtit in quodam receſſu ab ipſo recto cum indolentia: delinquere autem à recto infinitis modis fit, vt Ariſtoteles probauit, ſicuti delinquere à medio. contingit enim ad medium accedere vno modo, recedere verò infinitis. Quare cùm delinquere à recto fit infinitis modis, hoc docere non artis erit, nec in ſcribendo, nec in loquendo. non tamen nego per genera & loca de riſu præcipi poſſe, & ex illis artem colligi poſſe, quam Ariſtoteles docuit, tum ex parte prouocantis, tum ex parte ſermonis. Iuniores verò qui laborarunt in huiuſmodi tradere artem per ſpecies, fruſtra ſudauerunt. quoniam (vt diximus) nec in loquendo, nec in ſcribendo ars aſſignari poteſt: in ſcribendo quidem non, præ infinitate locorum, qui per ſpecies deſiderantur: in loquendo verò minimè, & propter locorum infinitatem, & præterea, quia eorum quæ ex tempore fiunt, ars non eſt. Per genera autem artem eſſe Ariſtoteles probauit, & Quintilianus non negauit. vnde cùm Ariſtoteles 3. Rhetoricorum libro dixiſſet, poſſe facetè dicere eſſe hominis natura ingenioſi & exercitati, ſed docere facetè dicere eſſe artis, intellexit non eam artem, quæ ad loca pertinet, quæ per ſpecies colligun-

tur, ſed quæ per genera: nam loca quæ ſumuntur per ſpecies, ſunt infinita, nulla arte comprehenſa. Ideo Ariſtotelis loca, quæ per genera comprehenduntur, aggrediamur, poſtea exempli cauſa nonnulla colligamus ex authoribus per ſpecies. quæ ſaltem in ſcribendis vrbanitatibus, atque ſcurrilitatibus aliquid fructus afferent.

De locis per genera.

CAPVT LV.

SVNT itaque loca ſcurrilitatum, atque vrbanitatum ex parte eius, qui ad riſum prouocatur, & ex parte eius, qui prouocat, & ex parte ſermonum quibus prouocatio agitur. Ex parte quidem eius qui prouocatur, ſunt natura, & opportunitas: natura quidem, nam niſi prouocatus fuerit ſuapte natura riſiuus, fruſtra ſcurra, vel vrbanus mouet ad riſum: opportunitate verò, quoniam qui prouocatur ad riſum, vno tempore aptior, alio minus aptus habetur: inſuper qui ad riſum mouetur, vno tempore quædam facit, aut dicit, ex quibus ſcurra, vel vrbanus facilè occaſione captata mouere poterit ad riſum, vt Socrates fecit de vxore: non enim Alcibiadem mouiſſet ad riſum, niſi occaſione captata ex iis quæ fecit vxor: nec inſuper iuuenes Tarentini flexiſſent iratum Pyrrhum, niſi ex cœna occaſionem nacti eſſent. Ex parte verò prouocantis, vt in iis, quæ dicit, vel facit, vel geſtit, non ſit affligens, nam quæ affligunt, vel mouent ad commiſerationem, vel ad vltionem, vel ad odium: vultum quoque adiungat, vbi opus eſt, ac geſtus, motúſque, quibus ea per quæ riſum mouet, præ oculis videantur. verba quoque diſponat vt curas ſedet, ac moleſtias deliniat. veſtibus inſuper ſe induat, quibus aptiùs riſum concitet. gratiam præterea enitatur adiungere iis, quibus riſum mouet, vt cunctis videatur gratus. Ex parte verò ſermonum generatim loca ſunt, quæ accipiuntur à tranſlationibus, à ſimilitudinibus, à clauſularum oppoſitione, à lingua, à nominibus, ab epithetis: verùm aliter in ſcurrilitatibus, aliter autem in vrbanitatibus. in vrbanis enim tranſlationes conuenientes fuerint, ſimilitu-

dines

Digitized by Google

dines apertiſſimæ, potiſſimúmque in ſermonibus earum vſus non fuerit creber, ſed locis, temporibúſque accommodatus. oppoſitiones verò ſuauiſſimæ. at lingua non erit ex nominibus compoſitis, neque ex priſcis, neque ex fictis, ſed accommodata principi, ac cunctis, qui in aula viuunt. Epitheta autem quæ & adiectiua dicuntur, non erunt abuſitata, qualia ſunt epitheta longa, nimiſque remota à ſubſtantiuis, quibus adiacent, inſuper & qualia ſunt epitheta crebra. At in ſcurrilitatibus contrà: fiunt enim ſcurriles ſermones interdum, cùm nominibus ſcurra vtitur fictis, vel compoſitis, vel priſcis, interdum verò cùm adiectiuis remotis, vel alienis, vel crebris, nonnunquam cùm vtitur translationibus incongruis, atque ſimilitudinibus vel ridiculis, vel grauibus, vel obſcuris, vel remotioribus. Hæc itaque loca ſunt per genera, quæ ex iis colliguntur, quæ Ariſtoteles inquit 3. Rhetoricorum libro. exempla verò horum quia facilè perſpicua ſunt, bona fronte prætermittimus: non enim opus eſt cuncta dicere, ſed ea, quæ apud bonorum authorum vſum reperiuntur. cùm præſertim per loca, quæ dicemus infrà, exempla generum perſpicua futura ſint.

De locis per ſpecies, & primò de eis, quæ ſumuntur ab ambiguo.

CAPVT LVI.

SVPEREST modò loca per ſpecies transigere, non omnia, quoniam ſunt vel infinita, vel admodum multa ac ferè incomprehenſibilia, ſed quædam, non quidem vulgata, ſed quæ apud illuſtres authores colliguntur: quorum primus eſt ab ambiguo, cùm Didymon curaſſet oculum virginis, Diogenes dixit, Caue ne abs te corrumpatur κόρη: quoniam apud Græcos κόρη virginem ſonat, atque oculi pupillam, ideo luſit Diogenes ex ambiguo. Clariùs autem exponamus. olim erat magna ſepulchrorum religio, eáque pars agri quæ ſepulchro erat dicata, non proſcindebatur aratro: Vectius itaque quum nihil hac religione deterritus, patris monimentum exaraſſet, Auguſtus facetè iocatus eſt, Hoc inquiens

Digitized by Google

eſt verè patris monimentum colere: luſit enim ancipiti verbo colimus: nam & colimus ea, quæ veneramur, & colimus agrũ, vel aliud ſimile. Inſuper cùm filius Fauſti Syllæ ob æris alieni magnitudinem ſupellectilem ſuam proſcripſiſſet, Hanc inquit proſcriptionem magis approbo quàm paternam: luſit enim ambiguo verbo: nam proſcribuntur res, quæ in auctionem venales exponuntur, & proſcribuntur homines ob delicta, quo crudeliſſimo genere Sylla quamplurimos ſenes proſcripſerat. Præterea Philippus cauſam agens, quum puſillus teſtis prodiſſet, Licétne inquit rogare? cúmque quæſtor properans dixiſſet, Licet modò breuiter: hic Philippus, Non accuſabis per pauxillum rogabo. primùm in teſtem riſus obortus eſt, ſed mox in iudicem Lucium aurificem conuerſus, qui ſedebat, ipſo teſte breuior.

II. ab inexpectato.

Capvt LVII.

Secvndvs verò locus ab inexpectato ſumitur, quale fuit illius reſponſum qui percontanti quidnam vellet, vt colaphum acciperet, Galeam inquit. eſt hic locus ab inexpectato, ille enim expectabat quid mercedis peteret pro colapho. & illud Pogij cùm Dux Mediolanenſis ingens bellum cum Florentinis haberet, nec nuncios, vt ſperabat, reciperet, oblatis poſtmodum ad menſam epulis, cùm ſapores optimos Dux improbaret, ac epulas, vt non ritè conditas aſpernaretur, accitúmque cocum veluti ignarum artis acriter increparet: tum cocus, qui in loquendo liber erat, Si Florentini inquit tibi guſtum, atque appetitum auferunt, quænam mea culpa eſt. riſit Dux coci facetam in reſpondendo libertatem. eſt hic locus ab inexpectato, quia non illud Dux expectabat à coco. Et illud Pogij apud Facium canem, qui fuit vir crudelis, querebatur quidam ſe expoliatum chlamyde in via à quodã eius milite, hunc intuens Facius veſtitum tunicam bonam, quæſiuit an illam cùm ſpoliaretur geſtaſſet, cùm ille annueret, Abi inquit, hic quem dicis te expoliaſſe nequaquam eſt ex meis militibus. nam nullus meus miles vnquam tibi tam

bonam tunicam reliquiſſet. & illud, vir in dicendo liberior, cùm audaciùs loquens in palatio pontificis geſtu, locóque diſſolutiore vteretur, ſocius quidam inquit. Quid agis, ſtultus quidem diceris? Tum ille, Hoc inquit permagni lucri loco ponerem: non enim alio pacto poſſum charus eſſe his, qui nunc regnant, cùm ſtultorum hoc tempus exiſtat, atque hi ſoli potiantur rerum.

III. locus ex addito.

CAPVT LVIII.

EX addito ſolent etiam iocari. Nam Memmio cuidam vituperanti Catonem Vticenſem, dicentíque quòd totas noctes ebrius eſſet: At illud, inquit Cicero, non addis eum totos dies aleam ludere: vrbanè excuſans Catonem, qui cùm totum diem reipublicæ negotiis daret, nocturnas tamen aliquot horas ſumebat laxandi animi gratia. Et illud Pogij, quidam Florentinus adoleſcens non magni conſilij amico narrauit peragrandi orbis cupiditate ſe mille florenos velle profundere, vt quanti eſſet noſceretur: tum alter, cui probè notus erat, Satius eſt inquit, duo millia expendas, vt des operam ne cognoſcaris. Querebatur vir quidam cùm vxori veſtem magni pretij emiſſet, nunquam ſe matrimonio vſum quin ſinguli congreſſus ampliùs aureo nummo computari poſſent, cui vxor inquit, Hoc quippe tua accidit culpa: cur enim non toties concubitu vteris, vt nummo æreo conſtet? Quidam vini bibulus incidit in febrem, ex qua multo maiorem ſitim contraxit, accerſiti medici, cùm de remouenda febre, & ſiti agitarent, Febris tantùm, inquit ægrotus, remouendæ officium & onus ſumatis volo, ſitim autem mihi curandam relinquite.

IV. ex deprauatione.

Capvt LIX.

EX deprauatione etiam iocari conſueuerunt. Quoniam Nero in caſtris auidiùs bibebat vinum, militari ioco pro Tiberio, Claudio, Nerone, dictus eſt Biberius, Caldius, Mero. Cùm eſſet in noſtris ſcholis Tiberius nomine, cognomine verò Ruſſilianus, alumnus noſter, qui ingenij promptitudine cùm diſputaret facilè veniebat ad manus, quare ego deprauando nomen, ipſum Turberium vocabam. Cùm etiam eſſet alius nomine Antonius de larina, qui rixas ponebat inter alumnos, eum cœpi nuncupare Antonium de latrina, quòd eſſet fœtidus more latrinæ. Et illud Pogij, cùm animi relaxandi gratia Zuccarus ſtaret in domo cuiuſdam ſponſæ reſpiciens vnà pſallentes viros ac mulieres, tunc ſubridens Zuccarus voce perſonora dixit, Iſti patrimonium conſumunt, ego iam patrimonium conſumpſi: facetè in ſe ipſum dixit qui diſſipatis paternis bonis, omnia abſumpſerat.

V. ex nomine.

Capvt LX.

EX nomine inſuper ludunt, vt Marcus Tullius in nomen Verris iocatus eſt, quaſi ſic dictus eſſet, quòd omnia verteret, hoc eſt nihil reliqui faceret homo furax. Quo genere iocandi quidam furem pro Tullio Tollium dixit. In Gn. Domitium Sexti Neronis atauum cui cognomen fuit Ænobarbo, Lucius Craſſus orator dicere ſolebat, non eſſe mirandum quòd æneam haberet barbam, cui os ferreum, cor plumbeum eſſet: os ferreum obiiciens propter ſummam impudentiam, cor plumbeum ob ingenij ſtuporem. Sextus Syllæ filius in ſororem, quæ eodem tempore cum duobus adulteris haberet conſuetudinem, Fuluio fullonis filio, & Pompeio cognomento Macula, facetiſſimè luſit, Miror inquit ſororem meam habere maculam, cùm fullonem habeat.

Digitized by Google

Scipio in Næuium quendam, Quid hoc inquit Næuio ignauius? luſit è contrario mutata literula. L. Craſſus Mummium cognomento diuiſorem dixit ita ſibi nomen inueniſſe in campo martio, quemadmodum Neoptolemus venerat ad Troiam.

VI. ex ſimilitudine.

CAPVT LXI.

CVM quidam candidatus, qui coquo patre natus credebatur, coram Cicerone ſuffragium ab alio peteret, Ego quoque inquit tibi fauebo, ex quo colligere coque à coquo, & quoque coniunctionem aut eodem aut quàm ſimillimo fuiſſe ſono.

VII. ab abſurdo.

CAPVT LXII.

ALIVS etiam ab abſurdo locus eſt, nam Manius Curius Campatium de theatro exeuntem interrogauit, num ſpectaſſet. Campatius ſtultitiam hominis ſic irriſit, Non inquit, ſed in orcheſtra pila luſi. quid enim aliud feciſſet in theatro, niſi vt ſpectaret? quaſi quis è balneo exiens rogetur an lauiſſet, ſed multo abſurdius eſt in orcheſtra pila ludere.

VIII. ex verbis aliter exceptis, vel ex clauſularum oppoſitione.

CAPVT LXIII.

ALIVS locus eſt inſuper ex verbis aliter exceptis, vel vt Ariſtoteles inquit, ex clauſularum oppoſitione: nam Salinator cùm Tarentum amiſiſſet, arcem tamen retinuit, multáque prælia præclarè geſſit. cùm autem poſt aliquot annos Fabius Maximus id oppidum recepiſſet, rogauit eum Sa-

Digitized by Google

linator vt meminiſſet ſe opera ipſius Tarentum recuperaſſe, Quidni, inquit Maximus, meminerim: nunquam enim ego recuperaſſem, niſi tu perdidiſſes. locus hic eſt quod Maximus diuerſum ex alterius verbis excepit, quàm ille volebat Et illud Pogij. Abbas quidam homo corpulentus & pinguis, veſperi Florentiam proficiſcens, interrogauit ruſticum obuium, an portam ſe poſſe ingredi exiſtimaret, intellexit Abbas an putaret ſe peruenturum in vrbem antequam clauderentur portæ. ille verò in pinguedinem iocatus, Atque, inquit, plauſtrum fœni nedum tu portam introiret.

IX. ab imitatione perſonæ.

CAPVT LXIV.

EST inſuper nonus locus ab imitatione perſonæ. Nam Q. Opimius conſularis, cùm eſſet adoleſcentulus, malè audiuit. Is Ægilio homini feſtiuo, qui videbatur mollior nec erat, ſic exprobrauit mollitiem, Quid tu Ægilia mea, quando ad me venies cum tua lana & colo? lepidè retorſit Ægilius, Non pol inquit audeo: nam me ad famoſas vetuit mater accedere. Alter ſimulabat orationem velut ad fœminam. Alter accepta perſona ſimulationem vertit in irriſionem. Et illud Pogij, cùm Epiſcopum Romæ palatium petentem quidam detecto capite honoraret, neque reuerentiam animaduerteret Epiſcopus: ſuperbia atque arrogantia ille id factum exiſtimans, Hic inquit aſini ſui medietatem nequaquam reliquit domi, totum enim ſecum defert: ſignificans eſſe aſinum, qui ſe venerantibus non reſponderet.

X. à ſubmoroſo.

CAPVT LXV.

INTER ſalſa commemorat & illud M. Tullius ex Næuio, apud quem filius dicit patri, Quid ploras pater, iſque reſpondet, Mirum ni cantem, condemnatus ſum. Indignatur ſenex ſubmoroſus rogari cur ploret, quaſi damnatus magis

cantare debuiſſet, perinde ac ſi quis interroget ægrotum, cur ſuſpiras, aut cur recumbis?

XI. locus è vocabulis.

CAPVT LXVI.

ALIVS quoque è vocabulis accipitur: nam duo erant fratres, quorum alteri nomen Amphoteros, quod Græcis ſonat ambo, alteri Hecateros, quod illis ſonat vterque. Philippus itaque animaduertens Hecateron eſſe cordatum ac gerendis rebus accommodatum, contrà Amphoteron ineptum ac degenerem, inuertit illis nomina, dicens Hecateron eſſe Amphoteron, Amphoteron autem eſſe Vdeteron, id eſt neutrum: ſignificans alterum fratrum, videlicet Hecateron duorum in ſe virtutes complecti, alteri nihil relictum. itaque ei, qui Amphoteros dicebatur, mutauit nomen in contrarium, vt Vdeteros diceretur quaſi nullius pretij.

XII. locus ex tranſlatione.

CAPVT LXVII.

DE tranſlatione infinita aſſignari poſſunt exempla, ſed illud Veſpaſiani inducitur primò, qui in quemdam proceræ ſtaturæ, ſed improbiùs natum, torſit illud Homeri, *Longam haſtam quatiens, diductis paſſibus ibat.* Et illud quoque præceptoris mei in quendam oblongum, O quàm longus eſt malus dies. Illud prætereà noſtrum ad Galeatium Florimontium alumnum: cùm enim nocte quadam lunam poſt multas pluuias imbréſque valde lucentem cernerem, interrogatus ab eo quid de temporis ſerenitate, reſpondi, Profectò bene: lucet enim luna ſicuti inciſa vitis: ſcurrilis metaphora. nam vitis inciſa flenti comparatur. Et illud Pogij, cùm duo Abbates ad Petrum de Luna venirent, atque illis conſpectis duos coruos ſe adire dixiſſet, Non mirum dixerunt, ſi corui ad eiectum cadauer accederent: exprobrantes ei quòd à Concilio damnatus pro cadauere habe-

Digitized by Google

retur. Ego autem ſcurriliter lunæ lucenti, & alia ſexcenta talia.

XIII. locus ex ſpecie corporis.

CAPVT LXVIII.

EST præterea alius locus ex ſpecie corporis, quem de Tito patre narrat Suetonius. cùm enim ſcurram multa in alios iacientem prouocaſſet, vt in ſe quoque diceret aliquid, Dicam inquit, vbi ventrem exonerare deſieris, alludens ad formam Cæſaris, qui faciem habebat nitentis, in cuiuſmodi hominem iocus extat Martialis,

Vtere lactucis ac mollibus vtere maluis:
Nam faciem dudum Phœbe cacantis habes.

XIV. locus è fabula.

CAPVT LXIX.

ACCIPITVR etiam nonnunquam locus è fabulá, Nam cùm Sextus Titius Caſſandram ſe eſſe diceret, ob diuinandi peritiam & ſibi habitam incredulitatem opinor, Multos, inquit Antonius, poſſes Aiaces tuos Oileos nominare: notans illius impudicitiam. Nam Aiax Caſſandram de templo Palladis raptam vi ibidem conſtuprauit.

XV. locus ex morbo.

CAPVT LXX.

CVM eſſet Philippo clauicula in bello fracta, ac medicus à quo curabatur, per ſingulos continuò dies aliquid efflagitaret, Sume inquit quantum voles, nam clauem habes: ludens ancipiti voce: κλεὶς enim Græcè & clauem ſonat, qua aperitur ſcrinium, aut oſtium, & commiſſuram humeri cum pectore. quid hoc animo vrbanius, cui in dolore in auarum medicum iocari libuit, atque nec ob cruci atum

tiatum moroſior, nec improbitate efflagitantis offenſior factus eſt?

Locus XVI. à ſimilitudine.

CAPVT LXXI.

EST inſuper à ſimilitudine locus. Nam cùm Diogenes à lethali ſomno eſſet experrectus, medicúſque rogaret quid ageretur, Rectè inquit, nam frater fratrem amplectitur: alludens ad Homerum, qui ϑάνατον, & ὕπνον germanos finxit, quòd ſomnus mortis ſit imago. Veſpaſianus pater, cùm morbus ingraueſceret ſibi, dixit, Puto deus fio: ſignificans ſe moriturum. ſolebant enim extincti Cæſares dicatis templis & aris erectis publicis cærimoniis in deorum cœtum referri. Et illud Pogij: cùm multi peterent à Mediolanenſi Duce varia beneficia, cocus ſummopere in cœna rogauit, vt ſe aſinum faceret: miranti Duci quid ſibi ea poſtulatio vellet, Omnes inquit video quos in ſublime extuliſti, quibúſve honores & magiſtratus dediſti, ſuperbia atque faſtu elatos atque inſolentes euaſiſſe aſinos: itaque ego quoque aſinus à te fieri cupio. facetus eſt hic locus à ſimilitudine acceptus.

XVII. locus ab accentu, ſeu figura dictionis.

CAPVT LXXII.

A Figura dictionis locus facetus fit perſæpè, per quem Sextus Nero in Claudij ſtultitiam iocari ſolebat productione ſyllabæ, cùm diceret, Hic inter viuos non deſinet morari, prima ſyllaba producta: μῶρος enim Græcè fatuum ſonat, inde finxit morari pro ſtultum agere: quemadmodum nos à poëta poëtari, à iuuene iuuenari deducimus.

XVIII. locus à parentum ſimilitudine retortus.

Capvt LXXIII.

VSvs eſt etiam Auguſtus loco à ſimilitudine parentum. Nam quemadmodum ipſe gaudebat iocis liberalibus in alios ludere, ita in ſe retortos interdum liberiùs patientiſſimè tulit. Adoleſcens igitur quidam Prouincialis Romam venerat oris ſimilitudine tam mirificè referens Auguſtum, vt in ſe populi totius oculos conuerteret. Cæſar hoc audito iuſſit ad ſe hominem perduci, cúmque contemplatus hunc in modum percunctatus eſt, Dic mihi adoleſcens, fuítne aliquando mater tua Romæ? negauit ille, ac ſentiens iocum: retorſit adiiciens, Sed pater meus ſæpe. Auguſtus igitur ludens ſuſpicionem intendebat in matrem adoleſcentis vertere, veluti à ſe ſtupratam: at adoleſcens protinus eam retorſit in matrem Cæſaris, aut in ſororem: nam oris ſimilitudo non magis arguebat illum eſſe Cæſaris filium quàm fratrem, aut nepotem.

XIX. locus à crudeli.

Capvt LXXIV.

VSvs quoque eſt Nero loco crudeli aliquando. Nam Veſtinus Conſul cùm eodem die omnia munia conſularia obiiſſet, è conuiuio repente ad mortem raptus eſt. Conuiuæ nihil aliud quàm exitium expectabant: horum pauorem irridens Nero, dixit illos ſatis ſupplicij luiſſe epulis conſularibus priuatos. Dicas hoc à clemente dictum, ſi cætera Neronis facinora ſpectes.

Digitized by Google

XX. locus ab obliquo.

CAPVT LXXV.

EST & alius locus ludendi ab obliquo: nam cùm Cicero ab hoſpite ſuo P. Manlio rogaretur, vt decurionatum priuigno ipſius expediret, aſſiſtente frequentia ciuium dixit, Si ius habebit Pompeius difficile eſt: Cæſaris in legendo Senatum notans facilitatem. Et illud Pogij: ruſticus cùm caſtaneam arborem ad excutiendos fructus aſcendiſſet, decidens ex ea coſtam pectoris effregit, ad hunc conſolandum acceſſit Minatius, qui interloquendum daturum ſe normam illi dixit, qua ſeruata nunquam ex arbore caderet, Vellem inquit ruſticus, antequam æger eſſem, conſuluiſſes. Et illud: cùm quidam ſagittam incautiùs emiſiſſet, aſtantémque procul Rodulphum leuiter vulneraſſet, capto illo cùm variæ de pœna inferenda ſententiæ dicerentur, & vt quiſque acerrimè ſentiret, ita ſe maximè principi gratificaturum putaret, vnus cenſuit manum illi eſſe amputandam, ne ampliùs arcu vteretur: Rodulphus liberum hominem dimitti iuſſit dicens, illam eſſe vtilem ſententiam, ſi ante acceptum vulnus conſilium dediſſet.

XXI. locus ab intempeſtiuo.

CAPVT LXXVI.

L. Portius Naſica cùm ex more conceptis verbis à Catone Cenſore rogaretur, Habéſne vxorem ex animi tui ſententia. Habeo inquit: at hercle non ex animi tui ſententia. verùm ob eum locum intempeſtiuum, mulcta illi indicta eſt.

XXII. locus ab interpretatione retorta.

CAPVT LXXVII.

EST etiam locus à retorta interpretatione. quidam enim conſpiciens Lacedæmonium claudum ad pugnam pedibus exeuntem, cùm ei equum vtpote debili neceſſarium diceret, Non intelligis, inquit Ageſilaus, in bello opus eſſe non his qui fugiant, ſed qui pro loco maneant: ſignificans eos demum eſſe militiæ vtiles milites, quibus decretum eſt in prælio aut vincere, aut mortem in loco oppetere. Quoniam verò Perſarum numiſma Sagittarium habebat inſculptum, ex Aſia diſcedens Ageſilaus aiebat ſe triginta Sagittariorum millibus à rege ex Aſia depelli: facetè dictum. tot enim Perſicorum aureorum millibus Athenas ac Thebas deportatis, & in plebis moderatores diſtributis Timocrates effecerat, vt populus hoſtilem animum aduerſus militem ſuſciperet. Menecrates medicus quidam cùm deſperatæ quædam curationes ei feliciter ceſſiſſent, populari adulatione dictus eſt Iupiter. hoc cognomento vir arrogans delectatus, inſolentiùs vſus eſt eo titulo. tandem & cùm Ageſilao ſcriberet, nec veritus eſſet hac vti ſalutatione, Menecrates Iupiter Ageſilao regi ſalutem: Rex hoc offenſus titulo, cætera non dignatus eſt legere, ſed reſcripſit in hunc modum, Rex Ageſilaus Menecrati ſanitatē. eſt enim apud Græcos ὑγιαίνειν ambiguum verbum ferè in malum ſonans, ſignat enim abeſſe ſanitatem mentis. Et illud Pogij: cùm Patriarcha Hieroſolymitanus cum Vrbano Pontifice VI. acriter contenderet, malóque capite eum dixiſſet eſſe Vrbanus: Hoc idem, inquit ille, & de te vulgo dicunt homines, Pater ſancte. Cùm quidam inter iurgandum Razelo Bononienſi diceret, Ego te centies die oppignoratum relinquerem apud cauponam, Razelus, Hoc tibi inquit facillimè cōcedo. citò enim res magni pretij, & bonæ dari pignori poſſunt, tu verò ita nequam, vilis, ac abiectæ conditionis es, vt ſi quis te per omnes fori tabernas & cauponas circumferret, nemo te nec pro ære quidem nummo vellet accipere.

XXIII. à maiore.

CAPVT LXXVIII.

A Maiori quoque iocari ſolemus. Nam Antigonus Rex Macedonum in extorquendis pecuniis acer erat, quibuſdam itaque dicentibus, At non talis fuit Alexãder: Meritò, inquit, nam ille metebat Aſiam, ego calamos lego: ſentiens opulentiſſimam Aſiam ab illo ſpoliatam, ſibi à ſpoliatis corradendum quod poſſet. Et illud Pogij: cùm Veneti quidam nauiculam plenam meretricibus ferrẽt Ferrariam, mulier tum quædam ſupra Padum aſtans iilas cõſpicata, O ſtulti inquit, an putabatis meretrices vobis Ferrariæ defuturas? Inſuper qua die Angelotus Romanus factus eſt à Pontifice Eugenio Cardinalis, quidam Laurentius ſacerdos Romanus domum rediit hilaris applaudens, totúſque in riſum, ac lætitiam effuſus, cũm rogarent vicini quidnam ſibi obtigiſſet noui, quòd tam lætus, ac alacris eſſet, Bene inquit eſt, magna in ſpe ſum, poſtquam dementes ac inſani Cardinales fieri cœperunt. nam cùm Angelotus me amentior ſit, Cardinalem me quoque ſpero futurum.

XXIV. locus à talione.

CAPVT LXXIX.

A Conuerſione etiam loco ludere ſolemus non ſemel. Antagoram poëtam in tentorio congrum piſcem coquentem, atque ipſum patellam verſantem deprehendit Antigonus à tergo ſtans, eique dixit, Putáſne ô Antagora Homerum cùm Agamemnonis res geſtas ſcriberet, coxiſſe congrum? contra hæc Antagoras: Et tu rex putáſne Agamemnonem cùm illas res gereret, fuiſſe curioſum, ſi quis in exercitu congrum coqueret? æquo animo tulit rex ioci talionem, quaſi inter pares res ageretur.

Digitized by Google

XXV. locus ab improba poſtulatione.

Capvt LXXX.

Ab imprōba etiam poſtulatione iocamur. Thraſyllo Cynico petēti drachmam, Antigonus, Non eſt, inquit, munus regium. Cynico deinde ſubiicienti, Talentū igitur da: At non eſt, inquit, res digna, Cynicum tale munus accipere. vtroque cornu repulit poſtulatoris improbitatem, quem exiſtimabat nullo dignum beneficio. Et illud Pogij: interrogata ſemel à viro mulier, quænam cauſa eſſet, cur cùm in coitu voluptatis ita particeps eſſet fœmina ſicut & vir, tamen homines potiùs ſequerentur mulieres quàm illæ viros. Tum illa, Summa cum ratione inquit hoc inſtitutum eſt, vt potiùs nos requiramur à viris, conſtat enim paratas ac promptas nos ad concubitum ſemper eſſe, vos non ita: fruſtra ergo viri peterentur à nobis cùm eſſent imparati.

XXVI. Locus ab æquiuoco.

Capvt LXXXI.

Iocamvr etiam per æquiuoca. Exemplo nobis ſit Auguſtus, qui ſcripſerat Tragœdiam, cui titulus erat Aiax, eam poſtea (quoniam diſplicebat) ſpongia deleuit. itaque cùm eum Lucius tragœdiarum ſcriptor interrogaret, quid ageret ipſius Aiax, Cæſar admodum facetè, In ſpongiam inquit incubuit: alludens ad argumentum fabulæ, in quo Aiax cùm reſciuiſſet quæ dixiſſet, feciſſétque per inſaniam, gladio incumbens ſibi necem conſciuit. Et illud Pogij: Minatius cùm aliquando nonnullos nummos & veſtes per talorum luſum (egenus enim erat) amiſiſſet, flens ad oſtium tabernæ cuiuſpiam ſedebat, quem videns mœrentem flentémque amicus, Quidnam eſt tibi inquit, Nihil, Minatius ait: curnam ergo ſi nihil habes, ploras: hoc ſolum, quia nihil habeo inquit: admiratus ille iterum percontatus eſt, quare ergo ſi nihil habes, lachrymaris, ob hanc ipſam cauſam reſpondit, quia nihil eſt mihi. Alter nihil eſſe cauſæ cur ploraret intelligebat. Alter nihil ſibi reliquum ſupereſſe à ludo plorabat. Et

illud: tempore quo Florentia ſumma annonæ caritate laborabat acceſſit pauper Monoculus ad forum, plura frumenti ſextaria, vt dicebat, empturus, cùm à ſe per venditorem grandis pecunia poſceretur, admiratus eſt monoculus, & interroganti quanti valeret ſextarium, Hominis oculo inquit conſtat: deſignans his verbis immenſam tritici caritatem: hoc audiens ſcitulus qui aderat puer, Cur tu ergo ait tam grandem ſacculum portaſti, cùm non ampliùs quàm vnum ſextarium poſſis emere? Prædicabat Tibure frater quidam parum circumſpectus ad populum, aggrauans multis verbis, ac deteſtans adulterium, dixitque inter cætera adeo eſſe graue tale peccatum, vt mallet ſe decem virgines turpiter cognoſcere, quàm nuptam vnicam.

XXVII. ab honeſta voluptate.

Capvt LXXXII.

Interdvm ob honeſtam voluptatem facetum vitium derelinquimus, cuius exemplo nobis eſt Demoſthenes, qui cùm Corinthum nauigaſſet illectus fama nobiliſſimi ſcorti Laidis, vt & ipſe famoſo amore potiretur, peterentúrque pro nocte drachmarum decem millia, deterritus magnitudine pretij, dixit, Non emo tanti vnum pœnitere. ſignificans inhoneſtæ voluptatis paratam eſſe comitem pœnitentiam. Alia plurima addere poſſem, tum ex antiquis, tùm ex recentioribus, placuit tamen mihi potiſſimum antiqua pro exemplis adducere, nam præterquam quòd ſunt vrbana, ac faceta, ſunt etiam grauiora, & de virorũ proborum vita ſumpta, quorum imitatio laudabilior eſt, quàm iuniorum Potuiſſem quoque addere dicteria, ſales, & id genus, quæ cùm non ſint aulica, (non enim mouent ad riſum, ſed vel ad vltionem vel ad odium) iure prætermiſimus: inſuper & ſermones facetos adiicere nobis non fuiſſet admodum difficile, ſed quoniam authores adſunt, vt inter Græcos Andronicus, & Hermagoras, inter Latinos verò Bocatius, & Pogius, & Maſuccius, & Bramantius, ne librum inanibus impleamus nugis ex laboribus aliorum, bona fronte prætermiſimus, præſertim cùm no-

ſtra intentio non ſit homines confundere, ſed artem (quo ad fieri poteſt) tradere, quæ non niſi breuibus comprehenditur. Horatio viro doctiſſimo monente, *quicquid præcipias eſto breuis*, & reliqua. Poſt hæc de ſcurrilitatibus, nam (vt diximus) ſcurrilitas eſt turpiloquium turpe, riſum prouocans. ne itaque manibus vacuis recedamus, de his quoque dicamus quædam.

De ſcurrilitatibus, ridiculiſque antiquorum.

CAPVT LXXXIII.

NE itaque penuria exemplorum liber hic mancus habeatur, exempla nonnullarum ſcurrilitatum ac ridiculorum ſubiungere opus eſt primò: deinde ludificationum ac ludibriorum, miſcendo ſemper cum veteribus neoterica, vt Cicero & Ariſtoteles fecerunt. Apud Lacedæmonios itaque hoſpes quidam cùm ipſe ſtans interim altero pede, crepida alterum indueretur, dixit cuidam, Non arbitror te Lacon tantum temporis vno pede poſſe inſiſtere, quantum ego poſſum. Lacedæmonius excipiens, Fateor inquit, attamen nullus eſt anſerum, qui iſtud non poſſit. Obiurgatus Diogenes quia intraret loca ſpurca, ac parum honeſta, Et Sol, inquit, ſubit latrinas, ac lupanaria, nec tamen inquinatur. Cùm idem Diogenes ſcortum moraretur, ac præ nimia libidine non potuiſſet amplius demorari, maſturbatus eſt, qui cùm eſſet obiurgatus, Vtinam inquit poſſem ita fricato ventre à fame quieſcere, quemadmodum fricato pene libidinem eximo. Animaduertens idem Diogenes quendam imperitè iaculantem, proxime ſcopum conſedit, cur id faceret interrogantibus, Ne fortè inquit, me feriat: ſignificans illum quidvis percuſſurum citiùs quàm ſcopum. Catulus Philippo oratori dicenti, Quid latras, reſpondit, Furem video: contra enim furem canes latrare ſolent. Trachalus Suellio cuidam inter argumentandum dicenti, ſi hoc ita eſt, Is in exilium per iocum ſubiecit, ſi non eſt, redis. Teſtio panario mos erat in dicendo mentum intorquere, is cùm aduerſarium vrgeret, vt diceret ſi quid vellet, Dicam inquit, ſi nucem fregeris.

Scur-

Digitized by Google

Scurrilitates Pogij atque ludibria, & quædam aliorum.

Capvt LXXXIV.

Pogivs verò meo iudicio vir non imperitus ſcurrilitates plurimas, ac ludibria compilauit, quas omnes ſcribere ſuperfluum eſſe putauimus: quaſdam verò pro exemplis inducere, non exiſtimauimus inutile. Itaque cùm Cardinalis cum comitibus pranderet, miniſtrique abeſſent diuerſis rebus occupati, iuſſit quendam Euerardum ſibi ventum flabello mouere. at ille, Neſcio inquit id veſtro more: Cardinalis, Vt ſcis, inquit, & tuo modo facito: tum ille, Libens me hercule, & ſuſpenſo dextro crure, pergrandem ventris crepitum edidit, eo pacto ſe ventulum facere ſolitum dicens, quo excitati omnes (multi enim iam aderant) ad riſum ſunt maximè compulſi. Præterea cùm Cardinalis Tricaricenſis eſſet vitæ diſſolutioris, & Altus de comitibus in venationibus illum admoneret multis verbis ad meliores vitæ mores, auditis Alti verbis, ac ſpretis, eueſtigio ſe in equi caput reflectens, ventris crepitum edidit ingentem, Ad barbam tuam inquiens: quo ſolo reſponſo abiit, oſtendens quanti faceret eius admonitiones Mulier etiam capite ob defectum cutis abraſo, euocata foris à vicina ob rem neceſſariam, immemor præ feſtinatione caput tegere, domo egreſſa eſt, eam conſpicata altera mulier increpat, quòd nudo capite atque inuenuſto in publicum prodiſſet: tum illa vt caput tegeret, veſtes retrorſum à natibus ſublatas ſuſtulit, cúmque caput occulere vellet, anum detexit. Ad hæc cùm Venetus quidam equum aſcendiſſet rus iturus, calcaria in gremio ferebat, cùm equus pigrè tardéque ambularet, ille calcaneis armos ſæpiùs percutiendo, Tu non moueris, inquit, at ſi ſcires, quid in gremio habeam, mutares paſſus. Poſt hæc Petrus Gonella quondam ſcurra non vulgaris, pollicitus ob pauculos nummos ſe quendam Ferrarienſem, qui id admodum cupiebat diuinatorem facere, accerſito vt vnà ſecum in lecto cubaret homine, crepitum ventris tacitum in lecto emiſit, deinde eum in interiorem lectum caput ſubducere iuſſit: quo facto, cùm ille

Digitized by Google

fœtore motus eſſet, capútque ſtatim exerens, Crepitum ventris edidiſti, (vt mihi videtur) dixiſſet: tum Gonella, Solue nummos, nam rectè diuinaſti inquit. Alteri quoque vt diuinator fieret optanti, Vnica inquit pilula te diuinatorem reddam: aſſentienti pilam ex ſtercore confectam in os coniicit, ille præ fœtore vomens, ſtercus inquit ſapit quod dediſti: tum Gonella verum illum diuinaſſe affirmauit, & pretium diuinationis exegit. Deinde ſubigebatur ab adultero mulier Senenſis: hic cùm poſt coitum in eius contumeliam dixiſſet ſe nunquam latiorem vuluam reperiſſe, illa exiſtimans id ſibi laudi eſſe, Ex gratia tua hoc inquit dicis, non meo merito, vtinam mihi ea, quam profers adeſſet copia. nam multo propterea me nobiliorem, atque pluris æſtimandam putarem. Rurſus cùm eſſent complures Florentiæ colloquentes, & ſibi diuerſa bona optantes, tum puer loquaculus, qui aderat, Ego inquit, pepo eſſe vellem: rogatus quam ob cauſam, Quoniam omnes mihi anum olfacerent reſpondit. Florentinus quidam habebat domi pædagogum, qui filios litteras doceret, is diutina conſuetudine primò ancillas, tum nutricem, deinde heram, poſtremò etiam diſcipulos cognouit: hoc cùm reſciſſet herus, vocato in ſecretius cubiculum pædagogo, Poſtquam inquit meos omnes ſubegiſti, (quod tibi vertat bene) ne quis excipiatur à ſorte, & me quoque ſubagites volo. Lacconus Ardingellus Florentinus relictus tutor cuidam pupillo, cùm bona illius diutiùs adminiſtraſſet, omniáque gulæ cauſa aſſumpſiſſet, tandem cùm poſceretur ratio geſtorum, iuſſus à magiſtratu producere libros introitus (vt aiunt) & exitus, os & nates oſtendit, dicens nullos ſibi, niſi illos, alterum introitus, alterum exitus libros eſſe. Damnabat quidã multis verbis vitam & mores Angelotti Cardinalis defuncti, fuit enim rapax, & violentus, vt cui nulla eſſet conſcientia, tum ex adſtantibus vnus, Opinor inquit Diabolum iam voraſſe atque cacaſſe eum ſæpiùs ob ſcelera ſua: alter vir ſcurra, Adeo mala caro eius fuit inquit, vt nullus Dæmon quantumvis bono ſtomacho illam præ nauſea eſſe auderet. Ad hæc Ioannem Andream Doctorem Bononienſem, cuius fama admodum vulgata eſt, ſubagitantem ancillam domeſticam vxor deprehendit, re inſueta ſtupefacta mulier in

virum verſa, Vbi nunc ait Domine Ioannes eſt ſapientia veſtra? ille nihil ampliùs locutus, In vulua huius reſpondit, loco admodum ſapientiæ accommodato. Præterea Franciſcus Quartenſis mercator Florentinus morabatur Ianuæ cum vxore, & familia, cuius filij macilenti erant, & graciles corpore, Ianuenſium verò filij habiliores, ac robuſtiores: interroganti ex eis cuidam, cur filij eius ita tenues eſſent & natura imbecilles, Ianuenſium verò non, Cauſa eſt inquit in promptu, ego enim ſolus filios meos creo, vobis verò ad filios procreandos multorum ſubſidia opitulantur. nam Ianuenſes ducta in domum vxore paulo pòſt nauigant, vxores derelictas à viris, aliorum præſidio (vt aiunt) annis pluribus relinquentes. Poſt hæc ſcortum erat Venetiis vulgare, ad quod diuerſarum gentium viri accederent, rogata mulier, quæ ſibi hominum natio maiore membro virili eſſe videretur, eueſtigio reſpondit Venetorum. quoniam inquit tam longo ſunt Priapo, vt cùm ſæpiùs in remotiſſimis & vltra mare ſitis prouinciis verſentur, tamen cum vxoribus coëant, & procreent filios. Tyrannus quoque ad exhauriendum bonis ſubditum qui ſe multa facturum iactabat, ſub graui pœna præcepit, vt aſinum litteras doceret. ille impoſſibile ait fore, niſi multum temporis in erudiẽdo aſino concederetur: petere quantum vellet iuſſus, decennium impetrauit. deridebatur ab omnibus, quoniam rem impoſſibilem ſuſcepiſſet. ille amicos conſolatus, Nihil timeo inquit, nam interim aut ego morior, aut aſinus, aut dominus. Etiam ſacerdos quidam populo nuncians Epiphaniæ celebritatem, Cras ait ſumma deuotione veneremini Epiphaniam, eſt enim maximum, & præcipuum feſtum. neſcio autem num vir fuerit, an fœmina, ſed quiſquis extiterit, à nobis eſt ſummo timore hic dies cuſtodiendus. Quidam vrceum olei ea ſpe ac pollicitatione vt pro ſe iudex ſententiam ferret dedit. hoc ſentiens aduerſarius porcum pinguem miſit iudici, rogans vt ſibi faueret: tulit ille ſententiam pro porco, quod ſentiens alter, cùm & fidem datam, & oleum miſſum apud iudicem quereretur, Porcus inquit quidam domum venit, & inuento oleo vas effregit, atque oleum diſſipauit, adeo vt tui fuerim oblitus. Cùm eſſet quidam ciuis noſter admodum gracili corpore, ac

Digitized by Google

macilentiſſimus, admirantibus quibuſdam huius rei cauſam, quidam, Quid miramini, inquit, ſemihoram quippe hic in cibo capiendo ſedet, in ſeceſſu verò ad emittendum duas. Cùm quidam Epiſcopus ſenior quereretur quoſdam dentes ſibi excidiſſe, quoſdam ita labare, vt eorum caſum timeret, tum ſcurra quidam, Ne timeas dentium caſum: petenti cauſam Epiſcopo, Quia teſticuli mei reſpõdit iam 40. annis pepẽderunt caſuris ſimiles, & tamen nunquam ceciderunt. Diotarius, vt Boëtius narrat, cùm audiſſet librum Virgilij 13. annos, dubitabat num Æneas mas eſſet an fœmina, quod cùm quæreret à præceptore, cunctos diſcipulos mouit ad riſum. Eſt alia ſcurrilitas præceptoris mei egregia: cùm nocte quadam noctua cantaret ſuper muro interpoſito inter ædes Dominici, & Cicci ruſticorum diuitum, accidit quæſtio inter eos, vtrius gratia cantaſſet noctua: vnuſquiſque enim ſuſpicabatur cantum illum aliquid mali futuri præmonſtrare. & cùm hinc inde rationes factæ eſſent, tandem ſapientem quendam leguleium conſuluerunt, vnuſquiſque ferens bonum pullorum numerum, quos cùm vidiſſet leguleius, audita differentia, ac ſupra nares ocularibus appoſitis, euoluebat veſtigans multa librorum volumina, ſimulans inuenire caſum de quo erat lis: tamen inuento libro quodam, vbi de caſu nihil ſcriptum erat, voce elata dixit, Noctua cantabat, Domini, inquit, hic eſt caſus vbi ſuſurrando ac murmurando, & nihil dicendo, Date inquit mihi pullos, quia lex dicit, noctua pro nullo veſtrûm, ſed pro me cantaſſe. ſic receptis pullis abierunt bene concordes ruſtici. Ludibrium à Pontifice Leone X. viro facetiſſimo compoſitum: Abbas Varauallus nobilis Caietanus, cùm putaret ſe vulgarem poëtam ſupra omnes eminentiſſimum eſſe, à Pontifice laureari mirum in modum deſiderabat, Pontifex decus ſui temporis conceſſit, modò vniuerſam per vrbem ſupra elephantem deferretur: annuit Abbas. Pontifex ſimulans ante delationem velle virtutem eius reficere, exhibuit electuarij roſacei vncias ferè duas, cùm itaque elephantem aſcendiſſet, & per vrbem procul à Pontificio palatio deferretur, concitatur ad profluuium ingentiſſimum, atque rogans aſtantes, vt deorſum ipſum deferrent, nihil reſpondebant, ſimulantes

non audire eum: cùm tandem non audiretur, totum ſe & caligas, & elephantem profluuio & ſtercore atque fœtore ſordidauit. itaque poëta cacatus per vrbem à cunctis dicebatur. Sunt & aliæ ſcurrilitates, ac ludibria Pogij, ac Boccatij pulcherrima, quæ prætermitto, quoniam Aulicus bene moratus hæc fugere debet, veluti peſtifera ac improba.

Iuniorum ſcurrilitates.

CAPVT LXXXV.

SVMMVS noſtra ætate ridiculis ſtudens fuit Marcus Beneuentanus, qui non minus ridiculis operam dabat, quàm rebus Theologicis. Locus autem qui peculiaris erat ipſi ac præcipuus, accipitur à deprauatione nominum: Itaque cùm interrogatus eſſet à quodam perſpectiuo, quid videretur ipſi de Vitellione, Vitellio inquit bonus,ac probatus liber eſt,vt toto anno legatur: intelligens per Vitellionem vitellum,volebat dicere probum vitellũ eſſe inter cibos vniuerſo anno. Cùm verò interrogaretur de Boëtio, Bonus eſt inquit, vt legatur à ruſticis, non autem à nobilibus: & intellexit per Boëtium carnem bouinam. At cùm interrogaretur à quodam alio grammatico, quidnam de Suetonio, Vtilis inquit liber eſt, vt legatur hyeme: intelligens carnem porcinam,quæ apta eſui eſt hyeme. Cùm inſuper rogaretur de Occam, Hyeme inquit legendus eſt cum ſale: intelligens per occam anſerem. vulgares enim anſerem occam dicunt, quam comedendam eſſe probat hyeme ſalitam. Adhuc cùm interrogatus eſſet, quid de Homero, bonum authorem eſſe reſpondit, per Homerum, merum intelligens. Et cùm de Ouidio, Aliquid inquit boni eſt in Ouidio, intelligens oua, quæ aliqua ex parte bona ſunt. Et cùm de Horatio, Sacerdotibus, inquit, author probatus eſt, ſignificans ſacerdotes debere eſſe in orationibus. Cùm quidam inutilem eſſe Columellam contendiſſet, Ex bonis authoribus inquit Columella eſt, qui ſunt in mundo: volens intelligere columbos, ac pipiones. Vtebatur etiam loco ab æquiuoco cùm eſſet in colloquiis

Digitized by Google

obiter dixit; Vultiſne vt vobis oſtendam mulam de ferro & ſellam de ferro, & eum qui ipſam equitat, eſſe ferrum? omnes admirantes rogarunt vt oſtenderet, Ecce inquit hæc eſt, erat enim mula cuiuſdam medici, qui Ferrus vocabatur. Cùm interrogatus eſſet, ſitne de nouo aliquid, reſpondit, Pullus, intelligens per nouum vnum ouum. Cùm medici quidam ægroto præciperent, vt aperientia comeſſet, aſtantibus iuſſit deferri claues, ac clauos, aſſerens hæc eſſe, quæ aperiunt oſtia ac ſcrinia. Et cùm alius medicus ægroto præciperet vt cibaretur ex leuibus, iuſſit deferri pennas. Multa alia ſcurrilia addi poſſent, ſed hæc ſufficiant pro exemplis.

De ludibriis ac ludificationibus antiquorum.

CAPVT LXXXVI.

SVNT inſuper aulicaria ludibria, ac ludificationes, quæ differunt à ſcurrilitatibus, quòd ludibria ac ludificationes partim verbis, partim operibus conſtant: at ſcurrilitates potiſſimùm verbis innituntur. De ludificationibus Boccatius ſatis egregiè ſcripſit, & alij plurimi ex iunioribus, nos verò nonnulla ex antiquis, nonnulla verò ex neotericis pro exemplis inducemus. Itaque Hieron menſas aureas atque æreas diis dicatas è fanis ſubſtulit: has enim inſcriptio ex more Græcorum teſtabatur eſſe bonorum deorum, ne quis manus admoueret, admirantibus verò audaciam, cauillatus eſt ſe deorum bonitate vti, nam boni dij dicuntur quòd omnibus benefaciant. Idem victorias aureas, pateras, & coronas, quæ ſimulacra porrectis manibus ſuſtinebant velut offerentia, tollebat, dicens admirantibus ſe oblata accipere, non eripere: addens perabſurdum eſſe, à quibus quotidie bona flagitamus, ab his vltro porrigentibus nolle accipere. Alcibiades (vt apud Plutarchum in ipſius vita legitur) canem quendam inuſitata magnitudine aſſibus ſeptuaginta emptum abſciſſa cauda per vrbem dimiſit, ad id ſpectaculum & oculos & murmura omnium ciuium conuertens. hoc cùm multis ſtultum atque ineptum videretur, obiurgantibus eum amicis ſermonéſque de ipſo circumlatos enarrantibus, ridens Alcibiades,

Res inquit ex voto ſucceſſit: hanc enim conſultò præbere volui loquendi materiam Athenienſibus, quò magis eos à peioribus colloquiis, quæ de me & dicere & audire ſoliti ſunt hac rei nouitate auerterem. Timotheus dicebatur dux fortunatus, huic inuidentes nonnulli pinxerant ciuitates vltro ſe reti implicare ipſo dormiente: hac contumelia nihil offenſus Timotheus reſpondit, Si tantas vrbes capio dormiens, quid facerem vigilans. Scipio Naſica cùm ad poëtam Ennium veniſſet, eique ab oſtio quærenti Ennium ancilla dixiſſet, eum domi non eſſe, Naſica ſenſit illam hoc domini iuſſu dicere, ceterùm eum intus eſſe, atque id diſſimulans abiit. paucis pòſt diebus tamen cùm ad Naſicam veniſſet Ennius, cumque à ianua quæreret, exclamat ipſe Naſica ſe domi non eſſe: tum Ennius, Quid? ego inquit non agnoſco vocem tuam? hic Naſica, Næ tu homo es impudens, ego cùm te quærerem, ancillæ tuæ credidi, tu mihi non credis ipſi.

Iuniorum ludibria.

CAPVT LXXXVII.

IVNIORVM ludibria plurima ſunt, ſed pauca referamus. Cùm Nicoletus Theatinus præceptor noſter ſua ætate peripateticus eximius, ludibriis, ludificationibúſque ipſis oblectaretur, plurima feciſſe multi norunt: & inter prima, cùm Veronam peteremus, vt baptizaremus puerum cuiuſdam communis diſcipuli, & poſt crepuſculum ad vrbem applicaremus, eſſétque caupo prohibitus recipere Iudæos, qui extra vrbem hoſpes erat, nobis in hoſpitium conferentibus, dixit, Te recipere non poſſum, quia prohibitus ſum, demonſtrans Nicoletum: te autem poſſum, annuens me: interrogantibus quare, reſpondit, quia Iudæos hoſpitari prohibitus ſum. At præceptor ſubiecit, Audi amice à ſecretis. & mox penem præputiúmque oſtendit, quem cùm vidiſſet hoſpitatus eſt nos. mane verò cùm ciues officij gratia nobis obuiam veniſſent, caupo ſupplex veniam petebat, nec deſinit præceptor totum caſum ciuibus omnibus & viris, & mulieribus prædicare. Cùm ob mortem doctoris cuiuſdam locus

iuris Canonici vacuus eſſet, Auguſtinus Barbadicus agens Patauij Prætorem, impulſu ſtudentium, qui rogabant, vt conduceret doctorem quendam Siculum, reſpondit, Ego habeo doctorem egregium, qui vobis optimè ſatisfaciet: interrogantibus quiſnam ille eſſet, Nicoletus inquit: At illi, Domine animaduertas, nam Nicoletus philoſophus eſt, non autem iure Canonico peritus: iratus Prætor vt in malam crucem abirent iuſſit. Nicoletus itaque accerſitus eſt à Prætore, eique dicenti vt legeret ius Canonicum, quoniam pro mercede erat daturus trecentos aureos, reſpondit, Accipio conditionem, tibique gratias ago innumeras: Poteris quidem, inquit Prætor, mane canonicum, veſperi philoſophiam legere. poſt verò aliquot dies re adhuc pendente, ſtudentes rogabant Nicoletum vt diceret Prætori non eſſe canonicam ſuam profeſſionem. quibus reſpondit, Hoc nunquam dicturus ſum potiſſimum ei, qui me in omnibus ſummum putat. verùm poſt multa munuſculis non mediocribus acceptis ab illis ſtudentibus operam præſtitit (ſeruato tamen Prætoris honore) vt doctor, quem cupiebant, conduceretur, Prætori perſuadendo ſe ſenem laboribus tot ob imbecillitatem eſſe ineptum. Cùm Marcus Beneuentanus, ex flumine rediret, quod ad mœnia Beneuenti præterfluit vbi mulus iam potauerat, ſcurra quidam interrogauit num mulus biberit, reſpondit Marcus bibiſſe. At ſcurra, Non credo inquit, quoniam non adiunxit: non tamen intelligens per id os ad fluuialem aquam præ altitudine admouere nequiſſe mulum, ſed non adiunxit, id eſt non addidit aquam flumini, immo hauſtam minuit. At Marcus præſentiens cauillum æquiuocationis, Adiunxit inquit: depoſito igitur ab vtroque pignore, Marcus oſtendit mulum adiùnxiſſe, quoniam minxerat in fluuio, vbi lotium addidit: ludibrium erat in verbo adiunxit, quod apud vulgares ſignificat addere, & vſque ad locum peruenire, vel applicare: ſcurra itaque intendebat, non adiunxit ſed diminuit, quaſi per non adiungere intelligeret id quod eſt non applicare: Marcus verò adiunxiſſe dixit, hoc eſt addidiſſe, quoniam addidit lotium fluuio: & ſexcenta talia. De ſalibus autem & dicteriis mordacibus prætermittendum eſſe puto, quoniam cùm ſermones ſint aculeati, ac mor-

mordaces, magis attinent ad maledicos, quàm ad aulicares viros, quia præterea prouocant ad odium, vel vltionem, quæ à bono aulico omnino fugienda eſſe iudicamus. Cùm Hieronymus Mancionus Neapolitanus, aduerſus Cæſarem Borgiam vſus eſſet talibus aculeatis ſermonibus, & à Cæſare linguæ mutilatione in illum animaduerſum eſt. Ex iis igitur apertum eſt, aulici duas eſſe partes, affabilitatem, atque vrbanitatem: hominis autem aulicaris 4. vtputa vrbanitatem, ſcurrilitatem, affabilitatem, atque adulationem, in his enim 4. ſemper verſatur aulicaris ipſe homo: in illis verò duobus tantùm aulicus qui bene moratus eſt ac ſine virtute eſſe non poteſt. Et hæc de viro aulico hactenus.

AVGVSTINI NIPHI DE MVLIERE AVLICA AD PHAVSINAM, LIBER SECVNDVS.

Prima opinio de muliere aulica.

CAPVT I.

SVPEREST modò, PHAVSINA lepidiſſima, de Muliere aulica agere, quod ad te ſpectare videtur. nam ea quæ priore libro diximus, ad viros aulicos attinent. verùm ſunt qui eaſdem partes rei aulicæ mulieribus, & viris attribuunt, primò quia cùm partes illæ ſint virtutes, denegandæ non ſunt mulieribus, quæ ſunt ſicuti viri etiam rationis participes. Alioquin eſſent iidem habitùs in mulieribus, in viris autem virtutes, quod abſurdum eſſe omnibus cenſendum eſt. Diuinus quoque Plato quinto libro de Republica, ac 7. de legibus, Socrates & alij quamplurimi, qui mulierum partes validiſſimis rationibus tutati ſunt, omnium virtutum mulieres capaces eſſe aiunt, eadémque ab illis officia, quæ à viris in ciuitate bene inſtituta, videlicet diſciplinam militarem, atque gymnicam, mercaturam, cæteráſque artes exerceri debere aſſerunt. Qua ratione fit, vt aulicæ mulieres virtutis nequaquam ipſæ expertes ſint, cùm virtutes omnes communes habeant cum viris. ſed de virtutibus mulierum, & quales ſint, & quæ, & vtrum viri virtutes omnes communes habeant cum mulieribus, diſputat Pompeius Columna principum ſplendor, in eo libro, quem apologiam mulierum

Digitized by Google

inſcripſit: nec puto aliquid dici poſſe pro mulieribus, quod non ſit ab eo ſatis dilucidè explicatum. Nos quoque eo libro, quem de optimo principe exarauimus, de virtutibus mulierum, & quas communes habeant cum viris, & quas ſibi proprias, diligenter expreſſimus: quare ſolùm de aulicis nobis ſermo erit, ne noſtra oratio ad immenſum proficiſcatur.

Refutatio poſitionis.

CAPVT II.

QVOD autem aulicæ ipſæ virtutes mulieribus non conueniant, teſtantur primò hiſtoriæ, in quibus cùm multa de aulicis viris, de ſcurris, de aſſentatoribus, de affabilibus, ac vrbanis legantur, de mulieribus tamen nihil memini legere. Nec id eſt incongruum: nam pueris aulicas virtutes conuenire, nemo ſanæ mentis concederet, potiſſimùm cùm ſuperiore libro demonſtratum ſit puerum non eſſe aulicis rebus idoneum. Quòd autem mulier à puero non diſtet, Xenocrates eo libro, quem de puellis, ac mulieribus edidit, demonſtrat, cùm inquit, Mulier à puero in alio non diſſidet, niſi quòd qui puer eſt, non ſemper puer ſit: Mulier verò toto vitæ tempore puer eſt. Galenus præterea, Mulier inquit puer eſt confirmatus, qui verò puer eſt, ſanabilis eſt. Hermagoras verò, Pueris, inquit, oportet nos ad tempus blandos eſſe, mulieribus ſemper quia ſemper pueri ſunt. Ariſtoteles verò mulierum conſilia inualida eſſe ſemper teſtatur, quod Iureconſulti probarunt, qui mulierum promiſſiones irritas eſſe volunt, quæ non fiunt authoritate viri alicuius. puerorum autem conſilia imperfecta, quoniam procedente ætate & conſulta & promiſſa eorum valida eſſe ac perfecta conſueuere. Quæ ratio docet mulieres ſemper eſſe pueros, pueros verò ipſos non ſemper. Quare cùm puer non ſit idoneus rebus aulicis, fit vt pari ratione mulier, aulica eſſe non poſſit.

Digitized by Google

Quòd neque ſcurrilia, neque vrbana mulieribus conueniant.

CAPVT III.

AD ſpecies verò deſcendendo, neque ſcurrilia, neque vrbana mulieribus eſſe idonea demonſtramus, quòd duæ ſint virtutes, quæ mulieribus idoneæ ſunt, quibúſque amabiles redduntur: quarum prior pudicitia eſt, quam comitantur moderatio, modeſtia, continentia, abſtinentia, ſobrietas: altera eſt ſimplicitas, quam ſectantur taciturnitas, veritas, ſynceritas. pudicitiam corrumpit libido, ſimplicitatem verò mendacium, vel ſimulatio. ſed cùm omnis ſcurrilitas ſit cum turpitudine (vt Cicero inquit) turpi, vrbanitas verò cum turpitudine non turpi, fit, vt nec hæc, nec illa mulieribus ſit idonea, nam hæc corrumpit ſimplicitatem, illa verò pudicitiam. Inſuper nec vrbanitas nec ſcurrilitas eſt abſque vi ingenij (vt Ariſtoteles inquit 3. Rhetoricorum) quum dixit, Natura ingenioſi eſt vrbanè dicere: at mulieres nec ingenio, nec prudentia tanta emicant, vt poſſint vrbanæ, vel ſcurræ eſſe. Quòd ſi quæ mulieres prudentia emineant, vt Xenocrita Cumæa, Clodia Romana, Eryſona, Cæphena, Calphurnia, & aliæ plurimæ, hoc vltra captum, ſexúmque muliebrem eſt, quo mulieres non amabiles, ſed admirabiles habentur. Verùm quia ea, quæ in præceptis traduntur, vt in pluribus ita ſe habere oportet, nos id quod plerumque naturas mulierum ſectatur, conſiderantes, aſſerimus nec ſcurras, nec vrbanas eſſe poſſe. Quare licèt vrbanitas virtus ſit in viris, in mulieribus non virtus erit. eſt enim aliqua virtus, quæ ex tota ſui ratione virtus eſt, vt virginitas, caſtitas, ſanctitas, & ceteræ id genus, hæ in omnibus ſunt virtutes, quippe cùm ex vniuerſa ratione virtutes ſint. Aliæ virtutes ſunt, quæ delectu, ac circunſtantiis ſunt tales: huiuſmodi non oportet in omnibus eſſe virtutes, talis eſt vrbanitas, nam in viro laudatur, in mulieribus verò improbatur, quemadmodum & in puero. Ad hæc etſi ipſa mulier ſit rationis particeps, non tamen tantæ vt poſſit virtutes omnes

Digitized by Google

eadem prudentiæ vi communes habere ſibi cum viris. Quòd ſi apud Reginam nunc Romanorum mulieres ſcurræ ſint Helſa ac Epila: apud verò Proſperum Columnam Rita fuerit olim, non erit impoſſibile, cùm mulieres etiam meretrices reperiantur, quæ eſſe non deberent. Nos enim quid eſſe debeat mulier, non quid ſit, expoſuimus. Eodem modo ſi vrbanæ, atque facetæ reperiantur, non erit omnino impoſſibile, quoniam nonnullæ inueniuntur fortes, pugnacéſque, quemadmodũ Maria quædam Puteolana fortiſſima atque formoſiſſima virgo, honeſtiſſimis orta parentibus. huic ab ineunte ætate non ignaua, atque muliebria illa arma colus, acus, & ſimilia curæ vnquam fuere, ſed militari diſciplinæ ſemper dedita, gladium, clypeum, galeam, cæteráque inſtrumenta bellica aſſiduè geſtabat, quibus laborando, multa tolerando, eſuriendo, vigilando, ita corpus aſſuefecerat, vt ſæpe integram noctem inſomnem ageret, & ſi quando naturæ aliquid concedendum fuerat, humi nuda, aut ſuper clypeum, ceu rudis, aut horridus miles quieſcebat. tanta denique animi magnitudine fuit, vt ſæpe ſola, interdum paucis admodum comitata, hoſtes aggredi non eſſet verita, victoriámque ex illis reportauerit. prima ſemper ſtructam aciem inire, poſtrema prælio excedere conſueuerat, Hannibalémque illum fortiſſimum Pœnorum ducem imitata, ſtrenui militis, & optimi imperatoris officia ſimul in acie exequebatur. ſingulari certamine ſepties hoſtem vicit, glorioſáque toties ex illo ſpolia retulit. Corporis præterea robore adeo claruit, vt omnes illius temporis milites viribus anteiret: pudicitiam atque virginitatem inter milites ſemper illæſam cuſtodiuit. Verùm vt monſtra eueniunt in natura, ſic mulieres huiuſmodi monſtruoſæ, atque admirabiles vltra ſexum ſuum naſcuntur, quas etſi admiremur, tamen nec amare, nec laudare debemus. nam in mulieribus amantur forma, pudicitia, & puritas, cum quibus nec vrbanitas, nec ſcurrilitas ſaluo pudore ſtare poterit.

Quæ pars aulica mulieribus conueniat.

Capvt IV.

QVONIAM Cyprias mulieres nonnullas legimus fuiſſe aulicas, nonnullas autem aſſentatriculas, quas cùm in Syriam transfretaſſent, gradulos apellabant, quòd regum vxoribus currum aſcenſuris pronæ quodammodo gradus præberent: Thymelen quoque mulierem reperimus, quæ prima ſaltationem docuit: iccirco aliqua pars earum virtutum, quæ viris aulicis dantur, mulieribus tribuenda eſt. Nam altera pars aulæ vxoris principis eſt, cui & aulicæ, & atrienſes, & comites ſunt tribuendæ, nec iniuria quidem, quoniam vt mulier eſt medius vir, ſic eſſe poteſt medius aulicus: & cùm iſta eſſe non poſſit vrbanitas, fit vt aulica mulierum virtus ſit affabilitas, cuius extrema, vt diximus, ſunt adulatio & ruſticitas.

Quòd affabilitas conueniat mulieribus, & quotuplex ſit affabilitas.

Capvt V.

QVOD verò affabilitas aulicis mulieribus ſit conueniens, perſpicuum eſt, quoniam nec corrumpit puritatem, neque virtutes, quæ puritatem comitantur. inſuper nec pudicitiam, neque virtutes, quæ pudorem ſequuntur, immo has exauget, atque amplificat. Vrbanitas autem cùm non ſit abſque turpitudine ridicula, licèt illa ſit turpitudo non turpiter, vt Ciceronis verbis vtar, tamen quia turpitudo eſt, labefactare videtur ſummum bonum mulierum, quod in ſimplicitate atque pudicitia conſiſtit. Eſt autem affabilitas duplex, altera quæ ſecum amorem habet, & non ſalem, hoc eſt argutiam, altera quæ amorem habet, ſale argutiáve conditum. Affabilitas quæ amorem habet, & non ſalem, eſt illa PHAVSINÆ, quæ cùm interrogarem eam cur nuper mihi longè magis blandiretur, quàm nunc, cùm noſceret me ipſam nunc longè magis deperire, Diebus ſuperioribus,

Digitized by Google

inquit, laborabam vt te alliciendo illaquearem, ac poſſiderem, nunc tibi iam acquiſito, ac poſſeſſo, non opus eſt blandiri, ſed te amare: affabilitas profectò iocunda ſecum amorem habens, non autem ſalem atque argutiam. Accedit & alia: nam cùm quærerem an poſſit ſenem amare? Amore inquit malo, non poſſem, at bono poſſem & puerum, & ſenem deperire. iucunda etiam eſt hæc. Quæ verò amorem habet eum ſale eſt illa QVINTIÆ, quam cùm ſemper meam Quintiam in omnibus dicere antea ſolerem, dixi quodam die, Nolo te ampliùs Quintia vocare meam, ſed charam, nam procedente tempore nec tu mea, ſed viri eris, nec ego tuus, ſed Angelellæ vxoris. eris tamen ſemper chara, & dum vixero, & poſt fata: Vtinam, inquit, eſſem tibi ita ſemper chara, ſicut nunc & ſemper tua ſum: eſſem enim omnium amantium feliciſſima. iucunda profectò, ac ſalſa affabilitas eſt. Et illa PHAVSINÆ ſalem ſapit: cùm enim dixiſſem, Poſtquam PHAVSINA te deperire cœpi, pulcherrima ac lucidiſſima aurora facta es, & lætor profecto: Non poteram, inquit, te exiſtente ſole aurora non euadere, ac pulcherrima. iocunda profecto affabilitas, & arguta. & vtraque harum aulicis mulieribus decentiſſima videtur: nam amplificant tum pudicitiam, tum puritatem. De locis verò affabilitatum, quibus mulieres fiant affabiles viris, atque principibus, dictum eſt priore libro, quæ cùm ſint mulieribus cum viris communia, nunc prætermittamus.

Quòd placiditas non ſit aulicis mulieribus improba.

CAPVT VI.

EST inſuper placiditas, & eſt adulatio: placiditas eſt, qua in cunctis placidi ſumus, in nulliſque aduerſantes, immo qua cuncta laudamus, cuncta vera eſſe profitemur: adulatio verò eodem modo, qua eadem agimus: verùm differunt, nam placidi non ſpe lucri ſunt, ſed inſtitutione naturæ, quòd natura tales ſint, vt nolint alicui moleſti eſſe, nulli diſcoli, atque peruicaces, ſed quum compelluntur explicare quæ ſentiunt, cognoſcúntque vera dicendo, nulli

ſe eſſe moleſtos, laudant quæ laude digna ſunt, vituperant autem quæ videntur vituperanda, aſſentiunt, atque diſſentiunt, vt recta ratio poſcit. contrà ſunt, qui natura naſcuntur diſcoli, atque peruicaces, nam hi ea natura inſtituti, non curant aduerſari, moleſtóſque eſſe modò peruincant. Adulatores verò atque aſſentatores in cunctis adulantur, atque aſſentantur: laudant enim quæ ſunt vituperanda, nec in aliquibus diſſentiunt: verùm hæc agunt non amore, neque natura compulſi, ſed ſpe lucri. Qua ratione fit, vt placiditas non ſit improba, nec vituperanda, licèt etiam non ſit laude digna, quoniam ea quæ ſunt à natura nec laudanda neque vituperanda ſunt. Hac placiditate placidus erat Grauina noſter vir diſertiſſimus, qui cùm bonitate naturæ nulli vellet eſſe moleſtus, in cunctis placidus erat, dum tamen vera dicere compellebatur, atque cognoſcebat dicendo quæ ſentiret, non eſſe cuipiam moleſtus: affabiliſſimus erat, nam in quibus oportebat, vbi oportebat, & quando oportebat aſſentiebatur. In mulieribus itaque omnino deteſtanda eſt adulatio atque aſſentatio ipſa, cùm corrumpat pudicitiam atque puritatem, vtpote quæ mendaciis ſit referta: placiditas autem non vituperabilis, cùm ſequatur ſimplicitatem naturæ, immo fortaſſe laudabilis. Mulier enim cùm nulli fuerit moleſta, laudatur. nam emicat in placiditate puritas, quæ naturæ opus eſt, potiſſimum ſi placiditas non ſimulata, non ficta, non perſonata fuerit, ſed puritatem naturæ ſequens. Mulier enim in qua nihil ficti, nihil ſimulati eſt, modò ſeruet quæ ſua ſunt, pudicitiam videlicet atque ſimplicitatem, omni laude digna videtur. Loca verò quibus placida euadere poterit, priore libro ſunt explicata.

De amatoriis colloquiis in aulicis mulieribus.

CAPVT VII.

SED quoniam amatoria colloquia ſunt, in quibus tum affabiles atque placidæ poſſunt eſſe mulieres, tum etiam peruicaces atque difficiles: dubitatio eſt, vtrum mulieribus aulicis conueniant. Res hæc ſatis diſputata eſt priore libro, tamen

tamen bis dictum, ſi bene dicatur, (vt Plato inquit) non diſplicebit. Apud Gallos non modò permittuntur, ſed vſui atque ambitioni exiſtũt, ne colloquia modò, ſed etiam oſcula, tam cum ſenibus, quàm cum iuuenibus. Cauſa autẽ, quoniã cùm puellæ mulieréſq; ipſæ & viri apud eos à cunabulis talibus colloquiis aſſueuerint, non magis huiuſmodi colloquia apud eã gentẽ valent, quàm apud nos aſpectus. Quare ſicuti nobis permiſſum eſt inſpicere, mulieribus autẽ inſpici, ſic eis colloqui, ac inſpicere, & oſculari. Verùm quia his aduerſãtur ſanctiſſimi viri, vt Hieronymus Aurelius, Bernardus, & alij non paruæ authoritatis philoſophi, aſſererẽ aulicas mulieres cum ſenibus, qui iam ad Saturni annos peruenerint, colloqui, atque verſari aulicè poſſe. Nam licèt fortaſſe ſenes cum aulicis puellis ſine appetitu veneris aulica colloquia miſcere nequirent, quando puellæ ſunt valde amabiles ſenibus, atque conuenientiores, quàm prouectiores, (reiuueneſcunt enim atque repueraſcunt in illis) tamen puellis ſenes non ſunt cupidinei, ſicuti nec iuuenibus mulieres decrepitæ: quare cum decrepitis colloquia aulicarum mulierum non ſunt abneganda, cùm puellæ ea agere poſſint ſine appetitu veneris. Accedit quòd ſunt nonnulli ſenes, qui ab inſtitutis naturæ puellas amant, obſeruántque deſiderio videndi, colloquendi atque conuerſandi ſine prurigine veneris, vt Socrates Alcibiadem pulchrum adoleſcentem amabat, ſine veneris maſculæ appetitione, ſic quoque Plato vbique pueros diligebat, nam puerorum puritas, ſimplicitas, atque cætera bona, quæ in pueris erant, mirum in modum eum oblectabant: immo in me teſtor à iuuenta vſque ad præſens tempus, ſemper mihi fuiſſe puellas gratas: in iuuenta enim amabam aliquando aliquas ſine illicito appetitu, in quibus cognoſcebam pudorem atque puritatem, expertibus omnino cupidinei amoris: interdum nonnullas deperibam, quas cupidineus amor facilè tangeret: illas igitur amore blandæ conſuetudinis, has cupidinis proſequebar, nec aliam ob cauſam, niſi quia mores mihi earum iucundiſſimi erant. hac verò ætate puellas in quibus pudorem Sabinarum modeſtiámque agnoſco, quippe quæ ſint ab inhoneſtis illecebris abhorrentes, ſine turpi voluptate ſummopere amo. ſecus autem quæ amore cupidineo accen-

Digitized by Google

duntur, has enim hac ætate non modò non amo, ſed odio proſequor immortali capitalique: vnde nunc PHAVSINÆ incredibilis me tenet amor, cuius puritas ac pudicitia tanta eſt, vt non modò amem colámque, ſed veluti nouum numen venerer. Quare cum ſenibus huiuſce naturæ & colloqui & tutò verſari poſſunt aulicæ puellæ, ſed vtrum eodem modo cum iuuenibus, hoc dilucidum eſt ex priore libro: nam ſi colloquia ab eo amore pendeant, quo puella aulicum adamet, vt illi nubat, modò talia nec metam verecundiæ excesſerint, neque fuerint præter pudoris leges, neque præter circunſtantiarum obſeruantiam, colloquia huiuſmodi non improbo. Sed quis ſperauerit tam circumſpectam obſeruantiam in illo ſexu? At ſi amore cupidineo, ſecus ſe habente, aulicæ puellæ vtantur, nec laudo colloquia, neque conuerſationes probo: quinimmo à principum aulis hæc omnia remouenda arbitror, tanquam lenonica, atque meretricia commercia.

Exempla affabilitatum aulicarum mulierum, & primò earum quæ ſunt Quintiæ.

CAPVT VIII.

ETSI loca affabilitatum priore libro ſatis dilucidè expoſuimus, quæ viris ac mulieribus aulicis communia ſunt, exempla tamen earum nonnulla hîc adiungam, quæ mulieribus propriæ ſunt, quæque potiſſimum in amatoriis ipſis colloquiis fieri ſolent: ſumuntur autem omnes à ſimulato amore, aut ab iis, quæ erga amantem amorem indicant. Inter quas illa QVINTIÆ prima eſt, Cùm mei in PHAVSINAM amoris ad QVINTIÆ aures fama deuolaſſet, quæ nunc apud Iuliam Illuſtriſſimam Biſiniani Principem ſe continet, cúmque multi multæque ex aulicis repulſam (vt in magnis aulis fieri ſolet) ſuique contemptum obiicerent, auditis variis eorum ſententiis, his tandem verbis longum ſilentium rupit, Nouo PHAVSINÆ amori non equidem inuideo: illo enim amore, quo me ſemper meus Niphus amauit, innumeras quoque puellas ſine vlla prorſus

mea zelotypia proſequi poteſt: innuens me honeſto ſemper ardore ipſam deperiſſe, quo ſine zelotypia plurimæ amari poſſunt.

Affabilitates nonnullarum etiam puellarum.

Capvt IX.

DVm amans quidam cum ſua amata puella colloqueretur, ei ita inquit, Natura te ſic inſtituit, vt mihi impoſſibile videatur, te alium quempiam amare poſſe, præter te ipſam tantùm. Inter tot inquit infortunia, quæ mihi data ſunt, id vnum pergratum eſt, quod mihi ipſi quoque odio non ſim. Dum amans quidam gratiam quandam ab amata appeteret admodum inhoneſtam, puella ſuam imperitiam prudenter ſimulando verbis quibuſdam ſalſis modeſtiſque in alia ſe tranſtulit colloquia. quod cùm amantem non lateret, O quanta, inquit, ſapientia emicas: tum illa, Sed nihil aut per pauculum ſapientia hæc mihi prodeſt, cùm te non lateat. Dum amans quidam coram amata puella ob illata ſibi conuitia ab ea miſerabiliter defleret, lachrymas illas effictas contendens puella, ſubridendo inquit, O quàm peculiares propriæque nobis mulieribus eſſent lachrymæ, ſi eas natura in nobis ita ad decipiendum aptas inſtituiſſet, quemadmodum in vobis viris ſunt vel aptiſſimæ. Præterea cùm quondam amata verbis quibuſdam admodum diris obiurgaſſet amantem, cúmque ille ei nihil obiicere potuiſſet, vberrimis lachrymis oculos ſuffundens inquit, Doleo non mediocriter cùm ea dicere nequeam, quæ meritò obicienda eſſent: cui amata reſpondit, Dolor tuus longè maior euadet, cùm noueris tuum iſtud reſponſum nihil tibi porro profuturum. Ad hæc dum amans quidam ab amata procul receſſurus eſſet, poſt alia verba affabilia, quæ ei fecerat, Hoc vnum inquit, ab ipſo Deo impetrare vellem, vt dum abs te abſens fuero, quoties tibi in memoriam venero, mihi pateſieret: cui reſpondit illa, Hoc non erit tibi perdifficile: nam ex memoria tua, quoties ego tibi occurrero & te mihi toties occurriſſe facillimè intelliges. Inſuper cùm amata puella in locum

quendam proficiſceretur amanti ſuo admodum ſuſpectum, atque ob id moleſtiſſimum, puella ei inquit, Dolor iſte tuus mihi longè magis idoneus eſſet, quàm tibi: nam tu hinc certior ea de re fies, quæ te nunc tantopere ſolicitum ancipitémque tenet. ego autem ea de re, quam de te ſuſpicor, nullo loco, nullóve tempore certior fieri poſſum. Cùm eſſet Aulica quædam Principis illuſtriſſimæ Salernitanorum admodum ſcitula, eam PHAVSINA interrogauit, cur eſſet amantibus crudelis, Doleo, inquit illa, maximopere, quod mihi quoque crudelis ac immanis non ſim, nam qui me cupiunt, amorem ſimulant, qui verò te depereunt, in primis te venerantur, & colunt.

Affabilitas PHAVSINÆ.

CAPVT X.

CVM enim ſubiratus ei eſſem, ſic locutus ſum, PHAVSINA, deſiderio imperare non poſſum, quo te depereo, vt à me abeat, pedibus tamen imperabo ne ad te moueantur, oculis ne te inſpiciant, auribus ne verba tua audiant, manibus ne tuas tangant, nam hæc mea ſunt, ſpero equidem hæc coërcendo, quibus præcipiti voluntati deſeruientibus, deſiderium tui mihi & exortum, & auctum eſt, temporis curriculo arefacere ipſum: quibus illa, Licèt his operantibus, reſpondit, tuus in me amor tum ortum, tum incrementum habuerit, túque iſtas ipſas tui corporis partes ab incepto reuocaueris, ac id ad immenſum tempus proceſſerit, non propterea tamen tabeſcet, aut molleſcet inteſtinus iſte ardor, ſeruatur enim amor tuus in meo, qui cùm nunquam ſit defuturus, nec tuus quoque deerit vnquam. Alia ad eandem, Me te vnam amante ô PHAVSINA, atque tantopere celebrante, fortunatam dicunt homines, ego verò te & fortunatam & ingratam voco, nam tot tantorúmque meorum in te beneficiorũ immemor es. Fortuna, reſpondit, ab ipſo Deo mihi data eſt, cui gratias ago maximas, & habeo maiores. ingratitudo verò à me vna naſcitur, quam cùm voluero amouere à me potero. Cùm ſuſpiriis ad cælum vſque emiſſis coram

Digitized by Google

Phauſina ſonij infelicitatem mei ob amorem quo ipſam deperibam incuſarem, reſpondit, Tu te tibi in cauſa fuiſti qui tantum authoritatis mihi præſtitiſti, vt mortem pariter & vitam tibi poſſem elargiri. Colloquentibus porro inibi nobis, & me à principio amoris multo minus pulchram eam viſam mihi quàm nunc videatur dicere, ait, Hoc mihi gaudio euenit, quod laudibus honoribúſque cumulatiſſimè in me collatis percepi, eo enim non pulchrior forma ſed ſplendidior lætitia euaſi. PHAVSINA etiam nuper mihi diſcedenti Sueſſámque petenti, Si iſte tuus inquit vel breuiſſimi temporis diſceſſus tantopere mihi moleſtus eſt, quid ſi perpetuus fieret? Cùm enim illa in expetendis à me quibuſcunque rebus, imperioſis magis quàm blandis vteretur precibus, Cur non precans, PHAVSINA, interrogaui, ſed magis imperioſè exigis à me omnia? Tum illa, Vt agnoſcas me tibi non ſecus ac mihi imperare: ſi enim precibus tecum ad impetrandum vterer, tibi tuóque amori diffidere viderer, ac ſi à me alienus eſſes. Dum etiam vno die aliquantulum iratus, ipſam ob neſcio quid, quod moleſtè tuleram, obiurgaſſem, his illa verbis non abſque lachrymulis iram ſedauit, Credis fòrſan mi Niphe tam longè meum ingeniolum proſpicere poſſe, quantum tua diuina mens penetrare ſolet? ne illo quæſo ducaris errore, vt meas actiones quæ à pura mente puerilique ſimplicitate profectæ ſunt, tua ſolertiſſima circumſpicientia metiri velis, ego enim ipſa quid egerim ignoro. Cùm ſæpiùs PHAVSINAM in me crudelem eſſe dicerem, Caue mi Niphe, inquit dulciſſimè, ne grauiter erres, dum illud crudelitatis nomine notas, quod eſt tuis votis omnibus, ob pudicitiam ſeruandam non libenter parere. Cùm præterea in colloquiis amatoriis cum PHAVSINA eſſem, interrogaui quonammodo puella quæ 16. ætatis annum ageret deperire poſſet amantem ætate atque forma diſſimilem, cùm abſque ſimilitudine reciprocus amor nequaquam eſſe queat? iucundiſſimè reſpondit, Licèt (vt vides) his diſſimillimi ſimus, eo profectò ſumus ſimillimi, quo tu me, & ego te amo: per quæ animi pulchritudinem intelligebat. & in eiſdem colloquiis ſermo obiter occurrit, quiſnam eſſet verus amans? vbi ſic inquit, Quemadmodum idololatra eſt, qui ſimulacrum

adorat, & non diuinitatem, ita non verus amans, qui puellæ faciem amat, & eius pudicitiam non veneratur. Et in eiſdem PHAVSINAM rurſus rogaui, quonam modo ſenem ac ſemimortuum deperire poſſet? Non ſenem, inquit, ardenter amo, ſed eum in quo nec ſenium nec tabes vnquam futura eſt, immo eum, qui cùm morietur, denuo renaſcetur. Etiam cùm iocarer cum PHAVSINA, vt eam ad rixulas ducerem dictitabam, Credíſne PHAVSINA quòd te aniculam factam ſim deperiturus: Deperibis inquit profectò, nam id quo me amas, non ſeneſcit vnquam. Petrarcha enim Lauram & puellam & matronam & viuam & poſt fata ardenter amauit, quia nunquam conſenuit. immo eandem properè ſeneſcere exoptabat, vt abſque ſuſpicionis nota eius pulchritudine frui poſſet. Ad hæc cùm interrogarem PHAVSINAM quod præmium tanti amoris eſſet datura, Vt ne mendax ſis inquit tantarum laudum, quas de me quotidie decantas. Cùm propter longum cum PHAVSINA colloquium cùm ne ei moleſtus fuiſſem ſubuererer, accinctus ad iter, PHAVSINA receſſurus ſum, dixi, parcas rogo, ſi tibi tædio fuerim: leniter morata eſt me ſic inquiens, Non poteſt mihi eſſe faſtidio, qui ſemper ſecum connatam habet & voluptatem, & gaudium. Cùm eſſem adhuc in colloquiis amatoriis cum PHAVSINA, multiſque rationibus ipſi perſuaderem, me ob ſui amorem inſanum, ac penitus inſipientem euaſiſſe, ſic me ſua affabilitate ab huiuſmodi errore liberauit, Eſſes inquit inſipiens atque inſanus, mi Niphe, ſi me ardenter amans, ardentiùs redamari à me non agnoſceres: Præterea etiam cùm eſſem cum PHAVSINA multiſque aliis puellis aulicis in eiſdem colloquiis, quæſtio amatoria occurrit, quænam maior voluptas ſit earum, quas capere ſoleo ex conuerſatione cum PHAVSINA: vna earum dicebat eam eſſe quæ ex iocundiſſimo ipſius aſpectu oritur, alia ex alterno inter nos ſermone dulciſſimo, alia quæ veriùs ſe dicere aſſerebat, eam, quæ ex manuũ mutua leniſſima contrectatione: PHAVSINA verò ipſa ſubridens, Neminem latet (inquit) mi Niphe tibi omnia hæc eſſe iocunda, ſed omnium horum iocundiſſimum eſſe arbitror, quod his omnibus & aliis adhuc plurimis mecum crebrò, ac ſine vlla cupidinei amoris nota tuam

Digitized by

ob ætatem liberè frui poſſis. Cùm etiam inter eius colloquia maximopere conquererer quòd ob PHAVSINÆ amorem, nulla mihi quieſcendi daretur hora, quoniam noctu diúque ſummo dolore aſſiduè verſarer, quòdque omnium maximum horum eſt, eſſem deriſui, mihique ipſi ſummo dedecori eſſe viderer: tum PHAVSINA ſic me blando ſermone corripuit, Grauiter erras, inquit, iocundiſſime Niphe, cùm id quod tibi ſummo honori, ac laudi ingenti, ſingularíque voluptati tribuendum eſt, dolori, deriſui, ac dedecori tribuas. Quid enim laude magis dignum, quidve glorioſius, ſublimius, ac iocundius tibi poſſe euenire putas, quàm vt puella, quæ mihi apud mortales erat, ac nullo nomine celebris, nullique penitus cognita, ſit per te & procreata, & educata, atque vſque ad ſidera euecta. Cùm obiicerem PHAVSINÆ, quòd inter alias quæ de ipſa me angerent curas, ea eſſet maxima, qua vereor ne ob ſexus mollitiē aliquo temporis curriculo mendacē me redderet in his, quæ de eius morum honeſtate, animi integritate, pudore, pudicitiáve, déque vitæ eius puritate ſcripſerim, omnibúſque palam fecerim, Negare non poſſum, reſpondit, me ob corporis formam, à plurimis expetitam, cum multis hactenus pugnaſſe, acerriméque contendiſſe, qui eam deperientes poſſidere enixi ſunt: verùm conſideranda eſt à te, mi Niphe, arx, quæ mihi cordi eſt, mœnibus pudoris atque honoris communita, quam adhuc nemo expugnauit, nec vllo tempore vllum expugnaturum eſſe intelliges. Quæ enim gloria maior mihi contingere poterit, quàm vt à plurimis oppugnata, à nullis vnquam expugner, immo omnes vincam. Dum veſtimentum quoddam elegantiſſimum, ac capitis reticulum auro exornatum PHAVSINÆ meæ dono miſiſſem, ſcripſi, Alij amantes ſui flammas modis variis extinguere ſtudent, contrà ego donis iis, quæ tuæ pulchritudinis ornamenta ſunt, illam amplificare, ac maiorem reddere mihi cæteriſque ſpectantibus enitor, vt ignis quo deuror intenſior efficiatur. Ad quæ reſpondit, Scio mi Niphe meam quæ te vrit formam, non iis vel aliis huiuſmodi ornamentis, ſed pudoris, pudicitiæque ſplendore perpetuo decorari. Nuper inter colloquendum cum PHAVSINA, id ab ea ſollicitè quæſiui, Quonam modo fieri poteſt,

PHAVSINA, vt in tuo conſpectu ſtigiis flammis deurar, ſimulatque perpetua beatitudine adeo frui videar, vt pariter tartareos in me ignes ſentiam, ac dulciſſimam cælicolarum fœlicitatem experiar: at illa his verbis ancipitem mentem ſoluit, Cauſa tantæ contrarietatis (vt opinor) hæc eſt: beatis enim manibus, oculis, atque auribus, quæ amatoriæ fruitionis ſunt conceptacula, corde verò ac ſpiritu, quæ ſunt amoris ſedes, inextinguibili cruciaris incendio. At ego quæ in te nulla re alia, quàm tui animi viuaci ſplendore, pulchritudinéque æterna afficior, & oculis & auribus, & manibus, & corde, cæteriſque omnibus corporis partibus incredibili felicitate tum nunc potior, tum potita ſum ſemper, ac potiar, donec vixero. Cùm die quodam in conſpectu PHAVSINÆ Salernitanorum Princeps me triſtem cerneret, Nulla ratione, inquit, mi Niphe triſtis eſſe deberes, quippe qui PHAVSINAM te ardenter redamare planè cognoſcis: reſpondit PHAVSINA redamationem amantibus eſſe veluti viuentibus vitam, nam nec viuens vita, neque amans redamatione ſatiatur vnquam. Et in eiſdem colloquiis, idem Princeps, Quid agis, inquit, mi Niphe, cùm abſens fueris à PHAVSINA, reſpondi, Tunc minus abſum à PHAVSINA, vt Scipionianis verbis vtar, cùm ſum abſens à PHAVSINA. PHAVSINA verò inquit, Ego cùm in conſpectu tuo ſum, Niphe, abſens ſum à me, quanto magis cùm à te abſens fuerim. Cùm eſſem in colloquio de more cum PHAVSINA his verbis cœpi loqui, Hucuſque, mea PHAVSINA, ita accuratè de rebus naturæ (vt mihi videor) ſcripſi, vt inter Latinos ſcriptores, qui mille antè annis in illis ipſis rebus elaborarunt, non ſum nouiſſimus: quatuor etiam celeberrimas Heroicas mulieres meus ſtilus immortalitati commendauit, poſtremò tuam diuinitatem auſus ſum meis ſcriptis poſteritati notam facere, de qua licèt non tam ſufficienter quàm diligenter ſcripſerim, ſatisfactum eſt tamen viribus meis, ſi non tuarum laudum magnitudini, quia ex omnibus rebus, quæ ſub luna ſunt, tua diuina forma nihil maius excogitari poteſt, quod literarum monimentis dignum habeatur. Reliquum eſt, vt meas THEOLOGICAS lucubrationes de ſuperis cæleſtibus numinibus, tot antè annis inchoatas, ad finem.

Digitized by Google

nem vſque pariter cum ſenecta perducendas curem. Tua igitur impetrata venia licentiáque ir ſolitudinem tantarum ſpeculationi rerum aptiſſimum locum me conferam: vbi & cum mea Angelella conuiuam: & cum extrema ætate imperfectum opus perficiam. Quibus verbis lacrymabunda illa ſic reſpondit. Etſi mi Niphe tua abſentia tanto mihi futura ſit dolori: vt mortem præſentem quotidie illius contemplatio mihi ſit allatura, cogátque PHAVSINAM auroram, abſque te ſuo ſole, in cæcis tenebris vitam agere, æquo tamen animo hæc omnia mala tolerabo. Eſt enim mihi cordi multo vel iucundius vel gratius, te nec tuo honori, nec debitis officiis deeſſe, quàm omnis illa oblectatio gaudiúmque omne, quibus ex tua fruerer; illud tamen precibus vehementiſſimis atque pudicis à te & peto, & rogo, vt interea tua PHAVSINA memoria non excidat, quam ſaltem litteris (quandocunque ſcribendi facultas oblata fuerit) reuiſas: ac in vita his muneribus ſerues quæſo.

Affabilitates ab eodem excerptæ loco, quæ à quodam inſigni Equite: ac in rebus aulicis maximè verſato, mihi relatæ ſunt, cuius epiſtola ad me hæc eſt quæ ſubſcribitur.

CAPVT XI.

CVM impoſuiſſes, mi Niphe, vt verſatas puellarum quarundam cum ſuis amantibus affabilitates colligerem, vt tibi cui plurimum debeo morem gererem, quaſcunque potui, eas tibi commemorare ſtudui, inter quas illæ potiſſimum tuo deſiderio viſæ ſunt dignæ, quæ iucundiores, ſalſioréſque videbantur, quòd ſi lachrymæ ex eorum amantium deſiderio natæ, quorum affabilitates breuibus perſtrinxi, alto me dolore non obruiſſent, longè plures ſcripſiſſem: ſed cùm vix propter eorum mœrorem, qui duris fatis agitati lachrymas mihi pepererunt æternas: minimam earum partem in mentem reuocare valuerim: ne habeas quæſo deſpectui pauculas haſce: quas ſummo cum doloris reluctamine

Digitized by Google

ad te mitto. interea tamen puerum illum alatum orabo, vt PHAVSINAM tibi multo meliorem gratiorémque reddat quàm pro tuis immortalibus beneficiis in ſe collatis ſe nunc præbet. Affabilitatum itaque prima hæc eſt. Cùm puella quædam ex morte ſui amantis nimis angeretur: conſolantibus amicis ita locuta eſt, Si is locus pro ſcelerum piaculis ſontibus animis exhiberetur, vbi magis peccauerant (vt multorum fert opinio) mihi exploratum eſt mei amantis animam meo in corpore nunc viuere, cùm nullo maiore flagitio miſera illa polluta fuerit vnquam: quàm quòd me longè magis quàm debuerat, amarit: itaque hæc vna conſolatio tenebris meis lucem præbet. Præterea cùm quidam amans cogeretur iter facere, ob quod valde procul à ſua amata puella recedendum eſſet: inter loquendum atque diſſerendum, dolorémque neceſſarij diſceſſus exponendum: illa, inquit, Multo charius eſt mihi tuis virtutibus dominari, quàm amori: iter igitur auſpicatò proſequere: nam tuæ amplitudo gloriæ iuſtas mihi lachrymas rependet. Ad hæc cùm eniteretur amans quidam & blandis verbis, & amatoriis perſuaſionibus amantiſſimam ſui puellam ad amoris fructum allicere: illa ſic orſa eſt: cùm animæ dominus eſſe poſſis, adduci potui nunquam vt crederem te velle corpori dumtaxat dominari: ſi enim in huiuſmodi errorem delaberer: me ratione appetitui in prædam permittente: maiore atque honorabiliore dominio priuaueris quàm id ſit, quod in me nunc poſſideres. Dum amans quidam abſens eſſet ab amata puella, quæ ardenter eum deperibat, cúmque plures dies poſt deſtinatum reditus tempus lapſi forent, hæc abſentiæ impatientiâ ſic ſcripſit: Nec tuis meritis, neque amori, quem erga te ſeruo incolumem confidere velis: nam mulierum naturæ longè magis quàm virorum periculoſa eſt abſentia. Rurſus dum amans quidam amantem ſui puellam altis cogitationibus excruciari, & quaſi ſtupidam eſſe præſentiret: rogauit quænam eſſent cogitationes eiuſmodi: cogito, inquit, dolere iis cogitationibus, quæ circa aliud quàm tui amorem me occuparunt. Cùm amata quædam puella quæ Zelotypiam valde deteſtabatur, interrogata eſſet, num ſi amans ſui Zelotypiæ anſam ſibi præberet, Zelotypa fieret. Reſpondit ob Ze-

lotypiam quidem non cruciarer, ſed ſi eam deperiret puellam, à qua ſicuti à me non adoraretur. Dum quidam amatæ puellæ contemptu adeò doleret, vt multis lachrymis oculos ſuffunderet: hoc tanta commiſeratione illam affecit, vt ipſa quoque collachrymaret: quod cùm animaduerteret ipſa: hoc, inquit, quod inſpexiſti nequaquam mireris. nam nos mulieres magis molli natura quàm commiſeratione aliqua motæ, perfacilè hæc doloris ſigna facimus. Cùm etiam amata quædam puella in colloquiis cum ſui amante verſaretur: inſpexiſſétque eum præter inceptum ſermonem reſpondere: quaſi delirando: admirata eſt non mediocriter: cui amans mox ad ſui excuſationem inquit: id imprudenter ac inconſulto eueniſſe. at amata contra obiecit. debuiſſes curioſitate magis quàm incuria gloriari. at amans hoc profectò verum eſſe putarem: ſi incuriæ ex curioſitatibus valde excruciantibus mihi non orirentur. Poſtremò cùm amans quidam tres totos dies in colloquiis cum amata puella continuaſſet: poſteaquam domum rediit, à ſomno eſt occupatus: cúmque puella famulum miſiſſet, vt intelligeret quidnam ille poſt reditum ageret: famulus renuntiauit eum allocutum non eſſe propter ſomnum. At puella cùm rurſus famulum mitteret: mandat vt è ſomno excitaret, cúmque ad ſe aduocaret: ob rei cuiuſdam vrgentiſſimæ cauſam. Amanti itaque ad ſe reuerſo: ne ignores, inquit, velim, eum qui amat longè magis cogitationibus quàm ſomno enutriri.

Quæſitum Phauſinæ de Amore meo: & de pictura, & ortu Cupidinis.

Capvt. XII.

Nemini autem mirum ſit quod in hoc de re aulica libello Quæſitum hoc de Amore immiſcuerim: ad rem enim Aulicam attinet eius amoris etiam rationem reddere. Cùm etenim apertis ſignis ſui amore me deperire Phavsina agnoſceret: ſollicitè cupidéque quæſiuit quiſnam amor eſſet: qui me tam ardentibus flammis in ſe accenderit. Reſpondi Ero, non autem Cupidine vror: ſed vt intelligas quis fuerit

Digitized by Google

Cupido quibúſue è parentibus ortus, & quonam modo educetur: referamus quæ Alexander Aphrodiſius de Cupidine ſcribit, poſtea de Ero diſſerendum: quibus apertis ſcire poterunt omnes quis Amor eſt: quo Phavsinam ardenter amo. Eſt itaque Cupido, quo partes poſtremæ aliâs frigidæ, aliâs calidæ efficiuntur. Cenſendum autem id propterea fieri, quia quoties homines, qui amoribus detinentur, anguntur, deſperántque potiri ſe poſſe puella quam ardent, calor inſitus in profundum ſe contrahit cum natura: itáque extrema omninò refrigerantur, & ob eam rem pallent, triſtíque vultu ac demiſſo redduntur. quoties vero contrà vel ſpem obtinent bonam, vel admodum excandeſcunt, calor ille natiuus idem ad cutem cum natura effunditur: itáque calidiores, rubentioréſque redduntur; & ob hanc rem Poëtæ Cupidinem puerum fingunt: aliâs triſtem anxiúmque, aliâs hilarem, ac ſubridentem, interdum iacentem, nonnunquam volitantem, quoniam vehemens quidem eſt, atque furibundus: ſed non diuturnus ac ſtabilis, éſtque pennatus, quod amantium videlicet animi efferri mutaríque facilè conſueuerint: atque funale tenet, quòd calor amantium natiuus propter vehementem aſſiduámque ſolicitudinem marceſcat atque vratur: enſis parte dextra pendet, læua pharetra ſagittis referta pluribus: quoniam principio amor per radium vnum oculorum oritur: vt primum enim aſpexit, amauit: pòſt frequenter ad puellam amatam amans radios mittit, quaſi tela iaciat, & capere illam conetur, ſagittæ abditæ in pharetra ſunt, quoniam qui amant atque redamantur mutuos inuicem occultè radios mittũt oculorum: nudus præterea fingitur: quoniam palam fit amantis animus: non enim per alium amare quis poteſt, neque ita occulte, vt intelligi à nemine poſſit, vnde ſtatuarum quoque artifices Deos ac Reges nudos ſæpenumero cauſa honoris & laudis effingunt: ſcilicet vt perſpicua eorum poteſtas & animo ſyncero: nullóque vitio protecti per corporis nuditatem indicentur. ſed vnde ortus, & quis parens: Alexander authoritate Poëtarum Cupidini matrẽ affert: patrem verò nequaquam: matrem enim inquit Venerem vnam habuiſſe id eſt libidinem: quæ Græcè ἀφροδιτὴ dicitur: aphrodita enim ſemen genitale eſt: quod cùm in corporibus exuberat:

Digitized by Google

cupidinem parit. Diotima verò (vt Themiſtius narrat) Cupidini matrem & patrem tribuit: aſſerens in Veneris natalibus diſcumbentibus Diis, Porum conſilij filium potu nectaris ebrium: cum Penia in Iouis horto ſe miſcuiſſe: & ex eo congreſſu cupidinem genitum eſſe: qui plures annos natus nullo pacto creuerat, quare cum Penia conflictaretur, ad eam deam ſe tranſtulit, quæ Themis in Parnaſo colebatur dans reſponſa: quam cùm rogaret: vt recenſeret cauſam ob quam Cupido natus non creſceret, ita ipſa inquit, hic puer ſic oritur, vt nequeat accreſcere, niſi gemellus eius etiam naſcatur, paritérque cum eo adoleſcat. Cum Poro igitur te rurſus commiſcere oportet: paries enim gemellum, qui Anterus erit, quo creſcente, Cupido vigorem accipiet magis, atque magis. Sic itaque Penia cum Poro denuo coëunte: Anterus natus eſt, qui cùm creſcere cœpiſſet, continuo Cupido augeri cœpit: cùm verò ille ab accremento deſiſteret, Cupido in tabem proficiſci viſus eſt. Parentes itaque Cupidinis Porus & Penia ſunt: Porus enim Deus eſt affluentiæ, Penia verò inopiæ dea: per hæc enim intelligere volunt ex Poro natum eſſe, quia Cupido naſci non poteſt, niſi ſemen genitale affluxerit, & multum, ac ſæpius: ex Penia verò, quia affluente ſemine, ſi puellarum inopia affuerit, cum quibus ſemen excerni poſſit, nequaquam amor exurget: qui enim ſemine genitali exuberat, fueritque puellarum inops, hic eſt quem vrit Cupido, nec iniuriâ dixerunt Cupidinem ortum eſſe in natalibus Veneris: quoniam Venus, quæ Græcè ἀφροδίτη dicitur, ſemen genitale ſpumoſum ſonat: Quare niſi ſemen genitale naſcatur, Cupido oriri nequit: in horto verò Iouis, quoniam in caloris exuberantia: nam ζεὺς Græcè calorem vel ignem ſignificat: niſi enim ſemen genitale fuerit, & homo valido ipſo calore vixerit: cupido nequaquam exorietur. ſenes enim quibus calor ferè extinctus eſt, nequaquam amore ardent. pueri verò quibus calor imperfectus eſt, minimè amant. Gemellum verò ei poſtea ortum eſſe volunt: nam amor eius qui amat, cùm à puella quam ardet non redamatur, tabeſcit: hanc redamationem Græci anterum vocant: quòd ſit redamatio, ſine qua Cupido licèt oriri queat, creſcere verò nequeat. Eſt inſuper alius amor, qui Græcè Ἔρος per omicron

ſcribitur: hunc amorem nos vocabulorum Latinorum inopiâ appellamus nomine Græco Erum: quia (vt alexander inquit) amor honeſtus eſt perpetuus quidem inter bonos, eſtque moderatus, ſobrius, ſempérque ſtans, nunquam triſtis, ſed ſemper hilaris ac iucundus; nec alatus, quoniam ſtabilis; nunquam mutabilis; nudus quoque, quoniam Deus eſt, cuius poteſtas ac operatio perſpicuæ eſſe debent: dextrâ gladium, ſiniſtrâ clypeum tenens, vt adnotetur per hæc arma eum qui Ero ipſo amat: ſemper pro tuenda puella amata, promptum eſſe, per clypeum tuendo, per gladium offendendo, Cupidinémque verberando atque ſauciando. Aſſerúntque hunc ortum eſſe ex Apolline & Minerua in horto Veſtæ: ex Apolline quidem, quoniam Apollo is Deus eſt, qui ſolus lucet: nam qui Ero amat, lucidum ac æthereum numen oſtendit ſe amare: ex Minerua verò, quoniam qui Ero amat, virginitatem atque pudicitiam in puella amata in primis exoptat. in horto autem Veſtæ, quia Ervs pura flamma eſt, quæ nunquam extinguitur erga puellam amatam: per Veſtam enim nihil aliud poëtæ intelligunt quàm perennem amorem: qui pura flamma eſt: non fœda, neque aliquo affecta pudore: Gemellus verò Eri: Ἄντερος eſt per omicron: nam quæ redamat, honeſta redamatione amare debet. Pateat igitur omnibus: quis Amor eſt quo te Phavsina depereo: non enim Cupido qui fœdus amor eſt: nam qui ſic amat, vt Eſchines inquit, omnia bona exoptat puellæ præter pudorem & mentem: Ego verò quia Ero te amo: (qui Cupidinem verberat atque ſauciat:) ac vt Numen veneror: hæc in primis tibi cupio ac volo. Antero igitur rogo, Phavsina, vt me deligas, hoc eſt, honeſta redamatione: ſic enim ſeruabis id, quod mihi omnibus gratius eſt: videlicet animi illam dilucidam pulchritudinem ſemper affabilem cunctis, gratiſſimámque numinibus, cum quibus vita ſempiterna tandem frueris. Deus enim optimus non ſatis præmij eſſe putans quidquid in terris mortalibus tradi poteſt, puellas quæ pudicitiam atque pudorem in amore ſeruauerint: ſempiterni æui participes facit: vt æterna ſecum vita fruantur. Hactenus de re Aulica. Salerni. M. D. XXXIV. Die XXIV. Aprilis.

Digitized by Google

CONSPECTVS

RERVM ET VERBORVM quæ in Opuſculis Politicis Auguſtini Niphi continentur.

A

ABSVRDVM, ſiue ab Abſurdo, locus eſt ex quo inter aulicos ſales ſiue facetiæ petuntur, 317

Academias & ſcholaſticos conuentus extirpare tyrannicum eſt, 172

Ab Accentu quomodo quis iocabitur, 321

Achæi vtrum Romanis & Antiocho bellum gerentibus, neutri eſſe debuerant, 70. 71

Achæus Lydiæ Meoniæque Rex auaritia flagrans, noctu à ſuis cum omni familia trucidatus, 119

Achillis à Centauro educatio quid ſignificet, 66

Actiones bellicæ propter ſeipſas non expetibiles, 26

Actiones Principum & priuatorum differentes, 93

Actiones aulicæ quibus circunſtantiis intelligi poſſunt à virtute proficiſci, 242. *Vide* Aula, Aulicus.

Ex Addito quomodo iocari poteſt Aulicus, 315

Adminiſtratores malos qui non puniunt, iuſtis iniuriam faciunt, 101. *Vide* Miniſter.

Adoleſcentia facetiis & ſcurrilitatibus indulget, quòd puerilitatis terminos non exceſſerit, 297

Adulationum & aſſentationum officina, Aula eſt, vitia ſunt anguſti animi, vt propriæ vitæ inſidiæ fugienda, 244

A rebuſpublicis arcenda, 245

Adulatio in mulieribus deteſtanda, 344

Adulatores Principibus non permittendi, 76

Eorum cum coruo tum re, tum nomine conuenientia, ibid.

A conſiliis arcendi, vt vitæ propriæ inſidiatores, ibid.

Adulatores poſt deliberationes Principum permittendi, 77

Adulatores Principum opes ſæpius quàm hoſtes euertunt, 115

In eos peius incidere quàm in coruos, ibid.

Sunt amici ſimulati, à timore manantes, propriæ vitæ vt inſidiatores fugiendi, ibid.
Principum peſtis pręſentiſſima, ibid.
Capitali ſupplicio apud Athenienſes & Darium puniti, 116
Adulatores magnifacere, ipſiſque beneficia conferre tyrannicum eſt, 174
Adulatores Tyrannibus accepti, 187
Vitia virtutum velo obtegunt, 188
Adulatores & aſſentatores circa vt ſe geret Princeps, 230
Adulatores morte puniti, 246
Adulatorum ſimulati geſtus, 259
Adulatores à ſimulato amore & imitatione vtuntur, 277
Adulatorij ſermonis & placidi differentia, *Vide* Sermo. 256
Æacus cur à Ioue ad inferos detruſus, 157
Ægyptij reges quo iureiurando Iudices ſuos alligabant. Item Antiochus, 101
Ægyptij magnifici in pyramidum extructione, 121
Ægyptij ſacerdotes per quingentos annos tyrannidem occupant ſimulatæ virtutis & religionis induſtriâ, 180
M. Æmilij Lepidi, & Fuluij Flacci reconciliatio ex vtriuſque ad cenſoriam dignitatem promotione orta, 73
Æmulatio quænam in Rege requiritur, 227
Æneas fortunæ cum prudentia coniunctæ beneficio ad Latinorum regnum euectus, 7
Ab Æquiuoco quomodo iocabitur aulicus, 326
Affabilis medius eſt inter facilem ſeu adulatorem, eſt inter difficilem ſeu contentioſum, 263
Affabilis ſoli aulici nomen merentur, 307
Affabilitas aulicæ virtutis pars, quique affabiles dicendi, 262
Affabilitas aulicis mulieribus conuenientiſſima, 342
Alia eſt quæ ſecum amorem habet & non ſalem, altera quæ vtrumque, 342.343
Affabilitates aulicarum mulierum enumerantur, 346.347. Phauſinæ, 348.349. & ſeqq.
Affectus ingenui in mulieribus explicantur, 142
Afri vafri, & inſidioſi, 123
Agathocles patre figulo natus, moribus omni ſcelere deprauatis, Siciliæ tandem Tyrannus euaſit, 9.10
Agathocles malum totum ſimul, bonum verò paulatim fecit, 48
Ageſilai dictum, Imperium non ſibi, ſed ciuitati ac ſociis gerere, 100
Ageſilai Spartanorum Regis manſuetudo erga adoleſcentem eius filiam adamantem, 104
Item erga temulentum in eius faciem ſpuentem, ibid.
Ageſilaus quæ Imperatori neceſſaria cenſuit, 139
Ageſilaus quid de aſſentatoribus ſentiat, 244.246
Ageſilaus erga Apellem ægrotantem prudens munificus, 282
Agelaſtus Federici Apuliæ Regis ſcurra, 248
Agis aſſentatoriè Alexandrum de munificentia ſua erga ridiculum quendam hominem, arguit, 279

Aglas

Digitized by Google

Aglai agricolæ felicitas ab Apollinis oraculo commendata, 195
Agrigentini Phalaridem Tyrannum lapidibus obruunt, 13
Aiothus Eglon Moabi Regi femur ſica transfigit quòd regnum in Tyrannidem commutaſſet, 101
Albericus Romandiolus primus in Italia ſtipendiariam militiam exercuit, 20
Alcamenis Telecri diuitis, & parcè viuentis modeſta reſponſio, 103
Alea cum omnibus, tum Principibus pernicioſiſſima, 120
Legibus damnata, ibid.
Alexander Phereus ab vxore occiſus, eiúſque cadauer à ciuibus laceratum, 87.96.193
Alexandri Seueri interitus, cuius animus Diis immortalibus comparandus cenſebatur, 64
Alexander Maior Euridices matris inſidiis occiditur, 193
Alexander Achillis imitator, 27
Alexandri prudentia in colendis populis recens conquiſitis, 40
Cur poſt eius obitum Darij regnum ab ipſius ſucceſſoribus non defecerit, 41
Alexander à Philippo patre nouæ militiæ documenta accipit, 89
Alexander ab humanitate in vxorem & filias Darij commendatur, 171
Alexandri magni modeſtia etiam erga eos à quibus malè audiebat, 103
Eiuſdem in ſeruum pietas, à quo grauiter læſus fuerat, 108
Alexander Magnus Iudæorum templum & Sacerdotes piè veneratur, 108.180
Alexander non magnificus quòd vrbem pauperi cuidam cum dono dediſſet, 121.153
Alexander picturæ amantiſſimus, 129
Quo munere Apellem pictorem donauit, 130
Alexander vbi ab armis vacabat, venatione cum ſuis oblectabatur, 143
Mane ante omnia Diis ſacra faciebat, 180
Alexandri in Caliſthenem immanitas, 188
Alexandri colloquium cum ſacerdote in Iouis Ammonis templo aſſentante, 274
Alfonſi Iberiæ Regis, occiſo ad regnandum fratre ſuo, imprudentia, 32
Alfonſi tertij Hiſpaniæ Regis in fratres immanitas, 194
Alfonſi Aragonum Regis nimia libertas eius regnum euertit, 56
Amatoria colloquia, an aulicis conueniant cum puellis, 283. *Vide* Colloquia.
Ab Ambiguo quomodo iocandum aulicis, 313
Ameſia & Gaia Aphrania Lucij Senatoris vxor cauſas apud plures Magiſtratus orauerunt, 141
Amicitia Tyrannidi oppoſita, 189
Amicis diffidere & hoſtibus confidere conſilium tyrannicum eſt, 174
Amicos Principes quales eligere debeant, 125.126
Amoris genera duo, neceſſitatis ſcilicet, & voluntatis, 60
Amurci aſſentatoris inſignis induſtria, 274
Amyntas Tyrannus à Darda occiditur ob contumeliam ſibi ab eo illatam, 163

Anacharſis à Caduido Scytharum Rege trucidatur, quòd Græcas leges more ſuo interpretaretur, 157
Anaxagoras à Nicocreonte Tyranno occiſus, 190
Anaxarchus quid Principi faciendum præcipit, 94
Animaduerſio à Tyranno quomodo facienda, 181.182
Annibalis in exercitu cur nulla ſeditio, & in Scipionis plurima, 60
Annibal & Amilcar fidei violatores, quibus tamen res bene ceſſit, 66
Annibalis modeſtia à Scriptoribus Græcis laudatur, 103
Annibal de Phormione Philoſopho de re bellica differente iocatur, 90
Annibalis vaſtato exercitu riſus ſimulatus, 289
Antigonus in aſſentatores & adulatores quo odio ferebatur, 245
Antiochi Aſiæ Regis erga Scipionem victorem modeſtia, 103
Antiochus Dodonei Iouis templum noctù diripere tentans, cum exercitu deletus, 110
Antiochi à venatione commendatio, 134
Antiphonis in auaros elegans dictum, 110
Antoninus Pius Imperator & Philoſophus præſtantiſſimus inuitus Imperij ſuſcipit adminiſtrationem, 80.185
Antonini Pij facilitas qua vitæ ſuæ defectus emendabat, 112
P. Antonius à centurione cuius fratrem ignominioſa morte occidi iuſſerat, in medio exercitu interemptus, 163
Apelles pictor Campaſpen Alexandri pellicem quam nudam ſuſceperat depingendam deperiens, hanc ab Alexandro dono accipit, 130
Apollinis oraculum de priuatæ vitæ felicitate explicatur, 195
Apollodori Tyranni ſomnia horrenda, 198
Appij Claudij dictum Romanis negotium magis quàm otium conuenire, 30
Aquilij auaritia auro in eius os infuſo à Mithridate caſtigatur, 119
Arati Sicyonij induſtria ſuſpectos, inimicos, & amicos in vnum reducendi vt Tyrannum necaret, 32
Arbactus Sardanapalum inter mulieres penſa diuidentem occidit, 166
Archelaus Tyrannidem in Iudæa exercens à Tyberio in exilium pellitur, 203
Archias templo ipſa Apollinis voce expulſus, quòd Archilocum Poëtam inuidiâ compulſus occidiſſet, 106
Archilocus Poëta ab Archia inuidioſè occiſus ipſa Appollinis voce vindicatur, ibid.
Arideus Pamphiliæ Tyrannus redditruum & impenſarum rationem reddebat, 178
Ariſtides iuſtus & ignobilis iuſti nomen per virtutem conſequitur, 99
Ariſtonis dictum inimicos beneficiis proſequendos, 111
Ariſtocratia optimatum principatus dicitur, 5
Ariſtocratia dominationis mixtæ ſpecies, 158

Digitized by Google

Ariſtophanis elegans dictum, leonem in vrbe non nutriendum, ſed vbi nutritus ſit, ei obſequendum, 40
Arma quos coronâ & imperio donarunt, 11.12
Arma propria quæ dicuntur, & quòd nullus tutè, ſed fortunâ, aut caſu ſine iis regnare poſſit, 23
Arma à ciuibus non auferenda, vt amicorum copiâ regnum abundet, 29
Arpalices Thraciæ fortitudo ad Licurgum patrem captiuum liberandum, 139
Ars an aliqua ex ſcurrilitatum & vrbanitatum locis fieri poſſit, 309
Artium ſtudioſiſſimum Regem eſſe conuenit, 229
Attapanes in Xerxem ſeditionem mouet metu territus, 164
Artaxerxis erga Satibarzanem liberalitas, 120
Arces ad conſtruendas quid impellat, 32
Quid ad euertendas? 33
Sunt Tyrannorum ſedes, in libera ciuitate inutiles, ibid
Aliquando vtiles, plerúmque damnoſæ, 34
Arx Regis munitiſſima eſt ſubditorum dilectio, 33
Antiqua militia, ibid.
Aſdrubal quòd innocentem Hiſpanum trucidaſſet, ſerui cuiuſdam manu gladio confoſſus, 107
Aſpaſia eloquentiâ, literíſque inſignis, quippe quæ etiam Socratem & Periclem docuerit, 141
Aſſentatio anguſti & ſeruilis animi vitium, 244. *Vide* Adulator, Adulatio.
Aſſentatores & adulatores quidam inſignes enumerantur, 267
Aſſio auiculis aulicus eſt, 260
Athenienſes à Pauſania carpuntur, 99
Athenienſis Reipublicæ ſtatus ex Ariſtocratia in Tyrannidem per oratores mutatus, 157
Athenodori ad Auguſtum Imperatorem de iracundia compeſcenda monitum, 264
Atrienſes quinam apud Ciceronem, 307
Atrium pro domo regia vſurpatur, vnde & Atrienſes aulici, 241
Attilius Regulus fidem religioſiſſimè Carthaginenſibus ſeruat, 67
Ex Auaritiæ libidine qui periêre, 119
Auaritia vt peſtis ſapientibus & Principibus fugienda, 119
Eſt omnium vitiorum metropolis, ibid.
Audire multos ad ſapientiam & virtutem accedit, 112
Auguſtus Cæſar aleatoris labe notatus, 120
Auguſti Cæſaris maieſtas vt ne à liberis quidem & nepotibus dominus vocari ſuſtinuerit, 261
Aulæ acceptiones variæ explicantur, 240
Pro palatio regio vſurpatur, 241
Aula Principum adulationum & aſſentationum gymnaſium, 244
Aulica vis, habitúſque in adulatore vt peſtis fugienda, 244. 245
Aulicæ virtutis partes affabilitas & vrbanitas, 261
Aulica virtus non omnes comple-

Digitized by Google

ſtitur, ſed particularis quædam eſt, & explicatur, 257
Aulicæ rei explanatio, 258. 259
Aulicæ mulieris virtutes vide remiſſiuè, 339. *Vide* Mulier.
Aulicaria à brutis animantibus ortum habet, 260
Aulici ſtulti flagitioſiſſimos Tyrannos efficiunt, 185
Aulicæ actiones ex ſe indifferentes probantur, 242
Aulicus idem qui aſſentator Terentio, & veteribus Poëtis, 243
Aulicus ſine adulationibus & aſſentationibus omni ex parte officio ſuo fungi non poteſt, 246
Aulici olim dicebantur qui ad riſum Principes mouerent, vnde alij hiſtriones, alij ſcurræ vocati, 247
Aulicus qui verè dici & haberi poſſit ex opinione Diomedis Carafæ Ferdinandi aulici, 250
Refellitur, 251
Aulicorum & ſeruorum diſcrimen, quódque multifariam Aulici nomen accipiatur, ibid.
Aulico quæ partes cum corporis, tum animi deſiderentur, 256
Aulici quibus locis ad vitia obtegenda vtuntur, 273
Quibus ad virtutes amplificandas 275
Aulici partes ſunt Nobilitas, 298
Pulchritudo, 299
Literæ, muſica, pictura & gymnica, 300
Gratia ſiue gratioſus ſermo, 301
De frigido eius ſermone diſſeritur, 302. 303
Qui affabilibus verbis ad recreandum Principem vtuntur ſoli ſibi aulicorum nomen vendicant, 306. 307
De Aulicorum nitore, 308
Auricularios deductores & exploratores per vrbes diſſeminare tyrannicum eſt, 272

B

BAroncs in regnis aut nulli, aut pauciſſimi, 35
Baſilia, dominatio, regnum ſiue monarchia, vbi vnus imperitat, 151
Beatitudo quænam ſit virtutis congrua remuneratio, 147
Bellicis exercitiis pacis tempore principibus incumbendum, 26
Belli pacis, & cuſtodiæ præcepta regia, 232
Benefici Deorum imitatores, 88
Βωμολόχοι ſcurræ dicti, 247
Bonum publicum non proprium Principi cogitandum, 95
Bonorum conſuetudine vti maxima virtutis exercitatio eſt, 113. 128
Cæſ. Borgia qua arte ſuorum ſibi animos reconciliauit, quibus iniurias per Riminum Præfectum innumerabiles intulerat, 49
Cæſ. Borgia crudelitas in Vmbria tumultus ſedat, 58
Boſtardichus & Petrichus Ferdinandi Hiſpaniæ Regis ſcurræ, inſignes, 248
Brennus Gallorum Dux ob ſuam in Delphicum templum irruptionem, dira morte cum exercitu deletus, 110
Brictona Cretenſis pudicitiæ, contra Minoëm tuendæ cauſa ſeſe in mare præcipitem coniicit, 140
Bubo aduncarum auicularum aulicus, 260

Digitized by Google

Buſtra quidam ſcurra Hiſpanus Sigiſmundi tempore, 247

C

CAcoſitus Ebuli Regis elegans aſſentator, 266
I. Cæſari ambitio & factiones dominatum acquiſierunt, quo tandem abutens in Senatu confoſſus, 13
I. Cæſar quomodo fuit liberalis, 57
Cæſari viuo templum cum Dea Clementia à Populo Romano conditum, 59. 68
Cæſaris dictum tyrannicum, ius ſi violandum regnandi cauſâ violandum, ibid.
Eius modeſtia laudatur, 103
Cæſaris liberalitas imperatore digna, 120. Magnificentia, 121. Magnanimitas, 122
Caij Caligulæ luxus eius tyrannidis cauſa, 78
Caliſthenes ab Alexandro dirè cruciatus, 188
Calliope cur ab antiquis Regibus venerationi habita, 127
Calumnias inter ciues diſſeminare, tyrannicum eſt, 173
Calumniatores & falſi delatores fugiendi. Talionis enim pœnâ plectebantur, 1.6
Cambyſi crudelitas proficua, 58
Cambyſis in Iudicem quendam iniquum, alioquin ſibi chariſſimum ſeuera animaduerſio, 01
Cambyſis Perſarum Regis impietas dira morte punita, 189
Cambyſis in Traheaſpe filium immanitas, 188
Campaſpes Alexandri pellicis pulchritudo, 130
Apelli pictori dono data, ib. & 257
Candalus Lydiæ Rex vxoris fraude occiſus, 193
Cartaginenſes à mercenariis militibus oppreſſi, 18
Caſſandræ pudicitia quæ nec Apollini conſentire voluerit, 140
Cauſidici mundum ferè totum in tyrannidem verterunt, 157
In quantum eos permittit Ariſtoteles, 158
Chiarum mulierum pudicitia commendatur, 142
Chiron Centaurus cur Achillis præceptor fingitur, 66
Chloëlia Virgo Romana Regi Porſenæ obſes data, noctu eo occiſo deceptis cuſtodiis fluminis traiectu patriam liberat, 140
Chriſtianorum confugium cum tyrannorum vexatione premuntur, 204
Cimon equarū phaleras quibus victor ab olympiacis ludis receſſerat, ſepulchro ſuo appendi curat, ne ingrati labē incurrat, 111
Cirenaïci incontinentes & intemperati, 125
Ciuilis dominus qui dicatur, & vnde ortum habeat, 49. Quomodo ſe in principatu ſeruare ſolet, 50. *Vide* Princeps.
Ciuium ſocietati & neceſſitudini obſiſtere tyrannicum eſt, 172
Ciues ad paupertatem redigere, ne ſumptus in cuſtodia aduerſus Tyrannum faciant, conſilium Tyrannicum eſt, 173. vt & eos negotiis & bellis contra finitimos premere, 173
Ciuiūm animum imminuere, inter ſe diſſidentes efficere, 175
Eorum vires atque potentiam debilitare Tyranni conſeruandi capita tria, 176

Digitized by Google

Ciuitates quibus muniendæ ſint, 53
Et ab hoſtium incurſu defendendæ, 54
Ciuitas quæ beata dicenda? 95
Ciuitates ornare maximum Principi nomen conciliat, 180
Clementia Principibus neceſſaria, modò cum iuſtitia & prudentia coniuncta ſit, 59
Clementia triſtitiæ comes, quæ in parcendo mediocritatem ſeruat, 107
Principum ornamentum, ibid.
Deo aſſimilat, ibid.
Cliſophus claudum ſe Philippi Macedonis adulatoriâ imitatione fingebat, 266
Clito quòd Philippi virtutes Alexandri laudibus comparaſſet, ab ipſo Alexandro interemptus, 200
Colloquia amatoria cum puellis quibus argumentis probatur aulicis conuenire, 283
Quibus prohibentur, 284
Horatij mens ea de re exponitur, & reprobatur, 285
Colloquia amatoria quatenus in aulis permittenda, 287
Colloquia amatoria an mulieribus conueniant? 345
Comici & Tragici primi aulici, iiſque apud Dorienſes & Megarenſes, 260.261
Commodum ſumptus, & profuſiones tyrannum efficiunt, ita vt ſtrangulatus occubuerit, 78
Coniurationes ortum habent, ex parte Principis, ſubditorum, & æmulorum, 62
Quæ magis timendæ, quæ verò paruipendendæ, 63
Conſcientiâ ſcelerum nullum grauius ſupplicium eſt, 86
Conſcientia rectè factorum ſapienti viro ſufficit ad felicitatem, 88.146.147
In Conſiliario à ſecretis Regiis quænam excellentiæ partes requirantur? 72
Quomodo eius in Principem beneuolentia probatur, ibid.
Si priuatæ ſolùm vtilitatis ſuæ ſollicitus ſit, & Principis & populi tyrannus eſt, 73
Virtute ſit & ſanctimoniâ clarus, ibid.
Carpuntur Dorophagi, ſiue donorum comeſtores, & imperiti Conſiliarij, 75
Conſilium Principis ex eius prudentia, 73
Secretus ſit, ibid.
Contemptus Tyrannidis cauſa, 165
Contentio duplex, altera quæ viribus & armis, alterà quæ legibus & rationibus perficitur, 66
Contubernales Principum quales eſſe debent, 113
Quid ſi praui, 115
Contubernium bonum ad virtutem præſidium eſt, 115
Contumelia quot Tyrannides euertit, 163
Cornelia Scipionis filia ab eloquentiâ ſcriptis conſignatâ laudatur, 141
Cornelius Nepos quam ex veritate authoritatem aſſequutus ſit, 118
Craſſus diuitias ſitiens apud Arenam à Parthis occiſus, 95
M. Craſſi virtutes auaritiæ ſordibus infectæ, 119
Crudelitas Principi aliquando vtilis, 58

Digitized by Google

Odioſum eius nomen, 59

Cupidinis ortus ex Alexandri Aphrodiſij fabula explicatur, 155

Cura ſubditorum principis amorem conciliat, 69

Curiæ nomen cur in domum regiam cadat, 241

Cyneas Theſſalus orator quanti apud Pyrrhum Epirotarum Regem, 114

Cypſelidarum Tyrannis cur diuturna fuit? 161

Cyrus fati impulſu ad Medorum regnum deuenit, 8

Cyrus præclaræ imitationis ſtrenuo duci, & Principi exemplar, 27

Cyro Medorum mollities regnandi occaſionem præbuit, 44

Cyri liberalitas de hoſtium ſpoliis & bellico lucro, non de ſuis, nec ſubditorum bonis, 57

Cyri dictum de optimo imperatore, 144

Cyri in Arpali filios crudelitas, 188

Cyrus à Cambyſe patre Xenophontis monitu eruditur, 89

D

DArius Hydaſpis filius fato ad regnum euectus, 8

Darius Xerxis pater vectigalium mediam partem ſuis remittit, regalius exiſtimans dare quàm auferre, 97

Decuriones qualem Romanis obedientiam præſtabant, 41

Delatores Principibus odio ſint, quos qui non coërcet, vltrò ad nequitias impellit, 116

Delatores tyrannis accommodatiſſimi, 189

Deliberationes viris inſtabilibus non committendæ, 74

In Deliberationibus mutabilitas Principis & Conſiliariorum ignauiam & imprudentiam arguit, ibid.

An Principi mutanda ſententia ſi omni diligentiâ adhibita malè deliberatum fuerit, ibid.

Demarchia populi dominatio, 5

Demetrius expugnatoris nomen affectans à Plutarcho carpitur, 99

Demetrij Antigoni filij imago à priſcis Scriptoribus laudata, 103

Demetrij Phalerei de deiectis Athenienſium ſtatuis dictum, 88.146

Democratia dominatio eſt quæ ſuis ſe viribus tuetur, 5

Democratia popularis dominationis & tyrannicæ ſpecies, 152

Democriti de adulatoribus iudicium, 244

Dianæ Epheſinæ templum ab Alexandro, & M. Antonio mirè amplificatum, 108

Diana cur nuda, virgóque depicta, 134

Dictatura vnde nomen ſortita, qui Dictatores, & quòd ſit tyrannidis ſpecies, 154

Dictorum & factorum obſeruantiſſimus Rex ſit, 228

Diocletianus imperij iugo excuſſo in villam ſecedit agro colendo vacaturus, 80.185

Diogenis Athenienſi Principi elegans reſponſio cur Athenis moraretur, 264

Diogenis ſcurrilitates quædam recenſentur, 328

Diomedes quanti eloquentiam fecerit, 136

Dionis Syracuſani modeſtia & frugalitas commendatur, 104
Dionyſius barbam ſibi capillóſque exurebat, 87
Dionyſius Siculus parentes ſuos, regnandi libidine de medio tollit, & demum ludi magiſter Corinthi miſerè degit, 193
Dionyſij induſtria ſibi hoſtes fingentis, vt à ſuis fortis haberetur, 31
Dionyſij iunioris Tyrannidem inchoantis diſſimulatio, 13
Dionyſij Iunioris dictum eius liberalitate dignum, 69
Dionyſius iunior cur multos artium liberalium doctores aleret, 119. 129
Diſciplinarum liberalium & illiberalium diuiſio Ariſtotelica, quæque Principi cõuenientiores, 126
Diſciplinæ in quibus otium relucet, quatuor literæ, pictura, gymnica, & muſica, 128
Diſſimulare aut ſimulare aliquando Principi licitum, mentiri verò nunquam, niſi pro multorum ſalute, 118
Diuitiarum ac propriorum bonorum ſtudium optimis Principibus non conuenit, 95
Dolor eſt operationis imperfectio, 291
Dolo qui Reges & Tyranni euaſerunt, 12
Domeſticorum cura qualis eſſe Regi debeat, 233
Dominandi appetitus à natura homini datus, 185
Dominationum genera quot ſint? 5
Dominationis appellatione quiuis principatus venit, ibid.
Dominationum genera explicantur, 151
Dominus ciuilis qui dicatur, & vnde tale dominium, 49
Quomodo ſe in principatu conſeruabit, 50 51
Quomodo periclitetur, 52
Quomodo ſe ab externis hoſtibus defendet, 53
Domitianus ob Cæſaream maieſtatem in Tyrannidem conuerſam interemptus, 201
Domitianus Imperator magnanimitatis inimicus, dementiâ notatur, 122
Domitianus Imperator Philoſophos ab Italia eiicit, 172
Dorienſes comœdiæ & tragœdiæ, ideóque & aulicariæ artis inuentores primi, 261
Dorophagi quibus naſus cereus, dicuntur Conſiliarij imperiti & priuatæ vtilitati inhiantes, 75
Duces ſtrenui ſapientes ſibi familiares ac domeſticos ſemper habebant, 113 114
Dux Leo, & oues milites anteponuntur duci oui, vbi leones milites, 24

E

EDucatio Principis ex Perſarum Regum educatione petenda, 85. 86
Electione quinam ad regnandum eliguntur, 15
Electio regnandi genus eſt, Quænam legitima cenſeatur, 83 84
Eloquentes peccandi licentiâ abundant, 138
Exempla Tyrannorum, 139
Eloquentiæ in Principibus neceſſitas, 136
Qui in ea excelluerint, 137. 138

Eloquentiâ

Eloquentiâ quænam floruerunt mulieres, 141
Ennij Poëtæ ſtatua Scipionis maioris ſepulchro appoſita, 114
Epaminondas Thebanus virtutibus illuſtris, & præcipuè innocentiâ, 106
Epaminondas à citharæ & tibiarum exercitatione laudatus, 131
Ephialto quid Senatus Areopagus detulerit, 115
Epicharmus vetus apud Dorienſes Poëta, 261
Equitum quot genera, & quibus pro regnorum cuſtodia vtuntur Reges, 17
Equitis cuiuſdam rei aulicæ periti ſſimi affabilitates enarrantur, 353. 354
Equitationis exercitium pacis tempore milites ad bellicos labores aſſuefacit, 26
Equus de ceruo pœnas repetens ipſe libertatem amiſit, fabulâ tyranno Phalaridi applicata, 12.13
Erginus in Orchomeno tyrannus à populo occiditur, 164
Eſymnetæ ſiue Eſymnetia poteſtas quæ dicebatur, 207
Euagoræ innocentia commendatur, 106
Eucratides Bactrianorum Tyrannus à filio quem regni participem fecerat, occiditur, 194
Eunuchus ab Euagora Cyprio occiditur, 163
Euripidis elegans ſententia, vtinam homines elingues eſſent, & res ipſæ loquerentur, 158
Exceſſus omnis in contrarium vertitur, 155
Exercitationes omnes non ad principem ſpectant, 94
Exercitus potentior eſt ex ouibus compoſitus, vbi leo præeſt, quàm ex leonibus vbi ouis, 24
Exercitus Annibalis ex diuerſis hominum generibus conſcriptus, cur ſine ſeditione, Scipionis verò in exercitu ex eiuſdem generis hominibus compoſito plurimus fuerit? 61
Exploratores quos deductores ſiue auricularios vocant per vrbes diſſeminare conſilium tyrannicum, 172
Expugnatoris nomen à Regio decore alienum, 99

F

FAbricij erga Pyrrhum magnanimitatis exemplar, 123
Fabula equi de ceruo vltionem repetentis Phalaridem de ſpe Tyrannidis deiecit, 12.13
Fabula Æſopica de pauone & cæteris auibus Principum luxui carpendo accommodata, 78
Fabula leonis & vulpeculæ, 25. vt & pauonis, Principis fortitudinem vel ignauiam arguunt, 166
Facilitas & beneuolentia plures Principi conciliat quàm arma, 70
Facilitas Principibus & Regibus gratioſiſſima, 111
Facinora egregia Principem extollunt, 68
Factionibus an regna conſeruari poſſint, 29.30
Factiones quos ad regnum euexerunt? 13
Familiaritas Principum mulierum cæterarum beneuolentiam & amorem conciliat, 179
Famuli cuiuſdam riſum mouendi peritia, 297

Felicitatis variæ Philoſophorum definitiones, 186
Feræ non laqueis, ſed fortitudine & præſtantia, canibus, telis, & vulneribus venandæ, 133
Ferdinandi Catholici Hiſpaniarum Regis facinora, 68. Morum facilitas, & erga ſuos benignitas, 70
Ferdinandus quâ obſeruantiâ & gratitudine fortes, & virtute præditos coluerit, 180
Feſtinata non diuturna, 47
Fidei ſtabilitas ac certitudo Principem commendant, 69
Fidei coniugalis exempla in mulieribus luculenta, 142
Florentini quomodo mercenario milite Rempublicam ſuam locupletarunt, 19
Per Fortitudinem regnare quid ſit oſtenditur, 84
Fortitudo eſt mediocritas in metuendo & audendo, 124
Nulla virtus maiori laude aut præmio digna. ibid.
Vnde viri fortes vt Dij venerabantur ab antiquis, ibid.
Fortitudo quæ Tyranno ad ſui tutelam neceſſaria, 168
Fortuna quos ad principatum euexit, 7.8
Fortuna quem diligit, in eum ſuperabilem hoſtem concitat, 31
Fortunæ & occaſionis concurſus ad felicitatem neceſſarius eſt, 45
Fortuna ſociam habeat virtutem, 47
Franciſcus Sfortia Mediolanenſem Ducatum inuadit, 18
Eius in ſtudiis militaribus peritia, 25

G

GAlli magnanimi & aperti homines, 123
Garmentæ Euandriæ ob literarum inuentionem commendatio, 141
Galeatius Mediolanenſium Princeps ab Andrea Lampugnano dum ſacris adeſſet in templo occiſus, 65.163
Gaudium quid, & quòd in ſapientem cadat, non autem triſtitia, 291
In iis tantùm delectationibus locum obtinet, quæ rationem conſequuntur, 292
Gaudium quomodo mouet ad riſum, ibid.
Germanorum exercitia pacis tempore formandis militibus inſtituta, 26
Geſticulatio brutorum animantium propria, 291
Geſtuum aulicorum accommodatio principibus accepta, 259
Geſtus iucundi & affabiles quibus circunſtantiis circumſcribendi, 263.264
Quinam ſine delectu, & adulatorij, 266
Geſtus difficilis & contentioſus qui dicatur, 268
Geſtuum ridiculorum diuiſio, 296
Giges Lydorum Rex de felicitate ſua Apollinem conſulens, Aglaò paruuli ruris cultori poſtponitur, 195
Gloria virtutis & laborum merces, 88
Godefridi Chriſtianorum ducis in expeditione Ieroſolymitana modeſtia commendatur, 102

Digitized by Google

Græci Principes Muſicæ & ſymphoniarum amantiſſimi, 131
Græci cur ſemper pueri, & nunquam ſenes ab Ægyptiis dicti, 135
Gratia quænam in aulico requiratur, 301
Eſt Dei donum, ſiue fulgor, qui non pariter in pulchris omnibus diſſeminatur, ibid.
Vnde petenda, & quiſnam gratioſus aulicus, 302
Grauitas honeſta non aſpera Tyranno neceſſaria, 178
Gubernatio optima eſt quæ fit per ſapientiam, 83
Per iuſtitiam & temperantiam, 84
Gubernare ſecundùm Deum Platoni quid? 83
Gymnica facultas eſt quinque artium exercitatio, ſc. curſus, ſaltus, palæſtræ & iaculationis, 132
Viris ingenuis, & Principibus maximè conueniens, 132
Gymnica facultas quæ apud Græcos, 255
Pro qualibet honeſta non moleſta corporis exercitatione ſumenda, ibid.

H

HAbis Spartanorum Princeps Romanorum impetus acerrimè ſuſtinet populari fretus authoritate, 51
Harmodius & Ariſtogiton in Piſiſtratum Tyrannum ob calumniam inſultant, 163
Heluetij mercenarij milites, 17
Libertatem ſuam quia propriis armis vtuntur feliciter tuentur, 19
Heluetiorum ludi pacis tempore militares exercitationes ſunt, 26
Heluetij cur non loco cedant in prælio, 164
Heluetij à Cæſare magnanimi reputati, 123
Hercules cur in Tyrannos ſæuiit, 201
Hercules vnde talem ſortitus eſt appellationem, 69.110
Hercules, Theſeus, & ex Sapientibus quamplurimi in Tyrannos pugnauerunt, 96
Hercules Ferrarienſis princeps quomodo principatum ſuum à Venetorum inuaſione liberauit, 37
Quo item ratione filius eius Alphonſus, ibid.
Hermogenis dictum, virtutem inter probos comparari, 113
Heroës priſcis ſæculis cur diuinis honoribus colebantur, 101
Hieron Syracuſanus mercenarios milites vt inutiles è finibus ſuis arcet, & propriis armis rem gerit, 19
Hiero Syracuſanus genere ſordidus, quippe ſpurius, virtutibus & generoſitate inſignis à Syracuſanis tandem rex creatus, 45.46
Hippone Græca ad virginitatis tutelam ſe in mare præcipitem mittit, 140
Hipparchi Piſiſtrati filij ſomnium cruentum, 198
Hiſtoriæ vtilitates enumerantur, 134
Principibus & Imperatoribus maximè neceſſaria, ibid.135
Qui ſibi ex eius notitia Principes nomen vendicarint, 136

Hiſtriones olim aulici nomen vſurpabant, 247
Hiſtriones & ſcurræ multorum Principum notantur, 248
Homo animalium omnium in rectorem ſuum & cuſtodem ingratiſſimus, 90
Primi inobedientia & contemptus, malorum omnium cauſa, ibid.
Homini dominandi cupido à natura inſita, 61.85.186
Homo illiteratus homo pictus & marmoreus eſt, 128
Homo naturâ fit habilis, arte facilis, vſu & exercitatione admodum potens, 260
Homo difficilis & contentioſus qui dicatur? 267
Honeſtas Principem decet, 113
Honeſtas grauis reuerentiam parit, aſperitas timorem & odium, 178
Honeſti & honeſtatis definitio Platonica & Ariſtotelica, 112
Honor bonum externum eſt & citò euaneſcens, 102
Hoſtes qui à regni principio erant, beneficiorum collatione amicos facere aduenienti Principi ſatius eſt, quàm veteres regni amicos conſeruare, 31
Hoſtes ſibi fingere ad fortis nomen conſequendum, Tyrannorum induſtria, 31
Hortenſia eloquentiſſima Romana, 141
Humanitatis excellentia, quique ea virtute illuſtres fuêre, 110
Principibus commendatur, 111
Humanitas in Tyranno tuta eſſe nequit, 190

I

Imperatori bellum adeunti quæ conſideranda ex quibuſuis militibus, 24
Imperatores quidam Romani cur violenta morte perierint, cùm rectè erga populum ſe geſſiſſent, 64
Quænam illis difficultates vincendæ, ibid.
Imperator peſſimus qui ſibiipſi non imperat, 105
Imperatori quæ neceſſaria cenſuit Ageſilaus, 139
Imperii pondus & ſæuitia formidanda, 80
Imperare nihil difficilius, Diocletiani dictum, 47
Imperandi cupiditas à Deo vel natura nobis tradita, 81
Imperare vt par eſt difficillimum vnde dictum. Qui imperat lupum auribus tenet, 90
Imperare nulli conuenit qui non ſit iis melior quibus imperat, 98
Ingratitudo Tyrannis domeſtica, 189
Inimici Principibus an fouendi, an delendi, 30
Innocentem lædere, crimen omnium maximum, cuius Deus ipſe vindex eſt, 106
Innocentiæ cum iuſtitia commercium, 105
Eſt animi affectio quæ nemini nocere vult, ibid
Innocentia Principibus digna, 106
Interpretationis retortæ exempla, 324
